


R. P.

THOMÆ REINÆ

Mediolanensis

E SOCIETATE IESU,

Verbi Dei celeberrimi totâque Italiâ famosissimi ac præstantissimi Præconis,

NEC NON ET

Provinciarum Italiæ ejusdem almæ SOCIETATIS ASSISTENTIS GENERALIS

QVADRAGESIMALE,

Sive

CONCIONES XL. IN SINGVLAS totius Quadragesimæ Dominicas & Ferias

Duobus Tomis distinctæ:

In quibus

Discursus & Conceptus varii nobilissimi, vereque aurei, Morales, Allegorici, atq; ad S. Scripturæ in Locis difficilioribus intelligentiam, moresq; formandos maximè idonei continentur.

Idemque Indice singulari Concionum præfixo.

Adjectis quoque ad faciliorem Concionatorum usum, in singularum Concionum primo Limine, brevibus eorum, quæ ab Autore fusiùs dicuntur, Summariis locupletatæ.

Omnibus Theologis, sacrarum Literarum Interpretibus, Pastoribus & Concionatoribus utilissimæ, plantandisque virtutibus, vitiis verè eradicandis, singulari Industria concinnatæ, atque ex Italico in Latinum sermonem translatæ,

Operâ & Studio

R. P. JACOBI EMANS, SS. THEOL. DOCT. & PROFESS. FF. ORD. B. Virg. MARIÆ de monte Carmeli Prioris Conventus Colon.

FRANCOFURTI,

Sumptibus JOAN. ARNOLDI CHOLINI.

M DC LXXI.

VINCENTIUS CARAFFA
SOCIETATIS JESU
Præpositus Generalis.

CUm Conciones Quadragesimales P. Thomæ Reinæ Provinciarum Italiæ nostræ Societatis Assistentis, tres ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in Lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandentur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur; Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus, Romæ 12. Januarii. 1649.

Vincentius Caraffa.

Imprimatur. Si videbitur Reverendiss. P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

A. Rivaldus Vicesgerens.

Imprimatur. Si videbitur Canditus Sacri Apostolici Palatii Magister. Ord. Prædicatorum.

Facultas Ordinis.

Fr. Iohannes Antonius Philippinus S. T. M. ac humilis Prior Generalis totius Ordinis. B. V. MARIÆ *de monte Carmelo*

COnciones Quadragesimales R. P. Thomæ Reinæ è Societ. Jesu à R. P. M. Jacobo Emans Priore Conventus nostri Coloniensis strictioris observantiæ, ex Italico in Latinum sermonem translatæ, ut typis mandentur, facultatem, quantum ad nos spectat, concedimus. In cujus rei fidem, &c. Datum Romæ die 16. Nov. A. 1652.

L. S. *Fr. Iohan. Antonius Philippinus Generalis Carmelitarum*

F. Gabriel à S. Iosepho Provincialis Daciæ & Secretarius ordinis.

Censura quorundam Theologorum.

Ex commissione Adm. Reverendi Patris Antonini à Charitate Fratrum Ordinis B. Mariæ Monte Carmeli Provinciæ Alemanniæ Inferioris Provincialis, præsentem librum, cujus titulus est, Conciones Quadragesimales attentè legi, nihilque in eo veræ fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium deprehendi; quinimò, sicut anteà Italicè conscriptus multis Lectoribus non parum profuit, ità nunc eum studio ac industria singulari Adm. Reverendi & Eximii P. Magistri Iacobi Emans SS. Theol. Doct. & Fratrum Carmelit. Colonienf. antiquæ & regularis observantiæ Prioris vigilantissimi Latinitate donatum, in lucem editum, plurimis præsertim Concionatoribus lucem allaturum singularem existimo, qui signabam Moguntiæ anno reparatæ Salutis, 1653. 21. Septemb.

Fr. Ioannes Nider wilz Carmelita in Conventu Moguntino F. F. Carmelitarum SS. Theol. Doctor & Profeff. Ordinarius.

QVadragesimale præsens [de mandato Adm. Rev. Patris Antonini à Charitate Provinciæ nostræ Alemanniæ inferioris Provincialis] summâ, quâ potui, diligentiâ perlegi, & vidi, quod esset bonum, quia honestum, quia utile, quia delectabile, nec quicquam aliud ei desideraretur, nisi ut prælo subjiceretur bono, & hoc valdè bonum esset; bonum siquidem sortitur Authorem, bonum & Interpretem, utrumque Concionatorem bonum: Unde pro operis hujus approbatione sat erat dicere: *Reina* composuit, *Emans* transtulit; opus igitur bonum, quilibet intulisset. Autorem ego primò legi Italico idiomate in lucem editum, deinde Interpretem, *& venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* utraque lectione: quisquis leget solum Interpretem, majori posse eum; at non minori frui bono planè existimo, tàm bene bono consonat Authori Interpres bonus.

Ita censeo Fr. Henricus à monte Carmelo in Conventu & studio Moguntino, SS. Theol. Professor ordinarius. Anno 1653. 20. Septemb.

AUTHOR



AUTHOR LECTORI SALUTEM.

NUnquam mihi in mentem venerat, præsentes hosce discursus meos, quos solido triginta annorum spatio, quo in Evangelicæ prædicationis munus à superioribus meis sum adhibitus, pro privata necessitate usuq; meo composueram, in publicum prælo mediante divulgare. Neque enim is, qui aliquem ex sacro pulpito coram fideli populo pronuntiat sermonem, eam aqud zoilos subit periculosæ Criseos aleam, quam patitur qui sermonem omnino eundem in Charta fusè explicatum bonisque efformatum Characteribus, publico exponit conspectui; Idem namq; sermo ab ore dicentis fluminis instar, continuo, successive, ac sine interruptione dimanans ac fluens, nullam, ut ita dicam, invidæ Criticorum censuræ ad carpendum moram indulget: in charta verò eleganter depictus morosè ac deliberatè satis, à quovis, pro Libitu legi ac religi; omnisque in eo defectus, non jam cursim ac perfunctoriè occurrens, sed fixus & stabiliter perseverans, stomachum movere delicatis: aut rigidis censoribus, quorum uti olim, ita etiam num quoq; ingens est numerus maledicentiæ excitare pruritum facile potest. Præterquam quod ii, qui in sermonibus ex publico Ecclesiæ umbone, ad fidelis populi instructionem declamatis, committuntur errores, majori ex parte tum ab elegantibus declamantis Ecclesiastis gestibus & actione: tum ab auscultantis auditorii devotione: tùm à sanctitate Loci: nec non à temporis, quo dicuntur, religione, cooperiantur ac velentur: cum tamen alii econtra typo publico divulgati sermones, revelatis planè ac discoopertis imperfectionibus suis, nudi compareant. Hæc reflexio, opinione mea, satis, superque rationabilis, ac justus hic timor, semper mihi obstaculo fuit, quo minus ullam Compositionum mearum, per vulgi manus indifferenter pertransire, aut sive sano sapientum judicio, sive insipido Idiotarum vel ignorantum arbitrio subjici permitterem, nec enim minoris est periculi acutam horum sustinere limam, quam indiscreta aliorum sustinere dicteria. Verùm enimverò firmum istud, quod statueram, animi decretum rumpere debui, ne honestatis &

 justæ

justæ convenientiæ rumpere leges cogerer, quibus continuò veluti monebar, absque notabili labis nota fieri non posse, ut continuas & quasi importunas amicorum, præsentis operis typum publicum sollicitantium non exaudirem preces, aut manifestis Superiorum nutibus non obtemperarem. Malui igitur à scientiæ deliquio notatus prodire in publicum, quam deficientis affectus & Reverentiæ reatu obnoxius. In multis me peccasse ultro libensque fateor, partim voluntariè, ut videlicet me præsentis temporis conformarem sensui & arbitrio; partim etiam citra voluntatem meam, eo quod ob brevis hebetisque visus mei debilitatem, in ulteriora penetrare nequivi. Frequenter etiam à pulchro elegentiarum ornamentorumque Rheticorum studio, quod sublimi dicendi generi proprium est, abstinui, neque enim ad subtilia artis oratoriæ præcepta obligatum me esse persuadere potui, cum Materiarum, quæ hisce discursibus tractantur gravitas & sublimitas neutrius necessitatem efflagitet. Unde jure merito de hisce compositionibus meis dicere me posse video, id quod ex summa animi modestia olim de suis dicebat S. Paulinus Nolanus Episcopus Epist. 9. ad Seren. Nugas autem meas de verbis sententiis meis dixi. Cæterum Materia Sancta, etsi meis sermonibus velut atro habitu vestiatur, speciem tamen divini luminis, interni decoris quanquam in egenæ supellectilis vilitate custodit.

INDEX

INDEX.

CONCIONUM QUADRAGESIMALIUM.

CON-

FINIS.



CONCIO PRIMA In Feriam IV. CINERVM

THEMA.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra Matth. 6. v. 19.

ARGVMENTVM

Bona terræ huius tribus subiecta sunt Prædonibus, illa continuò involantibus, vanitati videlicet, afflictioni & inconstantiæ.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Votum Authoris n. 1. & 2.

Omnia terrena tres patiuntur prædones, scilicet, vanitatem, afflictionem & inconstantiam. n. 3.

Primo, *vana sunt terrena omnia & varia vanitatis istius ostenduntur radices & causæ. n. 4.*

Quid sit vanitas seu vanum? scilicet aliquid quod nomen habet, rem vero non habet, idque variè exemplificatur. n. 5.

Mundus est mendacium. n. 6.

Mundus desertum quoddam est ubi locus Cant. 3. Quæ est ista quæ ascendit per desertum delitiis affluens? *exponitur. n. 7.*

Mundus exterior quædam figura tantum est, sine substantia, premitur Apostoli locus. 1. Cor. 7. Præterit figura huius mundi. *num. 8.*

Res terrenæ pulvis quidam sunt levissimus. n. 9.

Vita humana ludo puerorum in pulvere vel arena exercito persimilis est ibid.

Mundi huius bona somniata bona sunt, quæ proinde verè divitem non faciunt. nu. 10.

Divites sunt sicut ebrii qui divites se credunt, quamdiu vino madent, cum vinum digesserint, pauperes se cernunt. num. 11.

Confirmatur id exemplo Salomonis, ubi optime ponderatur locus ille Eccles. 1. Ego Salomon fui Rex in Jerusalem, *explicatus* ab Hugone de S. Victore. *n. 12.*

Res terrenæ apud Deum non tantum rem non habent sed nec nomen quidem obtinent; & merito. Advocatus Rupertus Abbas. *num. 13.*

Quo magis aurum & argentum in domo abundat, tanto plus augentur damna & miseriæ, ubi confertur visio statuæ Nabuchodonosoris cum visione 4. bestiarum Danielis. num. 14.

Rosæ venustas inter spinas reclusa, terrenam significat fœlicitatem miseriis obseptam. Ambrosius & Basilius Advocati. *num.* 15.

Nihil in mundo adeo fœlix & bonum quod suas quoque coniunctas non habeat miserias. n. 16.

Mundus similis est domui illi in qua Filii Iob epulantes simul interierunt. n. 17.

Mundi fallacia exponitur. ibid.

In carnali opere plus est amaritudinis, quam delectationis. Locus Prov. 7. adductus servit. *n.* 18.

Omnes miseriæ quæ in mundo videntur toi fere sunt voces clamantes: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. *num.* 19.

S. Gregorius idem exemplo eorum quæ temporibus suis acciderunt, demonstrat. ibid.

Nihil miseriarum sustinet iustus aliquis, quod non longè duriùs sustineat mundanus: qui proinde Martyr est sæculi, sicut iustus Martyr est Christi. Explicatur Locus Psal. 43. Judica me Deus & discerne causam meam. *n.* 20.

Quid ponimus cor in terra cum videamus quia evertitur terra? *Aug. serm.* 29. *de verb. Dom. n.* 21.

Potentes sæculi huius nubibus per varias analogias comparantur. ubi optimè explicatur ille Jobi 30. Locus: Et velut nubes transiit salus mea. *n.* 22.

Coniuratio Absalonis in patrem, pro coronide habuit suspendium; illo namque pendente de quercu mulus pertransiit; quia inquit Drogo transit mundus & concupiscentia eius *n.* 23.

O fallacem hominum spem fragilemque fortunam & inanes nostras contentiones, &c. *Ciceronis exclamatio. ibid.*

Fortunā citi⁹ reperias quā retineas. Senec.

Si vitrei essemus, minus casus timeremus. *August.* 16. 23.

Omnia Regna mundi, Christo à dæmone in momento ostenduntur, quod indigitat eorum caducitatem & fragilitatem. Ambrosii Censio. *n.* 24.

Regna mundi peritura veritate, semper mansura adulatione. Augustini mens ex Virgilio.

Igitur vilescat mundus, ametur à quo factus est mundus, *aurea D. Aug. Conclusio. n.* 25.

1. TAntam hodie optarem in dicendo fortitudinē, tantamq; in verbis efficaciā, ut sæculi huius amatoribus magnam eorundem ob oculos statuere possem stultitiam, dum tanta cum anxietate, desideriisq; adeo ardentibus ad possessionem anhelant particulæ unius huius minimi puncti, quod funestum millenarum lachrymabilium tragœdiarum est theatrum, nostrorumque certaminum sanguinolenta arena & campus. Utinam ab hac scena abscondita mendacii velum tollere, atque incauto & misere decepto populo clare ac evidenter ostendere possem, fictas esse divitias, pacem insidiosam, honorem falsum, mendacem famam, spes fallaces, omniaque mentito fascinatorio cooperta esse pallio! Optarem denique vires mihi esse ut corda tangere eaque ad vivum usque penetrare; imo si ulla foret ratione possibile violentare illa possem ut tandem aliquando generosam vanitati semel dare possent repulsam, eoque conari ut debita cum devotione

votione amabile illud reciperet monitum, quod illis benedictus Redemptor noster hodie hisce dat verbis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Ad cœlum cœli Dominus invitat, ne ab apparentibus & falsis terræ huius decipiamur bonis. Ad cœlum, inquā, ubi securi sunt thesauri, divitiæ optime custoditæ: ubi nec mendacium decipit, nec tradit casus, neque vicissitudines variantur, nec tempus oblivionem inducit, nec alius quispiam ex domesticis hisce raptoribus bonis nostris insidiatur.

2. Tu ô Moderator cordium, ad hæc eorum corda qui me auscultant loqui dignare interea, dum ego eorundem loquor auribus, meosque istos exiguos conatus tua gratia conforta, atque in devoti populi huius pectoribus tu interius sancti timoris aratro labora, ut pretiosum verbi tui semen in fertilem beneque præparatam cadens terram eos reddat fructus, quos tempus hoc adeo venerabile & sacrum expostulat.
Serm. 1. in Cant. *Parvuli petierunt panem* (verbis utor Bernardi) *non est qui frangat eis, speratur id à benignitate tua. O piissime, frange esurienti panem tuum, meis quidem, si dignaris, manibus, sed tuis viribus.* Et vos illum ô auditores hoc fine orate, & propter exigentiam vestram & ob meam necessitatem; *ut & nobis* (uti dicebat Augustinus) *det Dominus digna loqui, & vos digna capere mereamini.* Tract. 4. in Joan.

3. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Salomon qui tantam in terræ huius bonis partem habebat, divina quondam gratia ad saniorem reductus mentem, dum attentam ad ingentes hosce thesauros omnes, quos possidebat, faceret reflexionem, deprehendit, quod irremediabiles à tribus latronibus paterentur insidias, à Vanitate videlicet, à miseria, ac denique ab inconstantia: *superinduxi Animæ cogitationem super omnia illa, & inveni in eis tria hæc, vanitatem, afflictionem, & consummationem.* Vanitatem in essentia, in effectibus afflictionem, consummationem denique in sui duratione. Vanitas illis aufert substantiam, quia ficta quædam sunt Chimæra: Gustum involat afflictio, quia plena sunt amaritudine, consummatio vero statum eorum rapit & permanentiam, quia paucis in momentis finiuntur. Vanitas decipit, torquet afflictio, consummatio vero finaliter tradit & trucidat. Eccl 2. v. 11. Eular. juxta lect. Græc.

4. Ordior à capite, atque cum eodem Salomone dico: *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas.* q.d. vidi omnia quæ sub cœlo isthoc reclusa consistunt, vidique ea turpiter ab hoc vanitatis verme corrosa, quæ inania illa facit ac defectuosa, atque cordis humani generositati prorsus indigna, sive id factum sit eo quod à nostra cæcitate quæ adeo modice videt, nimium sint æstimata, cum tamen revera exiguam mererentur existimationem: sive quia tametsi immensæ cordis nostri capacitati minime proportionata aut sufficientia essent, à nobis nihilominus, velut proportionata atque conformia desideriorum nostrorum pascua consectata sunt: sive quia revera per peccatum quod totam distemperat naturam, ipsa pariter deteri-

 orata,

orata, milleque vitiis atq; defectibus repleta sunt: sive quia cum facta sint ut homini pro scala ad Creatorem saliendi servirent, frequentius tamē illi præcipitium fiant ad se à Deo magis elongandum: sive quia eousque transcendit humana dementia, ut non abhorreat aut erubescat Deum unicum ac verum summumq; bonum suum oblivione sepelire, atque in illis terrenis bonis ultimum finem suum collocare: sive quia omnis perversitatis Ministri evaserunt, cum tamen eo fine homini data sint, ut ad quamlibet sanctam illi operationem servirent: sive denique quia in comparatione rerum cœlestiū, quæ adeo magnæ sunt & pretiosæ omnino disparent, veluti si non essent, sicut stellæ minores comparente sole. Quacunq; id demū ratione fiat, multa cum ratione à sapiente dicta sunt vanitate plena: *in omnibus inveni vanitatem.*

Basil in Psal 4. S. Basilius Magnus vanitatem hanc more suo solito sapienter definit, dum illa Psalmi commentatur verba: *ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium Vanum id quod vacuum esse dicitur, quod nomen quidem habet, rem vero ipsam non habet.* Vanum est quod est vacuum, habens corticem, sed sine medulla, pulchram apparentiam, sed sine substantia, quoad exteriora artificiose larvatum, quoad interiora vero turpe & deforme, nomen præ se ferens speciem, sed sine factis. *Nomen quidem habet, rem vero ipsam non habet.* Homines istius sæculi extrema cum sollicitudine ea terræ congerunt & congregant excrementa, quæ in novi mundi partibus nascuntur, aut conchyliorum marinorum fructus, quos tanto cum labore in maritimis Asiæ piscantur, aut minimos lapillos, scintillantesque orientis gemmas, eaque thesaurum appellant. Homuncionem aliquem supra excelsum thronum quendam statuunt ut sedeat eiusdemque manibus sceptrum, capiti vero auri inserunt bracteam aut laminam, appellantque illū Regem, Imperatorem, Monarcham. Maiorum suorum iactant facinora, atque heroica progenitorū suorum exhibita opera, atque hanc vocant Nobilitatem. Ad commune damnum simul currunt nationes armatæ, neque desistunt donec una devicerit & prostraverit alteram, & huic imponunt nomen victoriæ atque triumphi. Plebs adulatur, laudat popul⁹, vulgus applaudit, atque id honor dicitur. Membrorū proportio pulchritudo vocatur. Satisfactio sensus vocatur delitium: Unio voluntatum amicitia; administrare rationes, dignitas, dare alteri legem est præcipere, seu Imperium: Humorum harmonia, sanitas; abundantia bonorum, divitiæ; multarum rerum cognitio, doctrina: Facere quod libet, prosperitas & bona fortuna. Hoc modo terra nostra falsa bona nostra mentiendo bona appellat; verū audite quomodo illa Spiritus Sanctus in veritate appellet: *in omnibus inveni vanitatem*, sic enim & vos una cum Cypriano exclamabitis, dicentes: *O nominum quanta diversitas*; illudque Basilii repetetis: *Nomen quidem habet, rem vero ipsam non habet.*

6. Porro S. Augustinus inquirit quid sit mendacium illud, quod ab amatoribus huiusmodi, teste Rege sancto tam ardenter hic quæritur: *Ut quid diligitis* Aug. Serm. 141. de temp. Ps. 4. v. 3.

vanitatem & quaritis mendacium? quod mendacium quaritis? (inquit Augustinus) & respondet breviter quidem sed sapienter, *quod mendacium quaritis? Mundum.* Mundus nihil est aliud quam mendacium manifestum & expressa falsitas. Hæc est, ô mundane fatue multorum laborum tuorum merces; hoc est continuorum bellorum tuorũ stipendium; hæc est Corona victoriarũ tuarum, quæ tantis tibi fatigationibus atque molestiis constat tantoque sanguine comparatur; hæc sunt concupiscentiarum tuarum pascua. Hæc est ficta pax illa tantopere à te desiderata. *Quaris aurũ: quare quaeris mendacium? vis esse in saculo sublimatus: quare quaris mẽdaciũ? & quidquid aliud quaris amando terram, quare non cessas quarendo mendaciũ? non vultis esse gravi corde, qui terreno mendacio oneratis cor vestrum? fallit vos quod quaritis, mendacium est, quod quaritis.* Ita discurrere docemur ex magni Augustini consilio.

7. Etenim tametsi fatuis mundi huius amatoribus, terra ista plena videatur esse delitiis, unde alibi in sapientia
Sap. 2. v. 6. dicunt: *venite & fruamur bonis qua sunt, & utamur creatura, tanquam in iuventute celeriter, optimo vino & unguentis impleamus nos*; sunt tamen qui ita judicant, à Deo correcti, qui terram istam horridum vocavit solidariumque desertum:
Cant. 3. v. 6. *Qua est ista qua ascendit per desertum?* dicitur de sponsa Dei in Canticis. *Desertũ*
Gilib. serv. 15. in Cant. *vero & aridum & sterile reputat saculum omne hoc per quod ascendit*, inquit venerabilis Abbas Gilibertus. Infœlix & reproba isthæc terra, in qua stulte tibi persuades, omne te invenire posse gaudium, horrida quædam & inamœna est sylva, feris sylvestribus plena: ibi namque passiones & concupiscentiæ sine fræno legis regnant; sterili arena conspersa est, ne aliquis ibi nascatur bonæ operationis fructus; tribulis seminata & spinis, ut vix ad unius passus latitudinem, sine acerbi doloris puncturis progredi valeas; à pestilenti aura corrupta, sunt enim ibi mala malè viventium exempla; obscurata ab horribilibus & tremendis umbris, ibi enim cœlestium humanarumq; rerũ dominatur ignorantia; carens omni vestigio sive semita, quæ ad secure ambulãdum viam regiam demonstret, quia erroribus pravisq; plena est institutionibus; sine fructu & sine pascuis quæ fessis afflictisq; membris restaurandis sint idonea, ibi namq; verũ deficit hominis alimẽtum, doctrina nimirum sapientũ; destituta rivulis, aquarumq; limpidissimarum fonticulis, ibi namq, verarum delitiarum, quæ desideriorum nostrorũ sitim valeant extinguere totalis est defectus; inconditis ac portentosis funestarum volucrum exposita ululatibus, nec enim ibi aliud quidpiam auditur, quam contumeliæ proximorum, magnique divini nominis blasphemiæ; remota ab omni succursu, siquidem casus ibidem sunt velut irremediabiles; omni privata gaudio: cum sit abominabilis omnium malorum congregatio. *Et quanam ratione* (sic cum eodem Giliberto dicere oportet) *nobis factus est deserti huius odor sicut odor agri pleni, & quasi ei benedixerit Deus? quãtos trahit ad se deserti huius odor, & tenet, ne possint avelli, odor iste mortis ad mortẽ, inanitas est quã putatis ubertatem.* Parsimonia est, non abundantia, mendaciũ & non veritas. *Fallit vos quod*

quæritis, mendacium est quod quæritis.

8. Adsit modo Paulus, atque per altam sapientiam suam de veritate ista securos nos faciat, quam sapiens enuntiat dicens: *inveni in omnibus vanitatem.* Quid de mundo isto dicis ô sancte Apostole? Ego dico mundum omni ratione fugiendum esse. Sed cur ita? eo quod nihil sit aliud præterquam exterior quædam apparentia, sed sine veri-
1. Cor. 7. v. 31. tatis soliditate. *Præterit enim figura huius mundi.* Figuram Philosophus dicit esse modum quendam externũ quantitatis, qui facillime alteratur, permutatur & perditur, absque tamen eo quod perdatur substantia. Nonnunquam cõtingit quod in manu tua massam quandam ceræ mollis habeas, quam modico tempore versas & volvis atq; revolvis illiq; millenas imprimis figuras, ex rotunda illam in quadratam tendis, ex quadrata acutam facis & pyramidalem reddis, extendis eandem, restringis, disiungis, unis elevas, complanas, formasq; inter⁹ in eadem, hominem, avem, arborem, animal, stellam, & millenas figuras alias. Cum igitur tu figuras illas tot modis varias, interea figuræ illæ sibi mutuò succedentes sensim destruuntur, nec tamen unquam destruitur aut perditur ceræ substantia. Dicit igitur Paulus, mundi huius figuram transire & variari, *præterit figura huius mundi,* totum enim quicquid in illo est, in externa positum est apparentia, nec quicquam habet quod fallax non sit ac vanum. Verum an ergo Paulo fortasse ipse mundus non præterit? aut si præterit quo modo igitur dicit, quod mũdus non transeat, sed figura hui⁹ mundi? Haud dubie id dicit, quia mundus aliud nihil habet præter externam figuram, in qua tota mundi consistit essentia. Est hic conceptus Theophylacti, qui dicit: *Mundi vero ideo dixit figuram, quia eius bona solo terminantur aspectu & apparentia sunt & nullo fundamento subsistunt.* Sunt bona quæ in externa cõsistunt apparentia, bona quæ præter mendacium nihil sunt, bona quæ nil nisi purum nomen habent, *bona quæ solo terminantur aspectu, & apparentia sunt.* Unde de illis dici potest, quod sapientissimus Seneca dixit, videlicet, bona terrena quoad id quod exterius est, diversi forte esse aspectus, in unico solo tamen omnia esse uniformia, videlicet quod vanitate sint plena: *Omnia extrinsecus diversas facies habentia, intrinsecus autem pariter vana. Præterit* igitur *figura huius mundi, quia eius bona solo terminantur aspectu.*

9. O quam merito Isaias Propheta monet, ut vel semel tandem aperiamus oculos & intelligamus res nostras, quæ adeo nobis sunt charæ, nihil aliud quã vilissimum esse pulverem, qui ob vanitatem & levitatem, sui fulcrum non habet, nec consistentiam, qui continuum est spirantis auræ ludibrium, qui sordidat omne id, cui adhæret, qui in aera elevatus pulchrum cœli lumen tollit, nec ad aliud quam ad excæcandum est aptus. *Expergiscimini qui habitatis in pulvere.* In pulvere habitationem domus tuæ habes, in pulvere scripta est fama nominis tui, super pulverem fundatos habes consiliorum atque conatuum tuorum conceptus, in pulvere signata sunt vestigia gestorum tuorum, pulveri commendata est heroicorum facinorũ tuorum memoria, pulvis facturæ tuæ

materia est; pulvis thesaurorum tuorũ substantia est, pulvere famem cupiditatis tuæ nutris & exsatias, acquirendo pulveri intendunt conatus spei tuæ; *Expergiscimini qui habitatis in pulvere.* Id quod hodie quoque Ecclesia Dei sancta monet, terribilia hæc verba pronuntians: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Vidistine aliquando pueros ad ripam maris simul inter se ludentes & iocantes? quas in arenis istis non efformant figuras? quas in iisdem non confingunt stultitias, idq; summa cum attentione & studio? atq; istas inter puerilitates explicant, qualiter consultetur de negotiis status, aliisq; gravissimi & maximi ponderis operibus; quas ibi non construunt stultas Chymæras? atq; in harum fatuitatum medio persuadent sibi, quasi de Regnis atque Provinciis acquirẽdis tractarent. Quas ibi non describunt munitiones? dumque id faciunt, fortalitia & civitates se plantasse seu fabricasse somniant, oblonga lapillorum coordinant agmina, & militum acies in ordinem positas esse autumant; præaltos erigunt terræ cumulos eosdemque fortissimas appellant arces, atque inexpugnabilia loca: circa hæc profundos trahunt sulcos, quos fossas profundas nominant ad civitatis oppugnatæ defensionem præparatas: Ex omni etiam latere lapides disponunt, eosdemque machinas nominant militares. Enimverò talis proprie est vita nostra, dicit Gregorius Nyssenus; Hæc sunt exercitia nostra; hæc nostra consilia, hæc terræ nostræ bona, ludus videlicet puerilis in pulvere seu in arena exercitus: *Hoc est humana vita, puerorum ludus in arena. Arena est ambitio, arena est potentia arena divitiæ, arena est quidquid est. In omnibus inveni vanitatem.*

Greg. Nyssen. in Cantica.

10. Ecquid somno vanius reperiri potest? & tamen somnia, dicit David Rex, sunt omnia terræ huius bona, veritatem enim non habent, sed vanitate plena sunt: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Dormis & thesaurũ te invenire somnias, dives es sed in somno, evigila dũtaxat, & pauperem te esse reperies: dives es sed dormiens; desine dormire, & dives esse pariter desines: dives es sed ex bonis falsis; pauper verò, sed ex veris miseriis: dives es sed in eiusmodi thesauris qui nihil te iuvãt; pauper vero ex multis sollicitudinũ angoribus qui graviter affligunt: dives es, sed eousque tantum donec somnus oculos tibi claudat; adsit vigilia quæ illos tibi aperiat, & nihil videbis: dives es sed quoadusq; bestiæ instar insensatus fueris, sensus autem redeat & ratio, & mox somniatæ quoque evanescent divitiæ. *Amaverunt præsentia* (sunt verba Augustini) *& dormierunt in ipsis præsentibus, & illis facta sunt ipsa præsentia delitiosa, quomodo qui videt per somnium invenisse se thesauros, tamdiu dives, quamdiu non evigilat. Somnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem fecit.* Ecquænam sodes sunt ista bona, quæ à somno dependent, quæq; nisi dormias, bona non sunt. Quænam est isthæc fœlicitas, quæ in Phantasiæ delusione reposita consistit, quæq; nisi illusiones patiaris perditur & evanescit? quales erunt thesauri illi, qui non reperiuntur nisi dum non reperiuntur, dum autem inveniuntur, non habentur sed potius perduntur? *Somnium*

Psal. 75. v. 6.

Aug. in Psal. 35.

mnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem fecit.

11. Somnum inter & ebrietatem exigua est differentia: *Expergiscimini* (dicebat Joel Propheta) *ebrij & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum.* Quam est ridiculum, dicit S. Ambrosius, videre in tabernarum portis homunciones inopes, sine tunica ac seminudos, qui vix possident, unde modicum sequentis diei facere possint sumptum? eosdem tamen videre de Regibus & Imperatoribus loquentes, de Principibus & magnatibus temere judicantes, imo videri iisdem quod dominentur vasallis, aut magnis imperent exercitibus.
Ambr. lib. 1. de Elia & ieiunio cap. 12. *sedentes in foribus tabernarum homines tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de Imperatoribus & potestatibus judicant, imo regnare sibi videntur & exercitibus imperare.* Vini potentia sensum seu rationem in iisdem absorbuit; unde cum sint ultima fæx hominum, flos sibi esse videntur humani generis pulcherrim⁹, & cum à fortuna reapse facti sint pauperes, ab ebrietate tamen in populi præsentia falso se æstimant divites, utque delectationem hauriant inepte mente aberrant. *Fiunt ebrietate divites qui sunt in veritate inopes.* Largiuntur pecunias, divitias dividunt populis, ac denique civitates fabricant ii, qui in loculis suis vix reperiunt quod vino quod propriam non mensurantes possibilitatem sine mensura epotarunt, Cauponi solvendo sufficiat. *Aurum donant, dispensant populis pecunias, Civitates ædificant, qui non habent unde Cauponi potus sui pretium solvant; fervet enim vinum in his, & nesciunt quid loquantur.* Ecce tibi illorum bonorum picturam effigiatam, quæ sæculi huius amatores fœlices reddunt; ecce tibi earum rerum pretium, quæ cum sint sine pretio, huius tamen mundi ebriis tam pretiosæ videntur: *Divites sunt dum inebriantur, mox uti vinum digesserint, cernunt se esse mendicos.* Eousque sunt fortunati, quousque sunt ebrii, cesset ebrietas, & pariter quoque finietur fœlicitas. *Fiunt ebrietate divites qui sunt in veritate inopes.*

12. Nolo Salomonis sententiam alio, quam ipsiusmet Salomonis confirmare exemplo. *In omnibus inveni vanitatem,* inquit ipse. In sua is igitur persona, atque in statu suo veritatem istam demonstrat, nosq; certificat, quod quicquid in floridissimo Regno suo in bonorum abundantia, qua omnes terræ Monarchas in immensum superavit, possidet, id totum mendacium sit & vanitas. *Ego Salomon fui Rex in Ierusalem,* inquit Salomon in eo libro cui sapientiores sanctioresque præ cæteris conceptus mentis suæ inclusit. Eccl. 1. v. 12. Sed ehem ô Rex sapientissime quomodo dicis te Regem fuisse? Ergone forte non es Rex in præsenti? Tu Rex fuisti quando Dei suorumque beneficiorum immemor & oblitus eras: Multo magis ergo nunc Rex eris, quando singulari cum gratitudine singula tibi beneficia in memoriam revocas. Rex fuisti quando seductus à concupiscentiis tuis cœlestem perdidisti gratiam: magis ergo modo Rex eris, quando per vivas tibi lachrymas amissam reacquisivisti gratiam. Rex fuisti inter illa tua maxima peccata, potiori

tiori ergo ratione nunc Rex eris in insigni illa tua pœnitentia. Rex eras quando scandalis tuis populum tuum vehementer adeo damnificasti, & non eris Rex quando eundem populum tuis ædificasti exemplis. Rex eras tunc quando jure meritissimo Regnum promerebaris amittere, cur ergo nunc Rex non appellaberis, quando tanto id tibi merito debetur? imo vero longe nunc Regis titulo dignior existis, cum rationis fræno tuos nosti regere & coercere appetitus, quam antea dum illos tibi viliter & abiecte dominari permisisti. Et tamen haud aliter quam si revera nunc non esses Rex, ita te dicis Regem fuisse; *Ego Salomon fui Rex.* Omitto nunc Rabbinorum fabulas, qui affirmant Salomonem Regem ab Asmodæo Dæmone è Regno suo esse expulsum, ob magnam suam incontinentiam; nec quicquam dico de male fundata opinione illorum, qui crediderunt Salomonem Regno suo ultro renuntiasse, ut cum tanto vehementiori intentione animi dare se posset pœnitentiæ, utpote quæ inter ostra & purpuras rarissime nidificat. Magis enim mihi nunc illa Hugonis Victorini arridet responsio, ita dicentis: *Fui, iam non sum, quia etsi sim id ipsum, iam nihil esse agnosco quod sum.* *Fui Rex* quia à terrenis pompis & magnificentiis inebriatus persuasi mihi in Regno id esse & obtineri, quod omnem mihi satisfactionē & acquietudinem dare posset: Nunc tamen non sum Rex, quia saniori cum menti restitutus, manibus velut palpo, in Regni delitiis nihil esse, quod contentum ac quietum me reddere possit. *Fui Rex* quia tunc talem me esse somniabam: non sum quia nunc cœlesti favore adiutus vigilans sum & experrectus. *Fui Rex* quia illo tempore delusus eram atque deceptus: non sum Rex modo, quia cœlesti mediante Luce ab illusionibus eiuscemodi me video liberum; *Fui Rex*, quando stultus fui; non sum modo quippe cum ratio mihi restituta sit atque prudentia. *Fui Rex*, quia rerum humanarum vanitatem, in recti judicii bilance ponderare nescivi si tamen pondus aliquod habent. Nō sum Rex in præsenti, quia nunc longe rationabiliori æstimatione intelligere valeo, res illas nec pondus habere nec pretium, sed vanitate plenissimas esse; *Fui iam non sum, quia etsi sim, idipsum iam nihil esse cognosco quod sum.*

Hugo Victor. in Eccl.

13. In principio discursus mei præsentis dixi, bona terræ præter purum nomen nihil habere. *Nomen habet, rem non habet*; nunc ulterius progredior & dico, illa bona adeo vana esse, ut nec nomen quidem habeant. Quisnam est is qui in principio creationis mundi cœlo nomen imposuit? haud dubie Dominus Deus, id quod Moyses luculenter testatur: dicens: *vocavit Deus firmamentum cœlum.* At vero quis cæteris creaturis nomen indidit? Abs dubio Adamus, qui sicut cuncta animalia suis vocavit nominibus, ita quoque omnes res alias pariter nominavit: *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius.* Jam ergo Rupertus Abbas quærit, cur Deus terrenis rebus nomen non indidit, sicut dedit cœlo? & prudentissime respondet, quod *temporalia apud Deum nomine carent; licet apud homines magnum nomen habere videantur.* Res temporales quæ ab hominibus magnificis

Gen. 1. v. 8.

Gen. 2. v. 19.

Rupertus Abb. in Gen.

ficis adeo & superbis decorantur titulis, adeo modicæ & exiguæ sunt apud Deum, ut nec nomen quidem habeant. *Temporalia apud Deum nomine carent.* Et profecto quale nomen dabimus thesauris illis, qui vacui sunt, omnisque substantiæ inanes? qui mendaces imo ipsissimum mendacium? qui fructus sunt mundi huius, qui est horrida quædam sylva in qua omnia deficiunt? qui nil nisi externam habent figuram? qui sunt puerorum in arena lusus? qui somniati sunt non autem veri & reales? qui sunt stulta ebriorum phantasmata? qui adeo vani sunt, ut non enti quam enti propinquiora sint? *Temporalia apud Deum nomine carent, licet apud homines magnum nomen habere videantur.*

Secundũ punctum. 14. Digrediamur ad secundum bonorum terrenorum prædonem, qui est afflictio & miseria: *In omnibus inveni tria hæc vanitatem, afflictionem, & consummationem.* Minus profecto malum esset, si huius sæculi bona soli vanitatis prædoni essent subiecta, at vero præter hunc à secundo insuper afflictionis nimirum & miseriæ prædone deprædantur & spoliantur. Adeo ut non tantum fallacia sint & ficta verum dolorosa insuper & afflictiva; unde quantum per mendacium decipiunt, tantum affligunt per miseriam ac proinde rationabile est illud Domini Salvatoris nostri monitum, dicentis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Nabuchodonosor Rex in magna illa statua, quæ ex omnibus terræ metallis, auro, argento, ære, & ferro erat composita, quatuor vidit mundi Monarchias. Vidit

Daniel. 2. v. 31. autem easdem Daniel Propheta aptius & accuratius, in truculentissimis quatuor belluis: *Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari, diversæ inter se.* Prima erat leæna, & Chaldæorum significabat imperium. Secunda erat ursa, repræsentabatque Monarchiam Persarum. Tertia Pardus erat & hæc Græcorum depingebat Dominatum. Quarta vero quæ Romanorũ Regnũ describebat, nomẽ non habet, sed dicitur: *Bestia quarta terribilis atq; mirabilis & fortis nimis.* Verum enimvero quid significat hæc tanta diversitas repræsentandi ingentes hasce Monarchias quæ tantam tempore suo in mundo famam habuẽre? quid pretiosis illis metallis interest, cum terribilibus istis monstrosisq; bestiis? nisi quod vellet Spiritus Sanctus, ut intelligeremus, quod dum ad sæculi huius sublimati sumus gloriam, fortunæ bonis locupletati, sensuũ delitiis oblectati, tum vel maxime mille evidentibus subiaceamus periculis certæque immineãt truculentarum ferarum pugnæ. Quod à nostris per illã non liberemur necessitatibus, sed potius easdem augeamus: quod non gaudiorum sed miseriarum per illã divites efficiamur; quod si etiam in domo aurum abundet & argentum, tanto quoque plus damna affluant & miseriæ; quod si fama nostra per regiones terræ à sonoro metallo est divulgata, turbata pariter est quies nostra à rugitibus & fremitibus qui in auribus cordis, continuo obmurmurant; quod si denique ab relucẽte chalybe defensionem habeamus, unde sufficienter videamur securi, mox tamen infinitarum pariter offensarum patimur insultus, qui nos in perpetuum tenere debent sollicitos,

Dan. 7. v. 3. & v. 23.

Bern. Epist. 103. tos, adeoque cum S. Bernardo bene concludam, qui dicit: *Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est.* Noli post manifestas tuas velle currere miserias, ne in expressis damnis tuis oblecteris, noli tibi in domum tuam tuas ultra attrahere inquietudines, tuosque dolores. *In omnibus inveni afflictionem.*

15. O quantum nos Rosa in amœnissimo vernantis Maij tempore oblectat, quæ in media florum familia, velut Regina quædam comparet; & inter omnes veris pulchritudines & amœnitates palmam cæteris præripit? qualem non exhibent viridantia illius folia decorem? utpote quæ ab ipsâ depicta, ornata, variisque intertexta sunt coloribus veluti cœli firmamentum relucentium varietate stellarum? ubinam reperias aliquam in mundo purpuram adeo relucentem & floridam, quæ cum vivacitate & ostro regii sui paludamenti valeat comparari? An non illa omnes in admirationem rapit infinitæ sapientiæ artificis sui, quando dispersa per longa spatia in circuitu cœlesti odorum suorum fragrantia, videtur quasi tot puræ & illibatæ venustatis suæ ablegare præcones? nonne attonitos nos efficit cum dulcis risus sui nutu, quasi advocare videtur transeuntes ad spectandam opum suarum gloriam? Enimvero quis fuit ille naturæ dolus, ait S. Ambrosius, qui florem adeo mollem & delicatum acutissimis incluserit ac circumsepserit spinis? idque uti quidem existimo, ut curiosam manum vivacissimorum colorum suorum blandimentis ad dolores provocaret & vulnera. Ecce tibi propriissimum humanæ vitæ symbolum ait Ambrosius, cuius bona ab infinitorum malorum pungentibus spinis inseparabiliter consociata existunt. *Spina sepsit gratiam floris, tanquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suavitatem perfunctionis suæ finitimis curarum spinis sæpe compungat, &c. Irrutiles ô homo, licet, aut splendore nobilitatis aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper spina proxima est.* Adeo ut bene dixerit Basilius Magnus, quando inquit, quod pulchrum adeo florem, qualis est Rosa absque amaritudine & tristitia videre non potuerit quasi qui inde communis in nos à primis parentibus derivatæ culpæ commonitus fuerit, quæ in omnibus terræ nostræ bonis infinitorum dolorum parturiit spinas. *Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit; nam quotiescunque florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut spinas & tribulos proferret condemnata est.*

Lib. 3. Hexam. c. 17.

Basil in Hexam.

16. Considera obsecro, mentis tuæ oculo universum huius terræ spatium, illudque altis præcipitiis plenum reperies. Pertranseas omnes huius infœlicis mundi regiones, nec enim vel passum quidem reperies, qui afflictionibus & ærumnis non sit consitus? Discurre per omnes status personarumque conditionem, & jurabis te ex omnibus hisce in neminem incidisse, qui non ex mille capitibus miserabilis esset & deplorandus. *Semper spina proxima est.* Honores semper coniuncti sunt cum invidiis, associantur divitiæ timoribus, fama maledicentiâ, delitiæ morbis, amicitiæ traditionibus, matrimonia zelotypiis filiorum,

educatio ingratitudine. *Semper ſpina proxima eſt.* Victorioſus ex bello evaſiſti, ſed quot iam antea percurriſti pericula? Gratiam tibi alicuius Principis acquiſiviſti, ſed quanto ob id tempore diu ante in aula viliter & abiectè ſerviiſti? aliquem aſſecutus es ſcientiæ aut ſapientiæ gradum, ſed quot ob id noctes inſomnes traduxiſti? quot faſtidia ſupportaſti? quot recreationibus voluntariè te privaſti? *Semper ſpina proxima eſt.* Corpus itidem noſtrum, quod cum tanto dignum ſit contemptu tantopere nihilominus in pretio habetur à nobis, nunquid & ipſum ſuas quoque ſpinas habet? videlicet, tempus quo antiquatur & ad interitum properat; morbos quibus deſtruitur. Laborem quo defatigatur; otium quo riget & obſtupeſcit; caloris æſtu quo coquitur, frigus quo congelatur, famem qua extenuatur, ſitim qua torquetur, mortem denique qua ab Animæ vinculo diſſolvitur & corrumpitur. *Semper ſpina proxima eſt.* Ipſemet quoque animus, quæ eſt pars noſtri nobilior, quo nos Deo ſimiles eſſe gloriamur, num forte à communibus exemptus eſt miſeriis? Liber quidem eſt, ſed frequenter velut coactus paſſionum tyrannidem patitur: inſuperabilis eſt, ſed ſæpè à ſenſu ſeducitur: conſtans eſt, ſed obſtinatus etiam & pertinax: à veritate illuminatus eſt, ſed non minus illuſus à variis erroribus: velox eſt in operando ſed inſuper temerarius & inconſideratus: rerum præteritarum memor, divinorum autem beneficiorum immemor: plenus fortaſſe charitate, attamen ſemper fere plenus etiam concupiſcentia: capax amicitiæ Dei, ſed & author odii & malevolentiæ erga eundem Deum: Millenarum inventionum ingenioſus faber, ſed & millenarum quoque technarum architectus: Hortus eſt virtutum, ſed peccatorum quoque turpis ſentina. *Semper ſpina proxima eſt.* Et quid dico? etiam in mundo iſthoc elementari, qui eſt tuba admodum ſonora per quam immortalis architecti diuulgatur gloria, ſpinas per omnia paſſim diſperſas reperio. Stellæ enim & planetæ qui tempora metiuntur, malignis influentiis adverſum nos armantur. Elementa quæ velut ſervi noſtri ſunt continuis pugnis ſuis arcem carnis noſtræ tandem expugnant: venti quibus velut ſcopis vaſtiſſima hæc domus expurgatur, terribiles cauſant terræ motus, quibus integras civitates unico in momento evertunt. Mare, quod populorum in hoc mundo continuat commercium, eſtque univerſalis hominum piſcina naufragiis ſuis notabiliter humanam imminuit generationem. Aer quo reſpiramus, frequenter atque peſtilenti contagio corruptus, efficit ut mox & de repente exſpiremus & concidamus. Reditus & poſſeſſiones noſtræ, factæ ſteriles, ordinariam nobis denegant ſervitutem, nec non & conſuetæ proviſionis illis à Deo impoſitum annuum tributum: Animalia nobis à Deo in ſubditos & miniſtros aſſignata, contra nos rebellantia noſtro ſe Dominatui ſubduxerunt. Liceat igitur mihi dicere: *Semper ſpina proxima eſt.* Liceat item repetere illud ſapientis: *In omnibus inveni afflictionem.*

17. Ideoque credo mundum iſtum perſimilem eſſe Palatio illi, in quo filii

filii Iob quondam epulabantur, quæ in una eademque hora ipsis domus viventium, & mortuorum fuit sepulchrum, convivium amicorum & occisorum tumulus, Chorus Cantici & lachrymarum collegium. Ita me os illud Chrysostomi aureum docet dicens: *Vna eademque hora domus & sepulchrum, convivium & tumulus, festum, & fletus facta est.* Cur ergo ô munde fallax ad ficta tua me bona invitas, si iis gaudere non liceat, nisi in medio tot verorum malorum? cur vilissimum mihi fructum promittis, si is alia ratione non colligitur, nisi infinitorum dolorum messe? cur me ficta pace tua decipis, si me tandem ad lanienas perducas & carnificinas? Eheu quam occultas detegit nobis ratio fraudes, & tamen fallaciam adeo manifestam nobis aperiri non permittit? quales sunt illæ delitiæ, quæ tot tantisque comitatæ incedunt miseriis, ut mirum sit qua ratione homini consilio & ratione dotato placere possint; Proditiones sunt oblectationes tuæ, quo enim blandiciis deliniunt, tanto efficacius mortem texunt. *Cum oblectant sæviunt*, dicit Valerius Episcopus, *cum blandiuntur occidunt*, cum me amplexaris, id ad opprimendum me facis, osculeris ut mordeas: quod si ad tua me invites convivia, id non alio fine facis, quam ut pane me cibes lachrymarum, utque in apparentium delectationum tuarum scypho aureo, mihi propines venena, vereque uti S. Ambrosius dicebat: *Rogas ad convivium, cogis ad mortem: invitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum: cibos promittis & tormenta irrogas. Vina pratendis & venena suffundis.*

Chrysost. Hom. 1. in Iob.

Val. Hom. 6.

Amb. lib. 1. de Elia & jeiun.

18. Lectus voluptatis infamis illius meretricis à Salomone in Proverbiis descriptæ, Myrrha, Aloe & Cinnamomo per totum aspersus erat. Notastisne inquit Hugo Carensis qualiter tres nominet species aromaticas: *Asperfi cubile meum Myrrha & Aloe & Cinnamomo*, è quibus duæ sunt amaræ & una dulcis, ut hac ratione intelligeremus, quod in delectationibus terrenis plus amaritudo quam dulcedo abundet; *Nota quod tres species aromaticas nominat duas amaras: unam dulcem, in quo notatur, quod in carnali opere plus est amaritudinis, quam delectationis* Quam modicum mel erat, quod virga summitate paupercu lus Ionathas ori suo apposuit? & tamen pro modica illa dulcedine, vita quæ tanti valet, ipsi perdenda erat. Lactis haustum biberat infortunatus Sisara, & nihilominus pro voluptatula adeo modica, clavo quodam transfixa fuerunt tempora illius. Pomum quoddam infœlix Adam in Paradiso devoraverat, pro tam momentanea autem & frivola delectatiuncula, in ærumnas incidit, quæ numerum non habent, ut vel sic intelligas, quod *in Carnali opere plus est amaritudinis, quam delectationis.*

Prov. 7. v. 17.

Hugo Carens. in Prov.

19. Omnes illæ miseriæ ô dilectissimi, quæ in mundo videntur, tot ferè sunt voces nobis inclamantes: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, quæ etiam nos à mundo violenter retrahunt, dum eidem per affectum nimium appropinquamus, nobisque eundem prorsus abominabilem exhibent, dum nos inter ignorantiæ nostræ tenebras, amabilem illum nobis charum-

que fingimus. Gregorius Papa nos docuit ne bona huius sæculi amemus, adducto duntaxat unius mali exemplo ex pluribus aliis, quæ suis temporibus terribilem illum Longobardorum attulere inundationem; estque malum istud adeo frequens, ut quasi quotidie idipsum oculis nostris obversetur, dum nullus fere hominum contentus est eo quod possidet, sed insuper possidere quærit aliena; unde continuæ nascuntur lites & bella, quæ desolarunt ac devastarunt terram, quæque una secum cunctarum miseriarum inferunt cumulum. Ita funestis illis ac lachrymabundis accidit temporibus, quando ex Septentrione truculentissima illa appulit natio, quæ modico tempore Italiam nostram reddidit, nescio an dicere debeam, viventium carcerem, an vero mortuorum cœmiterium. Certum est quod nulli parcitum fuit gradui, nec ætati, nec sexui, suamque memoriam intra paucos dies perdiderunt, non familiæ duntaxat, sed & populi & integræ civitates. Quisquis etiam crudelibus hisce certaminibus & concussionibus supervixit, is eo fine residuus mansit, ut usque ad ultimam vitæ periodum infœlix deinceps viveret atque infortunatus. Gratissimæ equidem parentibus suæ sunt proles, hi vero homines barbari in conspectu dolentium genitorum suorum easdem gladiis suis trucidarunt atque interemerunt. Singularis est maritorum erga uxores suas dilectio, hi vero easdem coram maritorum suorum oculis dehonestarunt. Dulces sunt à longo tempore possessæ divitiæ, reditusque ac proventus à nostris nobis progenitoribus sive maioribus relicti: hi autem opulentiores quosque ad extremam reduxere mendicitatem, adeoque illos fecerunt inopes, ut ne quidem ipsis aquæ superesset potus quem biberent. Placet domus superba & commoda, pretiosisque plena mobilibus, hi vero violenter convasarunt omnia, cunctaque insigniora ædificia flammæ ignis in prædam dederunt. Veneranda Maiestateque plena sunt tribunalia, in quibus habentur judicia, suaque populis administratur Justitia; hi vero cana sapientum virorum capita, prudentioresque ac spectabiliores senatores maiorisque authoritatis ac venerationis Magistratus in obscuros fœtidosque carceres coniectos compedibus constrinxerunt. Quantum veræ fidei professoribus solatium adferunt sacer Dei veri cultus, Ecclesiæ ritus & cæremoniæ, oblationes & sacrificia populorũ & sacerdotum! verum non fuit ullus adeo sacer locus, nec templum aliquod ita venerandum, nec adeo divinum altare, quod à barbaris impie prophanatum non fuerit. Adsit igitur nunc Gregorius suumque in medium adducat consilium, nobisque manifestet id quod à similibus depravati mundi fructibus collegit: *Tanto ergo*, inquit, *nos necesse est instanter æterna quærere, quanto à nobis cognoscimus velociter temporalia fugisse. Despiciendus nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, si rebus prosperis demulceret animum; at postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur clamat?* conveniret utique

Greg. lib. 3. Dial. c. 38.

utique ut vel semel intime erga cœli afficeremur thesauros, eo vel maxime quod terræ huius thesauri tam turpiter nos seducant; mare istud mundi huius fuga & abominatione dignum est quantumvis etiam placidum atq; serenum, eccur igitur cœci adeo sumus, ut illud amemus furibundum & tempestuosum? hi amari mundi fructus, qui tantopere nos infestant & affligunt, tot quasi generosæ sunt voces, quæ nos continuo inclamant atq; arguunt, cur in rem adeo damnosam stultos nostros affigamus amores, *postquam tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur clamat?*

20. Estque hæc veritas adeo certa, ut Regi sancto visum fuerit, quod si servi Dei à mundi servis in quotidianis laboribus perferendis superati non fuerint, fuerint tamen ad minus æquiparati, ut proinde alibi in Psalmo aliquo
Psal.42. v.1. dixerit: *Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta.* q. d. Tu ô Domine in discernenda & judicanda causa nostra à causa mundanæ gentis judex esto, nihil enim est quod à te per nos sit operatum, quod à mundanis quoque factum non sit. Ieiunamus, v.g. nos, ieiunat & avarus: Nos peregrinamur, & quonam avidus non discurrit mercator? Nos in oratione vigilamus, vigilat & miles militares suas noctis vigilias: Humiliamus nos omnibus, & quibus se non submittit ambitiosus? Temporum nos sufferimus iniurias; plures tamen venator sustinet; pectus nostrũ ensibus subiicimus & hastis; idem quoque facit generosus miles: omnia laborum ærumnarumque sustinemus genera, & ecquos non suffert labores & fastidia male consultus aulicus? *Pro hac vanissima vanitate* (verba sunt Petri Blesensis) *militant hodie nostri curiales in labore & ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis fontium, periculis montium, periculis in falsis fratribus, in mortibus frequenter, in confractione & lassitudine corporis, atque in aliis vitæ discriminibus in quibus gloriam martyrii mererentur, si hæc pro Christi nomine sustinerent: nunc autem sunt martyres sæculi, &c. per multas siquidem tribulationes intrant iusti in regnum cœlorum, hi autem per multas tribulationes promerentur infernum.* Iure ergo merito Dei servus dicit: *Discerne causam meam*; tametsi enim idem faciam quod gens illa non sancta, non tamen facio idem propter finem eundem. Est idem opus, non tamen eadem est causa, uniformis est passio, valde autem difformis est intentio: *Optime dicunt sancti Martyres in Psalmo*, inquit S. Augustinus, *judica me & discerne causam meam, discerne famam meam, pro auro acquirendo esuriunt & avari: discerne nuditatem meam, pro auro despoliantur & avari: discerne mortem meam, pro auro moriuntur & avari. Quid est discerne causam meam? propter te mortificamur tota die. Illi propter aurum, nos propter te. Similes pœna, sed discreta causa.* Tandem vero sanctus ille rem hanc unico verbo egregie concludit per quod ego quoque primæ huic parti finem imponam, videlicet: *Eligite ergo Martyrum causas, si vultis pervenire ad Martyrum palmas.* Cum mundus iste afflictionibus sit plenus, pro cœli thesauris non vero pro terrenis acquirendis af-

Petrus Bles. Epist.14.

August. in Psal.42.

dis affligamur. Passim & ubique passionum seminatæ sunt spinæ, patiamur igitur pro honestate, pro virtute, pro fide. Laborare & sudare oportet in hac lachrymarum valle, sudemus igitur & laboremus pro veritatis possessione, & non pro acquisitione vanitatis. Pœnæ nostræ gaudiorum æternorum sint pretium, non interminabilium lucrum dolorum. Non abiiciamus monetam adeo pretiosam expendendo illam in res adeo viles & perniciosas: Denique *eligite vobis Martyrum causas, si vultis pervenire ad Martyrum palmas.*

PARS SECUNDA.

Tertium Punctum. 21. Postremo denique terrena omnia temporis subiecta sunt insidiis, quod illa terminat & finit, eratque hic tertius prædo thesaurorum sæculi huius. *In omnibus inveni tria hæc Vanitatem, Afflictionem, Consummationem. Nolite ergo thesaurizare vobis in terra.* Omnes S. Augustini audiamus monitum, cuius hæc sunt verba: *Quid ponimus cor in terra, cum videamus, quia evertitur terra?* Quid ponimus cor in terra, si quicquid in terra est, labile est & transitorium? cur illi innitimur, quod semper cadit? cur illi fidimus qui semper tradit? cur ab illo nos decipi permittimus, quem fraudulentum deceptorem per experientiam probavimus? *Quid ponimus cor in terra, cum videamus, quia evertitur terra?* Ælianus dicit stoicos mox uti fortuito casura & ruinæ proxima est domus aliqua, hunc à (Lib. 1. var. Hist.)

Natura sibi inditum habere instinctum, quod casum præveniant domum illam derelinquendo & fugiendo ab illa, aliamque sibi domum inquirendo. Nos plusquam certi sumus mũdum hunc infallibiliter ruiturum, hoc enim Scripturæ prædicant, inculcant sancti, Experientia quoq; ea de re nos certos facit. *Vt quid ergo ponimus cor in terra cum videamus, quia evertitur terra?*

22. Patientissimus Jobus, qui unico momento ex fœlici statu ad extremam redactus est miseriam, calamitatem suam describens in hęc verba prorupit: *Et velut nubes transiit salus mea.* Job. 30. v. 15. Salus mea, Divitiæ meæ, gloria mea, Domus mea, omnis denique fœlicitas mea, velut nubes transiit. Pulcherrima isthæc est comparatio, utpote derivata à Spiritu sancto, qui magni huius servi Dei linguam ad sic loquendum permovit: Nubes homines frequenter refrigerat, eosdemque ab ardentibus solis radiis, qui velut igneæ de cœlo euibratæ sagittæ humiles has domus nostras infestant, optime defendit: Potentes sunt veluti propugnaculum aliquod, quo totus aliquis populus ab imminentium miseriarum telis sive ictibus protegitur atq; à quocunq; sinistro eventu defenditur. Nubes fœcundis humoribus gravida spatiosissimos campos irrigat, in iisdemque flores & herbas pariter veluti ridere facit. O quot homines gaudere faciũt Magnates? quot succurrunt miseris? quot sunt quibus grato succursu vitam pariter & vigorem subministrant? Nubes persæpe ardet & fulgurat,

gurat aëremque terribilibus adimplet facibus: Similis quoque est principis alicujus iracundi vultus, qui flammas ex oculis, è fronte fulgura emittit. Et quando nubes solidissima armatur grandine, veluti globis sclopetariis, eandemque super terram quaquaversum dispergens, flagellat vineas, sternit sementem aut messem, aut animalia occidit in campis: an non tibi in omnibus istis depicta videtur terribilis alicujus injuria affecti principis vindicta, qui absque aliquo ullius respectu passim & ubiq; torturas, lanienam, mortem comminatur? Item, quando nubes aut tacite fremit, aut aperte tonat, an non illa aliquem terræ istius fœlicem repræsentat, qui provocatus altum vociferatur & stomachatur gravissime? Deniq; quando nubes ignea sua ejaculatur fulmina, quæ in tota humana providentia defensionem nullam admittunt aut tutelam; nunquid illa dicemus significare barbaras exasperati cujuspiam Regis condemnationes crudelesque illius sententias? Verum enimvero nubes illa, quæ tantum excitat fragorem, cujusnam obsecro est substantiæ? Subtilissimus quidam vapor est, ex humilioribus terræ regionibus elevatus. Quenam autem est illius origo? aut è qua patria suos ipsa traxit natales? Ex fœtidis quibusdam lacunis aut immundis cloacis. Quibus illa brachiis ad secundam aëris regionem usque delata fuit? non aliis certe quam congenitæ suæ levitatis. Quodnam habet ipsa fundamentum? aut cui innixa est basi? Aliud profecto fulcrum nescit, quam aëris Elementum, quod idem est ac si dicam, caret omni fulcro, cui innitatur. Quanti temporis durationem ipsa potest promittere? quamdiu nullus nascitur ventus qui illam aggrediatur & annihilet. Ecce tibi, inquit magnus ille Pontifex Gregorius verissimam inconstantiæ magnalium terrenorum delineationem sive effigiem, qua sufficienter innuitur, quam modicum durabiles sint illi thesauri, qui ne quidem vel unicum securæ durationis habent momentũ. *Salus ergo ut nubes transit, quia peccatorum gloria quæ alta est, fixa non est.* Est hæc mundanorum gloria excelsa quidem, sed ruinis subiecta, est alta sed instabilis; plena est luce, sed vanitate quoque est plenissima; Resonat quidem per famæ rumorem, sed modico tempore: pertingit ad cœlum, sed ad terram deiicitur. Et tu pro hoc ficto bono, pro illa somniata Chimæra, pro thesauro isto adeo breviusculæ durationis privare te velles durabilibus & æternis Paradisi thesauris? Ergone Bernardum non audies tibi inclamantem: *Væ! væ vapor est ad modicum parens, quod æternæ fœlicitatis aditum intercludit, quod perennis luminis in circumscriptam claritatem abscondit; quod universitatis scientia fraudat, quod summæ privat dignitatis honore. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur?*

Greg. lib. 20. Moral.

Bern. Epist. 103.

23. Impius ille Absalon totus incedebat superbus, & arrogans, fastuque plenus, ad patris sui regnum aspirans. Ideoque per arma sacrilega & parricidalia, ostium immoderatæ passioni suæ aperiens iam in paterno throno consedentem se fingit, amictum purpura, aureoq; cinctum diademate: iam

 sibi

ſibi videbatur recipere à populis homagium, tributum à vaſállis, donativum à Principibus, à Domeſticis congratulationes, legationes ab extraneis: Jam ſibi regiminis concipit formam, leges promulgat, ſtabilit & confirmat pragmaticas, præmiat, caſtigat, abſolvit, condemnat, exaltat, deprimit, nobilitat, inhonorat, donat, depauperat. Sed quid facis, ô tu infœlix juvenis? quonam te tua perducit impietas? quonam à ſtulta tua ſeductus es ambitione? Ergone contra patrem tuum movere velles ſacrilega & temeraria arma? illiq; mortem texere, qui vitam tibi dedit? Ergone, ut regno potiaris, ad ſupremum omnis ſceleris & impietatis culmen ſive gradum pertinges, pedibus tuis leges Dei, hominum, ipſius deniq; Naturæ conculcans? Ergone Rex eſſe voles adhibito tam extraordinario ad id medio, tuamq; purpuram ſanguine tingẽdo paterno? Infortunatus prorſus es & infęlix ſive obtineas, ſive perdas victoriã. Si vincas es impius, ſi pdas infamis. Si vincis maledictus eris in æternum eo, quod talem nactus ſis victoriã, quæ ignominioſior & contemptibilior eſt ipſa jactura; ſi perdis, ſemper quoad usque vivis tam juſta jactura æſtimabere dignus, eo quod non erubueris injuſtum adeo aggredi bellum; ſi vincas, utique perdes gemmam pulchriorem, quam tuo unquam pectori Natura inſeruit, filialem videlicet gratitudinem: ſi perdis; hæc illa tua inde conſequens jactura erit non jam dicam vitæ, hæc enim pro magno errore tuo nimis eſt modica: non reputationis detrimentum, jam enim video, quã parui illam æſtimes; ſed ſalutis æternæ, quæ omni æſtimatione digniſſima eſt. In medio igitur adeo vaſtæ, maleq́ue fundatæ fiduciæ, plus à peccato ſuo, quam à jumento quod inequitabat portatus, ex deaurata coma ſua in quercu ſuſpenſus, tribusq́ue lanceis miſerabiliter transfixus remanſit. *Illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus cui inſederat pertranſiit: pertranſiit*, inquit Drogo Epiſcopus, *quia mundus tranſit & cõcupiſcentia ejus.* Eccur igitur hic cum eloquentia Romana non exclamem: *O fallacem hominum ſpem, fragilemq́ fortunam, & inanes noſtras contentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur & corruunt, & ante in ipſo curſu in obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt.* Cur in hac occaſione non uſurpem illud ſapiẽtiſſimi Senecæ judicium, & dicam cum ipſo: *Quid exultas? Iſta quibus veheris in ſummum, neſcis ubi te relictura ſint, habent ſuum, non tuũ finem.* Cur non cum magno illo ſapiente dicam: *Fortunam citius reperias quam retineas. Et non tantum aurea, ſed vitrea eſt, cum ſplendet frangitur.* Quod idem eſt cum eo quod S. Auguſtinus docuit, dicens: *Si vitrei eſſemus minus caſus timeremus, quid fragilius vaſe vitreo? Et tamen ſervatur & durat per ſæcula; etſi enim caſus vitreo vaſi timetur; ſenectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores & infirmiores ſumus, quia & caſus formidamus & ſi ipſi caſus non accedant, tempus ambulat. Vitat homo ictum, nunquid vitat exitum?*

2.Reg.18. v.9.
Cicer lib. 3.de Orat.
Lib.3. Natural. Quæſt.
Tacit. Annal.13.
Auguſt. Serm.1.in Matth.

24. Atque hæc eſt ratio, cur omnis terræ hujus gloria, & cuncta Regna mundi Chriſto in unico momento à Dæmone monſtrata fuerint. *Oſtendit ei omnia Regna mundi & gloriam ejus in momento* temporis. Momentum iſtud

Luc.4.v.5.

istud non tam ad velocitatem videndi pertinet, inquit S. Ambrosius, quam ad brevitatem durationis rerum visarum. Unico in momento regna illa monstrata fuerunt, nec enim aliter monstrari potuerunt, utpote, quæ non nisi unico momento durant, in uno momento videntur, quia transeunt in unico momento. *Bene in momento temporis*, inquit S. Ambrosius, *temporalia & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ potestatis fragilitas exprimitur, in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi possit esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula?*

Ambros. in Luc.

25. Mendax igitur fuit ille Poëta inquit S. Augustinus, qui de Romana Republica loquens, æternam illi promittere non dubitavit durationem dicens:

His ego nec metas rerum, neque tempora pono
Imperium sine fine dedi.

Verum excusatur merito Virgilius. Nam ut Augustinus in persona Virgilii dicit: *Quid facerem, quia Romanis verba vendebam*, populo Romano adulationis adeo percupido adulandi munus assumpseram, quia benedicere statueram, ut mihi benefacerent atque ut laudarer ab illis, laudare? tametsi ego etiam hac in re cautus extiti, eo quod prædicta verba in ore Jovis, qui fictus est Deus, collocavi, quando autem in propria persona mea locutus sum, seriam animi mei protuli sententiam, & dixi:

August. de Civit. Dei.

Nam res Romanæ peritturaq; regna.

Peritura, veritatem non tacui, semper mansura adulatione promissi. q. d. quãdo adulari volebam, Rempublicam ceu æternam, quando autem veritatem dicere volebam labilem illam faciebam, & caducam: *peritura veritate, mansura adulatione.* Atque hic uti credo, Babyloniorum finis erat, quando Reges suos creando, in more habebant positum, circa solium regium per circuitum aviculas aliquas ex subtilissimo filo pendulas suspendere, quæ Caput Principis circumvolitarent continuo: volebantque per Cæremoniam istam, humani fastus & magnificentiæ insinuare inconstantiam, nec non & idipsum, quod Augustinus de hominibus sæculi hujus amatoribus loquens monuit dicens: *Ferebantur abs te amando volatica ludibria temporum.* Sed ehem quid dico? aut quid illi diutius immoror, quod oculis nostris omni momento conspicimus, manibusq; palpamus? Tu quisquis es clima aliquod mihi reperias, ubi non dominentur omnium fere rerum vicissitudines? Designa mihi Patriam aliquam, ubi Anni non auolent. Civitatem aliquam mihi ostendito, ubi non moriantur homines: Quæras mihi hortum aliquem in quo flores non exarescant. Aut ad aliquod me theatrum deducas, ubi non alternentur & commutentur scenę Ad mare aliquod me deferto, à quo omnia prorsus proscripta & exclusa sint naufragia. Cõmercium aliquod me edoceto, à quo omnis absit fraus & dolus. Ostende mihi rem aliquam mortalem, quæ morti non sit subjecta: *In omnibus inveni tria hæc, vanitatem, Afflictionem, Consummatioem, Thesauri zate* ergo *vo-*

Aug lib. 5, Conf. c. 12

bis thesauros in cœlo, ubi veri sunt thesauri, nullam habentes infœlicitatem admixtam durantque æternum. O, quæ est illa humani generis stultitia, quod malorum suorum inescetur amoribus, nullam deinceps summi boni rationem habens. Et sicuti meritissimo jure conquerebatur Hieronymus: *Despecta eliguntur, & pretiosa vilescunt.* Ad cœli thesauros, O Christiane, Deus invitat, vocat Ecclesia, inclinat ratio, super hæc omnia tamen illos ad sectandos te impellit, & quasi violenter inferioris mundi istius cogit miseria. Amabiles sunt illæ divitię, quæ æterni amoris objectum sunt, illos tamen eosdem longe amabiliores reddit miserabilis illa terræ nostræ mendicitas. Concludamus igitur cum hac Augustini sententia:

Tract. de scientia Divinæ Legis.

Vilescat mundus, ametur à quo factus est mundus.

Augustin. serm. 3. de Pentecost.



CONCIO II.

In Feriam V. post Feriam IV. Cinerum.

THEMA.

Amen dico vobis, non inveni tantam Fidem in Israël.
Matthæi 8. v. 10.

ARGUMENTUM.

Comparationes instituuntur inter sanctitatem Synagogæ, & Ecclesiæ atq; ex iisdem ostenditur, Deo à Christianis meliorem exhiberi servitutem quam ab Hebræis.

SUMMARIUM COMCIONIS.

Admiratio Christi pro fide Gentilis populi, est condemnatio Incredulitatis Iudaici.

Electio Ecclesiæ repudium Synagogæ.

Synopsis Concionis. nu. 1.

Sanctitas Synagogæ tota exterior. Patres quamplurimi producti. nu. 2.

Prima Differ.

Sacri-

Sacrificia interiora cordis diligit Deus. Verba Prophetæ expensa: Holocausta medullata. August. accitus. nu. 3.

Synagoga comparatur Struthioni à S. Greg, *& quare.* nu. 4.

Sanctitas Ecclesiæ est intima. David & Sapiens producti nu. 5.

Pauper vidua plus misit in Gazophilacium quam divites, Christi assertio.

Non arietem expetit Deus, sed mentem. nu. 6.

Dictum cujusdam Gentilis conversi *ab August laudatum.* n. 7.

Secunda Diff. *Qui amat propter beneficium non vere amat.* nu. 8.

Synagoga comparata vitulæ doctæ diligere trituram. nu. 9.

Multa SS. Vet. Testamenti producta exempla. nu. 10.

Ecclesiæ Christi Sponsæ amor purissimus nu. 11.

Ecclesia est magnum miraculum & prodigium. nu. 12.

Antitheses Synagogæ & Ecclesiæ. nume. 13.

Multi insignes Sancti Novi Testamenti proponuntur, ut amoris Dei exemplaria. nu. 14.

Tertia Diff. *Synagogæ fides erat valde mollis.* n. 15.

Omnes Synagogæ delitiæ, arguunt ejus infirmitatem. nu. 16.

Ecclesia nata & enutrita in austeritatibus. nu. 17.

Fortitudo populi Christiani, & infirmitas Israelitici unde cognoscantur. nu. 18.

Comparatur Ecclesia tabernaculis Cedar pellibus Salomonis. nu. 19.

Quarta Diff. *Fides & religio Synagogæ erat quasi cæca in luminis medio, non vidit Christum in Scripturis nec etiam præsentem.* Proverb. locus productus. nu. 20.

Scripturæ quæ erant Hebræis divitiæ, serviunt Christianis. Apostoli locus huc flexus à S. August. nu. 21.

Hebræi videntes Messiam non viderunt. Isaias & Paulus producti. n. 22.

Synagoga Isaac comparata, qui cum esset Cæcus benedixit ei quem non cognovit. numer. 23.

Laudabilior Ecclesia quæ Christum vidit, quando non vidit eumdem. nu. 24.

Fides Hebræi inconstans fuit Christiani vero firma & stabilis comparat Hebræos locustis S. Gregorius. *Sicut & stusto de quo dicitur.* Stultus ut luna mutatur. Bernardus. nu. 25. Quinta Differ.

Christianus vero soli. Item, Patriarchæ Zabuloni. nu. 26.

O fælix Christiani sors ad Dei perfectionem à Christo vocati. nu. 27.

1. NOn immerito Redemptorem mundi in admirationem rapit devoti hujus Centurionis pietas, qui tanquam Exordientis Ecclesiæ Legatus, nomine ejusdem Regi universorum fidei suæ offert primitias. *Creator mirabilium admiratur,* ait D. Chrysologus, *aurium conditor, quasi qui non audita nesciat, sic stupet audita.* Neque sine causa is qui infallibilis est veritas prædicit, filios Regni ab eodem excludendos, admittendos vero ad idem fore extraneos gentiles. Magnum profecto Hebræi est vituperium novum istud Gentilis encomium, dumq; unius tanta cum admiratione commendatur fides, alterius perfidia haud minori cum ignominia vituperatur: *Dum gentilem sic credidisse miratur, incredulitatem corripit Iudæorum.* Hodie dilectissimi certiores facti sumus, de indubitata Chrysol. serm. 10.

Ecclesiæ electione, deque certissimo Synagogæ repudio, juxta altum illud & imperscrutabile Consilium æternæ Majestatis, quæ irreprehensibiliter eligit, & deserit, juste approbat & reprobat, Sapienter amat & odit. Deus in amore suo nec fallit, nec falli potest, utpote, quem nec concupiscentia cæcum, nec commodum aliquod sordidum, nec perplexitas ambiguum, neq; apparentia delusum, nec incertitudo reddit inconstantem. Multo minus divinæ justitiæ supplicia veluti hic in mundo plerumq; accidere solet, irrationabilia sunt & temeraria, quasi quæ vel excogitentur à vindicta, aut fulminentur ab odio, aut ordiantur ab ignorantia, sed justissima semper & irreprehensibili, cum æquitate decisa, rigidissimis etiam regiminis mundani fiscalibus, insolentioribusque divinæ providentiæ murmuratoribus ora sua claudunt. Manibus nostris veritatem istam palpabimus, dummodo cõparationem quandam hodie facere placeat inter Sanctitatem Synagogæ & Ecclesiæ, admirabimurque profunda quidem, sed justa Dei judicia, dum in hanc sese benignum ac misericordem, in illam vero rigorosum se commonstrat atque severum.

Ambr. in Luc. Prima Differ. 2. *Non inveni tantam fidem in Israël.* Primo igitur Hebræi Fides & Sanctitas superficialis tãtum erat & apparens, & uti S. Ambrosius illam describit: *quæ forensi & perfunctoria specie compta, animo manebat interiore pollutior*, quæ nihil omnino ad cordis respiciens culturam, tota erat in ritibus & Cæremoniis corporalibus occupata, in templi pulchritudine, in solennitate festorum, in observantiis lavacrorum sive baptismatũ, in formis sive figuris Habituũ; in certorum ciborũ abstinentia, in certarum precum cãtilena, in fastorum nefastorumq; dierum differentia, in legalium illegitimarumq; victimarum examine, in distinctione animalium mundorum & immundorum, in sacrificiorum matutinorũ vespertinorumq; oblatione; in portionis Sacerdotalis & laicalis distributione, in parẽtelarum & familiarum separatione; in purgatione corporum & habitationum, in itinerum & laborum mensura, atq; in millenis aliis illi populo à Deo præceptis consuetudinibus, quæ à me difficulter referri, à vobis quoque haud sine difficultate possent audiri. Non est isthæc Sanctitas illa, quæ oculis placet Dei illius, qui corda intuetur, novitq; omnem justitiam absq; puritate mentis, ipso justitię nomine etiam indignam esse. Unde de Synagoga merito, dici potest illud verbum S. Augustini: *Corrupto corde quid servat in corpore?* Quid proderit tibi observantia corporis, qui nequicquam tui observãs es cordis: Quid juvabit fimbrias deferre coloris cœlestis, qui ad cõtemplanda suprema cœli bona nunquam elevaris? Ad quid tibi utile erit multas occidere victimas, qui nũquam eousq; pertingis, ut passiones mortifices inordinatas? *Corrupto corde quid servat in corpore?* Nequaquã perfecta æstimãda est sanctitas; uti sanctissimus Redemptor noster ipsemet dicebat, exterior quædã parietis dealbatio, cujus interiora luti plena sunt sordibus, & quæ uti S. Augustinus dicit: *Foris lucet intus lutum est.* Atq; hæc, uti credo, erat ratio, cur Synagoga illi comparata fuerit ficulneæ,

August. in Psal. 90.

August. in Psal. 75.

culneæ, quę quod nil præter frondes in se haberet, à Salvatore maledicta fuit. Novi equidē id quod naturales de hac arbore scribūt, videlicet illam quo magis rigatur, tanto quoque plus sterilem effici, aut si fructum aliquē producat,
Theoph. lib. 2. c. 8. Matth. illum semper deteriorē produci. *Dum irrigatur, deteriorem fructum parit*, inquit Theophylactus. Quod quantopere populo Hebræorum conveniat, quilibet ex semetipso cōjicere facile potest, utpote, qui post receptas semper de cœlo locupletissimas gratiæ pluvias, tanto se magis ingratum semper exhibuit, aut si fructum aliquem parturiit, is adeo amarus fuit, ut Prophetam suum justa admiratione repleverit, adeo ut mordacibus hisce, sed justis, id ipsi
Deut. 32. v. 6. querelis exprobrarit dicens: *Haccine reddis Domino popule stulte & insipiens?*
Bernard. Serm. 60. in Cant. Non sum nescius illius quod S. Bernardus advertit, videlicet, populū Hebræum recte comparari ficui, arbori nimirum tali, quæ in sublime erigi nescit: estq; modica seu parva, tortuosa, nodisq; plena, quæq; nullam cum radice sua proportionē habet, utpote, quæ valde est æqualis, recta, ampla, atque in terra mire dilatata; talis namq; Synagoga proprie fuit, quæ à Patriarcharū suorum nobilitate degenerans, nec se cœlum versus quicquam erigens, vel extollens millenis notabilibus plena defectibus fuit: *Bene ficus* (sunt verba S. Bernardi) *quæ nunquam in altum proficere, nunquam se humo attollere valuit, nunquam respondere radici, proceritate ramorum, generositate florum, fœcunditate fructuum. Male tibi cum tua radice cōvenit, arbor pusilla, tortuosa, nodosa.* Ad propositum nostrum autem, ficulneæ, cui maledixit Dominus, assimilatur Synagoga, illa namq; frondibus, Cæremoniisque legalib. plena fuit, & destituta virtuosorum operum fructibus: *Synagoga* Chrysost. Hom. 47. in Matth.
erat illa ficulnea (inquit Chrysost.) *ornata foliis, & fructibus vacua, &c. quæ verba sanctitatis portabat, & opera pietatis nō habebat.* Omnes illi ritus: Omnes illę Cęremoniæ, cunctæ observātiæ istæ legales, ad instar verborū, quæ rudi illi populo Voluntatis Divinæ rationem explicabant, quibus populus iste sensim ac paulatim instruebatur, ipse vero solis immorans frondibus, ad fructuum sese nunquam ingessit fruitionē: siquidem verbis seu literæ inhærens, ad latentem sub verbis sensum pertingere nūquam potuit. Chrysostomo addo S. Bernardum, qui exponens illa verba Canticorum: *Ficus protulit grossos suos*, dicit: hos fuisse fructus, quos Synagoga producere novit, res videlicet grossas & materiales quales erant illæ legis Cæremoniæ: *Et vere quid non grossum ingente illa? nec actus profecto, nec affectus, nec intellectus, sed nec ritus quem in colendo Deo habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris totus erat: intellectus in crassitudine literæ, cultus in sanguine pecudum, & armentorum.* Bernard. Serm. 60. in Matth.

3. Porro David Rex Sanctus, sacrificia quæ Deò offerre statuerat, describens, dixit: *Holocausta medullata offeram tibi.* q. d. offeram tibi, ô Deus meus, holocausta mea, cum medulla cordis ac mentis. Scio equidem Majestatem tuam, cultu victimarum externo gaudere, melior tamen earundem pars, est interna charitatis atque affectus oblatio. Scio te velle, ut supra altare tuum currat continuò liquidus sacrificiorum sanguis: verum insuper scio, totum esse perditum, quando interior non adest Psalm. 65. v. 15.

devo-

devotio. Grati sunt tibi continuo fragrantes Thymiamatis suffitus: hi tamen grati tibi non sunt, nisi recta eos comitetur intentio. *Holocausta medullata offeram tibi. Quid est medullata* (interrogat S. Augustinus respondetque) *intus teneam Charitatem tuam, non erit in superficie, in medullis meis erit, quod diligo te. Multi sunt* dicit idemmet Doctor, *qui vovent alius pallam, alius oleum, alius Ceram ad luminaria noctis, alius ut vinum non bibat per aliquot annos, alius ut jejunia certo tempore faciat, alius ut Carnes non comedat.* Sed quid ô Sacerdos sancte, de ejusmodi egregiis oblationibus videtur? *Non est istud votum optimum, & perfectum. Adhuc melius volo.* Et quodnam istud erit? *Non eligit Dominus oleum tuum, sed animam tuam.* Hoc est Holocaustum medullatum, & non velut illud Hebræi populi, qui *verba sanctitatis portabat, & opera pietatis non habebat.*

Aug. in Psal. 65.

August. serm. 8. de temp.

4. Synagoga, ut S. Gregorius Papa inquit, Struthionis instar erat, qui cum pulcherrimis vestitus sit plumis, alasque habeat ingentes & amplas, à terra tamen elevare se nescit: *Penna Struthionis similis est pennis Herodii & Accipitris* Sublimius merito in cœlum ferri deberet, quam Herodius aut Accipiter, at corporis sui pondere semper detinetur in terra: *Quid Struthionis nomine, nisi Synagoga signatur: Struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet.* Instrumentum volandi habet, sed non usum, Cæremonias habet, quæ ipsum ad Deum usque ferre debebant, nec tamen se unquam in Deum usque elevabant. *Cunctis intuentibus imaginem de se Sanctitatis insinuat, sed tenere vitam Sanctitatis ignorat.* Omnes Veteris Testamenti figuræ, pennarum instar erant, quæ populum Hebræum in Cœlum elevare poterāt, cum tamen ipse in terra obstinate maneret defixus: *A'as legis habuit, sed corde in infimis repens, nunquam se à terra sublevavit.* Sic Hebræi in S. Matthæo, Genimina viperarum appellati sunt: *Genimina viperarum, quæ à foris speciosæ sunt, ab intus autem veneno plenæ sunt: sic Hebræi pulchritudinem Sanctitatis ostendebant in vultu, & venenum malitiæ portabant in corde.* Omnis illorum Sanctitas consistebat in carne, & non in corde; in vestimento & non in mente; in apparentia, non vero in substantia.

Job. 39. v. 16.

Gregor. lib. 31. Moral.

Matth. 23. v. 33.

Gregor. Hom. 3. in Evang.

5. Agedum igitur nunc ad considerandam Ecclesiæ fidem ac Sanctitatem transeamus, de qua pulcherrimum istud ipsi à Sancto Cytharædo Rege attributum lego enconium: *Omnis gloria ejus ab intus*, q. d. Quicquid video in Sponsa Domini, quæ tam est speciosa, totque ornamentis decorata, omnis gloria & majestas, quæ eandem ipsi quoque cœlo mirabilem reddit: Omnes illæ virtutes & prærogativæ, quæ ipsam Dei oculis dignam efficiunt, ab interiori cordis nascuntur: *Omnis gloria ejus ab intus.* Multa sunt supremæ hujus Heroinæ facinora, multi pro amore dilecti sui tolerati labores, infinita opera, quæ ipsam famosam, perq; omnia sæcula commendabilem reddent, attamen quicquid ipsa unquam fecit, quicquid operata est, cordis ab effectu nascitur: *Omnis gloria ejus ab intus.* Terra repleta est benedictorum filiorum suorum martyriis; Mundus semente prædicationis charissimorum

Psal. 44. v. 14.

Cant. v. 3.

Pelusi in Psal

morum alumnorum suorum est respersus; totum denique universum, triumphorum suorum, suarumq; gloriarum est testimonium: attamen prædicta omnia quicquid in se pretii continēt, ab intimo cordis obtinent: *Omnis gloria eius ab intus.* Veritatem istam ipsa à Christo, quasi in omni suo familiari discursu edocta fuit, ab eodem enim didicit sacrificium, sed spiritus contribulati sacrificium: victimas, sed mortificationis: ignem semper ardentem, sed charitatis ignem; panem semper calidum, sed fervidorum affectuum; lampades semper ardentes, sed virtutū, velum semper extensum, sed fidei. Thymiama odore semper fragrans, sed rectæ intentionis: Expiationem, sed hominis interioris; Baptismata & lavacra, sed sanctorum Sacramentorum: Eleemosynam, sed absque tubæ sono sive strepitu, quemadmodum Pharisæi faciebant: Ieiunium, sed absque faciei suæ exterminatione: Orationem, sed in cubilis secreto: paupertatē, sed spiritus: munditiam, sed cordis: abnegationem, sed suiipsius: solemnitates, sed mentis; Gazophylacium, sed bonæ conscientiæ. Atque hæ sunt instructiones illæ, quas à benedicto sponso suo Ecclesia Christi edidicit, de qua proinde dicit, quod genas habuerit ad instar fragminis mali punici: *sicut fragmen mali punici, sic & gena tua.* Quando enim Cant. 4. v. 3. grana illa, quæ mala punica intra se continent reclusa, rubescunt, ipsam quoque corticem pariter rubescere faciunt: *Quia in genis, quod extrinsecus rubet, ab intus nascitur, ut rubeat, ex eo quod intus vivit & viget*; inquit Isidorus Pelusiota. Pelusiota in Psal. 44. Rubor, quem sponsa Domini foris habet, ab illo nascitur rubore, quem intus tenet: compositio corporis à compositione cordis: opus manus ab operatione mentis; unico id verbo cum S. Bernardo edicam: *quod in ea ab ipsa manat, & in ipsa manet.* Bern. Serm. 34.

6. Vidua illa, quæ non nisi duo minuta in arcam misit, ipsomet Domino teste, magna opulentorum donaria superavit: *Amen dico vobis, quia plus omnibus misit.* Marc. 12. v. 43. Et quomodo illa superavit, dicit Chrysostomus, nisi generositate cordis, & animi promptitudine? Chrysost. in Matth. *certavit animo & vicit animo.* Animo cum divitibus certavit, & animo vicit. Animus fuit, qui donum dedit de seipso modicum, in Dei vero conspectu ingens & magnum, & sicuti Paulinus Nolanus Episcopus, inquit: Paulinus in natali S. Felicis.

Munere pauper Anus, sed prodiga corde fideli.

In dono pauper, prodiga in corde; in dono omnium minor: in corde omnibus superior, quia ut docet Petrus Blesensis: Petrus Blès. in Iob. *Attendit Dominus, non quantum, sed ex quanto quis offerat.* Ehem quot filii Israel quadraginta illis annis, quibus in deserto fuerant, Deo obtulerant sacrificia, & tamen lamentatur Deus quod nullis toto illo tempore honoratus fuisset victimis & sacrificiis: Nunquid hostias dicit per Prophetam Amos, *& sacrificium obtulistis mihi in deserto, quadraginta annis domus Israel?* Amos 5. v. 25. Nunquid autem hoc fine de Ægypto egressi sunt, ut videlicet offerrent? Levit. 8. & 9. Annon in Aaronis, filiorumq; illius consecratione, obtulerunt sacrificia? Nunquid idipsum fecerunt duodecim diebus continuis, in dedicatione tabernaculi? Num. 7. qua ratione ergo dicit, quod qua-

Hieron. in Amos. dragin ta annis, quibus peregrinati sunt in solitudine, non obtulerint sacrificia? Respondebit S. Hieronymus *quod quæ Domino eos legimus obtulisse, non voluntate, sed pœnarũ fecerunt metu.* Quia ergo idipsum non fecerant de bono corde, Deus illud, veluti si factum non fuisset, æstimavit. Quomodo etiam apud Isaiam populo præcepit, ut ab ordinariarum victimarum oblatione abstinerent, eo quod illas amplius videre non posset. *Holocausta arietum, & adipem agnorum, & sanguinem vitulorum &* Basilius in Isaiam. *hircorum nolo*: *observa*, inquit Basilius Magnus, *num quæ dicuntur reclament oblationi*, videtur Deus hic præcepisse contrarium illius, quod ante præceperat. Volebat victimas, nunc non vult eas; Quondam illas expressa lege præscripserat; nunc easdem expressa prohibitione reiicit. Deus autem sibimetipsi nequaquam est contrarius; dicit autem Basilius: *Non enim arietem expetivi sed mentem.* Id quod in sacrificio potissimum mihi placet, mens est, quam si ab ipso tollas, omne sacrificium displicet mihi. Sit donum aliquod, quod offers mihi, quantumvis etiam pretiosum, si tamen absque corde id mihi obtuleris, omnem certe valorem perdit & pretium. Dato mihi, quicquid in mundo æstimatur pretiosum, hoc tamen sine animi affectu nullius apud me erit æstimationis: *Non enim arietem expetivi, sed mentem.*

7. Martialis vir gentilis erat, atque cœci Paganismi immersus superstitionibus. Pro hoc autem ad veram fidem inducendo, quædam eius filia, quam habebat, una cum marito suo, ambo Christiani, industriè laborarunt, tametsi ob extremam illius perversi obstinationem, aliquanto id tempore factum sit frustra. Tandem vero id quod aliis mediis à Deo obtinere non poterant, ad altare D. Protomartyris Stephani impetrarunt. S. Augustinus autem, qui factum istud recenset, dicit, hominem istum toto vitæ suæ decursu, in omnibus operationibus suis, consuetudinem habuisse, dicendi ultima verba, quæ S. Stephanus moriens dixerat, tametsi nesciret, illa iam dicti sancti verba postrema fuisse: *Hoc quamdiu vixit in ore habebat: Christe accipe spiritum meum.* O pulcherrimam orationem, filiisque Ecclesiæ dignissimam: *Domine, accipe spiritum meum*, q. d. per me licebit, ut Hebræus Maiestati tuæ integros offerat pecorum greges, sive boũ armenta, mihi sufficiet, ut puros tibi offeram spiritus mei affectus; scio enim quantopere illis delecteris: *Christe accipe spiritum meum*; Largiantur tibi alii ingentium thesaurorum suorum divitias; ego vero cor meum dabo tibi, scio enim quod hocipsum à me pro benignitate tua thesauri loco habere dignaberis: *Christe accipe spiritum meum.* Pluribus aliis altaria tua magnificis vereque regiis liceat onerare victimis; ego unica & sola devoti animi victima superare cunctos potero: *Christe accipe, &c.* Aug. lib. 21. de Civit. Dei.

8. *Non inveni tantam fidem in Israel.* Secundo fides synagogæ proprio studebat commodo, cum ne quidem ad passum unicum se movere solita fuerit, purè pro Dei servitio, nisi quoque beneficio aliquo temporali alliceretur, sive facultatum, aut sanitatis, vel gloriæ, aut prolis, aut securitatis, aut vitæ. Et quid mirum erat, si ex illa natione Secunda differentia.

nem-

nonnulli (quorum tamen haud adeo fuerunt multi) exactè valde serviebant Deo, atq; antiquam illam legem exactè servabant, quando observantiæ suæ subito recipiebant retributionem? quãdo securam in patria pacem videbant, tranquillos in civitatibus populos, indubitatas in bellis victorias, prosperos in negotiis successus, fortunatas in nuptiis parentelas, incolumes venustasq; in domibus proles, pacificas in familiis divitias, abundantẽ in campis messem, gemellos in gregib⁹ partus sive fœtus, plena in vindemiis torcularia, temperatas in corporibus complexiones, in animis denique continuam lætitiam? Non amat, ô Christiane, aut saltem imperfectè ad minus amat, quisq; adeo amat, ut lucrum ex amore sibi adsciscat. (Cic. de amicitia.) *Amicitia* dicebat Orator Romanus, *si ad fructum nostrum referamus, non erit ista amicitia, sed mercatura quadam utilitatum suarum.* Sordida mercatura, non vero honoratum puræ benevolentiæ commercium est, cum spe recipiendi donare, omneque quantumvis magnum donum, suum perdit pretium, quando animo retributionis avido donatur. Non amat amicum, sed semetipsum, qui ideo duntaxat amat, quia illum liberalem expert⁹ est & munificum. Etiam ovis aliqua, inquit Augustinus, post pastorem currit, si viridem illi exhibeat frondem. Catellus quoq; abblanditur Domino suo, à quo se quotidie cibatũ videt. Similiter accipiter, ad pugnum advolat aucupis, unde quotidianum suum recipit alimentum, nihil interea de libertate, qua gaudere poterat, curans. Tigris itidem, inquit Seneca, quãtumvis fera sit & indomabilis, an non eandem ob rationem osculari se sinit à suo custode? Nunquid elephas summa cum dexteritate supra funem inambulat, velut aliquis pygmæus? An non quoq; leo permittit, ut Magister sive moderator eius manum suam absque ullo periculo in profundã vastissimarum faucium suarum voraginem interque acutissimas horribilium limatorumq; dentium mittat serras? Tantam in ipsis quoq; animalibus brutis, proprium commodum vim habet.

9. Atq; hæc est verissima ratio, cur synagoga ab Osea Propheta vitulæ cõparetur, in area triturare diligenti: *Ephraim vitula docta diligere trituram*, tam- (Oseæ. 10. v. 11.) etsi enim ipsi ibidem laborandum esset lubens tamen libensq; ibidem erat, eoque sine ullo adhibito stimulo accurrebat, eo quod durãte tritura, spicas pro libitu suo carpere poterat, quippe cui conformiter præcepto illi divino, solutũ inter triturandum os esset: *Non alligabis os bovi triturãti. Spe pabuli*, inquit (Deut. 25. v. 4.) Cornelius, *discit sponte ad aream, & ad trituram redire.* Pari quoq; ratione, populus ad legalium illarum cæremoniarũ observantiam, plus propter proprium suum accurrebat cõmodum, quam ob Dei honorẽ & gloriam, plus pro obtinendis terræ bonis, quam pro offerendis cœlo sacrificiis, plus propter utilitatem, quam ob devotionem. *Iudæi*, inquit S. Gregorius, *nullo sane sensu præditi ad carnem semper aspirantes & virtutem negligentes.* (Greg. in Ps. pœnit.) Unde à Theodoreto solemnissimi vocati sunt epulones: *Nonne Iudæi sunt patinarij, & gulones quam maximi.* Quicquid enim fiebat ab illis, id totũ propter suam gulam, & propter retributionẽ faciebant, nec non ut bene es-

set corpori. Unde idemmet Theodoretus dicere non dubitavit, Deum accommodando sese infirmitati illorum, permisisse, ut de eisdem victimis, quæ ipsi in ordinariis sacrificiis offerebantur, ipsi quoque essent participes, *ne si eos à sacrificiis, quibus illi tanquam convivis utebantur, prohiberet, ipsi statim fidei renuntiarent.* Unde Rex sanctus nationis suæ nomine dixit: *ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Semper fui tecum, quia tu mecum semper fuisti; ego tecum, ad recipiendum dona tua, tu mecum ad dandum illa mihi; retro post vestigia tua cucurri, semper enim tuas post te relinquebas benedictiones; nunquā à tua recedebam præsentia, ne à proprio meo recederem interesse, & commodo, nunquam ab oculis meis perdidi te, ne ab oculis quoque meis cōtinuam tuam perderem sustentationem: *ut iumentum factus sum,* exponit S. Augustinus, *cum utiq; quamvis uni Deo mancipatus videretur, pro magnis tamen, ac summis bonis, ab illo carnalia, terrena, temporalia quærebat.*

Lib. 7. de Providentia.

Ps. 72. v. 23.

10. Verum est equidem, Abraham è patria sua egreditur, domumq; suā propriam relinquit, id tamen facit ab ingētibus illis allectus promissis: *Faciam te in gentem magnam.* Jacob recepturum se Dominum in Deum iurat, nec tamen id aliter, quam cum hac cōditione promittit; *si dederit mihi panem ad vescendum & vestimentum quo operiar.* David Rex nunquam laudare cessat, sublimem illam Numinis Maiestatem, utpote quæ infinitis digna est laudibus, sed mirum non est, ad id namq; factus est facundus per magnum illud à Deo sibi præstitum iusjurandum: *Iuravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum; De fructu ventris tui, ponam super sedem tuā.* Gratias refert bonus Joseph divinæ Maiestati immensas, sed eccur ita? quia *crescere me fecit, in terra paupertatis meæ.* Imprecatur quidem Isaac filio suo cœli benedictionem, sed de rebus terrenis: *Det tibi Deus de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini.* Populus ut Deo obtemperet, de Ægypto egreditur, sed cum spe infallibili intrandi in terram promissam *ad terram fluentem lac & mel.* Patriarchæ antiqui Deo altaria erigūt, sed hoc solum motivo, ut illum in cōmunicandis donis suis liberalem efficiant. Templum quoddam fabricant, eo tamen fine, ut suis in necessitatibus Asylum quoddam habeant. Offerunt sacrificia, sed ut cœli iracundiam impediant; cæremonias observant, sed ad hoc ut abundantiam in patria sua conservent. Orant, sed ut obtineant temporalem carnis huius salutem. Semper infima & transitoria vitæ præsentis bona expostulant, *ad carnem semper aspirantes, & virtutem negligentes.*

11. Accedat nunc propius Ecclesia, Dei purissima sponsa, & amatrix castissima, quæ suis in amoribus, nequaquā amati divitias, sed ipsummet amatum considerat; non quærit res sponsi, sed ipsummet sponsum; oculum suum nō ad Christi manum, quæ plena est benedictionibus, habet directum, sed in faciem, quæ infinito amore digna est amari. Atq; ideo S. Gregorius advertit, Jōannem Ecclesiam vidisse, lunam sub pedibus suis habentem, *quia sancta Ecclesia temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.* Verum enimvero, veritatem istam ex ipsomet Ecclesiæ ore, in sacris

Greg. lib. 34. Moral. c. 7.

Canticis.

Canticis audiam. Porro quando spoliata pallio, quod rerum temporalium significat iacturam, atque ab ipsis Civitatis custodibus vulnerata fuit, quod ipsum magna illa repræsentat martyria, quæ ab huius sæculi toleravit principibus, ad sodales suas conversa, omnia tacet, & solum amorem suum non tacet, dicens: *Renuntiate illi, quia amore langueo*. q. d. Non loquor de divitiis, meæ namque divitiæ sunt, illum amare sponsum, qui totius est universi Dominus. Nihil dico de prædiis atque possessionibus meis, abunde enim sa is possideo, modo dilectum meum, illum inquam, qui verus est totius mundi Monarcha, possidere concedatur. Lubens libensque meis spoliata sum facultatibus, mei enim thesauri ac facultates sunt, amore frui, amantis alicuius ita amabilis. Meis nudata sum ornamentis, at vero ornata affatim ero, ubi amicitia Domini mei digna ab ipso judicata fuero. Non quæro corruptibilis carnis istius pulchritudinem, id quod quæro est venustas quam amor Christi immortali animo affert. Vulnerata sum in hocce meo corpore, nullum tamen vulnus adeo vivaciter persentisco sicut dulce vulnus amoris. Graves sunt, neque enim id ego inficior, hæ pœnæ meæ quas ego ab inimicis bonorum meorum patior, attamen graves non sunt, imo totaliter mihi evanuisse videntur ab amoris dulcedine. Magnum est damnum, & graves sollicitudines atque angores, quos unicum hunc animæ meæ thesaurum quærendo experior, verum neque damnum neque angores persentio occupata totaliter in solo amoris commercio: *Renuntiate illi quia amore langueo*. Aliud amando non quæro præmium, quàm solum amorem; alium in amando finem non habeo, quàm solū amare. Aliam amoris mei non prætendo mercedem, quàm eiusdemmet usum amoris. Amo, quia amo: amo, ut amem: Amo, ut fruar amore. Verum melius id ex ipsiusmet melliflui Bernardi quàm meo id ore percipietis. Dicit ergo Bernardus: *Ipse meritum, ipse præmium sibi est. Amor præter se non requirit causam, non fructum. Is per se sufficit, is per se placet, & propter se. Fructus eius usus eius; amo quia amo; amo ut amem.* Bern. in Cant.

11. Vere igitur, & meritissimo iure, Ecclesia magnum vocitata est miraculum: *Signum magnum apparuit in cœlo.* Quodnam illud? *Luna sub pedibus eius; quia temporalia despicit, lunam sub pedibus premit.* Magnum profecto, & ingens miraculum est, dilectissimi, omnes facultates terrenas suis posse substernere pedibus, sicuti & prodigiosus erat, qui nomine Ecclesiæ dicebat: *Tanquam prodigiū factus sum multis. Unde tanquam prodigium?* interrogat Augustinus. q. d. Psal. 70. v. 7. Qua in re Ecclesia Dei existimata est miraculosum prodigium? Forte in capite quod crucifixum fuit, ut latro, adoratum vero ut Deus? Forte in primis suis prædicatoribus, atque huius novæ fidei seminatoribus, quippe qui cum piscatores essent, oratores covicerunt? aut forte in modo publicandi hanc legem, qui fuit sine armis, sine pecuniis, sine fulcro, aut favore mundano, cum tamen lex ista subito per totum dilata-

ta sit universum ? Fortasse quia tunc præcisè dilatata est atque dispersa, quãdo ipsam dilatari minimè cõveniebat, id est, quando omnium gentium oppositionem atque contrarietatem habebat? An forte in rebus iis, quas profitetur, aut in iis quæ tradit dogmatibus, adeo quidem sensui difficilibus, gratis tamen adeo atq; suavibus rationi? An vero ob perpetuam fortasse eius duratione, ac prosperitatem, quippe quæ tot iam sæculis durat? omnia isthæc profectò, magna atque extraordinaria sunt miracula; attamen iuxta mentem S. Augustini miraculum miraculorum maximum est, quod videlicet Ecclesia, id quod videt contemnat & spernat, appretietur autem id quod non videt: quod pedibus suis res præsentes substernat, nec velit nisi futuras, quod bona istius sæculi adeo blanda ac demulcentia respuat, purisq; Dei promissionibus acquiescat. *Vnde tanquam prodigium?* inquit Augustinus, *unde mihi insultant, qui me prodigium putant? quia credo quod non video. Illi enim beati in his, quæ vident, exultant, in luxuria, in scortationibus, in avaritia, in divitiis, in rapinis, in sæcularibus dignitatibus, in dealbatiõne lutei parietis, in his exultant. Ambulabo autem ego in viam dissimilem, contemnens quæ præsentia sunt, & timens ad prospera sæculi, nec alibi securus, nisi in promissis Dei.*

13. Vultisne hac in parte clarius videre differentiam, quæ intercedit fidem Christianam inter & Hebræam? Attendite ad id, quod Deus Patriarchæ Jacob, post mysticam illam luctam dixit, nec non ad id, quod sponsa dixit, postquam dilectum suum reperit. Jacob dicebat: *Non dimittam te nisi bene-* Gen. 32. v. 26. *dixeris mihi.* q. d. Nequaquam dimittam te, donec tuis me benedictionibus locupletâris, quibus cunctæ significabãtur res temporales. Verum quid alia ex parte Ecclesia dicit? *Tenui illum nec dimittam. Ille benedictione accepta dimisit illum*, inquit Bernardus: *hæc autem non sic; Nolo inquit, benedictionem tuam sed te. Quid enim mihi est à cœlo, & à te quid volui super terram?* Nolo benedictionem tuam sed temetipsum; non tua desidero, sed te, non terræ bona inquiro, sed illum qui creavit cœlum & terram. *Non tibi terram, sed seipsum servat qui fecit cœlum & terram*, aiebat S. Augustinus. Habeat Hebræus terram, Christiano autẽ promissus est, qui factor est cœli & terræ: glorientur illi se possidere multa: Hi vero, quod rerum omnium possideant authorem, exultent; illi de vitæ huius longitudine: hi quia nomen eorum scriptum sit in libro vitæ; illi quod cumulati sint bonis fortunæ: hi vero quod repleti sint bonis gratiæ: Illi de sanitate corporis, hi de bono statu spiritus: Illi de huius sæculi rebus transitoriis, hi vero de rebus futuri sæculi permanentibus. *Nolo benedictionem tuam sed te.*

Cant. 3. v. 4.

Serm. 89. in Cant.

14. Tu mihi, ô synagoga, reperias, velim, si potes, pect⁹ aliquod adeo generosum atque magnanimum, quale erat illud Augustini, qui mundi huius, rerumque mundanarum immemor, dicebat: *Fugiendum igitur ad clarissimam patriam: & ibi pater: & ibi omnia*: aut sicuti pauperculus Franciscus, in extremæ mendicitatis suæ angustiis, quovis repetebat momento: *Deus meus & omnia*; aut sicut Christo respondit magnus ille Thomas Aquinas, quando inter-

interrogatur: Quam igitur mercedem habebis? hanc æterna memoria dignam subintulit sententiam: *Nullam aliam Domine nisi te.* Aut quemadmodum devotissimus dicebat Bernardus: *Sperent in aliis alij; forte hic inscientia literarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidens. Propter te omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, quoniam tu es Deus spes mea.* Aut veluti magnus ille Paulinus Episcopus dicebat: *Sibi habeant literas suas Oratores, sibi sapientiam suam Philosophi, sibi divitias suas divites, sibi regna sua Reges, nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est.* Denique reperias mihi velim, ô Hebræe, tuos inter Heroes vel unum aliquem in terræ huius stadio, quot in Christianismo fuerunt, & sunt, divinæ Maiestati consecrati religiosi, qui illam Augustini orationem ore suo semper circumferunt: *Quis mihi det acquiescere in te? Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud & obliviscar mala mea, & unum bonum meum amplectar te?* Quod si autem in filiis tuis, virtutem aliquam adeo consummatam invenire nequeas, confiteare, verissimam esse illam veritatis sententiam, quæ dicit: *Non inveni tantam fidem in Israel.*

In Psal. Qui habitat.

Tertia differentia.

15. Tertio, fides synagogæ delicata erat, & mollis, & veluti effæminata, in delitiarum gaudiorumque medio nata, atque nutrita. Sub hoc schemate, ipsa in pluribus divinæ scripturæ locis repræsentata fuit. Ab Isaia quidem: *Et nunc audi hæc delicata & habitans confidenter.* Ab Hieremia *speciosa & delicatæ assimilavi filiam Syon.* Ab eodem: *si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus.* Et alibi: *Defluxit vallis tua filia delicata.* Ac denique à Baruch Propheta: *Delicati mei ambulaverunt vias asperas.* Verum admirabiliter prorsus eam Salomon depinxit, quando totus admirabundus dixit: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* q. d. Quæ est ista gaudiorum adeo dives, adeoque in delitiis affluens & copiosa, in huius quidem mundi deserto exposita, cœli tamen gaudiis plena? Tot tantisque periculis circumdata, semperque secura? tot invisa æmulis, & prospera tamen semper & fœlix? Reorum subiecta pœnitentiæ, innocentum vero prosecuta gratia? Quis est ille populus, tanta à Deo affabilitate delinitus, qui illum pupillam nominat oculorum suorum, hæreditatis suæ peculium, filiorum suorum primogenitum, florem nationum, mundi lucem, totiusque terræ gloriam? Quinam sunt isti circa quos adhibetur totus divini amoris affectus, omnis misericordiarum suarum pietas, omnes bonitatis suæ thesauri, tota munificentiæ suæ liberalitas, tota ars sapientiæ suæ, omnis virium suarum potentia, omniaque mirabilium suorum prodigia? Cum sunt in itinere, Angeli duces eorum sunt; dum navigiis carent aut Bucentauris, quibus maria traiiciant, ipse maria coram ipsis in duas dividit partes, atque securum illis transitum præbet. Quod si detineantur à fluminibus, ipse mox undas sistit fugaces, easdemque durissimi marmoris instar consolidat; si patiantur famem,

mem, ipse illis panem de cœli granariis subministrat, si delitias desideret, ipse mox circum ipsos turmatim volitantes illis submittit coturnices: si siti ardeant, petræ coram ipsis mox emolliuntur, & aquas illis recentes atque crystallinas subministrant. Si opprimantur à tyrannis, ad tutelam atque defensionem illorum mox ipsæ quoque muscæ, & locustæ armantur: pro gentis huius emolumento corvi facti sunt architriclini, Angeli œnopolæ sive pincernæ, leones milites, ursi sagittarii, cœlum penuarium, armentarium aer, sol tædifer, nubes tentoria, saxa militares machinæ, tenebræ sylvarum umbræ. Pro ipsis conservandis fit, quod nec ensis secat, nec urant flammæ, nec feræ mordeant, nec noceant venena, nec aquæ submergant. In summa pro synagoga cœlum occupatur & terra, Deus & Angeli, stellæ & elementa, tempus & trimestrium stationes, homines & animalia. Dignissima igitur iustissimaque cum admiratione Salomon dicat: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens?*

16. Noli itaque ô Hebræe de istis tuis gloriari delitiis, quæ certissimum infirmitatis tuæ sunt argumentum, tuique exigui vigoris indubitatum indicium; continuis istis restaurationibus opus habuisti, ne à semitis aberrares virtutis, aut in ipso viæ medio deficeres. Compassus est Dominus ruditati tuæ, ideoque dulciter adeoque te tractare voluit: ingenti infirmitati tuæ benignè condescendit, quando solatiorum tibi permisit multitudinem, videlicet libertatem repudii, usuram cum extraneis, cæremoniarum exercitium, legalium illorum sacrificiorum oblationem. Noverat ipse quod nisi te blande adeo tractaret, tu cœlo pariter & religioni, terga sive dorsum versurus esses, atque ideo prodigiis te semper confortabat, & miraculis, Prophetarum item visitatione, Angelorum obsequio, abundantia beneficiorum, & promissionum incitamentis. Quodsi enim tot inter gratias adeo extitisti ingratus, tot inter prophetias adeo cæcus, tot inter miracula adeo durus & obstinatus, in tanta rerum temporalium multitudine adeo avidus, cum tanta pace & securitate adeo infirmus, quid facturus fuisses, si Deus alio modo se tibi exhibuisset? Tractavit te haud aliter, quam debiles tractari infantes solent, qui dum à larvis aliquibus sunt terrefacti, mox inter parentum suorum recurrunt brachia, à quibus sibi dulces promittunt ample- 1. Cor. 13.
xus. *Cum essem parvulus, loquebar ut par-* v. 11.
vulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Cum essem parvulus, inquit Clemens Alexandrinus, *hoc est, cum essem Iudæus: Infantes quidem dicit eos, qui non secus ac larvis pueri timore perturbantur.* Adeo 1. Pæd. 6.
erant Hebræi infirmi, & corde debiles, ut non solum ipsis à rebus veris & realibus formido incuteretur, sed etiam à somniatis umbris, & fictis chymæris.

17. Nunc ad Christianismi sanctitatem contemplandam, oculos nostros convertamus, hac namque ratione obstricti erimus, ut illam Ecclesiæ demus laudem, quam Salomon illi dedit, dicens. *Domus iusti plurima fortitudo. Do-* Prov. 15.
mus iusti, inquit venerabilis Beda, *est* v. 6.
domus Christi, id est, Ecclesia, quæ plurimam Ven. Beda in præc.

habet fortitudinem. Non est Ecclesia inter mollities, sed inter asperitates educata; non pace quadam ignobili & cõtemptibili fruitur, sed continuo & glorioso bello, semper certans, sed semper etiam victoriosa, quavis hora inter arma, & quacunque itidem hora inter triumphos: *Domus iusti plurima fortitudo.* *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Quid videbis in Ecclesia, nisi Athletarum cuneos & collegia? è quibus nonnulli cum carne certant, cum mundo alii, aliqui cum tyrannis quidam delitiis se opponunt, alii cum fortuna dimicant, cum falsis amicis nonnulli; denique alii cum ipsis Dæmonibus inferni: *Domus iusti plurima fortitudo.* Ecclesia edocta fuit amare inimicos, pro persecutoribus orare benefacere malevolis. Ipsa in schola Christi erudita fuit, in novis illis & hactenus inauditis dogmatibus, de custodia suiipsius, de facultatum suarum abrenuntiatione, de odio vitæ propriæ, de suiipsius abnegatione de cruce per totum vitæ cursum portanda, de sui ad pueri unius paruitatem reductione. *Domus iusti plurima fortitudo.* Ipsa de cœlo Maximas illas habuit, mundi Regulis adeo contrarias, de porrigenda maxilla sinistra illi, qui percutit dexteram, de cedendo tunicam illi qui pallium sustulerit, de truncanda seu abscindenda manu dextera, quoties illa scandalizaverit hominem, de omnino dimittenda seu posthabenda rerum temporalium sollicitudine, ut tanto quis securius Deo vacare possit. *Domus iusti plurima fortitudo.* Ipsa à divino Magistro suo castitatem usque ad eam quæ oculorum est, didicit: puritatem ad ipsas usque cogitationes, sanctitatem quæ in ipsis quoque verbis resplendeat; innocentiam quæ ad ipsa quoque desideria usque se extendat, rectitudinem ad usque ipsam intentionem. *Domus iusti plurima fortitudo.* Ipsa visa est à cœlesti sponso suo, omnibus rigoris imaginabilibus modis fuisse probata: non enim est exaudita in precibus, sed neglecta in necessitatibus, repulsam sæpe passa in suis desideriis, derelicta in periculis, in prædam data inimicis, persecutionem passa ab hæreticis, malè tractata à barbaris. Fides eius infinitas habuit oppositiones à Regibus & à privatis, à nobilibus & plebeis, à doctis & idiotis, dogmata eius condemnata sunt, velut erronea. Magistri sui condemnati velut læsæ divinæ humanæque Maiestatis rei. Professores sui, veluti quædam mundi pestes relegati: Fautores illius velut turbatores publicæ pacis, persecutionibus agitati; caput eius crucifixum sicut latro; leges illius abrogatæ tanquam iniquæ. Libri eius velut scatentes erroribus Vulcano traditi: eius consuetudines tanquam stultitiæ ludibrio sunt habitæ; sacerdotes illius execrati sicut sacrilegi: Deus illius irrisus velut invidus; sacrificium eius conculcatum, velut ridiculum portentum. *Domus iusti plurima fortitudo.*

Cant. 7. v. 1.

18. Vultisne, inquit Ambrosius, ut Christiani populi fortitudinem, & debilitatem Hebræi evidenter videre vos faciam? considerate igitur ambos quidem mare pertransivisse, sed ingenti cum differentia. Hebræus transiit aquis cedentibus, seseque ad miraculosam illi præstandam semitam aperientibus;

tibus: Christianus vero in persona Petri mare transit, aquas illius calcando, atque cum stupore ipsis undis maris inambulando. Ille transit mare absque mari: Hic vero transit mare stante remanenteque eiusdē maris turgido fastu ac ferocitate. Illi ex ordinatione Dei respectus delatus est ab illo monstro, quod omni caret respectu: hic vero sine ullo respectu ab aqua marina fremente velut obsidetur & conquassatur. Ille vincit sed sine lucta. Hic triumphat sed post oppositiones, ac tempestatum procellas. Miraculum fuit transitus ille, quem Hebræus populus siccis pedibus per maris medium fecit: majus autem miraculum fuit transitus ille, quo populus Christianus pedibus suis spumantium procellarum furiam calcavit. *Quanto hoc melius* (sunt verba S. Ambrosii) *ubi ambulante Petro, nec mutatur Vado, nec labitur. Nec solidatur aqua vel refugit. Melius inquam est, ubi eadem unda quæ fluctuat & sustentat: ibi idem gurges qui mergitur & famulatur. Illic ut portetur per mare populus Israel meatus suos natura perdiderat, hic portatur in aquis Petrus, & cursum suum fluenta non perdunt.* Dominus Ecclesiam suam à tyrannorum rabie non liberavit, non illam à persecutionibus abscondit, nec à passionibus subtraxit, sed voluit, ut totum id fortitudinis suæ esset testimonium, suorumque triumphorum materia. Illam mundus teneram vidit infantem, & vix etiamnum natam, & velut adhuc lac ore suo ferentem, eo tamen currere intrepidam, ubi certius erat periculum; eo ferri generosam, ubi via erat difficilior; eo volare imperturbatam, ubi gravior erat certaminis lucta. Vidit ipsam certa quadam inviolabili, & plusquam humana constantia, amphitheatri Romani provocantem feras, tyrannis gratias agentem de iniquis in se pronuntiatis sententiis, osculantem cum hilaritate cruces & equuleos, benedictum sponsum suum in voracium flammarum medio laudantem, in iactura & amissione facultatum, in exilio à patria & amicis lætam & exultabundam, reputantem se inter ignominias atq; infamias quam maxime honoratã, quæque in extremis barbariei humanæ de ipsa sumptis experientiis, plus diutius timebat vivere quem alii timidissimi mori timeant. *Portatur in aquis Petrus, & cursum suum fluenta non perdunt.*

19. Anne considerastis aliquando, quod Ecclesia in Canticis assimiletur tabernaculis Cedar & pellibus Salomonis, quæ deforis, utpote temporum exposita iniuriis, rudia, inculta, atque deformia erant, intus vero prima, referta erant ab inimicis captis spoliis: alia vero regiis plena erant ornamentis: *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigra propter conflictus externos, pulchra propter pacem internam; nigra propter passiones continuas: pulchra ob gaudia perpetua: nigra propter externam apparentiam: pulchra autem in conscientia. Id quod S. Bernardum hoc modo exclamare fecit: *O humilitas! ô sublimitas! & tabernaculum Cedar & sanctuarium Dei: & terrenum habitaculum & cœleste palatium: & domus lutea, & aula regia: & corpus mortis, & templum lucis: & despectio denique superbi, & sponsa Christi, &c. si horretis nigram, miremini, & formosam, si despicitis humilem, subli-*

mem

mem suspicite. Ecquidnam ô synagoga, adducere poteris quantumvis illustre & præclarum, quod à magnanimo ausu, atque insuperabili Christianismi fortitudine non obscuretur? Habuisti olim ex clarissima Machabæorum familia pauculos nonnullos, qui pro patriarum legum, necnon & hæreditatæ fidei conservatione, sanguinem suum fuderunt, vitamque exposuerunt. Ego vero in illorum locum, statuam tibi bene ducentos quinquaginta Martyrum milliones, tot enim teste Genebrardo, in relictis Ecclesiæ tabulis, & monumentis, ex omni gradu, ex omni ætate, ex omni denique sexu registrati sunt. Mirabilē forte mihi adduces Zachariæ Pontificis constantiam, occisi pro Deo inter templum & altare: ego vero econtra sexcentos venerandos adducam sacerdotes, qui pulcherrima sanguinis sui purpura pallium suum decorarunt. Tu forte ob Abrahæ tui fidelitatem effereris & intumesces, utpote qui ad primam iubentis Dei vocem, reliquit domum, parentes, patriam, & quicquid habebat; sed respice econtra inter nos illam religiosorum multitudinem, & videbis, quam modica tibi gloriandi causa supersit. Tu tuū laudabis Eliam, cum illo suo numeroso discipulorum exercitu, qui tanto cum rigore in montis Carmeli vivebant solitudine: ego vero econtra te in Scythiæ Ægypti, Thebaidis, totiusque orientis alia deserta dimittam, ubi infinitos reperies in carne humana angelos, qui ab Evangelii invitati promissionibus, universalem mundo, rebusque mundanis fecerunt abnegationem. Tu dices nec maiorem, nec difficiliorem unquam visam esse obedientiam, quam fuerit ea quam Isaac patri suo præstitit, utpote, qui in pulcherrimo ætatis suæ flore, vitam suam authori vitæ dare paratus erat: ego vero altera ex parte, te coram integra quadam puerorum schola constituam, qui dum in Genteria Ægypti urbe impium illud audivissent à Diocletiano promulgatum fuisse contra fideles Christianos edictum, omnes coniunctim ad tribunal accurrerunt, ubi postquam Christianos se esse professi fuissent, omnes veluti tot innocentes agnelli crūdeliter excarnificati fuerunt. Quid habes insuper quod pro tua gloria possis adducere? Forte Danielem inter leones intrepidum & psallentem? In amphitheatrum Romanum, te obsecro, recipe, ibi namque non unum, sed innumerabiles videbis, qui in truculentarum bestiarum medio, suavissime canant; qui morsus illarum, haud aliter, ac oscula ab iisdem præstolantur; qui nutibus ac verbis illas in se provocant. Dices fortasse, incomparabilem fuisse illam trium ab impio Rege in Babyloniæ fornacem proiectorum iuvenum fortitudinem; verum virtus isthæc ipsis quoque mulieribus nostris communis est, quæ non minus, quam viri, inter medias flammas constantissimæ permanserunt, cuius rei fidem facere possunt, Cæcilia Romæ, Lucia Syracusæ, Appollonia Alexandriæ, Eulalia in Hispania; Theodora Antiochiæ, Anastasia in insula Palmariæ, & per omnes mundi partes infinitæ aliæ. Postremo denique non invenies, unde extollaris ob raram Prophetarum tuorum constantiam, quacum ipsa quoque coro-

nata sæpius aggrediebantur capita, maxime si altera ex parte consideres Ambrosium aliquem adversus Theodosium, Basilium aliquem contra Valentem: Chrysostomum quendam contra Eudoxiam: Athanasium contra Constantium; Gregorium aliquem contra Mauritium, Leonem adversus Attilam, Sylverium aliquem adversus Theodorum, aut denique Thomam contra Henricum generosissimo ausu se opponentes. *Domus iusti plurima fortitudo.*

PARS SECUNDA.

Quarta differentia.

20. *Non inveni tantam fidem in Israel.* Quarto, Fides, & Religio synagogæ, in infiniti luminis medio, quasi totaliter cœca erat; ut proinde Paulus de Hebræis verba illa Davidis intellexerit: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Synagoga Messiam in scripturis non vidit, & quod peius est, non vidit illum præsentem, nobis quoque in carne similem. Et primo quidem non cognovit Messiam in scripturis, quæ de alio, præterquam de Messia non loquuntur. *Quid prodest habere divitias stulto?* (dicebat sapiens) *cum sapientiam emere non possit?* *Quid prodest* (ita interpretatur venerabilis Beda) *populo Iudæorum infideli habere divitias scripturarum cum in his Christum intelligere non possit.* Thesaurus scripturarum populo Hebræo quasi nihilum valet, siquidem per illum ad assequendam Christi, qui sapientia est patris, cognitionem pertingere nequicquam valet. Merito igitur Hebræo populo dici potest, quod Philippus Diaconus dicebat Reginæ Candacis Eunucho: *Putasne intelligis quæ legis?* Nequaquam. Nam uti optime advertit Ambrosius: *Habent illi libros, sed sensum librorum non habent, habent Prophetas, sed non habent quem illi prophetaverunt, quomodo enim habent, quem non receperunt?*

Psal. 68. v. 24. Rom. 11. v. 20.

Prov. 17. v. 16.

Beda in Prov.

Heb. 8. v. 30.

Ambr. Sermo 11. in Ps. 118.

21. Agedum igitur scripturæ quæ erant Hebræi divitiæ, serviunt uti testatur Apostolus Paulus, ad locupletandam Ecclesiam, *diminutio eorum, divitiæ sunt gentium.* Ita S. August. sequentem exposuit scripturæ locum: *Maior serviet minori*, id est, Hebræus, qui maior frater erat, serviet Christiano, qui minor est ex fratribus: *Illi portant codices, nos vivimus de codicibus eorum.* Sunt instar servorum (& ita quoque loquitur Augustinus) qui libros post Dominum suum portant, quos ipsi nec intelligunt, nec legere norunt: *Codicem portat Iudæus unde credat Christianus. Librarij nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Sunt, ex mente Petri Damiani, sicut duo illi Abrahæ servi, qui illum ad montem usque sunt comitati, ipsi vero ad pedem montis remanserunt: sacrificii apparatum viderunt, sed non viderunt sacrificium. E domo abierunt, duorum Patriarcharum comites & socii, sed ab illis separati sunt, atque recedentibus Patriarchis, in sola Asini societate remanserunt, id est, à sua plusquam bestiali ignorantia associati fuerunt: *Duo servi illi, procul dubio Iudæos significant, qui cum serviliter viverent, & carnaliter saperent, non intellexerunt altissimam humanitatem Christi, atque ideo non ascenderunt in montem, locum videlicet sacrificij, &c.* Et velum

August. in Psal. 136.

August. in Ps. 56.

Serm. de inventione S. Crucis.

velut Asinus ille res fortassis sacrificio necessarias portavit, absque eo quod nosset quid portaret: ita quoque cœca synagoga, Christianismi portabat sacramenta, nec tamen illa intelligebat, *Asinus ille, quo tunc utebatur Abraham, insensata erat stultitia Iudæorum. Illa plane bruta stultitia, omnia sacramenta portabat, quæ tamen quæ ferret, velut irrationabile animal ignorabat.*

22. Secundo Hebræi adeo cœci fuerunt, ut Messiam videntes non viderint, id quod prophetatum ab
Isaiæ.6. v.10. Isaia fuit: *Excœca cor populi huius, ut videntes non videant.* O ingens cœcitas. Coram oculis suis habent illum, nec tamen vident, possident illum, & quærunt illum, in domo ipsorum consistit, & procul ab illis remotum æstimant ipsum. Unde S.
2.Cor.3. v.15. Paulus dixit, *quod quamdiu legitur Moyses velamen super cor eorum positum est.* Ubi ad velum istud alludit, quod faciem Moysis tegebat, significabatque veteris testamenti figuras. *Velamen erat*, inquit Augustinus, *inter*
Aug.in Psal.64. *faciem Moysi loquentis, & populum audientem verba: Per velum verba audiebant. Quid quæris verbum in verbo*, dicit S. Bernardus, *quod iam caro factum præsto est oculis? iam enim de latibulo Prophetarum egressum est ad oculos piscatorum.* Quid ô cœca synagoga quæris verbum in verbo, verbum æternum in verbo temporali, verbum incarnatum in verbo scripto, verbum Patris in Prophetarum verbo?

23. Ecce tibi Isaac Patriarcham, qui eo quod cœcus esset, filios non cognovit, cum tamen tot illis impertitus esset benedictiones: ita Hebræus, qui tantopere Messiam celebrabat, postquam illum ante oculos suos habuit, eundem non cognovit: *eum præsentem non vidit, de quo tam multa prævidit*, inquit S. Gregorius. Et S. Bernardus Greg.in Moral.
de eodem Isaac synagogam repræsentante etiam loquens, dicere non dubitavit: *Propheta cœcus, quem nescit, benedicit, dum quem lectitat in libris, ignorat in miraculis.* Bern. serm.ad mil.cap.7.

17. Quanto ergo commendatior est Ecclesia, quæ Messiam hunc vidit, ut ita loquar, quando non vidit eundem; ipsum fidei oculis melius vidit, quam synagoga oculis corporis: ipsum absentem vidit, cum synagoga ne quidem præsentem eundem viderit, unde de populo Christiano David scripsit: *Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Quid est in auditu auris?* interrogat S. Augustinus, & respondet, *quia non vidit, viderunt Iudæi, & crucifixerunt; non viderunt gentes & crediderunt.* Et S. Bernardus hanc tantam Hebræorum cœcitatem hisce verbis reprehendit: *Non fuga Dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum bestialem hanc hebetudinem ab eis depellere quivit.* Hæc stupenda opera, nova illa miracula, illa nunquam alias visa prodigia, omnem cœcam obstinationem debebant vincere atque convincere, quia uti affirmat S. Ambrosius: *In operibus IESVS videtur. Video IESVM, & non viderunt, qui viderunt.* Ps.17. v.45. Aug.in Psal.17. Bern.in Cant. Ambr. in Luc.

25. Ultimo fides Hebræi inconstans fuit, cum ea quæ est Ecclesiæ firma sit & imperturbata. *Quoties exacer-* Quinta differentia.

baverunt eum in deserto, dicebat Rex sanctus. Quoties ipsi extiterunt ingrati, beneficiorumque receptorum immemores? quoties loco eius, falsos gentilitatis adorarunt Deos? unde S. Greg. Papa Hebræos locustis merito comparavit, super illum Matthæi locum scribens: *Esca eius erant locustæ.* Animalculum enim istud in aera quidem levatur, sed subito ex aere deorsum recidit: salire videtur in cœlum, mox tamen inde in terram se præcipitem agit. Talis erat Hebræus, quæ videbatur quasi in cœlum dirigeretur per sacrificia & cæremonias sacras, mox tamen iterum in terram per idololatriam corruit: *Subitum saltum dantes, sed protinus ad terram cadentes, &c. Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem, & casum per actionem.* Estque res planctu dignissima, videre, quanta cum pietate Deo quondam servivissent, venerabiles illi Patriarchæ, impiorum adeo filiorum radix, & turpis ac adeo brutæ progeniei origo; unde optime S. Ambrosius de synagoga verba illa Salomonis intellexit: *Ostende mihi quem dilexit Anima mea*, ita namque S. Doctor legit, secundum lectionem septuaginta interpretum; atque in illa verba ita eloquitur: *Cur quem dilexit anima mea, dicit, & non quem diligit? cur dimisisti quem tenebas: dilexisti patrum fide, amisisti incredulitate: Tenebas charitatis vinculis, amisisti longo fune perfidiæ*: Tu illum possedisti per fidē, ipsum vero tibi perfidia sustulit; quando credidisti tuus erat, tibi vero ablatus est mox ut incredulus factus es. Religio donavit illum tibi, tibi illum rapuit impietas. Unde Hebræus est stultus ille, à

Greg. lib. 31. Moral. Matth. 3. v. 4.

Cant. 3.

Eccli. 27. v. 12.

sapiente descriptus: *Stultus ut luna mutatur. Modo plena*, inquit S. Bernardus, *modo exigua, modo nulla videtur, mutatum siquidem lumen nunquam in eodem statu permanet, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet.*

26. De Christianismo vero econtra intelliguntur illa eiusdem sapientis verba, eodem in loco, *Sanctus in sapientia sua manet sicut Sol.* Hebræus est sicut luna; Christianus autem sicut sol, ille mutabilis, hic invariatus; ille desertor fidei, hic semper fidelis: *Et permanebit cum sole*, dixit Rex sanctus, permanet enim cum sole sapiens, interpretatur Ambrosius, *cum constantia fidei permanet cum Salvatore.* Ideoque idemmet S. Ambrosius dicit, Christianismum in Patriarcha Zabulone repræsentatum fuisse, qui eo tempore, quo alii navigiis sese committere, atque discretioni maris, quod nullam habet discretionē sese exponere debebant, ipse firmus manebat in littore, ne inter tempestatum vicissitudines periclitaretur salus eius: *Zabulon iuxta mare habitabit, ut videat aliorum naufragia, ipse immunis periculi, & spectet alios fluctuantes in freto istius mundi, qui circumferuntur omni vento doctrinæ; ipse fidei radice, immobilis perseverans; sicut est sacrosancta Ecclesia radicata, atque fundata in fide, spectans hæreticorum procellas, & naufragia Iudæorum, quoniam Gubernatorem quem habuerunt, abnegarunt. Circa fluctus quippe habitat, nec fluctibus commovetur.* Hæc est Ecclesiæ ingens fœlicitas, quod ipsa hæreticorum Iudæorum videat naufragia, nunquam tamen naufragari sit visa; testis est periculi alieni, sed sine periculo, dumque infide-

infideles in mari incōstantiæ fidei perdunt divitias, ipsa in stabilis cuiusdam firmitudinis littore, legalitatis suæ thesauros bene custoditos conservat: *Circa fluctus habitat, & fluctibus non commovetur.*

27. Atque ô fœlicem, ô Christiane sortem tuam, si fides, si pietas, si religio tua à Christo velut ab imperfectis atque debilibus synagogæ virtutibus diversa, valdeque differens laudari possit. Si opera tua vera fuerint, atque realia, non vero simulata tantum & apparentia, purè pro Dei honore facta, non vero pro sordido interesse tuo: non mollia & effœminata, sed generosa atque virilia, à veracis doctrinæ luminibus manuducta, non vero inter voluntarias affectatæ ignorantiæ tenebras errantia, stabilia & permanentia usque ad mortem, non vero inconstantia atque mutabilitatis levitatisq; ventis exposita. Recordare ô magnæ huius scholæ discipule, sanctissimum Magistrum tuum, te ad non minorem perfectionem æmulandam hortari, quam sit illa perfectissimi Dei absolutissima perfectio, dum inquit: *Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est.* Ab hoc licæo relegatum est omne in amando frigus, omnis in aggrediendo tepiditas, omnis in operādo negligentia. Et sicut Deus cui servimus, omni prærogativa & perfectione plenus est, ita quoque servitutem nostram, totaliter vult completam esse, atque perfectam. Apage, apage sit à nomine Christiano stulta puerilitas Hebraica, quæ suum se existimabat complere debitum, per limitatam adeo scientiam, per adeo debilem conatum, per languidos adeo affectus, per brevem adeo succinctamque devotionem. Optarem te memorem, ô Christiane, sententiæ illius Gregorii Papæ, qua inclamabat omnes tepidos laxatosque Christi discipulos: *Ecce vox omnium Christum clamat, vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt.* Si nomine tenus es Christianus, fac sis factotenus similiter; si Deum vocibus sequeris, sequere eundem & moribus. Si Hebræi tibi displicet perfidia, tibi quoque vita displiceat immorigera, quæ ad perfidiam illum perduxit: Denique si modica tibi non sufficiat retributio, qua contenta est synagoga, cura ut ex omnibus viribus tuis æternа quæras gaudia quibus recompensatur virtus Christianissimo propria.

Matth. 5. v. 48.

Greg. ho. 19. in Evangel.

CON-



CONCIO III.

In Feriam VI post Cineres.

THEMA.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Matth. 5. v. 44.

ARGUMENTUM

Amandus est inimicus, quoniam is qui id præcipit est Dominus, sapiens, Benefactor, Auxiliator & amoris illius causa exemplaris.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Christus docuit mundum amare, amor est summa Evangelii, eius descriptio & effectus. n. 1.

Synopsis concionis. ib.

Prima ratio. *Diligendi inimici, quia qui id præcipit Dominus est, nos autem servi eius n. 2.*

Servitutem suam erga Deum S. Gregorius Naz. profitetur. *n. 3.*

Fluctuum maris & tempestatum obedientia, quæ nos hanc virtutem edocet. n. 4.

Obedientia Abrahæ ad sacrificandum filium suum. Præcipit nobis Deus ut filium spurium scilicet iram occidamus. n. 5.

Secunda ratio. *Christus qui præcipit dilectionem inimicorum est sapiens. Illius sapientiæ in gubernatione mundi descriptio. n. 6.*

Reverentia discipulorum Socratis erga Magistri doctrinam. Generositas Chrysanti à sanguine abstinentis ad imperium regis, sicut & militum factionis Cinnæ ad verbum Antonii Christianos qui parcere nolunt rubore suffundere debet. n. 7.

Consolatio Iob in calamitatibus hæc erat sicut Domino placuit ita factum est. *num. 8.*

Fallaces vindicat morum prætextus, omnes creaturæ Deo obediunt excepto homine. ib.

Mundus pro Magistro non eligendus qui tam nociva habet Axiomata, & in omni statu divisionem ponit. n. 9.

Qui præcipit inimicorum dilectionem est benefactor. n. 10. Tertia ratio.

Principes terreni inter alia sibi reservant ferarum

ferarum venationem, sic Deus sibi vindictam quæ est ferarum venatio.nu.11.

Emphasis hujus verbi, vobis, & pulchra paraphrasis.

Magna quæris & parva non expendis, docte Cyrillus.nu.12.

Gratitudo David pro tantis à Deo receptis beneficiis, his exprimitur verbis calicem salutaris accipiam. *Ambrosii* explicatio.nu.13

Quod lingua dixit David, hoc opere exercuit erga Saul. nu.14.

In hac spelunca in qua David, Sauli pepercit, ipse David obtulit sacrificium & quomodo.nu.15.

Hoc generosum David facinus maximam Christianis causabit confusionem. 16.

Quarta ratio. *Qui dicit diligite inimicos vestros; tanti operis est etiam adjutor*.nu.16.

Diligere amicos est producere fructum in tempore suo, at inimicos in tempore non suo; maledictio ficulneæ. ibid.

Cor vere Christianum assimilatur altari Incensi & quare.nu.17.

Tres pueri non comburuntur in igne Babylonico & quare. nu.18.

Obedientia Abrahæ in dimittenda patria.nu.19.

Vocat Christus Sponsam de cubilibus leonum, &c. Id est de victoria passionum. numer.20.

Quinta ratio. *Exemplum ipse dat, sustinendo patienter multa tormenta*.nu.21.

In cruce pendens Christus pro inimicis orat.nu.22.

Vindicari vis? vide, pendentem audi precantem. *Efficax Aug. monitum*.n.23.

1. IMpossibile erat, ut aliquis melius, quam ipsemet amor, mundum omnis amoris expertem, artem doceret amandi. Bonus amoris Magister est is, qui amat; bene amare docet, qui amans est: fœliciter monstrat amorem, qui essentialiter amor existit. In mundo, qui nesciebat amare, perditum quasi totaliter erat amoris exercitium, nisi Christus, verus & æternus amator dignatus fuisset nos leges docere veri amoris. Ardentissimus hicce amator, amoris vi compulsus de cœlo descendit, ut infimam hanc terram, quæ amore totaliter destituta erat, doceret amare. Ec quę enim amoris leges servari poterant inter illas tam turpes proprii commodi quæsiti sordes? aut quæ benevolentiæ flamma vivere potuisset, in illo algentissimo inveteratorum adeo pertinaciumq; odiorum gelu? aut quæ pietatis scintilla, in tantæ incivilitatis, atque inurbanitatis medio inveniri potuisset? de cœlo fœlicissimorum videlicet amatorum patria, venit cœlestis ille divinusq; ignis, indeque à Christo, in hanc terram nostram delatus est, ut hæc tandem aliquando fœlicissimi illius superni climatis edisceret mores, qui in amare amarique consistunt: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Pulchra flamma, quæ non consumit, sed perficit; non denigrat, sed exornat; non annihilat, sed extra nihilum collocat: In cœlo nata, educata inter Seraphinos, atque in ipsiusmet Dei pectore enutrita. Hic amor est omnium Scripturarum compendium; Hic summa est Evangelii totius; Hæc est Christianæ perfectionis Regula: Hæc est discipulorum Domini tessera: Hæc est forma cunctarum virtutum: Hic est finis totius legis. Hic est incar-

nati verbi scopus. Absque cujus Societate, virtutes in vitia degenerant, Sanctitas convertitur in Hypocrisin, atque suavis filiorum lex, in gravissimum commutatur servorum jugum. A te igitur amatore æterno, semper audiantur à nobis præcepta amoris, tu namque es sapientissimus expertissimusque illius Magister: Ex ore tuo cœlesti, nova hæc, mundoque hactenus inaudita Dilectionis inimicorum dimanet Philosophia, atque in perfidæ Synagogæ despectum sacrilegas introducentis traditiones, contrarium ipsa docere audeat. Ad summum Politicorum reprobæ terræ istius fastidiū, qui mille stultorum prætextuum tenebris, veritatis lucem cooperientes, adversus illatas injurias persuadere student vindictas: ad confusionem temeritatis illorum, qui infinitā tuam culpantes sapientiam, stultè affirmarunt, impossibilem esse legis alicujus adeo asperæ & rigorosæ observantiam, magnum hoc tuum resonet oraculum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Non est quod alias, à me hodie in veritatis istius confirmationem, expectetis rationes, præterquam eas, quæ intra brevissimam hancce sententiam reclusæ consistunt: *Ego autem dico vobis.* In qua divino auxiliante favore vivacissima ac solidissima reperiemus argumenta, tum ex parte CHRISTI docentis nos amare, tum ex parte discipulorum amoris leges addiscentium. Ego, inquit divinus hic Legislator, qui excelsus & sublimis sum Dominus, dico vobis, qui humiles servi estis. Ego, æterna atque infallibilis sapientia, dico vobis, cæcitate atq; insipientia plenis. Ego, qui tanta vobis contuli beneficia, dico vobis, tot à me modis beneficiatis. Ego, qui debilitatem vestram, per gratiam meam corroborare novi, dico vobis, qui post acceptum à me robur, velut insuperabiles facti estis. Ego deniq;, qui in persona mea exemplum exhibeo, dico vobis, qui me vobis semper ob oculos defixum habere debetis.

2. Et primo quidem: *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros,* quia Dominus ego sum, & tanquam talis, hanc à vobis posco servitutem, idq; sub gravissimæ indignationis meæ pœna. Quicquid servus possidet, id totum ex jure & dispositione legum, est Domini sui, qui sibi illa jure appropriare, eaq; tali ea quę sibi magis collibuerit ratione usurpare potest. Ne igitur mireris, si Deus, qui absolutus non corporis duntaxat, sed etiā animæ est Domin⁹, nullo alio fine, quam ad suum exercēdum Dominiū, & probandā fidelitatē tuam dispenat ut tibi facultates tuæ à persecutore rapiātur, tua tibi à malevolo cōtrectetur auctoritas, fama denigretur, aut ab æmulo traducatur honor, data tibi fides negetur à perfido, aut vitæ tuæ insidiæ struātur ab inimico. In hisce namque casibus omnibus, fidelis quilibet, cum S. Propheta ad Deum converti debet, dicens: *Servus tuus sum ego*, idq; non per modum Cæremoniæ, aut certo quodam communi loquēdi modo, inter homines passim usitato, sed ex vero corde, synceroq; affectu, qualis erat ille Davidis, valde ab illis remoti, qui, à veritate convicti, coacti à ratione, Domini quidem se servos esse profitentur, nihilominus cum pro libitu atque

Prima ratio.

Psal. 118. v. 125.

que arbitrio suo vivant, nihil ex iis quæ ad servum pertinet, reliquum habent, quam purum & solum nomen; *caterorum professio fallax est*, bene monet S. Hilarius, *quæ cum habeat conscientiæ necessitatem, non habet tamen Confessionis veritatem.* Quomodo enim sine mendacio dicere poterit: ***Servus tuus sum ego***, is, qui se nequaquam accommodat, ut irascibilem sui potentiam, secundum præceptum Dei dirigat? Ut Choleræ, sive iracundiæ fervorem, conformiter ad Evangelii legem extinguat? Ut aures atq; os suum inter injurias occludat, veluti id sanctissimi crucifixi nos erudiunt doctrinæ? is inquam, qui justissimum Christi interdictum pedibus suis conculcans, in despectum omnis debitæ paritionis, stomachatur de injuria, ad vindictam accurrit deque inimico se suo ulciscitur? *Hic* (subjungit Hilarius) *si dicat servus tuus, sum ego profitetur quidem quod est, sed agit quod non est.*

Hilarius in Psal. 118.

3. Accidit Gregorio Nazianzeno (qui utpote homo, humanum quid etiam nonnunquam perpeti necessum habebat) motus quidam primo primus, seu subita quædam tentatio, sese à pura Dei voluntate nonnihil eximendi, aut saltem illam ad suum privatum trahendi arbitrium atque intentionem, unde nollem ego ô Domine inquit Theologus, ut tanto me contrarietatis onerares pondere, ut inde opprimerer, sed neque tam levis aut exoneratus totaliter esse vellem, ut à minimo fœlicitatis vento, in diversa raptarer; Opto equidem moderatæ alicuius adversitatis aculeo suaviter à te stimulari, non tamen amo nimis acerbæ miseriæ ferro ad vivum usque transfixus esse; Non quidem cum truculenti alicuius persecutoris barbarie certare subterfugio, si tamē est ita possibile, non sit is gigas aliquis, sed nanus & pygmæus, debilibusque viribus meis proportionatus. Displiceret etenim si à paterna providentia tua adeo rigorosè, cumque pressura tam ingenti curarer ut inde aliqua mihi in tuo servitio subnasceretur nausea & tædium: nec tamen minus dolerem, si lucra seu interesse & emolumenta mea summa cum dissimulatione & indulgentia à Maiestate tua negligerentur, ut inde aliqua mihi in via virtutum subnasci posset inertia, aut in tuorum observantia præceptorum negligentia.

In Car. ad Dia immor.

Nec prorsus me sperne Pater, nec frange labore
Nec me merge malis, nec mihi fræna nega.
Punge precor stimulo, non hasta, ne vel onustum
Immodice, aut vacuum me maris unda ferat.

Postulabat Dei servus uti homo, id quod à multis rogari videmus hominibus: attamen velut vere obediens atque in divinam resignatus voluntatem, mox motum illum primo primum ab humana sibi fragilitate suggestum correxit, subiungendo:

At quid ego leges statuo tibi, maxime Divûm:
Sum tuus, ut libeat, me bone Christe rege.

Quasi dicere vellet: Valde dedecet quod ego servus tuus tibi præscribere leges connitar, qui tot adeo evidentibus titulis meus es Dominus: aut quod

ego à brevi meo directus visu, plus videre contendam, quam immensa tua sapientia videat. *Servus tuus sum, tuus* Insurgant contra me horridissimæ maris procellæ, tempestatesque crudelissimæ: Horribiles ac terrore plenissimæ decidant de cœlo sagittæ, ego enim uti fidelis servus tuus, servitio tuo caput meum inclinans, dicam & repetam: *Sum tuus, ut libeat, me bone Christe rege.* Contra personam meam, illi à quibus id minime expectabam, conjurent; sive cognati impii & infideles, contra sanguinis vinculū: aut contra amicitiæ leges, amicus traditor; aut inurbanus concivis contra civilitatis ac viciniæ pragmaticas, ego tamen alium non revolvam cogitatum in corde, nec aliud versabo verbum in ore, quam istud: *Sum tuus, ut libeat, me bone Christe rege.* Iniquam quoque mihi litem moveat, omnis conscientiæ ac timoris Domini expers Advocatus, atque per apertam violentiam aut emētita allegata, ex antiqua paternæ hæreditatis me possessione exturbet: inter hæc tamen adversa, unicum mihi solatium erit intelligere, totum istud divinum tuum esse beneplacitum; ideoque cum pace ac tranquillitate cordis, idem semper replicabo: *Sum tuus, ut libeat, me bone Christe rege.* Quod si ibidem in publicis me plateis videro contumeliatum, aut ex communitatibus; seu collegiis velut vituperosum & infamem, à quocunque demum proscriptum, atque ejectum, tuæ tamen justissimæ voluntatis conscius, reiterabo semper, & dicam: *Sum tuus, ut libeat, me bone Christe rege.* Quod si etiam vitæ meæ struxerint insidias, atque ex capitali ac vatiniano odio, ad contemptissimam ac turpissimam, quæ unquam inaudita sit, mortem quæsitus fuero, nihilominus non cessabo dicere: *Sum tuus, ut libeat, me bone Christe rege.* In summa denique tametsi me uno eodemque tempore, omnibus injuriarum generibus viderem onustum, in auctoritate videlicet, in honore, in reputatione, in parentibus, in sanguine, in facultatibus, in vita, semper reiterabo lingua, & corde ruminabo, auream illam sententiam:

Sum tuus, ut libeat, me bone Christe rege.

4. Vidistisne aliquando, dicite sodes, iratum mare, quod furiosas vndas suas, veluti selectum militiæ ordinatissimæ exercitum, nunc in littus impellit, videturque terribiliter comminando integras suo sibi dominio subdere velle regiones & campos? Et tamen mox ut ad terarm appulēre fluctus illius, haud aliter, quam si in humilibus arenis istis Dei legisset præceptum, qui ut Tertullianus inquit: *Fines littoribus conclusit, quo cum fremens fluctus, & ex alto sinu spumans unda venisset, rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet, servans jura præscripta;* veluti audaciæ & temeritatis suæ pœnitens reditum parat, & quasi violentiam sibi inferens, semetipsum repellit contra seipsum, nec palmum quidem terræ, ultra concessa sibi confinia occupans, *ut divinas leges,* subjungit Tertullianus, *tanto magis homo custodiret, quanto etiam illas elementa servassent.* Eccur igitur ab hoc monstro obedientiam non discimus, quod nullo ad audiendum sensu præditum obediendi tamen habet promptitu- Tertullianus lib. de Trinit.

ptitu-

Hieron. in Psal. 144. ptitudinem? *Tempestates*, inquit S. Hieronymus, *verbum Dei faciunt, & tu non facis.* Obedit mare, & non obedit homo: Marinæ frementis frangitur impetus, & cordis exacerbati ira non rumpitur. Violentiam sibi Elementum facit, ut Dei exequatur voluntatem, & tu ad magnam istam vocem, ne quicquam moveris, qua tam expresse dicitur tibi: *Diligite inimicos vestros.*

5. Verum enimvero, quod si ab insensato mari obedientiam verecundaris addiscere, ab Abraham saltem Patriarcha illam edocere, hoc est, à corde illo sapientia devotaque promptitudine plenissimo. Stetit Religiosus iste senex accinctus, ut manus suas in proprii filii sui vitam inferret, quia ita id ei Deus præceperat. Et tamen omnibus id mundi legibus contrariari videbatur. Legi nimirum Naturæ, quæ tantopere sanguinis horret effusionem: Rationi, quæ innocentem occidere vetat: Pietati paternæ, quæ velut proprium reputat omne amatæ prolis malum: Constitutionibus populorum civilibus, quæ virtuosum civem honorari, non damnificari præcipiunt; Ipsiusmet denique cœli legibus, nec non & ejusdem Dei promissionibus, quippe Senecio ille in juvene isto omnes vinculis stringebat eidem juveni de cœlo factas benedictiones, omnesque munificentiæ suæ gratias. *Et tamen* (sunt verba Chrysostomi) *justus ille id facere jussus, non curiose de mandato sciscitatus est, sed mandantis dignitate perpensa, mandatum admisit.* Oblitus est pientissimus Patriarcha, se Patrem esse, ne se servum esse oblivisceretur; & ut inquit Hieronymus, dum manum Deo armat, filio pietatem negat, neq; ad judicandam facti illius atrocitatem oculos habet, dum totus fit oculus, ad venerandam præcepti illius Majestatem. *Qui filii sui, dum manum Deo armat oblitus est; & in præcepti respiciens Majestatem, atrocitatem operationis non dignatus est retractare.* Præcipit tibi Deus ô Christiane, ut tu Filium aliquem occidas, sed Filium quendam spurium & adulterinum, Filium inobedientem & contumacem, Filium vitæ Animæ tuæ insidiantem, teque gloriæ hæreditate exuere volentem, id est, indignationem, iram & rancorem Animi tui: Noli ergo quærere aliud, sed occide illum prout præcipit tibi Deus, atque sancti hujus Patriarchæ sequere exemplum, qui *in præcepti respiciens Majestatem, atrocitatem operationis non dignatus est retractare.*

Homil. 7. in Epist. ad Rom.

Hieron. Epist. de Virg. ad Demetr.

6. Verum inquies fortasse Dominus iste, insipiens aliquis forte est Dominus, parumque prudens, qui in suo forte deluditur regimine, & de quo periculum est, ne iniquis legibus suis, suos opprimat vasallos? Ideo inquit: *Ego autem dico vobis.* Ipse Patris est verbum, magni Consilii Angelus, in quo omnes thesauri Sapientiæ Dei repositi latent, qui nec decipi valet, nec decipere volet, Candor sine nævo, lux sine tenebris, intelligentia sine erroribus, Regula sine defectu: Cujus infallibile Magisterium Angelos docet, nec possunt errare; illustrat beatos, & Dei mox vident essentiam: Docet Pastores, & Prophetas facit; Cœlis assistit, suntque regulatæ semper ipsorum periodi: superintendit mundo, estque illius ordo semper invariabilis; Regit Secunda ratio.

Elementa, estque prompta semper ipsorum opera, moderatur anni tempora, suntque illorum semper certæ vicissitudines: gubernat tempora, manetque semper indefessus illorum cursus; conservat animalia, & propagantur semper, fœcundat agros & fœcundi ac uberes sunt semper; vocat creaturas ex nihilo, & obediunt semper. Hic est ergo ille qui dicit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Ego qui artem habeo tam mirabili cum dispositione ingens istud fabricandi Palatium, & eiusdem contignationes novi tam pretiosis exornare gemmis, aerem velut vestem Attalicam Maiestate plenissimam in illo extendere, solum terrenum tam pulchris segmentare mixturis, sylvas ac prata, tam elegantibus sternere peristromatibus, atque cortinis, aquas tam firmos intra aggeres claudere, multiplicare in tot arborum fructibus sapores, tot mineras metallis locupletare, animalia tam variis atque stupendis dotare proprietatibus; & super hæc omnia hominem operum meorum elegantissimum florem, omniumq; mirabilium meorum miraculum formare. *Ego autem dico vobis.* Ego qui per falsam fidem nunquam delusus fui, nec seductus à deviis, nec persuasus à mendaciis, nec ab inadvertentia præventus nec obfuscatus ab erroribus, nec ab oblivione superatus. Ego denique qui veritas sum per essentiam, & consequenter ex necessitate rectus in iudiciis, in consiliis infallibilis, verax in dictis; Ego inquam sum ille novæ huius doctrinæ Magister, qui inimicorum vestrorum amorem vobis inculco & benevolentiam. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* O magnum argumentum ad quodvis cor durum vincendum & convincendum! Dixit hoc æterna veritas: Dei verbum idipsum promulgavit; præcepit id æterna Patris sapientia. *Mihi*, aiebat Gregorius Nazianzenus, *est pro omni ratione apud summam illam rationem, nihil fieri sine ratione.* Nazianz. orat. 5. Aliam pro veritate ista nolo rationem, sed sapientis adeo Magistri authoritas pro omni ratione mihi est. Meliorem non requiro probationem, quæ in magna hac Christianismi doctrina me confirmet, sed ad hanc unicam probationem reducuntur omnes, quod videlicet Dei filius id præceperit. Aliam ad me in nova isthac lege stabiliendum firmitudinem non desidero, omne namque stabilimentum meum in hoc consistit, idipsum veram Christi esse doctrinam qui dicit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.*

7. Erubesco dum reminiscor illius quod recenset Tullius, videlicet; Socratem tantam sibi apud discipulos suos conciliasse authoritatem, ut postulati ad dandam de Magistri sui doctrina rationem, aliam non responderint, præterquam: *Ipse dixit. Tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret authoritas.* Cicero lib. de Nat. Deorum. O ingentem Christianismi confusionem! Eccur ergo, nos tantam non attribueremus authoritatem Christo Magistro nostro, quantam Socratis discipuli ipsi tribuerunt? Eccur apud nos illa tam authoritativi atque digni præceptoris tanti non valeat authoritas ut pro omni & quacunque valere

possit

possit ratione, dicamusque & nos: *Ipse dixit?* Erubesco cum apud Xenophontem lego, generosum illum militem appellatum Chrysanthum, tantis à Dario Rege extolli præconiis, qui cum strictum in manu sua ensem habens, stansque super prostratum in terram inimicum, signa receptui militari dari perciperet, ea fuit præditus generositate, ut cordis sui refrænaret iram iam de reali vindicta sumenda securus, & brachii sui sisteret impetum iam certus de victoria, Triumphi quoq; coerceret desiderium quo iam per extremam sui validitatem potiri licebat, hæc æterna memoria digna verba pronuntians: *Melius est Imperatori parere, quam hostem interficere.* Vindicativi dextera sua gladium tenent, suntque ad iracundiam atque vindictam admodum prompti, passim ab iræ vehementia sanguinisque fervore incitati vociferari audiuntur: Dat interea Christus ore suo proprio signa receptui, dicitque: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, nec tamen auditur? Ergone illi qui omni cum humanitate & clementia in schola Christi sunt educati, à barbaro aliquo in ratione obediendi superabuntur, & non cum milite illo dicent: *Melius est Imperatori parere, quam hostem interficere?* Confundor certe & iusto dolore crucior, dum militum illorum de factione Marii & Cinnæ recurrit recordatio, qui in procinctu cruentum aliquod civium macellum faciendi stantes evaginatum iam tenentes ensem, illum in inimico tincturi sanguine, eoque cum impetu currentes, quo furor illos militaris rapiebat, mox tamen ad primum verbum quod Antonius ad ipsos ingrediens proferebat, velut immobiles & incantati stabant, gladiosque suos sanguinis sitibundos in vaginam recondebant. *Sermone eius stupefacti, districtos iam & libratos gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt.* Et non sufficient benedicti Redemptoris verba, dicentis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, ad ligandas vindicativorum manus? ad frænandam iracundorum commotionem? ad indulcorandam frementis pectoris amaritudinem?

Xenoph. in Pæd.

8. Erat hæc tribulati Jobi in magnis suis calamitatibus unica consolatio, quando dicebat; *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* q. d. Sic Domino placet, sic quoque servo placere debet, Deus, summa illa Sapientia hasce meas vult ærumnas; igitur & homo illas bene velle debet in tantæ insipientiæ tenebris? à simplici discipulo dirigi debet oculus ad sapientis adeo Magistri doctrinam, non vero ad stulta proprii cordis dictamina. *O virum ante Evangelium Evangelicum* (exclamat hic merito Hieronymus) *& Apostolicum, ante præcepta Apostolica discipulum Apostolorum.* Ecquid ipse plus fecisset, si verba percepisset Evangelii? Si vixisset cum Apostolis? Si eousque pervenisset, ut magnam hanc Doctrinam passim per omnia mundi loca videre potuisset dispersam? *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.* Abeat nunc vindicativus & dicat; impossibile esse tam indomitæ passioni & violentiæ, qualis est irasci-

Iob. 1. v. 21.

Hieron. Epistola ad Demetriadem.

irascibilis, aliquam fieri posse resistentiam. Adferat nunc Politicus pro inobedientiæ suæ pallio, esse hoc vindictæ desiderium, humanum quendam affectum, nostris pectoribus à Deo & Natura insitum. Excuset piger suam inertiam per pravam affectuum nostrorum inclinationem, per corruptionem ex peccato in omnem hominum generationem introductam. Obstrepat mundanus, nolle vindictam prosequi, rem esse abjecti vilisque animi. Replicet Nobilis toties sibi lædi honorem, quoties se de recepta non ulcisci-tur injuria. Pro sui defensione adducat leges sine lege Duellistarum, atque mundanæ nobilitatis rationes ratione carentes, ego profecto aliam non adducam rationem, præterquam illam: *Ipse dixit: Ego autem dico vobis.* Hoc est, potentissimum illud Prophetæ verbum: *Dixit & facta sunt*, quod fuit, & est auditum atque opere impletum à toto universo, sola Creatura rationali excepta. Dic sodes mihi nunquid cœli in motibus suis sibi sunt contrarii? & tamen omnes juxta Dei voluntatem ad mirabilem quandam stupendamq; conspirant harmoniam. An non Elementa quoque quoad motum, situm, qualitatem valde diversa sunt? & tamen ad magni illius Architecti præceptum, conjunctim ad universi concurrunt conservationem. Homo iste similiter annon intra se quoddam dissimillimorum atque discordium humorum continet chaos? & nihilominus pulcherrimum hocce mixtum, id quod singularis sapientum est stupor, per concordissimas illas formatur discordias. Eccur totum istud? nisi, quia *ipse dixit & facta sunt, præceptum posuit & non præteribit?* An non ergo dicere Psal. 148. v. 5. & 6.
Dei, quod ad conciliandum sempiternæ confœderationis vinculum cogere potest cœlos & Elementa corpora simplicia & mixta, Animalia, & mundum universum, an non inquam dicere illud Dei ad sopiēdas hominum discordias, eosque in veram quandam pacem constringendos sufficiet. Hæc est justa illa D. Hieronymi admiratio, qui dicit: *In Cœlo præceptum Dei servatur, & in terra non servatur. Totus mundus Deo servit, & præceptum ejus meminit, & homo solus non meminit.*

9. Cum sapientissimo isthoc Consiliario, ô quisquis es sæculi istius nobilis, de excellentibus adeo Materiis tractandum tibi est, non vero cum stulto mundo, qui inter tot ignorantiæ tenebras, sequacibus suis, nil nisi quod pessimum est, suggerere novit. Tune, ô Christiane, eligere voles mundum in Magistrum, qui lapides pro Deo docuit adorare; delitias habere pro ultimo fine, rerum temporalium copiam, fœlicitatem æstimare; infœlicitatem alienam proprium interpretari lucrum; qui insidias struere proximis, pro continuo habet exercitio; fratrem persequi, pro negotio ordinario: supprimere innocentem, magnificentiam reputat? Mundum, qui murmurationem, civilitatem reputat: Mendacium, morum elegantiam: Adulterium, honestatem: Adulationem, veritatem; Perjurium, necessitatem; injustitiam, convenientiam, sive decentiam; vindictam, obligationem? Mundum, qui non nisi crudelitate & barbarie pascitur; qui non nisi homicidiis gaudet, san-

sanguinisque effusione; non delectatur, nisi iurgiis & discordiis; qui in omnes status, cunctasque professiones, sua seminavit zizania; inter Principes bella; discordias inter populos; inter familias & domos, litigia; opinionum dissidia inter sapientes; inter sponsos zelotypiam; inter pares invidias; insidias inter æquales? Eheu me! dicam cum S. Gregorio: *De causis vitæ, consilium à fautoribus mortis quæritur!* Tales causæ, non in mundi aulis & curiis tractantur, sed in Evangelii tribunalibus; Non determinantur puncta tanti momenti, per statuta huius sæculi, sed per cœli leges deciduntur; non est reperibilis in mundo, qui ad scholam Christi manuducat: plurimi econtra qui ad Antichristi scholam deducant, reperientur.

Epist. 33.

10. Hisce adde, Christum non solum Dominum esse, nec Dominum duntaxat sapientem, sed & bene de nobis meritum, qui tantas nobis contulit gratias, ut illarum quidem gaudeamus fructu, nec tamen sciamus numerum. An non audis, quid Augustinus dicat, videlicet: *Nulla maior provocatio ad amandum, quam prævenire amando, Nimis enim durus est animus, qui si ultro dilectionem non vult impendere, etiam nolit rependere.* Amabilissimus hic Dominus nos in tot prævenit benedictionibus dulcedinis, ut turpe necessario futurum foret oblivionis monstrum, quod cum tot receperit, negat id quod tam est modicum: *Esto ut aliquis excusare possit, quod non dederit, quomodo excusare potest quod non reddiderit?* inquit S. Ambrosius. *Non dare cuiquam, vix licet, non reddere non licet.* Solent principes, qui se totos pro incremento & fœlicitate vasallorum suorum impendunt, sibi pro rationabili & iusta recreatione & voluptate, venationem reservare ferarum, gaudent enim in sylvis terribilissimarum ferarum consectari vestigia, easdem velocissimo cursu prosequi, propriaque manu conficere sive ferire. Et cum alias regia cum magnificentia permittant populis, quicquid in agris subnascitur, pro seipsis unicum duntaxat venationis retinent ac vendicant tributum. Eodem quoque modo Deus nos omnium rerum constituit Dominos, nobis cœli serviunt & terra, stationes, anni & tempora, campi & maria, volucres & animalia; unico denique verbo Rex sanctus hæc omnia enunciavit cum dixit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*: Veruntamen in magno isthoc, quod nobis donavit, rerum omnium Dominio, solam sibi reservavit vindictam inimicorum; *Mea est ultio, & ego retribuam.* Et prouti sapiens clarè dixit: *Altissimus impiis & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in die vindictæ.* Nolite vos alii homines hoc vobis opus vendicare, ne vobis arrogetis id quod Dei est propriũ. En qualiter istud sapiens ille Rex, omnium virtutum Magister, docuerit, quando dixit Deo: *Domine retribue pro me*, quasi dicere vellet, uti videtur Augustino: Manus meas in persecutores meos non coniicio, nec mihi inimicorum meorum vindictam attribuo, sed hanc tibi relinquo, qui pro tuo tibi reservasti commercio, debitum illis supplicium reddere, qui male servos tuos tractant: *Domine retribue pro me, ego non retribuo, tu retribues pro me, sæviant inimici*

Tertia ratio.

Ambr. lib. 1. offic. cap. 31.

Deut. 32. v. 35.

Ecclesi. 12. v. 4.

Ps. 137. v. 8.

Aug. in Psal. 137.

inimici quantumlibet, tu retribues, quod ego non possum.

11. Fecit æternus Deus, sicut Imperatores terreni faciunt, qui ad remunerandа quorundam equestris ordinis nobilium fidelia servitia, cuiuspiam illis status concedunt investituram, videlicet alicuius Comitatus aut Baronatus, aut Marchionatus, ut vero huius gratiæ factæ æterna supersit memoria, atque ad singulorum veniat notitiam, ipsos altum status illius ab ipsis habere Dominium, volunt sibi quolibet anno rapacem præsentari falconem, quo dono is se nobilis honoratum confiteatur servum, & supremi Domini feudatarium. O liberalissime Domine, qui hanc mihi præstare dignatus es gratiam, ut me locupletissimo isthoc vitæ humanæ statu honorares, in quo tot sunt thesauri, bonaq; tanta, libertas, scilicet, intelligentia, discursus, præteritorum memoria, providentia futurorum, scientiarum capacitas, habilitas artium, solertia negotiorum, sensus ad respirandum, ad operandum membra, propugnacula ad se defendendum, vires ad discendum, ad gubernandũ prudentia. Quid tu igitur pro florentissimo hoc statu ô Domine, in servitutis nostræ recognitionem postulas, præterquam hunc nostrum nostræ partis irascibilis falconem? *Mihi vindicta & ego retribuam.* Idque est quod David Rex monebat: *Desine ab ira & derelinque furorem.* Hoc est tributum illud quod à te solvendũ est Deo, modo velis ut is te in pacifica nunc ssi tibi feudi relinquat possessione. Nunquid sapientem audis, terribili hac comminatione te terrefacientem; *Homo cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* Nunquam amabilissimum hunc Dominum habebis propitium, si tu extrema cum ingratitudine, debitum illi rustice usurpes tributum. Quanta tibi dedit, & quam modica à te expostulat? Si modicum deneges, dignus es qui multo priveris. Æquum omnino erit, ut multum des illi, qui multum donavit, quod si tamen id tua tibi non permittit paupertas, ut multum dones, ad minus modicum non deneget ipsi tua ingratitudo. *Homo cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à Deo? quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum, cum retentione? quomodo placabit patrem iratus in fratrem?* inquit Tertullianus. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

Ad Rom. 12. v. 19.

Ps. 36. v. 8.

Tertullian. lib. de orat. c. 5.

12. At vero nostine, quænam in verbo illo *vobis* lateat emphasis & energia? Ausculta & ad obediendum te præpara. Vos qui quicquid estis, quicquid habetis, quicquid speratis, quicquid amatis, quicquid desideratis, totum id Dei tribuere debetis beneficio. Vos quibus liberalis adeo extiti, in infinitis gratiæ & naturæ donis, spiritualibus & corporalibus, modernis & antiquis, præsentis vitæ & futuræ, hanc mihi liberalitatem condonatione inimicorum vestrorum exsolvite. Vos qui debitores mihi in tot peccatis estis, quæ contra legem meam, contra honorem meum contra personam meam commisistis à tam enormibus debitis vestris, modica hac vos benevolentia redimite; vos qui per gratiam meam in hanc sectam vos inseruistis, atque in

novæ

novæ possessionis huius album vos adscribi fecistis meritoque discipulos vos meos esse gloriamini, hoc ipsum vos vere ex animo fecisse, per huius discipulatus tesseram, quæ charitas est, etiam erga inimicos exhibita, commonstrate; vos qui tantopere immortalitatem desideratis & gloriam, quique à me sancti paradisi pactas expectatis retributiones, vos inquam illas tam rationabilis obsequii pretio comparate vobis. Vos qui toties, totque diversis titulis iustitiæ meæ flagella promeruistis, debili hac recompensa meo tribunali satisfacere contendite. Vos qui haud immerito ultimum illum terribilissimum formidatis iudicii diem, vestra per obedientiam hanc assecurate consilia. Vos qui per sacrificiorum devotionem Deum me recognoscere debetis, vestram in dilectionis igne mihi sacrificate vindictam. Vos, qui tam accensis desideriis prosperitatem, præsentisque vitæ fœlicitatem cõcupiscitis, per rationabilem mortificationem istam, illam vobis promereamini. Vos qui de similitudine gloriamini divinæ essentiæ, ideoque superbi atque inflati estis, huius aliquod in vobis exhibete specimen divinos imitando mores atque proprietates. Vos qui in hac imbecillitate vestra adeo estis in animo ut plurimum deformes, adeoque conspectu meo indigni ob tot culpas quas in decursu vitæ vestræ committitis, deformitatem vestram, huius quam vobis inculco charitatis pallio cooperire studete. Vos qui servi mei estis, meoque Dominio infinitis titulis in omnibus & per omnia subiecti, efficite ut per huius præcepti mei observantiam voluntatis vestræ compareat promptitudo. Vos qui omni momento mea indigetis assistẽtia, qui sine continuo gratiæ meæ adiutorio vos movere non potestis, qui meo succursu destituti ad primam mox nihileitatem reducimini, meum per amorem inimicorum vestrorum quærite amorem & amicitiam, cuius tantopere estis egeni & inopes. Vos, qui in hac tenebrosa Ægypto infinitis erroribus plena, tot vos inimicis seducere vos volentibus videtis circumdatos, qui ob delicta vestra, tanta mẽtem vestram obfuscatam conspicitis cœcitate & ignorantia, mihi, qui lux sum mundi, creditote, atque quicquid in nova hac lege mea, vobis præscribo, exactè servate. Vos, qui tam ingenti cùm anxietate, amatis honorem & magnificentiam, amplectamini hanc, erga inimicos, clementiæ virtutem, quæ adeo vos in Dei hominumque conspectu magnos efficit atque constituit. Quid igitur ô quisquis es sæculi istius nobilis, quid inquam facis? quid versas in corde? quid in cogitatibus tuis ruminas? vel vis ingentes illos, quos tibi Deus offert, favores, vel non vis? quæris illos, vel respuis? appretiarisne illos, vel contemnis? si non velis illos, cur adeo es stultus? si autem eosdem vis, cur non das, quod adeo est modicum? si non velis, cur Christianismum profiteris? aut si velis eosdem, cur omnem moves lapidem ne habeas illos? si nolis ipsos cur eos petis? aut si illos velis, cur non studes mereri? *Magna quæris & parva non expendis*, dicam tibi cum S. Cyrillo. Eheu quam ingens ingratitudo est, pro donis tam Cyrill. Alex.c.5.

ingentibus, adeo modicam dare nolle recompensam, neque dulce illud Domini verbum audire inculcantis: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.*

13. Vix unquam ex Dei servis, aliquis extitit, Deo pro acceptis beneficiis gratior, bono Davide. Qui proinde semper fere meditabatur, atque deliberando inquirebat, qua ratione aliquam Deo dignam, pro tot receptis favoribus, inveniret retributionem: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* quasi dicere vellet, ut advertit Bernardus: Ad considerandas gratias à Deo mihi collatas, me tum spiritus deficit qui me confortet, tum cogitationes quibus ad veri deferar confinia, aut vires ne in medio cursu deficiam: *Deficit spiritus noster prorsus, deficit in tanta beneficiorum consideratione. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (quærit S. Augustinus) *primo nihil eram & fecit me; perieram, quæsivit me: quærens invenit me, captivum redemit me; emptum liberavit me; de servo fratrem fecit me. Donavit vitam, donavit ætatem, donavit liberam voluntatem, donavit substantiam, donavit ingenium, donavit rationem, donavit scientiam, donavit omnia sua, ut essent tua. &c. quid tibi minus exhibuit, qui seipsum pro te tradidit, & dubitas quod tibi donet vitam suam, qui tecum communicavit mortem suam?* Tot sunt Dei erga me beneficia, ut nec ad illa intelligenda sensum, nec ad eadem enumeranda habeam sermonem, & tamen optarem aliquod habere devotionis tributum, non quidem ut beneficentiæ illius satisfaciam, id namque est impossibile, sed ad minus tam ingenti liberalitati & munificentiæ aliquatenus saltem respondeam. Verum audire quidnam sit illud, quod Propheta sanctus, tum suæ gratitudini, tum prodigiosi adeo benefactoris merito iudicaverit convenientius esse atque dignius: *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* Hic est calix ille, ut opinatur Ambrosius, de quo duobus discipulis Dominus dicebat: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Hic est calix persecutionum, iniuriarum, Calumniarũ, aliarumque amaritudinum, quæ in tot inimicorum ac persecutorum medio, tam sunt frequentes. Tu, ô Domine, omnia facis pro me, & ego omnia sufferam pro te. Gaudium tuum est semper benefacere mihi, meum gaudium erit semper me mortificare pro amore tuo. Tu pro generositate tua, nullum ad peccata mea habens respectum benevolum te exhibes continuo ac liberalem; ego ad reverentiam legis tuæ, ad proximorum meorum minime respiciens iniquitatem iræ atque indignationis cordis mei donativum semper tibi offeram. Ingens est benevolentia tua, quod lentus adeo in suppliciis procedas, quæ meruimus: obsequium meum erit ad vindictas nequaquam esse violentum. Tu tot me debitis oneras, quot beneficia mihi præstas: Ego quantum suffero iniuriarum, tantum debitorum exsolvo. Tu pro me Passionis bibisti calicem, ego pro te calicem persecutionis ebibam. Ego recepturus sum misericordias tuas quæ sunt in cœlo: *Domine in cœlo misericordia tua.* Tu meas quæ sunt in hac terra pro me recipies; quippe intelligo quam verum sit illud Petri

Marginalia: Ps. 115. v. 3. — Bern. de septem miseric. — Aug. serm. 151. de temp. — Idem Aug. lib. 2. de sim. — Ambr. in Luc.

Chry-

Chrysologi monitum, dicentis: *Humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in cœlo misericordia, ad quam per terrenam misericordiam pervenitur.*

14. Porro operæ pretiū erit videre, quam exacte David in factis id observarit, quod in verbis dixerat: atq; ideo si ita placet vobis, libens lubensq; vos in societate S. Joannis Chrysostomi, ad celebratissimam illam perducere speluncam, in qua S. Propheta, una cum capitalissimo inimico suo Saule est cōmorat⁹. Quid hic invictissimum hunc Athletam fecisse existimatis? iacet ibi corā oculis suis adversari⁹ eius, somno totaliter sepult⁹, & quasi mortuus. Occidetne ipsum? sed obstat, quia unctus est à Domino, & princeps est populi electus à Deo? Ergone vivū relinquet ipsum? sed nec hoc expedit, q; si enim vivus supersit, viva pariter remanebit illa omnis pietatis expers, ac crudelis invidia, quæ quovis ipsum momento, mortis periculo obstrictū tenebat. Rex est, verum id quidē est, sed propter improbitatē suam, corona indignum se reddidit. Est Dominus. Ita quidem est, verū eo ipso quod tyrannidem in suos exerceat, dignus est qui dominiū illud omnino amittat. Homo est. Quis dubitat? sed cur vivat talis homo, qui omni spoliatus est humanitate? Quid ergo hic faciet David? cōsuetamne suam servabit mansuetudinem? sed quænam tam invicta esse poterit mansuetudo, quæ à tam ingēti nō sit victa barbarie? Timeatne man⁹ suas in sanguine lavare humano? verū divinæ ministræ justitiæ erunt manus illæ, quę pestē mundi, è mundi medio auferunt. Unico duntaxat ictu, in securitatē redigere potest propriam suam salutem, Capitaneorum suorum vitam, certamq; ac pacificam Regni sui possessionem, suam resarcire reputationem, generositatis item suæ existimationem, populorum amorem, totius denique status pacem & tranquillitatem. *Verum nihil horum* (sunt verba Chrysostomi) *justus ille apud se perpendebat, unum illud spectans, quomodo posset redimiri tolerantiæ corona, ac novam quandam Philosophiam admirabilem philosophari.* O ingens prodigium! ut honorata tempora sua tolerantiæ coronare posset diademate, nihili æstimavit nec impii ingratitudinem, ac crudelitatem, nec evidentia propriæ vitæ pericula, neque exilium atque tanto tempore toleratas ærumnas, neque militum suorum instigationes, & velut illatas violentias, neque mille alios humanos respectus, qui quodvis cor, quantumvis etiam magnum, dimovere potuissent: usque adeo purum ab omni malevolentia gerebat animum.

15. Gloriosa profecto es spelunca, quæ intra obscuras tenebras tuas rari adeo atque incomparabilis exempli lucem radiare conspexisti. Nescio etenim, an religiosum te templum appellare debeam, an vero magnificum theatrum. Hoc saltem scio, intra septa tua, ab hoc vere mansuetissimo Principe, nobilius oblatum cœlo fuisse sacrificium, quam cœlum unquam viderit. Sacrificium videlicet, cuius altare, piū magnanimi illius Prophetæ cor fuit, Sacerdos amor, passio victima, culter vero patientia extitit: *In spelunca sacrificium obtulit David, idque admirabile, omninoque dictu incredibile.* Sed & theatrū

est veneranda specus ista, in qua ad novum, nec unquam hactenus visum spectaculum, credo ego, omnes cœli accurrêre cives & incolæ. O vere mirabile certamen, in quo hic fortissimus invictusque heros, non iam inimici rabiem superavit, sed iracundiæ suæ devicit furorem; non aliquod bene munitum, atque provisum expugnavit fortalitium, sed inordinatam prostravit passionem: Non derisit adversarii tentationes, sed motus delusit proprii cordis; non se ab eiaculatis in se tutatus est sagittis; sed se defendit à perversis suggestionibus; Non reportavit aliquam rerum temporalium prædam, sed rediit gratia meritisque egregiè onustus: Non iam Capitaneos inter partitus est sua spolia, sed scœnæ huius spectatoribus, tam raræ patientiæ exhibuit exempla. Tu quondam, ô generose Athleta, leones & ursos sylvarum, fortissimi brachii tui robore fugasti, verum incomparabiliter excellentius quid fecisti, quando in vigore animi tui, ardens fugasti vindictæ desiderium. Philisthæum quidem barbarum illum Gigantem occidisti, atq; superbum eiusdem caput detruncasti, rarius tamen incomparabilis fortitudinis tuæ specimen fuit, robustam illam vivacemque animi passionem occidere. Gloriosus fuit ensis tuus, quando ad instar fulminis, per inimicos exercitus discurrens, totum nigro sanguine, stadium, seu campum perfudit, sed absque comparatione gloriosior fuit, quando ad humanitatis, & clementiæ tuæ præceptum, quantumvis à tam pulchri occasione ictus invitatus, se tamen velut inutilem atque otiosum continuit. Mirabilis prorsus illa tua cythara fuit, qua toties Dæmoniaci Saulis pectus, mitigare potuisti; sed admirabilior longe fuit illa beatorum verborum tuorum, quæ Sauli locutus es, Harmonia, quæ à durissimi illius lapidis oculis, lachrymas potuerunt elicere. Ab hac spelunca honoratior egressus es, quam dum sublata à populo Dei omni formidine, victoriosus & triumphans Hierosolymorum ingressus es civitatem. Non quidem in templo arma suspendisti prostrati inimici, sed triumphi tui memoriam reposuisti in capitolio cœli. Non tibi obviam egressæ sunt, debitis te laudibus excepturæ puellæ Jerosolymitanæ: sed obviarunt Angeli, singularem tuam admirati mansuetudinem. Egressus es non ornatus Saulis diademate, sed corona redimitus iustitiæ, non paludamento vestitus regio, sed humanitate quadam tali quæ nostram longe naturam superet exornatus. Ab hac spelunca cum tanta egressus es gloria, cum quanta ex Babylonico fornace egressi sunt tres pueri Hebræi: Illi ardentium flammarum superarunt ardorem, tu ab iræ atque indignationis flammis mansisti intactus. Longe egressus es gloriosior, quam egressus sit Daniel ex lacu leonum, quippe qui læsus non fuisti à ferocibus animi commotionibus, quæ ipsis ferociores sunt feris, atque indomabiliores ipsismet leonibus. Ingentis fortitudinis tuæ luce obscurasti, non id diffiteri possum, omnes veterum Archistrategorum memorias, sed nunquam aliquid adeo illustre & præclarum operatus es, quod cum hoc præclaro in hac spelunca patrato

erato facinore valeat comparari; propter quod homo secundum cor Dei appellatus es, suæque divinæ Majestati hanc tanta fiducia plenam orationem facere potuisti: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius.* Verum enimvero, habet Chrysostomus quod huic tam ingenti mansuetudini adhuc superaddi posse videtur; hoc videlicet; Non fuisse ingentem hunc mansuetudinis actum, elicitum tempore Evangelii, seu novæ legis, à qua in omni ferè illius verbo, puritas charitatis istius, quæ ad ipsum quoque inimicum usque se extendit, frequentissime inculcatur: *Non audiverat David parabolam de decem millibus talentorum, neque de centum denariis: Non audierat precationem dicentem: remitte hominibus debita ipsorum; quemadmodum & Pater vester cœlestis. Non viderat Christum crucifixum, nec innumerabiles eius sermones de frænandis cupiditatibus. Non contigit illi gustare talem hostiam, neque particeps fuerat sanguinis Christi; sed legibus imperfectioribus educatus.* Extrema igitur Christianismi confusio erit, qui cum legis novæ professione, cum doctrinis Evangelii, cum sacramentorum auxiliis, post tot Redemptoris nostri exempla, post tot innumerabilium præmiorum incitamẽta, sibi ab eo persuaderi nequicquam permittit, qui dicit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.*

PARS SECUNDA.

Quarta ratio. 16. Ecquid postea demum diceretis, si intelligeretis, Dominum hunc, hunc sapientem, hunc benefactorem, qui dicit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*; simul etiam illius operis quod nobis persuadere contendit auxiliatorem esse. Negari nequit, quin amor inimici, res aliqua sit, quæ multum excedat naturæ terminos, humanarumque virium longe transcendat confinia: Et prout dixit S. Bernardus: *Diligere inimicos, magis divinum est, quam humanum.* Veruntamen sciendum, magnum hocce opus, non tibi soli, tuisq; duntaxat viribus faciendum, & absolvendum incumbere, sed id à te expectari, per vires divinæ gratiæ, quæ te ad certam quandam elevare potest potentiam, quæ divinum quippiam in se habet, adeo ut si amare inimicum, divinum aliquid sit, Deus tibi quoque ad illum amandum, vires subministraturus sit divinas. Memores ne estis ficulneæ illius, quam Dominus summo cum discipulorum omniumq; aliorum circumstantium stupore repente arescere fecit? Neque enim solum mirabantur, quod arborem istam arefecisset, sed quod illam aridam reddiderit quando tempus non erat producendorum ficuum, prouti idipsum Evangelista notavit dicens: *Neque erat tempus ficorum.* Marc. 11. v. 13. Arbor isthæc naturam humanam optime significat, quæ proinde si fructus non proferat, tempori illi minime proprios aut congruos, nequaquam reprehensibilis esse videtur. Quis enim à puero prudentiam requirat ætatis adultæ? Quis à iuvene petat cani alicuius capitis maturitatem? aut vero quis adeo indiscretus existat, qui in vere autumni fructus expectet? aut vernum virorem in arida æstate? *Omnia tempus habent*, inquit sapiens. Verum Origines ibidem respondet,

Tract. de passione.

Hom. 11. in Matthæũ.

spondet, eum qui amicum diligit, fructus producere *in tempore suo*; qui autem inimicum amat, hic dat fructus *in tempore non suo*. Vult igitur Dominus ut sequaces sui, extra tempus debitum fructus producant: *Diligite inimicos vestros*. Quodsi autem, id supra naturam esse dixeris, Dominus ille per gratiam suam, supra naturam te elevabit. *Quare ergo Dominus arefecit eam? quia Christus Dominus supra humanam naturam conatur nos erigere, ideo indignatur, quando non fert homo fructum, etiamsi commodum non videatur tempus.* Propterea ait: *Ego dixi Dÿ estis, & filii excelsi omnes.* Deo omne tempus, tempus est ad faciendum quod ei placet neque potentiæ suæ unquam non congruum est, operis cuiuscunque tandem generis producendi tempus. Amare inimicum, divinum prorsus est opus, ideoque Deus te, ut amare possis, Deum facit: *Supra humanam naturam conatur nos erigere.*

17. Dicite mihi, obsecro, si nostis, cuius materiæ altare illud erat, in quo ad Dei honorem tot adolebantur sive concremabantur incensa? utique Ezechielis authoritate nitemini, qui perspicue dicit, è ligno fabricatum fuisse; *Altaris lignei trium cubitorũ altitudo*. Verum ulterius ego progredior, & dico: quodsi altare istud ligneum fuit, quomodo à flammis, quæ in eo quotidie flagrabant non accendebatur neque
Ezech. 41. in cineres redigebatur? Respondet S.
v. 22. Hieronymus, hoc esse altum adeo mysterium, ut omnes humani discursus terminos excedat: *In quo scriptura sancta mysteria humanus sermo non potest explicare; quomodo altare, in quo ignis est, ab igne non patitur.* O sublime prodigiũ! Altare igne onustum, ab igne minime patitur: Venerandam mensam illam, hæ reverentes flammæ, lambunt quidem, nec tamen rodunt: osculantur illam cum Reverentia, non tamen eandem per illatam violentiam mordent. Splendoribus suis ornant eam, non vero illam ardoribus suis consumunt. Non certant cum ea, velut inimici, sed ut confœderati se invicem amplectuntur: *Altare in quo ignis est, ab igne non patitur.* Ostendas mihi nunc hominem aliquem Dei servum, cuius cor summi Dei altare factum est, in quo sanctarum cogitationum, affectuumque immaculatorum continuo offeruntur victimæ, & mox ingens hoc in eo conspicies miraculum, videlicet, quod licet ob humanæ naturæ conditionem, potentiæ irascibilis cõtinuo deferat flammas, nullum tamen inde persentiscat nocumentum, nunquam in vindictam prorumpens, verbis nunquam obstrepens, nec ullas in cogitationibus suis struens insidias: *Altare in quo ignis est, ab igne non patitur.* Verum enimvero, ne quæso, ô sanctissime Doctor, in altis hisce prodigiis suspensos nos hærere permittas, dic ergo, si vales, cur altare Dei igne onustum, ab igne combustum aut consumptum non fuerit? Respondet sanctus: *Altaris ligna, quæ de lignis Paradisi sunt, non cremantur igne vicino, sed puriora redduntur.* Mensa altaris, à ligno, quod in Paradiso enatum fuerat, constructa erat, unde talem à Deo virtutem receperat, ut ab igne accendi, aut comburi non posset. Age igitur ne miremini, si hominum novæ legis corda ab irascibilis igne consumpta non fuerint, si

inter

inter convitiorum, iniuriarumque fomenta, nullam stomachi sentientes commotionem in vindictam non exardescant, si ad calumniarum contumeliarumque flatum, non magis magisque conflagrent, neque ab ardoribus quos naturaliter sibi insitos gerunt, se devorari permittant; lignum enim istud in Ecclesiæ plantatum est Paradiso, cui Deus talem gratiæ suæ communicavit virtutem, ut inter flammas, flammæ non sentiat effectus, atque in mediis ardoribus ipsum ardeat. *Altaris ligna, quæ de lignis Paradisi sunt, non cremantur igne vicino sed puriora redduntur.*

18. Hicce ignis altaris Domini, in mentem mihi revocat illum Babylonici fornacis ignem, qui tres pueros Hebræos, non solum non combussit, sed & refrigeravit, eisdemque roris
Dan. 3. v. 50. stillantis miraculosum attulit refrigerium; *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Ecquid obsecro vos ô Animæ benedictæ, quid inquam sunt persecutiones, & ab adversario irrogatæ contumeliæ, murmuratorum calumniæ, mendaces malevolorum in vulgus sparsi rumores, nisi flammarum devorantium ignis? Quid sunt acerba & pungitiva dicacium verba, mordaces novellæ, ad defœdandum alienum honorem malitiose fabricatæ, maledicentiæ malignæ inventiones, quid inquam sunt hæc omnia, nisi incendia quibus meliores servi Dei ut plurimum cernuntur expositi? quomodo inter vasta adeo incendia non comburuntur? qua ratione inter tantos ardores non ardent? seu quod idem est quomodo in vindictam non prorumpunt, aut iracundiam? Quomodo inter tot calumniarum fremitus obmutescunt? Quomodo non pungunt à quibus tam turpiter se fodicatos conspiciunt? Quomodo cordis pacem, & conscientiæ conservant tranquillitatem? Quomodo devotas Deo pro inimicis suis preces porrigunt? Respondebit S. Hieronymus, in fornace non fuisse tantum tres illos pueros, sed alium quoque quartum illis adfuisse: *Et species quarti similis filio Dei* atque hic ingens istud causavit prodigium, *fecit medium fornacis, quasi roris flantem. Quartus dicit Hieronymus, speciem habens quasi filii hominis, immensos mitigavit ardores, & inter camini æstuantis incendium, docuit flammas ardorem amittere.* Ita est dilectissimi, societas Filii Dei, ardores persecutionum charorum suorum mitigavit, flammasque oppositionum, & iniuriarum refrigerare docuit, & non ardere; adeo ut dicant: *Stemus simul, & quis est adversarius meus?* Quod si hic adeo gratus & dilectus mihi sodalis adfuerit, disparebunt mox omnes inimici mei, omnesque persecutionum flammas nihili æstimabo. Hic Christus vires subministrabit mihi, idipsum operandi, quod omnes humanas vires superat, siquidem ipse est, *qui immensos mitigavit ardores, & inter camini æstuantis incendium docuit flammas calorem amittere.*

Ad Lætam de instit. Fid.

19. Associemus nos obsecro nonnihil Abrahæ Patriarchæ, eundemque ex præcepto Dei de domo sua egredientem cogitationibus nostris prosequamur: Gen. 12. v. 1.

quamur: *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Dic sodes mihi ô sanctissime Patriarcha, cogitastine bene unde discedas? fecistine reflexionem aliquam quo vadas? scisne in qua iturus sis societate? intelligisne quid derelinquas? anne penetrasti quid sperare possis? cognitane sunt tibi viarum pericula? certificatusne es de terminis seu limitibus? An forte pro tam prolixo itinere quod facturus es, de viatico prospexisti tibi? sumpsistine tecum societatem sive comitatum sufficientem, qui in occurrentibus occasionibus te defendat? Prudentia non permittit, ut certum relinquatur pro incerto: consilium præcipit, ne in negotiis arduis simus præcipites. Ratio dictat propriorum emolumentorum curam: ad civium suorum patriæque benevolentiam constringit politica: Pietas docet amorem parentum: Relinquere amicos interdicit urbanitas: Ipsamet quoque natura huic adeo peregrino & extravaganti præcepto sese opponit. Ast vero, dicit Abraham, quid opus tot multiplicare & condensare rationes? Deus id præcipit, nihil aliud curo. Audite illum S. Augustini discursum: *Non apud se iste sanctus cogitavit, aut dixit, quo eam? cui me committam? in quam terram vadam? sed statim audit, surgit, currit, festinat, accelerat, &c. ambulat recto itinere, nec ab errantibus vestigiis alibi, quam debuit declinavit.* Verum poteritne obedientiæ tam promptæ, præcipue in tantæ difficultatis negotio aliqua cognosci ratio? Imo vero, hæc videlicet: *Quia qui eum ad ignotam terram mittebat, non dimittebat.* Qui misit illum solum non dereliquit ipsum. Abibis sed mecum. Persecutionem patieris, sed in mea societate constitutus: habebis inimicos, sed defensorem me tuum pariter habebis: molestaberis, verum adversus molestatores tuos certum tibi quoque assignabitur præsidium: patieris insidias, sed sub protegente te manu mea constitutus. In summa abi alacriter, in hoc namque certamine, plus ego gratiæ meæ viribus efficiam, quam tu per tuam correspondentiam, *quia qui eum mittebat, non dimittebat.*

Serm. 46. de temp.

20. Hoc est quod Redemptor noster animæ illi in sacris Canticis dicebat: *Veni de Libano sponsa mea; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum:* Veni ad lucrum animarum, circa quod tot probantur contrarietates, veni ad pugnam sed & ad coronas, quæ faciendæ & texendæ sunt ex sertis collectis in asperis montibus qui cavernis pardorum & cubilibus leonum vicini existunt, hoc est, ad infinitorum adversariorum contrarietates, qui truculenti sunt instar leonum, & sicut pardi terribiles existunt. Verum ingens hac in re est solatium, audire à Christo, quod non dicat: *Vade, sed veni: nec parum confortat, quod audit, veni & non vade, per hoc intelligens se non tam mitti, quam duci, & secum pariter sponsum esse venturum. Quid autem difficile sibi illo comite putet?* Ex huius societate Domini, fœlicissimi eventus victoriam nobis promittere possumus. Illius auxilio, leones mansueti fient, & pardi pacifici; aut si pacifici non fuerint, dabit saltem huius Domini societas vires ac fortitudinem,

Cant. 4. v. 8.

dinem, cum patientia tolerandi, quicquid mihi obvenire potest asperum, ac difficile. *Ego autem dico vobis*: Ego, qui gratiæ meæ auxilium do vobis, qui una vobiscum cum inimico vestro concerto, qui mea potentia vestram infirmitatem instauro.

Quinta ratio. 21. Denique *ego autem dico vobis*. Ego qui rarum illius vobis exemplum exhibeo. O Deus æterne, quomodo mansuetudo huius Domini non moveat, qui per nullam unquam contrarietatem perdere aut alterare potuit sui cordis serenitatem? qui maledictus non comminabatur, iniuriam passus non respondebat, dissimulabat percussus? qui cum vel unico nutu suos annihilare inimicos posset, id tamen facere noluit; tametsi hi adeo viles, ipse vero Dominus gloriæ existeret? Responde mihi obsecro te quisquis es qui de recepta te ulcisci voles iniuria, *nunquid quod decuit Deum* (cum Petro Blesense loquar) *dedecet Dei servum*? Epist. 146. Quodsi Deus Maiestatis id decens iudicavit atque expediens, cur idipsum irrationabile & verecundum esse censebit terræ vermiculus? qui se supercilia sua tantum movendo, vindicare potest, tacet, & fragilissima, atq; à ventis rapta obstrepet stipula? *Præcessit exemplum* (ita per os Augustini Christus loquitur) *toleravi, perfecte volui quod sciebam; ut tibi nescienti præberem solatium; Quod mihi fecit, faciet & tibi. Vt multum possit, ut multum sæviat, accusaturus est, falsa crimina dicturus est, ut prævaleant falsitates; Nunquid in te prævalebunt, & in me non prævaluerunt? in me certe prævaluerunt, sed cœlum mihi non abstulerunt.* Traditorem Judam toleravit Christus, optime eius conscius quod machinabatur Judas, ut hoc videlicet in tui cederet solatium qui scire nequis, quisnam amicorum tuorum infidus futurus sit & traditor. Falsa adversum te dicent testimonia, sed prius adversum me illa dixerunt, quodsi demum cõtra personæ tuæ innocentiam prævaluerint, scito prius illos contra personæ meæ prævaluisse sanctitatem. Verum num forte illi, qui ut mihi nocerent, omnia susque deque verterunt, mihi in ordine ad gloriam à Patre meo mihi destinatam, vel unicum lædere capillum potuerunt? Minime. *In me certe prævaluerunt, sed cœlum mihi non abstulerunt.* Quapropter adiungit Augustinus, *si ego prior dimisi, dimitte vel postea. Invenis Patrem, imitare Patrem. Si enim imitari non vis, exhæreditari disponis.* Tota De verbis Dom. in Matth. c. 18. Domini vita, continua quædam persecutio fuit, & tamen erat is ipsamet innocentia. Ipse innocens toleravit, cur tu non tolerabis culpabilis? Ipse omni laude dignus existens iniuriatus fuit, tu omni contumelia dignus iniurianti irasceris? Cur non pateris qui omnia pati promeruisti, quando contentus est pati, qui nihil pati promeruit? *Dictus est peccator, dictus est iniquus, dictus est Beelzebub, dictus est insanus. Tu dedignaris serve audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis suis.*

22. Verum enimvero super omnia tunc præcipuè Dominus noster, magnæ huius doctrinæ Magister extitit, quando Cruci velut Magistrali cathedræ insistens, ad æternum Patrem suũ se convertit hancque tenerrimam orationem perfecit: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Dicat nunc S. Ambro-

Ambr. lib. 2. de Fide cap. 3. Ambrosius, utpote qui nunquam melius dixit: *Quis appetitus non discat ignoscere, quando pro persecutoribus suis Christus & crucifixus orabat.* Quando addisces condonare ô vindicative, si idipsum modo non edíscas? quando frigidum cor tuum reincalescet, si in medio tam ingenti charitatis ardore frigidus existas? Quis tuam unquam emollire duritiem poterit, si illam sacratissimorum illorum verborum non emolliat sonus *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt*: *Non dedignetur quod fecit Christus facere Christianus.* Domini tui, ô dilectissime, tu exemplum consideres, & ne ignominiosum tibi reputes, quod ipse tam existimavit esse honorificum. Quam magnæ erant iniuriæ illæ, tam magno Monarchæ illatæ? Quam erant venia indigni, quibus noxam omnem remisit? Quam denique gloriæ dignus erat, qui totus contumeliis coopertus extitit? Hic igitur est ille, qui dicit tibi: *Diligite inimicos vestros*, & tu id opere non adimplebis? *Non dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus.*

Aug. Tract. 52. in Ioan.

23. In magno isthoc Christi facto, aliis verbis loqui nescio, quam illis S. Augustini *Quid vis? vindicari. Vide pendentem, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem: Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis. Vindicari vis? vide pendentem, audi precantem: Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* O magnum pietatis excessum, in ultima mortis agonia constitutus, inter dolorosi spiritus sui angustias, inter infinita afflictæ carnis vulnera, inter circumstantiū cuneos, inter latronum blasphemias, omnium aliarum rerum, præterquam solius amoris, immemor, hæc amoris plenissima protulit verba: *Pater ignosce illis. Vindicari vis? vide pendentem, audi precantem.* Quis est amor iste, qui in tanti odii medio vigorosus conservari potuit & fortis? qui sub fellis amaritudine dulcia adeo novit formare verba? qui inimicorum suorum impietati tam pie respondit? qui atrocibus crucifixorum suorum iniuriis, tam grata & dulcia reddidit verba: *Vindicari vis? vide pendentem, audi precantem.* Glossa super illa Isaiæ verba: *Et pro transgressoribus exoravit*, dicit; quod proferente verba illa Domino, *Pater ignosce illis, ad hanc vocem secundum Evangelium Nazaræorum, millia astantium crediderunt.* Quod si ergo tunc illi conversi sunt, qui in carnis humilitate illum viderunt, quid facient, qui illum in Maiestate gloriæ existentem credunt? Esto totius discursus istius isthæc conclusio: Perditum ac desperatum æstimo omnem illum, quisquis ad ingens adeo spectaculum atque ad tam dulcem verborum sonum, ex quibus universa moventur, nequicquam tamen movetur.

Serm. 223. de temp.

CON-



CONCIO IV.

In Dominicam I Quadragesimæ.

THEMA.

Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Matth. 4. v. 1.

ARGVMENTVM.

An tentationes tanquam iacturæ occasiones fugiendæ, an verò tanquam materia lucri cōsectandæ sint? Item, an à Deo permissæ sint veluti infortunatorum infaustum, an vero veluti faustum fœlicium omen?

SUMMARIUM CONCIONIS.

Christus instruit nos ad prælium, verbo & exemplo. Synopsis concionis.n.1.

Primum punctum. *Videtur quod tentatio inter infortunia debeat computari.* Multa scripturæ loca huc adducta.*n.2.*

Malitia magna nostri inimici indigitatur multis scripturæ locis.ib.

Diabolus non iam malus sed malitia dicitur. Chrysostomus & Chrysol. producti.*ib.*

De Dæmone optime poeta cui nomina mille, mille nocendi artes. *Horum descriptio.num.3.*

Omnibus rebus etiam sanctis abutitur ib.

Dicitur Princeps huius mundi. Trophæa eius tyrannidis in omnibus conditionibus & inclinationibus elevata. Contra Deum arma movit.n.4.

Potentia eius ulterius à Iobo & Patribus descripta.n.5.

Potestas eius iterum declaratur per maleficia, quæ eius ope perpetrantur à magis & ariolis. Expenditur ille sacer locus non est potestas super terram quæ comparetur ei.*num 6.*

Vtitur nostris remediis contra nosipsos.ib.

Multa habet capita Draco iste. Abacuc productus.*n.*7.

Dæmonem semper præcedit egestas & perditio, Job explicatus. *Porta perditionis est Diabolus per quam intratur ad gehennam.num.*8.

*Tantæ sunt inimici nostri insidiæ, ut sit valde difficile unam evitando non incidere in aliam.nu.*9.

Dæmon dicitur homo malus *quia hominem devicit.n.*10.

*Votum ad Deum ut corripiat nos nec sinat nos à Dæmone vexari.n.*11.

Secundũ punctum. *Qui suffert tentationem beatus est. Omnes Diaboli insidiæ nobis pro incremento virtutum inserviunt. Iob à Dæmone contusus magnum charitatis odorem exhalavit.n.*12.

Vnguentum & aromata cum moventur & conteruntur odorem spargunt.ib.

Comparatur mundus cum mari; nauta peritus apparet in tempestate, & Christianus in tentatione. Producti Patres.*nu.*13.

*Tanta fuit virtus Iob quanta eius tentatio. Quantum Dæmon atrox tantum Iob fortis ad resistendum.n.*14.

In quantum gravaris in tantum lucraris. Scitè Bernardus.*ib.*

*Exercentur diversis tentationibus Israelitæ priusquam ad terram promißionis perveniant.n.*15.

Pulcherrima tentationis epitheta tam ex script. quam ex Patr.*n.*16.

*Omnia quæ sunt in Christianismo nos ad certamen stimulant.n.*17.

*Ab initio mundi unusquisque habuit adversarium suum.n.*18.

*Tentatio non solum est exercitium virtutis sed etiam custodia & augmentum ipsius.n.*19.

Stella magna de cœlo lapsa, dicta absynthium, *Dæmonis figura. Absynthium autem visum acuit. Post tentationem Iob factus perspicacior.n.*20.

Virtus aliquando vitii est mater, cum illam in Deum non refundimus. Ideo *tentatio necessaria ne extollamur.n.*21.

*Exempla SS. Apostolorum Petri & Pauli hic producta.n.*21. *&* 22.

Non audivit Dominus Paulum ad voluntatem, quia audivit ad sanitatem. Augustini acumen.*ib.*

Ecclesia inter tentationes vivit; sed succedit quies labori. Recedit tentatio, manet benedictio. Aug.*n.*23.

Orate ne intretis in tentationem. Ne nos inducas in tentationem. *Explicatio* Augustini.*n.*24.25.26.

Locus Ps. conversus sum in ærumna mea dum configitur spina, *à Bernardo explicatus.n.*25.

*Tentationes non quærendæ sed timendæ, tamen dum adveniunt fortiter tolerandæ. num.*26.

*Dæmon propter potentiam timendus sed auxilio Dei adveniente non timendus. n.*27.

*Imitandus Christus in pugnando; ductus est à spiritu sancto; ieiunavit, sacris usus est scripturis, & perseveravit, & sic vicit. ibid.num.*27.

1. ERgòne in viâ Domini, in quam Ecclesia Dei sancta filios suos, per tàm exquisita media, hoc sacratissimo tempore dirigit, primum, quod obviat, est campus sive arena militaris? Prima, quæ in ea discuntur, elementa, pugnæ sunt & conflictus? Ecce enim Deus pacis, hodiè comparet veluti Deus exercituum, & ipse concordiæ Author tanquam belli administrator, factus videlicet uno & eodem tempore, & Dæmonum domitor,

mitor, & instructor hominum. Neque Redemptori nostro sufficit, verbis nos docuisse, nisi simul nos edoceat factis; & sicut in cœlis nostrarum victoriarum futurus est præmium, ita hic in terris confligentium atque pugnantium vult esse exemplum; ut proindè
Bern. cum S. Bernardo dicere cogamur: *In utroque mirabiliter tibi me allicis, uterque funis vehementissimus ad trahendum; sive quia pugnantem te specto, sive quia te exspecto coronantem*, quasi diceret: tàm unus, quàm alter ex favoribus mihi exhibitis me allicit, tàm quod te in palæstrâ conflictuum meorum lanistam seu magistrum nactus sim, quàm quod te prævideam victoriarum mearum præmiatorem futurum.

Sed quomodò nos in hac virium nostrarum debilitate, vestigia fortissimi & insuperabilis Gigantis huius, qui abscondità divinitate sua armatus, securas suas habet victorias, & trophæa infallibilia, subsequi audebimus? Trahit me quidem ad pugnam, illustris adeò lux exempli; retrahit autem indè, tantæ meæ debilitatis experientia: me quidem ad prælium invitat iusta spes præmii; ab eodem verò me revocat timor rationabilis iacturæ: ad certamen urgent me quidem cuiusdam Christi discipuli verba, qui eum, qui
Iac.1.v.12. tentatur, beatum esse pronuntiat: *Beatus vir qui suffert tentationem*: Non minus tamen me eiusdem Christi verba deterrent: quibus clarè indicat tenta-
Matth. 26. v.41. tionum pericula; dicens: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*. Verum enimvero ponderemus, si placet, ambas hasce prædictas sententias; nam fortassis in discursus huius progressu noster aperietur intellectus: utrum magis expediat tentationem fugere, an verò eandem æmulando inquirere. An item tentatio inter hominis infœlicis infortunia, an verò inter hominis beati fœlicitatem æstimanda sit.

2. Videbitur haud dubiè non nemini, Christum Redemptorem nostrum Primum punctum. tentationes inter infausta omina seu infortunia numerare, quippe qui monet perpetuâ vigiliâ, & continuâ oratione opus esse, ut non quempiam tentatio apprehendat, Matth. 26. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*. Matth. 26. v.41. Huc respiciebat timor ille S. Petri, quando totus sollicitus monebat: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret*. 1.Petr.5. v.8. Hoc etiam intendebant minæ S. Joannis, *væ terræ & mari; quia descendit Diabolus habens iram magnam*; Apoc.12. v.12. Hoc serium Pauli documentum dicentis: *Nolite locum dare Diabolo*. Eph.4. v.27. Hoc quoque idem memorat, quando dicit: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*. Eph.6. v.12. Idipsum etiam indicat testimonium Isaiæ ex mente S. Hieronymi, quando varias mundo à Sathanâ illatas strages describens, hisce verbis loquitur: *Hic est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, & posuit orbem desertum, & urbes eius destruxit*. Isa.14. v.16. Ita idem significat admiratio Iobi, ut vult Gregorius, quando dicit: *Quis revelabit faciem indumenti eius, & in medium oris eius quis intrabit? Et portas vultus eius quis aperiet?* Iob.41. v.4. In quæ verba S. Gregorius inquit: *In medium oris eius intrare est calli-* L.33. mor.
ditatis

ditatis eius verba penetrare, ut nequaquam pensetur quod resonet, sed quò tendat. Quis unquam fraudulentorum verborum suorum sensum intelliget, quæ pacem sonant, & bellum insinuant? fœlicitatem promittunt, hominem verò in profundũ miseriæ præcipitem agunt? apparentis dulcedinis sunt plena, amaritudine verò replent corda? *Et portas vultus eius quis aperiet?* Quis aliquando capitalissimi huius nostri inimici, adeò potentis ob fortitudinem, adeò astuti propter malitiam, adeò prudentis propter scientiam, adeò per experientiam practici, propter inveteratum odium adeò crudelis, ob frequẽtes victorias adeo insolentis, sic firmati propter societatem, impenetrabilis ob substantiæ spiritualitatem, adeò propter præsentiam invisibilem tuti, ut ob mille alias præeminentias huius sæculi naturam discooperire valeat? *Ætate maior sæculo,* dicit Chrysologus *nocendi usu tutus, lædendi arte peritissimus; unde iam non malus, sed malum dicitur; à quo est omne, quod malum est.* Hic astutissimus adest adversarius noster, sic exercitatus in malo, sic in fraudibus antiquus, practicus in insidiis, qui fons & origo est omnis ruinæ; non ultra vocatur malus, sed ipsissima malitia; nec iam vocatur damnosus, sed ipsummet damnum; non appellatur nocivus, sed ipsum nocumentum, hoc namque est quod Redemptor noster in sua nos oratione edocet dicens: *Sed libera nos à malo. Quid est perfectum malum,* inquit Chrysost. *nisi Diabolus, Princeps huius mundi, & author operis mali?* Hic est malum quoddam, omne in se malum cõtinens, qui etiam, quod omne ex se malum pariat, perfectum & completum malum dicitur: *Quid est completum malum nisi Diabolus?* Unde subiungit Chrysost. rationabiliter Dominus adorationis nos arma confugere docet, ut ab illo liberemur: *Tenete orationem, ut non intretis in tentationem.*

Chryso. per 47.

Chrysost. serm. 28. in Matth.

3. De ipso sanctus Hieronymus hæc Poëtæ verba intellexit:

—— Cui nomina mille,
Mille nocendi artes.

Millenis appellatur nominibus, quod in mille transformetur formas, ac quod millenas habeat nocendi rationes ——— *Cui nomina mille.*

Leo dicitur à S. Petro, quod fortitudine polleat; Vulpes dicitur à Salomone, quod astutiam usurpet; Ursus ab Jeremiâ, quod sine pietate in extremam perniciem & ruinam usque sæviat: Serpens à Davide, quod insidiosè insiliat: Draco à S. Job, quod malarum suggestionum venena evomat. Scorpio à Propheta regio, quia fingit tibi impertiri amplexus, cùm te occidit. Equus appellatur à S. Ioanne in Apocal. quia indomabiliter est ferox. Aspis & Basiliscus à Psalmistâ, eo quod eius vulnera absque divinâ gratiâ sint irremediabilia: Bos nuncupatur à Moyse in Numeris, *carpens herbas usque ad radices.* Canis à Sapiente, utpotè qui virtuosos allatrat. Avis à Christo apud S. Matth. quod bonum semen ex agro Domini rapiat. Musca vocatur à Luca, ob importunitatem & insolentiam. *Ecce ego creavi fabrum* (quondam Deus dicebat) *sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum. Ecce ego creavi interfectorem ad disperdendum;* hoc est *Diabolum,* ut interpretatur S. Hieronymus,

Isa. 54. v. 16.

Hier.in Isa.5. *mus, malorum omnium artificem, non necessitate naturæ, sed mentis arbitrio.* Hic est faber ille, qui in officinâ suâ omnis generis arma & instrumenta fabricare novit, ad ruinam omnis generis personarum; sicque pro quibuscunque statibus in promptu fraudes suas habet, omnem professionem damnificat, cuiusvis hominis utitur moribus & inclinationibus, terrefacit formidolosos, animosos & audaces præcipitat, allicit cupidos, dissolvit Joviales, perturbat sollicitos, constantes indurat, iracundos accendit, confundit mœstos; stupefacit tepidos, somno sepelit negligentes, superbos excœcat, inflat doctos, illudit simplices, modestos pusillanimes, ferventes præcipites, iustos arrogantes, peccatores confidentes atque sui securos efficit: *Creavi fabrum, hoc est Diabolum, malorum omnium authorem.*

Faber verè sagacissimus, qui in suum commodum, in damnum vero nostrum negotiari novit, sibique adaptat, quicquid in celebri mundi huius emporio conspicitur; unde divitiis per avaritiam abutitur, paupertate per impatientiam, domiciliis per scandala, per rapinas solitudine, prosperitate per superbiam, per desperationem adversitate, virtutibus per vanam gloriam, per obstinationem vitiis, per emolumenta propria amicis, inimicis per vindictam, pace per fraudem, bellis per ambitionem superioritatis, sermonibus per iniurias, taciturnitate per arrogantiam, cibo per crapulas, per hypocrisin ieiunio, per ambitionem Magistratibus, per simoniam Prælaturis, scientiis per inflationẽ, artibus ad decipiendum, imò ipsis templis Deo consecratis abutitur per mille sacrilegia, quinimò ipsismet sacramentis abutitur per Nicromantias, ac Religionis actibus per superstitionem; adeò ut meritò lamentetur hisce verbis Bernardus. *Heu mihi quia undiq; bella mihi video, undiq; tela volant, undique tentamenta, undique pericula, quocunque me vertam, nulla securitas est, & quæ mulcent & quæ tristant, omnia timeo. Esuries & refectio, somnus & vigilia, labor & quies pugnat contra me. Non minus suspectus est mihi iocus, quàm ira, nec minùs prospera vereor quam adversa.* L. Med:

—— Cui nomina mille
Mille nocendi artes.

Et meritò profectò perfectissimi servi Dei sibi timẽt, haud ignorantes, quod apud hunc universalem malorum nostrorum architectum, non sit propositum adeò firmum, adeò rigida disciplina, nec sanctitas ità consummata, quam ipse potentissimis suis machinis sibi non præsumat facillimo negotio expugnare. Illudit longis nostris ieiuniis, irridet nostras orationes diù continuatas, nihili facit psalmodias, contemnit solitarios recessus, nullam sanctitatem & perfectionem, quantacunque sit, æstimat; quippe qui se generis humani suprema capita superasse gloriatur, vicisse Patriarchas, despexisse Prophetas, domuisse Nazaræos, seduxisse Apostolos, excœcasse Sacerdotes, violenter è sacris claustris foràs extraxisse Monachos, Anachoretas ex Eremis, virgines è Monasteriis, unde meritò Dominus ipsum fortem & armatum esse dicit: *Cum fortis armatus, custodit civitatem.* Fortis est per natu- Luc.11. v.21.

ram, armatus ab experientia: Fortis per hoc, quod habet, armatus per id, quod recipit à nostrâ negligentiâ: Fortis per seipsum, armatur à nobis. Ideoque magnâ cum emphasi Petrus Damianus Comitissam Blancam commonebat, ut licet totaliter Deo & spiritui dedita esset, non tamen ob id secura consisteret; siquidem illam adversarius ex ipsomet sponsi sui gremio violenter eripere posset. Sic enim loquitur *Interim dum amplecteris sponsum, cave solerter adversarium, adhuc enim in salo versaris, necdum portus statione perfrueris: Procinctus est iste castrorum, non requietis est municipium: Via est ista, non patria: ambulamus, & non habitamus. Tentatio est vita hominis super terram.* Petr. Da. ep. 14.

4. Quid amplius dicemus? An non Dæmon Princeps mundi vocatus est? si Princeps est, utique dominabitur? utique servitia sua habebit & famulatus? utique tributa ipsi pendentur? utique in hoc mundo omne id, quod perversa ipsi natura, pessimaque libido suggeret, faciet? quaquaversum tu, velim, respice, & ubique plantata videbis crudelissimæ suæ & insupportabilis Tyrannidis trophæa, videlicet errores gentium, idololatrias paganismi, pestes hæresum, ignorantiam populorum, frigiditatem fidelium, bella & tumultus nationum, abusus civitatum, nobilium luxum, mulierum vanitatem, iniustitiam tribunalium, monasteriorum relaxationes, mercatorum avaritiam, Principum iniquitates, infidelitatem vasallorum, Prælatorum negligentiam, tenacitatem sacerdotum, usurarum infamiam, conventicula histrionum, prostibulorum inhonesta commercia, omnia hæc infamis huius Architecti molimina sunt ad nostram semper ruinam & stragem intenta, qui uti advertit Rupertus Abbas. *furiosè semper genus humanum tyrannizavit serpens dictus, & Leo, utrumque habens malignitatis & sævitiæ nomen.* Tyrannicè semper genus humanum persequitur tanquam serpens, & Leo; serpens propter malitiam, leo propter fortitudinem: serpens ob sibilum suggestionis, leo ob rugitum formidolosum; serpens ob fraudes occultas: leo propter apertas violentias. Unde liceat mihi cùm S. Ambrosio dicere: *Et quomodo non calumniabitur singulos, qui totam irritavit terram, corrupit Regna, posuit universum orbem desertum.* L. 2. vict. ve. Dei. In Ps. 118.

Sed quid mirum est, potuisse ipsum totum hunc mundum seducere, ac de terra pacem tollere, cum fuerit adeò audax & temerarius, ut æternam cœli pacem perturbare, eamque cum ipsomet Deo è medio tollere præsumpserit? quando arma sua seditiosa ac sacrilega, contra pacificum & fortunatissimum cœlorum regnum movit ac totum Paradisi exercitum ad apertum certaminis conflictum provocare conatus fuit? Qui stulta adeò superbia inflatus, adeoque extraordinaria capitis phrenesi correptus fuit, ut se illi æquare non dubitarit, qui æqualem sibi non habet, nec habere potest, sedemque suam ruinosam satagerit altissimo Dei throno parem facere. Facite ergò nunc consequentiam cum Ambrosio, quæ mirabiliter premit & urget: *Qualis erga servulum Dei potest esse, qui adversus Deum se extulit, &c. quid mirum si gravare homines*

mines posit, qui pertinaci spiritu nec Deo cedit?

5. Quid à me nunc ultrà, auditores, præstolamini? An fortè, ut vobis cum S. Gregorio dicam, terribilius esse Dæmonium acie exercitus quantumcunque ordinatissimâ? Aut cum Euchetio, ipsum violentiâ prævalere cuilibet maximo ac rapidissimo flumini? Aut cum Anselmo, formidabiliorem esse Dæmonem, quocunque incendio? aut cum Ruperto, horribiliorem esse qualibet etiam furiosissima ventorum agitatione? Sed hæc omnia nihil erunt; siquidem teste S. Iob arma unius integri exercitus, ferra, chalybes maximi ponderis, scuta ænea, loricæ metallinæ, squamæ sunt corporis & personæ suæ: *Corpus illius quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus.* Vasta flumina ori eius ad instar minimi sorbilli influent: *Absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* E faucibus quoque illius vastissima prorumpent incendia: *Flamma de ore eius egredietur, de ore eius lampades procedunt tædæ ignis accensæ.* Tempestates item & ventorum turbines in flatu sive halitu suo adeò vehementer exsufflat, ut spirando undequaque causet ignis incendia. *Halitus eius prunas ardere facit: fervescere facit, quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum unguenta bulliunt; Vnde necessum est tandem concludere: Non est potestas super terram quæ comparetur ei qui factus est, ut nullum timeret.* Nihil est super terram, quod potentiam illius explicare seu describere possit, omne namque exemplum respectu illius deficit, nulla ipsum mensura adæquat, omnisque

Iob. 41. v. 6.

cum illo comparatio longissimè exceditur: *Cui nihil simile*, dicit Nicetas in Iob. *tum potestate, tum nequitia, nam insolescens supremâ naturæ potestate in supremam nequitiam lapsus est.* Nic. in Iob.

6. Per hanc ingentem suam potentiam Dæmon sibi sæpè, Deo ita permittente, & peccatis hominum id iustè demerentibus, permanentem acquirit in humanis corporibus habitationem, valdè miserabilem in iisdem causando infernum, dum hominum talium miserrimorum corda ad furorem, & maniam impellit, linguas ad blasphemandum movet, & manus ad lædendum, omnia denique membra ad inordinatos motus & incompositas contorsiones perducit, in ignem illos deiicit & aquam in præcipitia impellit, sepulchris mortuorum includit, in campestria rura exturbat, omnique humanitate placidoque sensu exuit. *Non est potestas, quæ comparetur ei.*

Per hanc potentiam suam ausus fuit ipsiusmet Christi omnipotentiam aggredi, dum in hac Ecclesia, quam ipse Christus fundavit, facit se ut Deum à multis adorari, tot hominum consilia adeò infatuando, ut antiquæ Religionis immemores, immemores fidei Deo semel datæ, immemores legis Dei quam tot annis professi fuerant, immemores doctrinæ cum lacte materno imbibitæ, Sathanæ ultro citroque in prædam dati, adeoque abominabilis Domini mancipia facti, prolapsi sint ad eiurandum Deo debitam fidelitatem, & Dæmoni præstandum homagium.

Fateantur idipsum infamia illa cōventicula & scelerata concilia, quæ aut

in remotis sylvis, aut in cavernis abstrusis, aut frondosis sub arboribus, aut in confinio fluminum seu etiam fontium instituere solent, ubi Christus eiusque sanctissima Mater abnegatur: Ubi eiuratur fides, & execrationi habetur baptismus, ubi veneranda crux Domini conculcatur, ubi sanctissimis abutuntur sacramentis, ubi Ecclesia Dei abiuratur; ubi execrandis carminibus, & submissis susurris, imaginibus portentosis, ligaturis, suffitibus, circulis & characteribus infernalibus utuntur pessimi eiusmodi homines ad procurandas matrimoniorum dissolutiones, innocentum infantum infatuationes seu annis adultioribus futura deliria, translationes seminum, fructuum terræ vitiationes & destructiones, agrorum sterilitates, animalium sive iumentorum mortes ad seminandas inter clariores amicos discordias & iurgia eripiendamque hominibus pacem.

Plenus nunc est (si unquam fuit) mundus huiusmodi incantatoribus, Auguribus, Ariolis, Aruspicibus, Genethliacis, Sortiariis, Piroscopis, Hypatoscopis, Venenariis, Necromanticis, Engastromanticis, Sternomāticis, Spodonomanticis, Cephaleonomanticis, Pythonibus, Archariis, Gnomicis, Pigmæis, Vulcanis, Colophoniis, Trophoniis, Sylphis, & Soractinis, hęc est illa infamis sceleratissimi illius Domini familia, hi sunt perfidi illius ministri, qui eidem ad nutum deserviunt, vana spe illecti, falsisque promissis delusi: *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.*

Per hanc suam potentiam, suavem mundi huius harmoniam alterat frequenter, & dissolvit, confundendo in Elementis ordinem, perturbando temporum anni temperiem, malas imprimendo cœlis influentias, nocivas aeri impressiones, prodigiosas terræ inferendo concussiones & motus, sterilitates agris, mari tempestates, infirmitates corporibus, cordibus denique inferendo tristitiam. Tametsi hoc totum nihili faciam in comparatione ad illam stragem, quam in mentibus causat humanis, ubi non quidem tempestates excitat, resuscitat tamen appetitus inordinatos, non excitat incendia, concupiscentias tamen vehementer ardere facit, terræmotibus non concutit orbem, at timore trepidare ac tremere facit hominem, morbis illum quidem non afficit, malis tamen illum inquinat suggestionibus; non quidem nubibus aërem obscurat, animum tamen excœcat illusionibus, idque modis tàm variis & occultis, ut etiam hac in re perspicaciores seducti remaneant.

Ex complexionibus coniicit inclinationes, ex corporis humoribus iudicium sibi format de desideriis cordis, à sensibus transit ad cogitationes, ab operibus externis internis hominis operationibus cognoscendis se insinuat, ex motibus carnis explorat animi motus, ex rebus præteritis res æstimat præsentes, & ab his ad futuras ulteriùs transit. Unde tum ab intellectus claritate, tum à velocitate intelligendi & diuturnitate experientiæ & ab operandi assiduitate adiutus in iis, quæ intendit, ob nostram inadvertentiam & ignaviam aut rarò aut nunquam decipitur;

Abac v.13.

In ca 69. G

pitur; omnes intereà pessimis suis artibus & perversis machinationibus ipse decipit: *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.*

7. His addite, quod idipsum quod nobis adversus arma illius superest defensionis remedium, usurpetur ab illo, tanquam arma ad nostra remedia retundenda, atque inventiones seu consilia nostra, per eademmet confundat, faciatque, ut per nostrasmet victorias, atque triumphos, prælium perdamus. Sic exempli causa; si Dæmon tentet nos per gulam, remedium adversus illam est ieiunium, quo tamen ipse contra nos utitur per hypocrisin. Hypocrisis vincitur per solitarium ab oculis humanis recessum, hoc autem recessu, seu solitudine, ipse adversum nos abutitur per superbiam. Arma præcipua adversus superbiam, est humilis de seipso sensus, quo tamen ipse in suum commodum, commutando eundem in utilitatem & animi abiectionem, abutitur. Abiectus per vilitatem animus, erigitur per firmam in Deum fiduciam, quam tamen ipse contra nos, degenerare facit in præsumptionem. Inimicus præsumptionis est timor Dei sanctus, ipse autem timorem vertit in desperationem. O Deum immortalem! Quænam huic unquam similis extitit hydra, cui pro uno capite detruncato, mox multa subnasci conspiciuntur? *Percussisti caput de domo impii,* dicebat S. ille Propheta *quid timendum est ab hoste truncato?* inquit Benedictus Fernandius. Imò verò valdè ab illo truncato hoste timendum est, nam in vicem unius detruncati capitis, multa alia succrescunt. Unde Rex sanctus dicebat: *Tu confregisti capita draconis.* Ubi nota, non habet amplius unum caput, sed multa capita, caput enim præcisum multiplicatum esse deprehenditur: *O rem tremendam! uno præciso mille confestim repullulant. Non est potestas super terram quæ comparetur ei.*

Abac. 3. v. 13.

In cap. 69. Gen.

Ps. 73. v. 14.

Huc accedit, quod Dæmon sit indefatigabilis in suis cum homine cōgressibus in resolutionibus pertinax, implacabilis in odio, ab omni contrarietate & oppositione securus, carens omni corpore, quod eum aggravet; carne, quæ eum fatiget; membris, quæ impediant; sensibus, qui distrahant; timore, qui eum sistat; necessitate, quæ eum possit movere; ad malas artes semper vigil, continuò ad insidias præparatus. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.*

8. Et hæc est causa cur Iob dicat, ꝙ Dæmonem semper comitetur perditio & ruina: *Faciem eius præcedit egestas,* aut secundum Septuaginta: *Faciem eius præcedit perditio.* Nusquam hæc pestis conducitur, quin secum semper perditionem trahat & detrimentum. *Cum ipse sit Abadon exterminator disperdens, non mirum quod prodromus & satelles sit ipsa perditio* inquit Origenes. Dæmon verè est Abadon Apocalypticus, qui vastatorem seu exterminatorem significat, ideoque secum socias iacturas & perditiones semper trahit.

Iob. 41. v. 13.

Orig. in Ap. 9.

Estque hic pulchra litera Isidori, qui sic ait: *Coram illo comminuetur labor,* quod idem est, Pineda teste, ac si diceret, nihil est in mundo adeò forte, ac tali præditum robore, quod ipsi superatu difficile sit. *Quippe nihil existit*

illi laboriosum. *Faciem ergò eius præcedit perditio*, quia hunc tentatorem nostrum indivisibiliter sociata sequitur infœlicitas quæ certo quodam modo, uti videtur, inevitabilis est & sine remedio, *quippe nihil illi existit laboriosum.* Unde magna cùm emphasi os illud Chrysostomi aureum, Dæmonem portam perditionis appellat, per quam scilicet fit aditus ad infernum. *Porta perditionis est Diabolus per quam intratur in gehennam*, quasi vellet dicere; omnes quotquot sunt in inferno damnati, tentantis Sathanæ trophæa sunt, nec quisquam æternos illos iustitiæ divinæ carceres ingressus est, qui per hanc portam non transierit: *Porta perditionis est Diabolus, per quam introitur in gehennam.*

Ho.18.in Matth.

9. Unde meritò miratur Cyprianus (cuius verbis S. Augustinus utitur) si foret quispiam, qui velocissimam & acceleratam mortem in desideriis non habeat, ut hac ratione à continuis inimici nostri insidiis liberetur. *Obsessa mens hominis, & undique Diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit: si avaritia prostrata est, exurgit libido; si libido compressa est, ira exasperat, inflat superbia, inobedientia incitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod divina lex prohibet: compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat hic inter Diaboli gladios diu stare, cùm magis concupiscendum sit & optandum ad Christum subveniente velocius morte properare?* Quid faciemus in hac vitâ, inquit Cyprianus, à Sathana tot tantisque modis infestatâ, quæ ipsa morte amarior est? An hoc est vivere, vivere scilicet continuas inter angustias, & non potius lentè & ærumnosè mori? hiccine longius vivere desiderabimus, quando unicum miseræ vitæ huius remedium est velociter mori? Facilis ergò nunc coniectura est, quæ aut quales sint inimici tentationes, quando ad illas fugiendas mors opportunum censetur remedium? quam item sint terribiles quando mors, quæ omnium sapientum iudicio, & opinione, terribilium omnium terribilissima censetur, in comparatione illarum, censetur minus terribilis? *Et delectat hic inter Diaboli laqueos diu stare, cùm magis concupiscendum sit, & optandum ad Christum subveniente velocius morte properare?*

Aug.l.2. contra Jul.

10. Quis cum S. Propheta non dicat. *Eripe me Domine ab homine malo?* Ps.139. v.2. Libera me ô Domine ab hac pessimâ progenie, quæ continuas adeò & periculosas mihi tendit insidias, quæ tantam stragem, & carnificinam infert animabus nostris, ut nec ad momentum quidem inducias indulgeat. *Enimverò ab his anima nostra hostibus* (verba sunt Hildeberti Episcopi) *nemo unquã nocendi inducias extorsit, cum his quotidianus & anceps congressus, ex his innumerum vulnus, nec ex facili cicatricem permittens: sub his casus frequens, & respiratio difficilis: de his rara & nunquam secura victoria; Eripe me Domine ab homine malo.* Et si à me petitis, cur Dæmon homo vocetur, pro me respondebit Hugo; quod *Dæmon dicitur homo à devicto homine, sicut Scipio Africanus à devictâ Africâ*: Respondebit secundò Richardus: Dæmon homo dicitur, quia in comparatione ad solertiam & astutiam illius,

Hildebert.Ep. 30.

quâ

quâ nos tentat, nos insensati censemur instar bestiarum: *ac si apertè fateatur dicens, vide quia talem, tamque astutum hostem sustineo, cuius comparatione, quasi brutum animal appareo.*

11. Quis Dominum Deum nostrum cum iusto illo non obsecrabit, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me?* Noli me, ô Domine, corripere in indignatione tua, sed in tuâ divinâ benignitate & misericordiâ. Quis autem furor ille aut ira Dei, quærit S. Basilius de qua in Psal. fit mentio: *Misit in eos irã indignationis suæ, indignationem & iram, & tribulationem?* Aut in quo consistit ira ista? *Immißiones per Angelos malos. Supplicat David* (explicat Basilius) *ne per malas virtutes arguatur, nempe per immißionem Angelorum malorum corripiatur, sed per sermones potius salutares & disciplinas rationales.* Et uti Gregorius dicebat: *Vt qui divinis plagis non arguebantur, Diabolicis insidiis tonderentur.* O Domine, dicebat David, ne me crudeli Sathanæ manu, sed misericordi dextera tua castiges. Illa me percutit ut destruat, hæc ut sublevet: Illa ex odio inimici, hæc ex amore verè paterno. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Quis non coram Deo hanc amoris plenam Prophetæ querelam exponet: *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus sanctus meus & non moriemur? Domine in iudicium posuisti eum, & fortem, ut corriperes, fundasti eum.* O Deus æterne, si per divinam gratiam tuam habeamus spem mortem effugiendi æternam, cur nostro lateri adiunxisti robustissimum carnificem istum? *Tu Domine* (Sunt verba P. Hieronymi;) *constituisti eum quasi carnificem, & fortem fecisti eum, ita ut aut nullus, aut rarus eius possit resistere voluntati.*

Ps. 37. v. 1.

Basil. in Psal. 77.

Ps. 139. v. 2.

Greg. l. 4. moral.

Hildebert. E. 0.

Habac. 1. v. 12.

Hier. in Habach.

12. Verum tempus est, ut ad alteram partem transgrediamur, dicamusque cum S. Jacobo Apostolo: *Beatus vir qui suffert tentationem.* Imò idem addit, omne gaudium, omnemque fœlicitatem æstimandam esse, cum tentationibus appetimur: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Nec enim Deus noster adeò est asper, aut ita inhumanus, ut tentationem nostram permitteret, nisi tentatum esse utile esset & gloriosum. Porrò neque virtus humana in tranquillitate pacis tam facilè avelleretur à malis, uti fit inter bellorum turbines: Neque lucrum sine labore, aut aliquo perpesso incommodo, adeò foret charum aut gratum, neque ita placeret sicut post labores & præliorum fœlices eventus: neque ipsemet Deus adeò à servis suis glorificaretur si hi inter beneficiorum blanditias tantum, non verò inter adversitatum etiam asperitates in Deo sibi complacerent.

Secundũ punctum.

Concedatur ergò verum esse, quicquid hactenus de potentiâ, astutiâ & machinis Dæmonis dictum est: at verò pariter concedatur necessum est, ea omnia inservire pro incremento virtutum, & meritorum ipsis iustis. Cernere idipsum est, uti advertit Petrus Blesensis in Iob, in iis, quæ magno Dei servo Iob evenerunt, qui postquam à Sathanâ percussus est instar grani sinapis contusi, magnæ charitatis suæ ardorem mundo monstravit, tamque ab inimico excellentes reportavit victorias, quantæ fuerunt insidiæ, quibus à Dæmone impetitus fuit: *Non ex se, sed ex Deo*

Petr. Bl. in Iob.

ex Dei potestate ad usum nequitiæ suæ contra Iob Elementa movere permittitur, ut Iob inter flagella pressurarum in modum sinapis, dum plus conteritur vehementius inardescat, & dum adversarius omnia nocendi genera experitur, in omnibus superetur.

Sic odor pretiosi unguenti copiosiori fragrantiâ spargitur, quando vas, quo clauditur, movetur & tractatur magis, pretiosa quoque aromata, dum in igne cremantur magis olent. *Vnguenta redolere latius nesciunt, nisi commota, & sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cum incenduntur, expandunt, ita sancti viri omne quod virtutibus redoleat, in tribulationibus innotescunt.* Sunt hæc ipsa S. Petri Damiani verba.

Ser. 1. de S. Mauro.

13. Mundus iste sapientum iudicio, mari similior est, quam esse possit mare sibimetipsi, in quo vita nostra ad modum dissolutorum lignorum ab undis innumerabilium fluctuum agitatur & commovetur. Mare est inconstans: Mundus est traditor. Mare tempestuosum: mundus furibundus. Mare est amarum: mundus insipidus. Mare movetur à rabidis fluctuum procellis: mundus concutitur impetuosis desideriis. Mare iam erigitur usque ad cœlum, mox in abyssum usque deprimitur: mundus in prosperitate extollitur, in adversitatibus deprimitur. In mari natant pisces; in mundo tristes: In mari degunt millena monstra; in mundo mille peccata. In mari sunt insidiosæ Syrenes: in mundo fraudulentæ delitiæ & voluptates. In mari sunt pyratæ: in mundo Dæmones. In mari scopuli: in mundo pericula. In mari malatiæ: in mundo otia. E mari exurgunt nubes in aere condensatæ: in mundo consurgunt ignorantiæ, in ingenio hominis conclusæ. Super mari fremunt tonitrua, auditum obtundentia: in mundo ingentes rumores audiuntur causantes infamias. In mari sunt flumina, quæ terrent: in mundo sunt timores, qui hominem exanimant. In mari fastidiosæ nascuntur pluviæ: ex mundo fluunt dolosæ lachrymæ. In mari sunt tempestates quæ deiiciunt: in mundo morbi qui hominem evertunt. In mari sunt venti qui sibilant: in mundo perversæ linguæ quæ murmurant. In mari denique vita non nisi medio palmæ, à morte distat: in mundo mors quasi singulis momentis vitæ insidiatur. *Mare est mundus, quod amatores suos vorare novit, non portare,* dicebat Augustinus. Dic ergò nunc, fodes, quando magis apparet virtus nautica, in maris tranquillitate, an inter fluctuum procellas? sereno, an verò obscuro tempore? inter ventos favonios, aut verò inter infuriati Libeccii turbines? Ita veri & fidelis servi Dei virtus elucet inter tentationũ Sathanicarum horribiles tempestates, videlicet in cœlo densæ conspiciuntur quidem melancholiæ nubes: ipse tamen in corde suo serenus perseverat; Diabolicas quidem suggestiones, veluti furibundorum ventorum sibilos audit, ipse autem ridet & iocatur. Nunc ex magnis promissis in altum salientem se conspicit, mox verò ex horrendis minis in imum deturbatum; ipse autem in animo suo immobilis ac imperturbabilis continuo perseverat. Infinitis vitæ necessitatibus cinctum & circumdatum se esse reperit, quibus quasi marinarum unda-

undarum strictâ obsidione impetitur; ipse verò hilaris alacrisque iucundatur: Dirupta sunt spei suæ vela, fracti remi conatuum atq; intentionum sibi præfixarum, avulsus clavus favorum mundanorum, sublatæ sunt anchoræ fulcrorum terræ huius, quibus innitebatur; & animosus nihilominus permanet & invictus: Perdit veteres divitias tanquam artis marino nauticæ stipendium, nec tamen mentis generositatem unquam perdit: Conspicit se mille mortis expositum periculis; nec tamen de vitâ desperat. Dicat ergò

Bas. hô. 8. nunc Basilius Magnus *Nauclerum tempestas, Christianum tentatio probat.* Dicat

Chryso. ser. 6. Petrus Chrysologus *Gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas. Blandiente aurâ navim regit ultimus nauta. In confusione ventorum primi quæritur ars Magistri.*

S. Hier. in Ps. 66. 14. Sic Iob, ut inquit S. P. Hieronymus, adeo magnum passus est naufragium, ut necessum fuerit omnes à se res foras proiectas dimittere: *Iob vir sanctus tentatus est, perdidit filios & filias, & domus eius corruit. Omniaque repentè perdidit, nec Pater, nec Dominus.* Verum exspecta paulisper, & videbis, quam mirabili cùm arte ipse in mediis procellis navem suam gubernare novit. Quam invicta erat patientia inter tantas eius passiones? Qualis in divinam voluntatem resignatio inter præcepta adeò rigorosa? Quam cœlestia verba inter consortis suæ blasphemias, & falsorum amicorum suorum proferebat iniurias? Quam insuperabilis fortitudo inter casus adeò adversos: *Videte magnitudinem tentationis, videte magnitudinem virtutis,* cõcludit S. Doctor. Videte, & notate, quomodo magnitudo virtutis, pari passu cum magnitudine processerit tentationis, quantum enim Inimicus pertinax erat in ipso offendendo, tàm fuit Dei servus in sui defensione constans, tantumque sibi Deus in hoc animi valore & fortitudine, quâ se generosus hic palæstrites defendebat, complacuit, ut, sicut notat Hieronymus, Deus ipsemet de cœlo descenderit, eumque in suo sterquilinio, loco videlicet quovis throno regio honoratiori visitarit, & licet anteà nunquam locutus ipsi fuerit, post tentationem tamen facie ad faciem ipsum alloqui dignatus fuerit, sicuti loquitur amicus ad amicum; *antequam tentaretur, Deus ei nunquam locutus fuerat, postquam autem tentatus est, venit ad eum Deus, & familiariter loquitur; quasi amicus cum amico,* tandemque sapienter Hieronymus hisce verbis concludit: *Veniant plagæ, & omnia pœnarum genera, dum post plagas Christus adveniat.* Si tentatio Dei me amicum constituit, ut semper amicus esse valeam, semper tentatus esse cupio. Si plagæ & verbera cœlum mihi aperiunt, omni horâ plagari & pati desidero ut omni horâ cœlum pateat. *Videte magnitudinem tentationis, videte magnitudinem virtutis.* Et hoc erat motivum & argumentũ quo S. Bernardus consolando Reinaldum Epist. 72. ad Reinal. Abb. Abbatem lamentantem se onere insupportabili oppressum, suaviter utitur dicens: *In quantum gravaris, in tantum lucraris, & in quantum iuvaris, in tantum tua tibi præmia minuis. Elige ergò quod eligas, an qui gravando iuvant, an qui iuvando gravant, hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum existunt.* Quidnam

nam eligis, dicit S. Bernardus, an esse in pace sine lucro, an lucrari confligendo? carere tentatione sed sine coronâ, an vero tentationes sustinendo te coronari? carere inimico sed sine merito, an inter inimicorum turbas persistendo multum promereri? quanto maiora onera tua fuerint, tantò quoque maiores erunt triumphi, & quantò certamen crudelius fuerit, tantò & abundantius gerit stipendium. *In quantum gravaris, in tantum lucraris.*

15. Quot quantasque tentationes populus Dei electus patiebatur, priusquam suum in terram promissionis pedem inferret? quot pericula in mari & in terra? quot sinistros eventus in horridis sylvis? quot puncturas ab animalibus venenosis, quot sannas & derisiones exterarum nationum per quas transibat? quot necessitates, rerumque ferè omnium penurias? quot conflictus & bella barbaris & indomitis cum gentibus commissa, idque non iam duobus duntaxat aut tribus diebus, sed integro quadraginta annorum spatio, cùm tamen terram illam quam tanto tempore quærendo deperibat, suis, ut ita dicam, coram oculis haberet, ita ut illam paucos intra dies assequi potuisset. Cur murmuras? dicit S. Augustinus; Forte Deus populi sui toto illo tempore oblitus fuit? Forte gaudebat Deus videndo populum suum in deserto continuò defatigari? an forte recreabatur ex vario illo circuitu & ambagibus, quas per illas incultissimas & horridas solitudines cogebantur facere? Cur ergò tam diuturno tempore infœlices & miseros hosce homines inter tot incommoda suspensos tenuit? *Tardabantur*, dicit Augustinus, *quia exercebantur, non quia deserebantur.* Gaudebat Deus videndo illos in deserto exercitari, & quod terram promissam per patientiæ exercitiũ promererentur. Eià ergò, *mundus iste omnibus fidelibus quærentibus patriam, sic est, quomodo fuit Eremus populo Dei.* Ne credatis, velim, Dominum Deum sibi complacuisse in eo, quod videret populum suum malè haberi, mediantibus Sathanæ tentationibus, tum à domesticis, tum ab extraneis, tum à principibus, tum à privatis, tum à falsis amicis, tum ab inimicis apertis, cum illi in uno momento misericorditer subvenire potuisset. Cur ergò illos sic tentari permisit? *Tardabantur quia exercebantur, non quia deserebantur.*

Tract. 7. in epist. Ioa.

16. Hic est flatus ille qui flammam charitatis magis accendit, intensiusq; ardere facit: *Creavi Fabrum sufflantem in igne prunas.* Hic est ignis, qui aurum virtutis purgat & perficit. *In igne probatur aurum & argentum, homines vero acceptabiles in camino humilitatis.* Hic est ille malleus, inquit Augustinus, quo universa vasa domus Dei efformantur: *Malleus universæ terræ.* Hic est sal, inquit Origenes, qui à corruptione sacrificia nostra præservat: Omne sacrificium sale salietur. Hic est Chananæ*, dicit Gregorius Papa, qui in medio populi Dei habitat, tametsi tributarius, eo quod id illi utile sit, magnumque lucrum: Habitabit Chananæus in medio Ephraim tributarius. Hoc est pondus illud, quod Deus ventis suis facit, ut dicit Iob: Qui facit ventis pondus, nam secundum D. Gregorii glossam:

Isaiæ v. 16.

glossam: pondus ventis facere est cõcessam electis de virtutibus gloriam, permissa infirmitate temperare. Hic est furiosus ille Boreas, qui (ut ait Salomon) hortum sponsæ transcurrit, efficit tamen, ut idem odorem fragrantissimorum aromatum suaviter spiret. Veni Aquilo, & perfla hortum meum, & fluent aromata. Hæc est nix illa, dicit Euthymius, quæ instar lanæ seu pellis fovet, & fœcundam reddit cordis nostri terram: Qui dat nivem sicut lanam. Hic est gentilis ille, per singularem industriam à Deo in medio Jerosolymæ relictus, dicit Moyses: Hæ sunt gentes, quas, Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Jerusalem, ut sit videlicet triumphorum suorum materia, cui quoties resistit, toties generosi præbet conflictus & triumphi occasionem. Quoties restiteris, toties coronaberis, inquit S. Bernardus. In tua facultate est, si volueris, inimicum tuum facere servum tuum. Unde Paulinus Episcopus Ep. 34. dicebat: quod iustus amet bonam periculi sui fortunam, eo quod lucrum in periculo reperiat: Tentari desiderat; novit enim, quod, dum tentatur, pariter locupletetur. Gaudet de inimici sui fortitudine, ut fortitudinis suæ nobilius specimen præbeat, atque inter inimici sui astutias & dolos tantò magis artis bellandi elucescat peritia. *Amat fœlicitatem periculi sui, quia de periculo invenit salutem, qui mortem invenit sumptuosè. Cessat enim nautarum in tranquillitate peritia, nec nomen præstat artifici, nisi fuerit vis magna periculi.*

Isaiæ .16. Paulin. Ep. 34.

17. Ecquid ergò tu tibi, ô segnis, mollis & delicate miles Christi, persuades? An fortè, ut terram promissionis ingrediaris, nec tamen pericula deserti pertranseas? An fortè desideratis Rachelis frui amplexibus, nec tamen servitio diuturno idipsum promereri? an desponsari Filiæ Regis, nec occidisse Philistæos? videre gloriam nec tamen conscendisse montem? ut tempora diademate cingantur, nec tamen id promerueris? ad æternæ pacis regnum absque bello cõmisso pertingere? Absque conflictu in Capitolio cœlesti triumphos celebrare? cur ergo gloriaris & iactas te de istâ Christianismi sacrâ militiâ, quæ neque ad momentum requiem indulget? De venerando Christi nomine, quod aliud non profitetur, quam omnes inferni Furias in certamen lacessere? De sacramentis illis cœlestibus, quæ non sunt aliud, quam offensiva & defensiva arma bellica? De scripturis divinis, quæ aliud nihil docent, quam inimicitias & conflictus cum animæ hostibus? De istis tuis fundatoribus & Magistris, qui in gladio suo viam ad Paradysum tibi aperiunt? De hoc invictissimo tuo Capitaneo, qui hodie te suo sanctissimo exemplo spiritualem hanc militiam edocet. An non audis illud Cypriani monitum, ubi dicit: *Delicata iactatio est, cum periculum non est. In acie miles probatur?* An non recordaris doctrinæ S. Augustini; *Non potest quisquam coronari, nisi vicerit, neque potest vincere, nisi certaverit, neque potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit?* An non percipis illa te animantia S. Ambrosii verba? *Corona proposita est, subeunda certamina, & ideò tentationem nunquam timere debemus,*

L. 6. de mort. Aug. in Ps. 59.

bemus, *est enim causa gloriæ*, *Materia triumphorum.*

18. Quem tamen iustum invenies, qui assecutus sit Deum, absque hoc tentationis medio? Quis unquam cœli limini pedem intulit, nec tamen hanc probam sustinuerit? quis unquam Dei servus extitit, qui non habuerit lateri suo semper adhærens speciale Dæmonium? in domo Adæ fuit Abel innocens, sed ibidem quoque erat sceleratus homicida Cain. In domo Noe erant duo in patrem suum pii fratres, Sem & Iaphet; sed & ibi quoq; erat Cham quidam impius & irreverens. In domo Abrahæ unus obediens & devotus Isaac: sed simul cum ipso unus Ismael persecutor. In domo Isaac Iacob unus religiosus, & contemplativus, sed & prophanus quidam & sacrilegus Esau. In domo Jacob Joseph unus & castus, sed in aliorum invidorum & parum honestorum fratrum suorum societate. In summa suū quisq; habet adversariū, quo cum confligendo reportare valeat palmam: Moyses confligit cum Pharaone, Elias cum Jezabele, Eliseus cum pueris Samaritanis, Isaias cum Manasse, Michæas cum Achabo, Daniel cum Nabuchodonosore, Job cum falsis amicis suis, Tobias cum Sennacherib, Anna cum Phenenna, Lia cum Rachele, Sara cum Agar, David cum Saule, Machabæi cum Antiocho, Ioannes cum Herode, Petrus cum Simone Mago, Ambrosius cum Justina, Basilius cum Valente, Chrysostomus cum Eudoxia. In sum̄a verissimum est illud S. Leonis Papæ Oraculū serm. 1. de quadrag. *Nulla sunt sine tentationū experimentis opera virtutis. Nulla sine perturbationibus fides. Et nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria.*

Ser. 1. de Quad.

19. Hisce accedit, dilectissimi, quod tentatio non tantum sit virtutis exercitium, uti hucusq; ostendimus, verū & custodia & incrementū illius, adeò ut bene dixerit Salvianus: *Nequaquam nobis dolēda est hæc afflictio, quam intelligimus matrem esse virtutum.* Et S. Ambrosi⁹ de tētatione Job dicit q̄ sit *eruditio gloriosa virtutis. Sic semina messium gelu cooperta germinant* (sunt verba Gregorii lib. 6. ep. 25) *sic ignis flatu premitur ut crescat.*

L. 1. de provid.

Greg. l. 6 epist. 25.

Sic S. Petrus Chrysologus bene advertit serm. 123. Abraham optimi Lazari non aliam expressisse laudem, quā hanc: *Lazarus recepit mala.* Permisit Dominus hunc miserum hominem inter acutas & vivas adeo tentationes, quales erant à capite ad calcem, lividū & vulneribus plenū esse, consistere in medio eorum hominū, qui cane crudeliores erāt, adeò lautæ mensæ micas desiderare, nec quicquam accipere; nec tamē de tali homine aliud dicitur, quam *recepit mala*; *& id sufficiat ad meritū*, inquit Chrysolog⁹, *abundet ad gloriā, si non fecit bona, sed recepit mala.* Ad cōmendationem, inquam, iusti pessimè tentati id sufficiat, q̄ passus sit, si enim ita est, abundantē utiq; patientiæ materiam habuit, stimulum fiduciæ in Deū, occasionē denique oblivioni tradendi mundū, escam desideriorū vitæ futuræ, doctrinā notitiæ suiipsi⁹, universalē deniq; omnis virtutis eruditionē, *gloriosa eruditio virtutis.* Præterquā q̄ tentatio multum misero illi Lazaro proficua erat in sæculo futuro; hinc namq; Chrysolog⁹ subiunxit: *Beatus qui hic recepit tot mala, ut ibi bona omnia possideret.*

Serm. 123.

Hinc

Aug. in Ps. 118. Hinc, S. P. Augustinus considerando hæc Regis sancti verba: *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini*, dicit, non tibi peregrinum videatur, quod hi qui viam Domini, seu viam perfectionis perambulant, beati dicantur, illæ namque adversitates quas patiuntur, illa infortunia quæ degustant, amaritudines quas sentiunt, quas sufferunt malevolentias & odia, continuæ illæ, quibus quasi oppressi succumbunt, tentationes ipsos in oculis Dei perfectos reddunt, ipsosque regno gloriæ dignos constituunt. Huc se reflectebat Gregorius Papa, notans, quod Arca Noë, quoad locum, in quo bestiæ morabantur, admodum larga, quoad alium vero locum seu mansionem ubi degebant homines, angusta valde & stricta erat: *Ibi lata ubi bestiæ, ibi angusta ubi homines, quia lata est via quæ ducit ad perditionem.* Matth. 7. v. 13. Bestiæ amplè latèque consistunt in arcâ, homines verò valde constricti, illi namque inferno, hi verò cœlo destinati sunt.

20. Conscendatis, obsecro, mecum in profundam quandam S. Ioannis revelationem, videbitis namque in eâ spectaculum quoddam grande, videlicet stellam magnam & luminosam de cœlo cadentem; *Et cecidit de cœlo stella magna ardens tãquam facula.* Apoc. 8. v. 10. Quod verò nomen huic stellæ erat? *Et nomen stellæ* dicitur absynthium, quod est herba quædam inter cæteras omnes amarissima. Dæmon est stella ista, qui de cœlo ruit, ut amaritudine repleat universum, ideoque vocatus est *absynthium*: *Et nomen stellæ dicitur absynthium.* Notate hic, obsecro, mysterium, quod L. 27. v. 27. observat Aretas, idque ex Plinio didicit, videlicet: Absynthium oculorum aciem acuit, sic tentatio visum animæ seu cordis spiritualem perficit, nam est *gloriosa eruditio virtutis*. Sic S. Iob multa de Deo ante tentationem cognovit, sed multò perspicacior factus est visus eius, dicat: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Iob. 42. v. 5. Quasi diceret; videbar mihi antea in rebus cœlestibus doctus & peritus esse; & nunc videor mihi illa manu tangere, nec non & oculis meis videre; & sicut Gregorius mirabiliter dicit: *Mentis innocentiam, quam gloriose tenuit in tranquillitate, gloriosius servavit in verbere.* L. 3. mor. c. 5. Crevit virtus, quia visus crevit, per amarum tentationis absynthium oculorum interiorum lumen illi acutius redditur. Hoc enim est illud quod Deus Dæmoni præceperat, quando eidem dixit: *Veruntamen animam illius serva!* quasi diceret: tuis illum manibus totaliter consigno, solo discursu, ratione, & parte rationali excepta: *Permissionem verberis*, dicit Gregorius, *comitatur custodia protectionis & electum suum divina dispensatio custodiendo deserit, & deserendo custodit. Alia illius prodit, alia protegit.* Quasi diceret Deus deserendo servum suum, eundem protegit, & protegendo deserit, partim illum inimico occulit, partim illum eidem aperit, manibus illum Sathanæ tradit, ut mereatur; eundem verò suis manibus retinet, ne demereatur.

21 Frequenter (quis illud crederet?) multæ gratiæ divinæ causant in homine casum, fitque virtus vitii mater, nec non victoriæ alias victorias perdunt, dum scilicet ob illas nimium nobis confidimus, aut quod in illis

Deo debetur, arroganter nobis attribuimus, vel de eo gloriamur, quod ad Dei solius gloriam spectat, aut deniq; quia debitas pro illis Deo non agimus gratias. Omnibus hisce eventibus Deus humilitate tentationis remediatur; siquidem, ut bene advertit
L.23.mor. D. Gregorius Papa *dum proficimus, si nulla tentatio perflaret, alicuius nos fortitudinis esse crederemus. Sed pulsat nec frangit; impellit, nec movet; quatit, nec deiicit; ut de nostra infirmitate sentiamus esse, quod quatimur, de divino munere esse, quod stamus.* Unde magna cùm emphasi S. Augustinus Hom. 49. de tempore dixit: *Necesse est ut existant difficultates, ut ostendatur homini quod homo est.* Ecce tibi exemplum S. Petri ab eodem Augustino adductum, qui cum obtinuisset virtutem ambulandi super aquas, mox Christus fecit exurgere in aquis procellam seu tempestatem, ad hoc scilicet, ut Petrus intelligeret id, quod in Christi faciebat potestate, necnon & illud, quod ex suâ infirmitate facere poterat: *Si tu es, iube me ad te venire super aquas.* Unde tanta audacia? *Homo audeo, sed non hominem rogo: Iubeat Deus homo, ut possit homo, quod non potest homo.* Descendit Petrus è navicula, & ipsomet mari obstupescente super mare ambulat, *& potuit Petrus, quia iusserat Petra.* Sed ecce mox exurgente tempestate in aperto submersionis hæret periculo; ut omnes intelligamus id, quod Petrus poterat à seipso, nec non & id, quod poterat adiutus à Christo: *Ecce quid Petrus in Domino, quid in se. Videns ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, exclamavit: Domine pereo, libera me. Præsumpsit de Domino; potuit de Domino, titubavit ut homo, rediit ad Dominum. Tu es idem ipse Petrus in te parvus, in Domino magnus.* En hic habes illud, quod iamiam dicebamus, cur videlicet Dominus hominem tentari permittat; id est, *ut ostendatur homini, quod homo est.*

Ho.49. de temp. Serm.14. in Matth.

22. A S. Petro Paulus separari non debet, cui datus fuit Angelus Sathanæ, id est stimulus carnis, à quo vilissimè colaphizabatur. Cur ita? *ut ostendatur homini, quod homo est; ne magnitudo revelationum extollat me. Ne extolleretur tanquam iuvenis, colaphizatur ut puer.* Suntque verba Augustini: *Immundus itaque permittebatur, & sanctus probatur.* Hoc beneficium est Domini Dei, non verò ira; misericordia, non verò pœna: medicina, non venenum. Audi ad idem propositum opinionem Petri Chrysologi *Paulus stimulatur, ne extollatur, & quomodo, qui hæc audis, refugis stimulari? quomodo teipsum inter ubertatem donorum, aut conterere desinis, aut conteri non finis?* Superbia, ex mente S. Augustini, venenum quoddam est, quod non nisi alio quoque veneno adhibito sanatur, ad eum ferè modum, quo Theriacâ, ex venenis nempe compositâ, alia venena curantur. *Videte medicamentum quod sibi dicit appositum; ne extollar inquit, datus est mihi stimulus carnis meæ; ô venenum, quod non curatur nisi veneno! Caput cadebatur, ne caput extolleretur. O antidotum, quod quasi de serpente conficitur! Propterea Theriacâ nominatur, serpens enim ille superbiam persuasit. Merito ergò venenum serpentis de serpente sanatur.* Et quod est maximè mirandum, est, quod Paulus frequenter rogavit, ut ab hac tentatione liberaretur, neq; id

Serm.15. Ser.3. de verbis Apost.

In Ps. 44. id tamen obtinet. O Deus, dicit S. Augustinus *Apostolus rogat & non accipit, Diabolus petit, & accipit! Sed non accepit Apostolus propter perfectionem, accepit Diabolus ad damnationem suam.* Similiter infirmus petit à medico, ut tollat à se instrumentum igneum, seu mordax emplastrum, neque tamen id à medico obtinet, Serm. 54. in Ioannem: Serm. 54. in Ioan. *Petit æger, ut quod ad salutem apposuit Medicus, cum voluerit ægrotus, auferatur; Medicus dicit non.* Sed, ô Domine, est medicamentum nimis acerbum & mordax ac rodens! *Mordet, sed sanat. Tolle quod mordet, Medicus dicit, non tollo, quia sanat; non ergò exaudivit Dominus Paulum ad voluntatem, quia exaudivit ad sanitatem.*

23. Tandem memineritis illius, cuius mentionem facit Hieronymus: In epist. ad Rufinum. *Impugnabit Sathanas, sed tutabitur Christus.* Christus nos defendet in tentationibus, ac demum dulcissima adferet cõsolationum inenarrabilium refrigeria, ad eum modum, quo ipse hodie muneratus est per servitutem & omnium Angelorum obsequia; *Et ecce Angeli ministrabant ei.* Ne unquam à corde tuo, si in tentationum proba firmus esse cupis & solidus, discedant verba L. 30. Ho. 35. Augustini: *Ecclesia inter tentationes vivit, sed succedit quies labori. Recedit tentatio, manet benedictio.*

PARS SECUNDA.

Matth. 26. v. 41. Matth. 6. v. 13. 24. Verbis Christi Domini nunc respondeamus, necessum est; *Orate ne intretis in tentationem.* Et alibi. *Ne nos inducas in tentationem.* Si enim beatus est, qui tentationibus impetitur, & ob id gaudendum est, uti S. Jacobus dicit, quomodo ergò dicitur: *Orate ne intretis in tentationem?*

Primò ergò S. Augustinus ita intelligit: *Ne nos inducas in tentationem, ne deserti tuo adiutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti.* Ep. 121. Ne deseras nos in tentationibus, ita ut tuâ gratiâ exarmati seu exuti superemur. *Laqueum paraverunt pedibus meis.* Tentationis laqueus tensus est à Dæmoniis, unde non petitur à nobis, ut laqueus nobis tensus non sit, sed ne per illum capiamur, aut laqueo implicemur. L. 22. de Civitate Dei. Hæc vita (dicit S. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei) plena est tentationibus. Imò, ut S. Propheta Iob dicit, est mera Cap. 7. tentatio: *Tentatio est vita hominis super terram.* O magne cœlorum Deus, cur in hanc vitam tantas misisti aut permisisti amaritudines, illamque tot obsedisti contrarietatibus, ut vix aliquod pacis momentum habeatur? *Ideò* (respondet D. Augustinus) *huius vitæ dulcedo amaritudinibus respersa est, ut alia vita quæratur, quæ nulla amaritudine perturbatur.* Permittit Dominus Deus, ut Angelus malus qui *Absynthium* vocatur, mundum amaritudine imbuat, ut quæratur alius, ubi nulla invenitur amaritudo. Si verò quispiam tentationibus, hoc est amaritudinibus vitæ huius uteretur, non ad quærendam aliam vitam, sed ad eliciendos actus impatientiæ, vel ad murmurandum de providentiâ Dei, vel ad desperandum de divinæ gratiæ auxilio, vel ad magnum Dei nomen blasphemandum, hoc verè esset ingredi tentationis laqueum, quod prohibitum est à Christo dicente. *Vigilate ne intretis in tentationem.*

25. Con-

Pf. 31. v. 4. 25. *Conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina*, cantabat olim sanctus

Ser. 48. in Can. ille Cytharædus *spina pœna est* (interpretatur D. Bernardus) *spina vicinus malus, & spina falsus frater est; sed bene confixus, qui conversus inde est, bene pungeris, si compungeris*. Sed si ego procurem, ut me ab istâ spinâ liberem, per iniustitiam; aut si me expedio ab inimico, vindicando me de iniuriâ; aut si tollam ab oculis meis falsum fratrem, occidendo illum, quod prohibitum est à Domino: *Ne nos inducas in tentationem*. Paulo dedit Deus uti diximus, stimulum carnis ad humilitatem, *quia elatus perire poterat*,

L. 33. mor. uti advertit Gregorius *tentatus est, ne periret. Tentatio ergo illa non vorago vitiorum, sed custodia meritorum fuit*. Et more suo solito idem sanctus benè concludit: *Antiquus itaque hostis occultis Dei dispensationibus serviens, sanctorum animas ad interitum tentat volens, sed ad regnum tentando servat invitus*. Quid ergò petimus quando dicimus: *Ne nos inducas in tentationem*? Nihil aliud profectò, quàm ut tentationi non consentiamus; sed illâ utamur, veluti materia humilitatis, aut sicuti stimulo incitante ad eundem Deum, & tanquam occasione inquirendi cœlum.

26. Secundo idem Augustinus simul cum Cypriano & Chrysostomo dicit, quod in illo verbo: *Ne nos inducas in tentationem*, petatur, ut quis sit omninò à tentationibus liber, id quod suppositâ naturali nostrâ infirmitate, nobis est securius. An non videtis S. Jacobum magnâ cum advertentiâ loqui cum dicit: *Beatus vir qui suffert tentationem*. Non dicit: Beatus qui illam quærit, sed qui suffert illam. Item *Omne gaudium existimate cum in varias tentationes incideritis*.

Nota verbum illud, *incideritis*, hoc enim verbo indicat Apostolus hunc sensum, quasi diceret: si fortè fortuitò incideritis vel obviam habueritis tentationem, non verò quando vos ipsos ex industriâ cum summâ securitate & audaciâ in tentationes ultro præcipitaveritis. Annon aliquando audistis illud quod sapiens Seneca quondam Sen. in

dixit: *Animus vereri qui scit, scit tutò ingredi*. sent. Ambularemus utique bene, si fragilitatis nostræ conscii ambularemus timidi, nobisque sineremus persuaderi illud S. Augustini monitum:

Admoneo vos fratres in conspectu Dei, timori vestro adiungite timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo. In exhor. ad pœnit. Mementote illius virgulæ fumi ex variis pretiosis aromatibus compositæ, cui Domini sponsa assimilatur; *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & omnis generis pigmentorum, &c.* Cant. 3. v. 6. Et quid putatis, significat hæc virgula fumi, ex tot tamque pretiosis confecta aromatibus? certè nihil aliud, quam sancta proposita, rectas intentiones, casta desideria, humilem reverentiam, fervorem ardentem, & orationem sublimem; sed quam facile est hunc fragrantem pretiosum fumum à vento & procellis dissipari? Exponat hoc venerabilis Abbas Gillibertus *suavis est* Ser. 15. in Cant. *planè & omninò spiritualis vapor fumi, in quem se aromata concremata relaxant; sed ego virgulæ isti teneræ, & delicatæ turbines metuo, ne illam ventorum flabra diverberent, ne circumferat procella curarum. Multos enim videmus, & dolemus tàm insperatos cessisse, quàm subitò erupisse*. Quot perie-

perierunt, quia perire non timuerunt? Quot ceciderunt, eò quod vanè sibi persuaserint se cadere non posse? quot ceciderunt in prælio; quia nimium de se confisi, ingressi sunt pugnam.

27. Concludo ergo, & sic dico: si Dæmon adeo est potens, uti diximus, cur non times? & si in conspectu auxilii cœlestis positus adeo est impotens, uti monstravimus, cur ergo formidas? si temeritas est, semetipsum periculis tentationis ingerere, cur adeò es temerarius? si est segnities inter certissimas & indubitatas victoriæ occasiones permittere se vinci, cur adeo ignavus esse vis? sequere magni tui Capitanei vestigia, qui ad pugnandum quidem egressus est, sed conductus à spiritu sancto: *Ductus est in desertum à spiritu.* Si venit ad luctam cum inimico, id fecit post quadraginta dierum præviam præparationem: *Postquam jejunasset 40. diebus & 40. noctibus.* Si retorsit generosos tentatoris illatos ictus, fecit id per sacros divinarum scripturarum textus: *Scriptum est non tentabis Dominum Deum tuum.* Si reportavit triumphum, illum sanè retulit per perseverantiam: *Et consummatâ omni tentatione reliquit eum Diabolus.* Super omnia autem te consoletur gloriosus pugnæ finis; sicut enim post pugnam, Angeli invicto huic Capitaneo ministrarunt, sic post præsentis vitæ pugnam eidem Angeli triumphos agent, generosorumque Christi militum insignes palmas decantabunt.

CONCIO V.

In Feriam II post Dom. I. Quadrag.

THEMA.

Cum venerit Filius hominis in Maiestate suâ, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ.
Matth. 25. v. 31.

ARGVMENTVM.

Inter omnes pœnas extremi iudicii, maxima, quam reprobi sustinebunt, erit conspectus seu visio Christi, quando, scilicet, reprobus culpabilem sese depre-

hendent ante Iudicem offenſum, reum in cōſpectu iracundi Principis, infirmum ac debilem coram facie cuiuſdam luctatoris omnipotentis, derelictum ac deſolatum coram tribunali Dei inexorabilis.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Difficultas loquendi de iudicio propter eius horrorem & alias circumſtantias.n.1.

Iudicii deſcriptio.n.2.

Prima Iudicis proprietas. *Synopſis concionis.ibid.*

Iudex offenſus, à tanto tempore, tot modis, tam graviter, & à tam vilibus creaturis. Sophonias à Petro *Damiano* adductus.*n.3.*

Scelera hominum examinanda ſanctuarii bilance. Pſalmus à Bernardo elucidatus *ſicut & Sophonias.n.4.*

Statuet Chriſtus contra faciem peccatoris peccata ſua. Hic multa deſcribuntur.*n.5.*

Si iuſti coram Deo offenſo ſunt timidi, quid de peccatoribus ſentiendum.ib.

In Iudicio recenſebit Deus peccatori beneficia in ipſum collata, & ingratitudinem improperabit.n.6.

Maximum damnatorum ſupplicium erit præſentari. Coram Chriſto & ab ipſo expelli.n.7.

Omnia in quibus confidentiam ſtabilierat peccator in vita eum in iudicio derelinquent & ſolus cum peccatis ſuis remanebit num.8.

Secunda Iudicis proprietas. *Iracundiæ Dei temporales nihil ſunt in comparatione eius quam exercebit in die iudicii.nu.9.*

Nunc ergo exurge veritas & quaſi de patientiâ erumpe. Grave Tertulliani effatum.*num.9.*

Omnia benignitatis & amoris Dei ſigna in iracundiam converſa. Iob productus.*num.10.*

Facies Dei irati inferno horribilior, coget reprobos in infernum ire. Locus Iob hic *valdè conſonat.ib.*

Deus ad iudicium veniens comparatur homini revertenti à nuptiis. Bern.explicatio.*n.11.*

Ipſi Angeli, imo & Seraphini in iudicio territi. Multæ ſacræ & SS. Patrum ſententiæ *hic congeſtæ.ib.*

Dies Iudicii per Antonomaſiam dicitur dies Domini. Multorum *ſanctorum* cenſio.*n.12.*

Deus peccatores in hoc mundo caſtigat ut pater, quaſi dormiens, uno duntaxat digito, ut perſona privata & cum contrarietate; ſed in extremo Iudicio, veniet omnino vigil, tanquam inimicus, puniet integra manu, tanquam Rex & Iudex ac denique abſque ulla oppoſitione.n.13.uſque ad 20. Tertia Iudicis proprietas.

Chilo Lacedæmonienſis Iudex factus, hæc ad ſuos verba habuit conſideratione digna: ab hac die me à vobis alienum putate.*num.15.*

Omnes punitiones ab origine mundi nihil ſunt in comparatione ultima.n.16.

Iudex

Quarta Iudicis proprietas.

Iudex in Iudicio extremo erit inexorabilis.

Iam Christus plura habet motiva quibus flectatur scilicet intercessio sanctissima Matris. Sanctorum tum Angelorum tum hominum, efficacia sacramentorum, vox proprii sui sanguinis sed in iudicio extremo omnia contra peccatorem armabuntur. num. 20. usque ad 25.

1. QUâ ratione mihi præsumere possum, digno verborum sententiarumque apparatu, tremendum illum vobis hodie repræsentare diem, qui vitæ humanæ dolorosæ tragœdiæ ultimus actus, æternitatis verò primus erit ingressus, quando Malachias Propheta luculenter fatetur Iudicium illud ter maximum omnis iudicii vincere æstimationem, omnisque creatæ cogitationis vires in immensum transcendere? *Quis poterit cogitare diem adventus eius, & quis stabit ad videndum eum?* Quid de re tam magnâ unquam dicturus sum, quod non sit modicum, longèque eâdem inferius, sive tribunalis apparatum; sive Maiestatem iudicis: sive Assessorum pompam; sive causæ tractandæ gravitatem; sive severitatem sententiæ; sive pœnæ æternitatem spectes? Quæ unquam ab oculis stillari poterunt lachrymæ, quæ in pectore resonare suspiria, quænam verborum tonitrua ab ore egredi, quæ explicare id possint, quod omninò est ineffabile? aut conspiciendum exhibeant, quod brevem visus nostri aciem infinito excedit intervallo?

Malach. 3. v. 2.

Virg. l. 6. Æneid.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut posit lachrymis æquare dolorem?

2. Quo me vertam, ô Deus meus, quando me omni ex parte ab impenetrabilibus iudiciorum tuorum abyssis, à tuâ verè quidem rationabili, sed rigorosissimâ iustitiâ in stuporem actum conspicio? quando ob oculos se mihi sistunt accusationes omni excusatione carentes: sententiæ omni destitutæ appellationis beneficio, sine patrocinio rei, pœnæ sine remedio, sine solatio dolores, carnifices sine pietate, carceres omnem prohibentes exitum, tormenta nescientia finem?

Quid, ô pater luminum, dicturus sum populo huic devoto, qui ingenti cum desiderio cibum sancti verbi tui expectat? quid inquam dicam, quod non meritò minus, quam nihil æstimari debeat, si cum illo conferatur, quod de tremendo illo tuo iudicio universa natura repræsentat, ad ipsas etiam creaturas insensatas usque? Annon cœlum plangit, stellæ cadunt, aer gemit, tremit terra, fremit mare, montes dimoventur, feræ sæviunt, elementa diffident, ardet denique totus mundus? verum enimvero, dilectissimi, ut vobis animi mei horrorem ingenuè confitear, omnia alia quantumcumque etiam formidabilia, & horrenda ab oculis meis quasi disparent, dum iudicem illum Maiestate plenissimum (de quo in Evangelio dici audio: *Cum venerit in Maiestate sua; sedebit super sedem Maiestatis suæ*) intueor. Hic enim est unicum timoris mei obiectum; hic materia omnis doloris mei; hic suspiriorum meorum sola causa; hic, inquam, me cogit hæc Prophetæ verba repetere: *Quis poterit cogitare diem adventus eius, aut quis stabit ad videndum eum?* Quâ

 fronte

fronte homo sceleratus se sistet offensi Iudicis conspectui, reus coram irato sibi Principe, infirmus in luctam cum pugnatore omnipotente, peccator omninò derelictus in facie inexorabilis Dei quomodo apparere ausit?

Primum punctum seu prima proprietas Iudicis.

3. Et primò quidem, quomodo stare poterit peccator in præsentiâ offensi Iudicis? Et quidem tanto tempore offensi, tot modis offensi, tàm graviter offensi, denique offensi à tàm vilibus & infimis creaturis? si sermo sit de tempore offensæ, hæ inceperunt cum ipso exordiente mundo, si de numero & multitudine offensarum, tot eæ sunt, ut omnem prorsus numerum superent, si de gravitate; nullus existit intellectus, qui illius intelligendæ sit capax. Si denique de offendentium vilitate agatur, hi sunt homines infinitum miserabiles.

Sopho. 1. v. 14.

Hæc prævidens Sophonias Propheta nescisse videtur, quibus hanc iudicii diætam titulis, doloris & amaritudinis vehementiam satis exprimentibus, describere possit, dicit enim: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est velox nimis: vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis: Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis: Dies tubæ & clangoris.* Considera obsecrò, dicit Petrus Damiani, quam sit iudicium istud in corde impii amarum futurum, quando Propheta,

Epist. 55.

uti apparet, maximam isthanc amaritudinem explicare non novit: *Pensa, dilectißime, extremum diem iudicii super corda reproborum, quâ asperitate Propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valuit explicare.*

Ps. 49. v. 21.

4. Quondam Deus per psalmistam dicebat: *Existimasti iniquè quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.* Cogitasti, ô impie, me tibi similem futurum, scelerum tuorum gravitatem, prout convenit, non satis æstimando, sive quod in iudicio meo sine iudicio futurus essem, gravissimorum peccatorum tuorum non considerando enormitatem. Scito ergò, quod in illâ die, omnes culpas sigillatim statuam contra faciem tuam, atque easdem examinabo librâ, seu bilance accuratissimâ scientiæ meæ quæ falli nescit, meæ rigorosæ justitiæ quæ non corrumpitur, æternorum iudiciorum meorum, quæ irreprehensibilia sunt & veneranda. Eritque examen istud adeò subtile, ut iustitiæ in die illâ iniquitatis speciem habituræ sint, nec non & Hierosolymæ incolæ, id est, spirituales, reprobæ Babyloniæ sint reputandi cives. *Cum accepero tempus, ego Iustitias iudicabo.* Sub illum meum syndicatum non solæ cadent iniquitates, verum ipsæ quoque iustitiæ. *Et si iustitias iudicabit, quanto magis iniustitias.* Dicit S. Bernardus ibique non soli impii comparebunt, verum etiam pii, secundum illud Domini verbum apud Sophoniam. *Scrutabor Ierusalem in lucernis. Quid tutum in*

Ps. 74. v. 3.

Epist. 87.

Cap. 1.

Babylone, si Ierusalem manet scrutinium? concludit idem Bernardus.

5. *Statuam contra faciem tuam.* At quid Deus ante peccatorem statuet? declarat hæc lectio septuaginta interpretum, quæ dicit; *Statuam contra te peccata tua.* Te, ô Christiane, Redemptor tuus tunc memorem reddet uniuscuiusque momenti inutiliter perditi, aut vanè consumpti, omnis passionis iuvenilis effrænatæ, omnis inordinationis rebellis & contumacis carnis tuæ, omnium impurarum mentis cogitationum, omnium fraudum malitiosi cordis tui, omnium gestuum indisciplinatæ vitæ tuæ, omnium circumstantiarum, tot tamque malarum operationum tuarum. Tantæ oblivionis, inter tot tibi exhibita beneficia; tantæ temeritatis, in tot tantisque periculis; tantæ ignaviæ, inter tot auxilia; tantæ iacturæ, inter tot lucri occasiones; tantæ obdurationis, inter toties repetitas vocationes Dei; tot delictorum inter tot exempla virtutum.

L.24.mor. Non æstimo (est hic discursus S. Gregorii Papæ) te adeo fore arrogantem, ut tibi persuadeas te sanctitatem habere Apostolorum & Prophetarum, aut proximum te esse heroicis primorum antiqui & novi Testamenti Patrum virtutibus. Quis enim nostrum, vitam præcedentium Patrum valeat vel superare, vel assequi? Et tamen hi venerabiles Patres, hæc Prophetæ verba: *Statuam contra te peccata tua,* considerantes, senserunt ab oculis suis suam sibi quasi evanescere innocentiam, atque in imperfectionibus suis quasi confusi, & in nihilum redacti remanebant. Et tamen David dicit: *Non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens.* Ps.142. v.2. *Paulus cum diceret: Nihil mihi conscius sum, cautè subiunxit, sed non in hoc iustificatus sum.* 1. Cor.4. v.4. *Iacobus dicit: In multis offendimus omnes.* Iacobi 3. v.2. *Ioannes dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* 1. Ioannis 1. v.8. Cùm ergò Iusti, coram Deo offenso adeò sint timidi, & quasi desperati, quam sibi peccatores fiduciam promittere poterunt? Et si fortissimæ sic tremunt Columnæ, quomodo fragilissima subsistent tuguria? Si denique adeo atrociter Cedri concutiuntur, virgulta quomodo immobilia perseverabunt? *Quid ergo facient taberna si tremunt columnæ? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si huius pavoris turbine etiam Cedri quatientur?*

Porrò nostine causam ob quam iusti adeo sunt pavidi, nullâque ex sanctitate se reputant securos? utique quia norunt verum esse, quod dicit Angelicus Doctor videlicet: In 1. Pet.4. *Sordet in discretione iudicis, quod fulget in consideratione operantis.* Quot sunt hodie virtutes, quæ tunc suâ denudatæ larvâ apparebunt defectus? Quot sunt hodie exempla

empla pannis propriis decenter vestita, quæ tunc hypocrises fuisse declarabuntur? Quot zeli condemnabuntur veluti iræ & vindictæ? Quot iustitiæ videbuntur in habitu crudelitatis & excessivi rigoris? Quot humiliationes tanquam sordidi quæstus sententiam accipient? Quot offensæ Dei foras eruentur è tenebris, quæ in iisdem latentes obsequia apparebant esse & sacrificia? Tunc adimplebitur illa S. Iob Prophetia: *Qui oderunt te, induentur confusione*, quæ illos à capite ad calcem usque cooperiet, dum una ex parte iudicem offensum: ex altera verò offensam contra iudicem commissam claré conspicient. *Quis igitur dignè penset, iniquorum confusio quanta tunc erit, quando & foris æternus iudex cernitur, & intus ante oculos culpa versatur? statuam contra te peccata tua.*

Grego. ubi supra.

6. Dono tibi dederam, dicet Deus, hanc animam tuam essentiæ meæ simillimam, tu verò deturbasti eandem in bestiarum irrationalium similitudinem. Fabricaveram corpus tuum tanto cum artificio ut congrua nobilis adeo incolæ domus esset: tu verò illud infinitis turpitudinum maculis defœdasti. In fidelem tui custodem, unum ex Paradisi principibus consignavi tibi, tu verò, posthabitâ eius custodiâ, spretis consiliis suis, præsentiam illius inhonorasti, ego tot tibi modis creaturas meas in obsequium tuum dedicaveram, tu verò iisdem in magnam mei contumeliam abusus es; contra frequentes infirmitates tuas mille tibi antidota in Sacramentis meis præparaveram, tu illa stolidi & amentis instar nihili fecisti; ut te è captivitate tua redimerem meipsum vendidi, atque in pretium tui, sanguinem & vitam meam reposui, tu verò in singularis beneficii illius remunerationem infinities contra me traditiones concepisti & perfidias. Quoties ad cordis tui ostium pulsavi, & repulisti me? Quoties modis secretissimis & reconditis, ad mentis tuæ aurem, ut te quod rectũ est edocerem, locutus sum, neque audire quidem dignatus es? Quoties mediantibus prædicatoribus meis, veritatem tibi insinuari curavi, & illam irrisisti? Quoties gratiæ meæ suavitate atque dulcedine, ut te allicerem, conatus sum, & ingratus extitisti mihi? Quoties piis flagellorum meorum immissorum monitionibus, ut te corrigerem, tentavi, & induratus es amplius? Quoties te raris servorum meorum fidelium exemplis revocavi, quę tamen ne quidem aspicere dignatus es? Commissa peccata tibi millies ignovi, tu millies inconstans reversus es ad vomitum; vanam tuam promissionem millies acceptavi, tu verò illam millies infidelis factus dirupisti; millies propositum tuum renovatum conspexi, millies item vidi idipsum violatum; tantâ inverecundia in mundo peccasti, tanquam si absens fuissem, immensam personæ meæ Maiestatem adeo temerè provocasti, ut hominem omninò impotentem maiori cum temeritate provocare non potuisses; tam exiguo iustitiæ meæ timore, dum vita concederet, dies tuos transegisti, quasi ad illorum exactorum rationem nunquam postulandus fuisses; Leges meas tantâ cum libertate transgressus es, quasi meæ leges nequaquam,

nequaquam, aut nunquam extitisſent; à continuis minis meis oculos non minus occlusisti, quam si castigationum mearum securus ab iisdem exempt⁹ fuisses; Adeò me viliter in cunctis negotiis tuis tractasti, quasi ego vilissimus verna & servus tuus, tu verò absolutus meus Dominus extitisses; Sceptrum Regni mei è manu meâ sustulisti, temerè providentiæ meæ obmurmurando; cultum religionis meæ rapuisti mihi, templa mea prophanando; tributo gloriæ spoliasti me blasphemando æternum nomen meum; iniuriarum tuarum atrocitate, quantum in te erat lucem famæ meæ sepelivisti; scandalizasti malis exemplis tuis ecclesiam meam; intoxicasti operum tuorum malitia mundum; nunc igitur tandem hora advenit, qua ego in angelorum hominumque præsentia, manifestem, quam mihi iniuriæ tuæ graves, & quantum castigatione dignæ extiterint. Nunc finis longanimitatis & patientiæ meæ advenit, adest nunc terminus inverecundiæ tuæ, tuorumque temerariorum ausuum. Nunc me cunctis post retrò sæculis inimicum habebis, eroque tibi per omnem æternitatem contrarius, atque semper adducam pondus iniquitatum tuarum: *Statuam contra te peccata tua.* Peccata flagitiosorum tunc erunt instar ardentissimarum flammarum, quę viscera & pectora eorum tanquam Æthnæ vivacissimi ardoris comburent, conformiter illis Prophetæ verbis. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, id est, ut Augustinus explicat: *Constitues eos ardentes intrinsecus conscientia impietatis suæ.* Psl.20. v.10. Aug. in Psl.20.

7. *Quid tunc dicturi sumus* (sunt verba Chrysostomi) *cum vincti stridentibus in exteriores tenebras dentibus adducemur?* Homi. 10. in 2. Cor. Quam fugam capient tunc illi miseri, quando se videbunt raptatos ad tenebras exteriores propriis suis onustos culpis? *Seu potius quid facturi sumus* (*quod ipsum omnium terribilium maximum est*) *cum Deum offendemus illique occurremus? Nam si quis est mente & sensu præditus, is certè gehennæ pœnam tolerare malit, quam coram adverso Deo stare.*

Nihil damnato formidabilius erit, quam videre se stantem coram offenso sibi & inimico Deo. In huius comparatione pœnæ, omnes inferni flammæ, rosæ sunt: vermium ac serpentum morsus sunt oscula: asperitates dæmonum atque flagella, blanditiæ sunt; tenebrosi illius specus horrores, palatiorum regiorum censebuntur delitiæ: inconditi infœlicium illorum captivorum clamores harmonici sunt concentus: passio infortunatorum illorũ instar iubili erit; denique non est imaginabile tormentum aliquod, quod comparari valeat cum tormento illo, quod damnati probabunt, dum se ob scelera sua, adeo Deo abominabiles esse conspicient, ut Deus præsentiam illorum quasi sustinere non valens, illos foras expellat atque à se abiiciat, horrendis his verbis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum; quasi qui non sufferat præsentiam illorum vel aspicere, sic dicit; discedite à me. Nam sicut carnales sæculi carnalem speciositatem videndo delectantur* (est discursus Chrysostomi) Hom. 54. in Matth. *si qua autem dissipata vel deformia videamus, quasi vulneratus est aspectus noster, sic & Deus, qui in sanctitate delectatur animarum,*

rum, peccatrices animas aspiciens, quasi gravatus non suffert, tanquam si dicat eis, quasi putredo & spurcitia estis, nec tamdiu vos sustineo, quamdiu statis in iudicio meo. Discedite à me, vos, ô mundi pestes, quos ego tantâ cum nauseâ intueor, quantâ res spurcissimæ & abominabiliores terræ huius videri solent. Apage sitis ab oculis meis, non enim patitur cor meum, ut pro hac quoque brevi temporis periodo, quâ vos iudico, vos intuear. In abyssum abite, ô vos infœliciter natæ animæ, illâque Misericordiâ indignæ, quam vobis tot repetitis vicibus obtuli, vos autem tot vicibus stultè conculcastis. Adsit nunc antiquus Pater Tertullianus dicens, quid tunc erit videre *tot Reges qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipso Iove in tenebris congemiscentes? tot Præsides persecutores Dominici nominis sævioribus quam ipsi flammis sævierunt liquescentes? tot Philosophos coram discipulis suis una conflagrantibus erubescentes? tot Poetas non ad Rhadamanti, vel ad Minois sed ad Christi tribunal palpitantes?*

Tert. in Apolo.

8. Quis ergò in conspectu Christi stare poterit, quin præ confusione moriatur, quando se in totius mundi præsentiâ videbit tanquam turpissimorum delictorum reum declaratum; tanquam abominabilem latronem condemnatum; tanquam infamem adulterum sententiatum; proscriptum ad tubæ sonitum tanquam rebellem subditum; tanquam infidelem amicum, imo traditorem proclamatum exulem; reprehensum tanquam periurum & perfidum promissionis datæ transgressorem; vituperatum tanquam mendacem nulliusque fidei hominem?

Quis tunc non erit attonitus, atq; tantum non exanimatus & sine spiritu, quando sibi à Christo dici audiet illud. *Vbi sunt Dii tui, quos fecisti tibi? surgant & liberent te in die afflictionis tuæ* in quibus maiorem, quam in ipsum Deũ tuum spem reposuisti? ubi gloria & pompa tua, quæ te replevit superbiâ & contemptu? ubi amici, à quibus stultè animatus es ad faciendum mala? ubi protectores, qui te humeris suis sustentarunt, & à iustitiæ rigore, nec non à publicis legibus absconderunt? ubi adulatores, qui tua mala proposita & iniqua consilia approbarunt? ubi nobilitas & parentes, qui te arrogantem & temerarium reddiderunt? ubi iuventus? ubi virium fortitudo? ubi sanitas, quæ tibi suggesserunt animum, ut contra ipsum cœlum iacula emitteres? ubi altæ illæ cogitationes, ubi superbæ illæ prætensiones, ubi temerarii ausus, ubi insolentes illæ resolutiones, ubi illa cum ratione pugnantia proposita, ubi superbia tua diabolica, ubi idola omnia, quæ à stultâ mente tuâ formabantur? *Vbi Dii tui, quos fecisti tibi?* Tunc temetipsum Deus statuet ante oculos tuos, ut idipsum videas, quod nunquam videre voluisti: *Ponam te contra te*, sic legit S. Augustinus locum psalmi iam adducti in Psalm. 49. *Modo te non vides, faciam, ut videas te. Quia si videres te, & displiceres tibi & placeres mihi: quia verò te non vides, placuisti tibi, displicebis & mihi & tibi, mihi cum iudicaberis, tibi cum ardebis, videbis fœditatem tuam, non corrigas, sed ut erubescas.* Horri-

Ierem. 2. v. 28.

Horribilior, quam in iudicio meo habere possis, visio, erit visio tuiipsius. Non est quod procul abeam ad quærendum tibi tormenta, terror enim tuus erit conscientia tua, crudelior, quem assignare tibi possum, carnifex tu ipsusmet eris. Intra te nascentur flammæ, quæ te comburent & consument, nec tamen te unquam absument, *videbis fœditatem tuam non ut corrigas, sed ut erubescas.*

Secundū punctum seu secunda proprietas Iudicis.

9. Transeamus nunc à Deo offenso, ad Deum iratum, & iratum quidem secundum offensæ proportionem. *Quis poterit cogitare diem adventus eius, aut quis stabit ad videndum eum?* Provocatus quidem est Deus in hac vita, à frequentibus iniuriis ipsi à nobis illatis, semper tamen etiam à misericordia sua revocatus est, ne castiget: tunc autem occurret totus zelo armatus & severitate, ad capiendam tot receptarum iniuriarum vindictam. Nihili faciatis, dicit per Isaiam, quod hactenus unquam me mundo iratum exhibui; somnii loco habeatis, omnem indignationem præteritam, omnemque horrendam comminationem interpretemini silentium, nec non iocum puerilem æstimetis omnes castigationes antiquas, quas immisi super faciem terræ. *Tacui, semper silui, patiens fui. Exurge igitur veritas, & quasi de patientia erumpe.* Tu ô Domine veritas quidem es, verum nescio, quomodo hactenus non comparuisti veritas, nam immensus cum sis, parvulus tamen apparuisti; Justus es & sine iustitia prodiisti; es fortis, & impotentem te simulasti; sapiens es, & visus es quasi non saperes; providus es, & existimatus es in gubernatione mundi huius quasi dormitabundus; valde vivaciter sentis in materia honoris, & visus es id nequaquam sentire; denique cum peccatum tibi placere nequaquam possit, semper tamen visus es peccatori abblandiri. Nunc ergò *exurge veritas, & quasi de patientia erumpe*, inquit Tertullianus. Tandem de patientia foràs aliquando progredere, qui te hactenus habuisti quasi absconditum & reclusum, teque eum, qui revera es, tandem demonstra. Huc usque ut ita dicam, videris fuisse Deus ludibundus seu per iocum talis existimatus, nunc te verè Deū esse demonstra. Dimitte citò patientiā quâ hactenus visus es celare tuam divinitatem, & iustum tuū rigorem prosequere, quo te mundo eum manifestes, qui revera es, & hactenus fuisti, *exurge veritas, & quasi de patiētia erumpe.*

Isa. 42. v. 14.

Tert. l. de Velan. Virg. c. 3.

10. Ecquis rigorosum illū & formidabilem syndicatū absq; infinito horrore videre poterit, dum omnes pietatis fontes clausi erunt, occlusi torrentes misericordiæ, omnes pœnarum moræ & dilationes terminatæ, proscriptæ cunctationes, quando cataractæ iustitiæ divinæ hominē dehiscent; iustitiæ, inquā, non iam amplius ligatæ, sed solutæ; non restrictæ, sed liberæ; non iam limitatæ, sed absolutæ; non permixtæ, sed puræ & selectæ; nō impugnatæ, sed ab omni cōtrario liberæ, quæ sola dominabitur in magnâ Josaphati valle, tanquā severa vindicatrix, Regina potentissima atq; luctatrix inexorabilis, ubi clemētia in indignationem; mansuetudo in ferocitatem, in furorem amor convertetur; ubi Agnus fremet sicut Leo; benigni oculi veluti terri-

bilia fulmina erunt; lingua hactenus placida sicut gladius discindens; dulcia verba ut horrenda tonitrua; blandæ manus quasi crudeles ministræ; affabilis vultus in mœstissimum in auditorum tormentorum præsagiũ. Unde peccatores tunc ibunt dicentes illa

Iob.c.30. v.21.

verba Iob *mutatus es mihi in crudelem, & in duritiâ manus tuæ adversaris mihi* Eritque Dei irati facies adeò peccatoribus terribilis, ut ad illam effugiendam semetipsos in ipsummet infernum ultrò præcipitaturi sint: *Et ibunt hi in supplicium æternum*, dixit Christus.

Matth. 25. v.46.

Sed quomodo ibunt? velocissimè profectò ab ipsis Dæmonibus trahentur, atque ab inferni tormentis cogentur & violentabuntur. *Quis proiectat eos*, dicit bonus quidam interpres:

Didac. Cel in Iudith.

Vt ipsi eant ad gehennam? aut quis eosdem territat, ut fugiant à loco iudicii? Quid hic acerbius experiuntur & gehennâ ipsâ intolerabilius? Quis illos pellit ad inferni horribiles flammas? Quid hic experiuntur adeò acerbum, ut præ illo infernus acerbus non videatur? Quid illos in iudicio terret adeò, ut illis non videatur formidabile ire in infernum? *Puto minacem iudicis vultum, minitantem iras, fulgurantem ignes, fulminantem incendia ipsis feralibus flammis acriora.* Facies Dei irati, inferno horribilior, ipsos in infernum præcipitat, ut fugiant flammas faciei Dei irati, æternas ingrediuntur flammas, nec illas sentiunt; Tartari supplicia non fugiunt, ut supplicium effugiant maius, quale est species Christi ad iracundiam provocati.

Iob.14. v.13.

Quis mihi det, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? quasi infernus protectio sit à furore divini vultus! O Deum immortalem! quale tormentum erit illud, quod ab irati iudicis personâ manabit, si inferni tormentum respectu illius non reputetur tormentum, sed refrigerium? *Quis stabit ad videndum eum?*

11. Adeatis S. Bernardum qui rationem dabit, cur Dominus ad iudicium veniens comparetur viro revertenti à nuptiis, tunc enim quasi factus ebrius misericordiæ suæ oblivisçetur: Non expectantibus veniet, tanquam revertens à nuptiis, tanquam potens crapulatus à vino, verè ebrius, & immemor misericordiarum suarum. Tunc enim quantum ad illos oblivisçetur misereri Deus.

Ser. 1. Do 1. post Epip.

Adeatis Gregorium qui glossando verba illa Iob: *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Quando Leviathan, id est, corpus & congregatio flagitiosorum à mundo in extremo iudicio sublata fuerit, tunc Angeli, id est, iusti non deprehendentur carere formidine, quantumvis, ut securi esse possint, plura suadeant, adeòque simul & securi erunt & timidi; securi ob conscientiam, timidi verò ob iudicis iram. Securi propter merita propria, timidi propter alterius demerita, securi propter bonitatem mentis, timidi verò per naturæ infirmitatem. *Erit in eis aliquo malo tremor lætus, & timor securus, quo & cœlesti regno remunerari certi sunt; & per tanti turbinis metum pro carnis infirmitate cõtremiscunt.* Quid ergò flagitiosus faciet, si tantùm ibi iustus horrescit? Quid faciet Dæmon, si Angelus tremit? Quo animo re-

L.34. mor.

mo reprobus tunc erit, quando electus ibi animo comparet pavido & formidoloso? *Consideremus ergo, quomodo tunc iniquorum conscientia concutitur, quando etiam iustorum vita turbatur. Hi qui oderunt adventum iudicis quid facient, si terrorem tanti iudicii, etiam qui diligunt, expavescunt?*

Orat. 2. de oran. Deo. Adeatis Chrysostomum, qui dicit, quod in magno illo die non tantum iusti trement, sed & ipsi quoque Seraphini, sic enim Isaias vidit, quod hi ante Deum in suâ Maiestate constituti cooperiebant pedes & faciem reverentiæ causâ, duabus autem alis, dicit, quod volarint, non quod verè volaverint, dixerat enim, quod starent firmi: *Seraphim stabant*: sed motus ille alarum erat signum certi cuiusdam timoris; quem habebant è præsentiâ adeò ingentis Maiestatis: Faciem quidem & pedem ob ingentem reverentiam tegentes, volatu verò, dum non valent in quiete manere, magnum tremorem declarantes. Si ergò Seraphini tremunt in conspectu Dei nondum irati, quid ergò peccatores facient in præsentiâ Dei iræ & furoris plenissimi? Hoc est quod Dominus dicit: Matth. 24. v. 19. *Nam & virtutes cœlorum commovebuntur*? quia ut S. Augustinus dicit, etiam Ser. 130. de temp. ibi Angeli, qui appellantur *virtutes cœlorum*, certo quodam tremore stupefacti hærebunt propter faciem horribilis & furibundi iudicis. *Tam terribile erit iudicium, ut etiam ab Angelis timeatur*; Ad eum ferè modum, quo dum Rex Iustitiæ executionem fieri iubet circa quendam olim sibi charissimum aulicum, deprehensum traditorem, ipsi quoque servi fideles timere incipiunt, *ita cum genus humanum iudicabitur, etiam cœlestes ministri pavebunt, & de terribili apparatu iudicis intuentis, horrendâ formidine contremiscunt.*

Accedite ad venerabilem Joachimum Abbatem qui vobis ob oculos statuet severissimum Iudicem adeò tremendum, ut scripturæ sacræ non ausint illum vocare hominem tunc, quando venturus est ad iudicium; tunc enim erit sine humanitate & absque misericordiâ: *Vidi similem filio hominis*, dimittet enim tunc antiquos mansuetissimos naturæ humanæ mores, solumque ostendet rigorem & inhumanitatem: erit quasi homo, quia ira eius & indignatio adeò magna apparebit, ut magis Dei propria videri possit, quam proportionata homini, quia affabilitas humanitatis absorpta erit à divinitatis potentia; *Vt sicut in eo aliquando divinitatis gloriam occultabat humanitas, ita nunc humanitatis eius abiectio à Maiestatis gloria, & abs splendore summæ lucis absorpta esse videatur.* In Apocal. 1.

Adeatis Ieremiam Prophetam qui testabitur, quod sicut nunc Deus tanquam amantissimus Pater castigat, ut corrigat, non verò, ut destruat; *Flagellat omnem filium, quem recipit.* Ita tunc Hebr. 12. v. 6. puniet tanquam capitalis inimicus: *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli.* Nam, ut benè advertit S. Hieronymus. *Aliter amicus, aliter inimicus percutit; aliter pater, aliter hostis, ille cædit, ut corrigat, iste percutit, ut occidat.* Ierem. 30. v. 14. Hiero. in Ier. 2.

Accedite Eliu apud Jobum, qui Iob. 35. v. 15. vos docebit qualiter quantumvis multum Dominus Deus in hac vitâ casti-

gavit, totum tamen istud vocatur modicum. *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur valdè.* Nunc in pœnis infligendis moderatus est Dominus, non exhibet iracundiæ suæ acerbitatem, summumque Iustitiæ suæ rigorem, & tamen S. Augustinus monet inveniri in sacris litteris horribilia supplicia, quibus aut populum Hebræum, aut Ecclesiæ suæ persecutores gravissimè mulctavit. Annō horribilissima in Annalibus narrata supplicia aurē eius, qui legit, sibilare faciūt? Annō eiusmodi supplicia talia fuêre, effeceruntq; ut ob eaDe⁹ noster De⁹ vindictæ vocaretur? Annō tunc, cum talia inferret supplicia, videri poterat, quod tantus ille furor divinitate indignus esset, possetque cum admiratione repeti illud:

In Ps. 109.

—Tantæne animis cœlestib⁹ iræ?

Et tamen omnia illa modica erant in comparatione iræ illius, quam Christus in iudicio suo exhibiturus est. *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur valdè.* Dicam ergò cum Augustino: *Si ergò tanta est ira occulti, quid erit iudicium manifesti?*

Ps. 59. v. 5. Accedite David Regem qui ob oculos vobis ponet tribulationes, quibus homines in hac vitâ abundè satis probati sunt, dicens: *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* q. d. Tu, ô Domine, vix unquam benignum nobis ostendisti vultum, quando enim nosmet applicavimus tantâ cum sollicitudine tuo servitio, tu nos semper pavisti amaritudinibus & probris, nec habuimus vel ad unicum momentum aliquid fœlicitatis, *ostendisti populo tuo dura.* Quis edicere poterit quanta servi Dei patiantur in semitis virtutum? Quis numerare poterit persecutiones ipsorum, exilia, paupertatem, iniurias, ipsa quoque eorundem Martyria? Adsit mihi nunc Gregorius Papa, mihique mysterium hocce absconditum declaret: *Per ista huius temporis flagella significat, quomodo tunc percussurus es, quando non parcens iudicas, qui sic distinctè modo iudicas quando parcis.* Si dum cōdonas, es tam terribilis, quam ergò tremendus eris dum non remittis? Si talis est indignatio tua erga filios, quem furorem habebis adversus inimicos? Si dum castigas, ut emendes, tantâ cum severitate castigas, quæ erit illa tua in castigando severitas, quando castigabis, ut condemnes. Benè ergò Iob dixit: Pondus iræ Dei sibi intolerabile fuisse: *Et pondus eius ferre non potui.* Ira Dei purgans portari nequit, & supportari poterit ira Dei, quæ reprobat? *Hinc perpendere summopere debemus,* (ita loquitur S. Gregor.) *quomodo fertur illa, quæ reprobat, si ferri modo vix valet eius ira, quæ purgat.*

L. 19. mor.

Cap. 31. v. 23.

L. 21. mor.

In Ps. 103. Accedite S. Basilium Magnum qui dicit magnam fuisse Dei providētiam quod cœlum ad instar cortinæ extenderit, *extendens cœlum sicut pellem*, vel uti ex literâ hebræâ vertit Titelmannus: *Extendens cœlū sicut cortinam*, ad hoc videlicet, ut cortina ista Maiestatem Dei nostri absconderet, secus enim futurū fuisset, ut omnes ex mero terrore corruissemus mortui. *Eam ob rem pro sua humanitate eximia Deus velum propria divinitati obduxit, videlicet cœlum, ne occideremur.* Neque existimetis velim, inquit Basilius, hæc verba mea esse; sunt enim magni cuiusdam Prophetæ verba, citatque verba Isaiæ secundùm versio- Is. 64.

sionem Septuaginta interpretum: *Nõ existimes velim, mea esse ista verba, sed verba Prophetæ: Si aperueris cœlum, tremor, qui à te proficiscitur, invadet etiam ipsos montes, & resolventur à seipsis, & contabescent*; Si cœlum istud tuum aperires, non tantum ex timore morerentur homines, verum etiam ipsi montes destruerentur, ac redigerentur in nihilum. Ideò Hebræi verentes, ne si Deus ipse manifestè præsens ipsis loqueretur, fortasse morerentur. *Perterriti ac pavore concussi steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis & audiemus; non loquatur nobis Deus, ne fortè moriamur.* Et tamen tunc Deus cum suavitate loquebatur, nec alio fine apparebat, nisi ut populum suum consolaretur, sine irâ, imò benignitate plenissimus. Facite igitur eam, quam sanctus Ephrem Syrus fecit, consequentiam: *Si neque cum consolatione valuerunt sufferre adventum eius, quid obsecrò facturi sumus, quando in furore & in irâ intolerabili descendet? Quis cogitabit diem adventus eius?*

Exod. 20. v. 19.

12. Sed quid dico? Annon dies iste per excellentiam vocatur dies iræ? *Dies Domini dies iræ*, dicit Sophonias. *Confregit in die iræ suæ Reges*, dicit David: *Detrahetur in die furoris Domini*, inquit Iob. *Nõ parcet in die vindictæ iræ suæ*, dicit Salomon. *Memento iræ in die consummationis*, dicit Ecclesiasticus. Tunc peccator iram seu indignationem Dei videns, ipse quoq; in furorem redigetur, nam tàm adversus Deum, quàm adversus semetipsum. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.* Videbunt peccatores Iudicem iratum, atque inde etiam ira & excandescentia pleni dentibus suis frement, tabescent & consumentur; ita David loquitur, tanquam nesciens eloqui, sic describit veluti ignarus, qua ratione describere diei illius horrorem debeat, qui omnis creati intellectus capacitatẽ omninò excedit: Id mihi os Chrysostomi aureũ significat. *Nõ potest, credite, non potest sermone cõprehendi, quæ futura est animi passio. Quis poterit cogitare diem adventus eius.*

Ps. 111. v. 10.

Hom. 4. in Epist. ad Thess.

Verum nolite sine speciali advertentiâ pertransire illud, quod S. Hier. notavit scilicet, quod Propheta dicit: *Peccator videbit*, contrarium omninò videtur alteri cuidam Prophetæ, qui dicit: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*; verum est, dicit Hieronymus, sed lege insuper id, quod sequitur in eodẽ secundo Propheta Isaia, videlicet qui postquam dixisset: *Tollatur impius ne videat*, mox subiungit: *Videant & confundantur, visuri sunt illam formã servi, & hominis* (sunt verba Hieron.) *quam dignatus est suscipere de nostrâ humanitate, sed illam gloriã, quam sancti habent, nec habebũt, nec videbunt, & quantum videbunt, ad illorum pœnam videbunt.* Videbunt humanitatẽ Domini gloriosam, quia ut dicit Gofridus Vindociẽsis Cardinalis sanctæ Priscæ, veniet Christus in forma humana, *ut Deus eâ formâ, qua iudicatus est à mũdo, iudicet mundũ; quã, quia mundus vidit humilẽ, & superbus contempsit; videbit sublimẽ & timebit, & quæ fuit in cruce exaltata ad pœnã, in iudicio exaltabitur ad gloriã*; adeo ut reprobi visuri quidẽ sint humanitatẽ gloriosã, sed non videbũt divinitatem glorificantem, videbunt Christum scelerũ vindicem, nõ tamen videbunt Christum meritorũ retributorẽ; videbunt ipsum Iudicẽ severum,

In Ps. 100.

Ser. 6. orat.

non tamen cernent ipsum blandũ remuneratorẽ. Deniq; videbunt ipsum veluti nubem; quæ populum Dei ducebat per desertum, quæ ab eâ parte quâ filii Dei consistebant, luminosa erat; à parte verò Ægyptiorum plena erat tenebrarum & horroris. *Gloriam quam sancti habent, nec habebunt, nec videbunt, & quantum videbunt ad illorum pœnam videbunt.*

Tertium punctum. seu tertia proprietas Iudicis.

13. Venio ad tertiam Iudicis proprietatem; Estque hæc videlicet: omnipotentia totaliter adhibita adversus fragilitatem peccatoris. Inter nos mortales contingit quidem, quod aliquis offensus sit, sed non iracundus; aut si etiam irascatur, sit tamen faciendæ vindictæ prorsus impotens. Christus iudex erit offensus, iratus, & omnipotens. *Quis poterit cogitare diem adventus eius, aut quis stabit ad videndum eum?* In hac vitâ Dominus semper summâ cum moderatione castigat & respectu, & quasi cum quâdam inclinationis suæ repugnantiâ, utpote qui semper benefacere cuperet, ut proinde puniens introducatur nunc veluti dormiens, quando potentiæ ligatæ existunt; nunc veluti Pater, cui paternus amor vim castigandi aufert; nunc verò duntaxat puniens digito, qui quam parum potens sit absque ope totius manus, facilè cognoscitur; nunc tanquam persona privata, cui sæpè deest facultas, quâ possit vindictam exserere; nunc denique cum oppositione & contrarietate, quæ certo quodam modo intentiones suas impediunt; at verò in die iudicii veniet ad iudicium omnino vigil, tanquam inimicus, puniet integrâ manu, veluti Rex, ac denique absque ullâ contrarii oppositione.

14. Et primò erit vigilans, & experrectus, non sicut in vitâ præsenti, in qua dormire & dormiendo punire videtur. Si enim dormiret, non diceret David. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus.* Non diceret Isaias: *Quod suscitabit zelum suum?* Non dicerent iusti: *Excita potentiam tuam & veni. Si Deo dormiente populus evertitur, quid sæviente?* dicit Rupertus Abbas. Si, cum quasi dormiendo castigat, pœnæ adeò sunt magnæ, quantò maiores erunt, quando illas vigil infligit? Tua, ô Domine potentia, cum dormitat, carnificinas & macella conficit populorum, atque integras nationes ad extremas reducit miserias, quid ergò faciet in die iudicii, quando evigilabit, aut quæ damna non creabit peccatori? *Si Deo dormiente populus evertitur, quid sæviente?*

Ps. 77. v. 65.

15. Præterea nunc Deus castigat, veluti amantissimus Pater, sæpè culpas dissimulando, vel etiam illas prætextu fragilitatis aut ignorantiæ nostræ excusando, multisq; vicibus pœnas moderando, prout ipsum maxima comitas eius & benevolentia docuerit, etsi à iustitiâ interdum necessitaretur ad monstrandam iram, ab amore tamen paterno hæc mitigaretur; at vero in extremo iudicii die tanquam inimicus puniet, cunctos à se pietatis titulos quos amor suggerit paternus sequestrans. Chilo Lacedæmoniensis Iudex à civibus suis factus, iussit coram se comparere uxorem, filios, familiam, & totam consanguinitatem, & severo cum supercilio ac tanquam inimicus, hæc illis verba dixit: *Ab hac die me à*

vobis

Plut. in Apoph. *vobis alienum putate.* q. d. Ab hoc temporis momento, ita vobis persuadeatis velim, mihi deinceps nihil interesse vobiscum; ab hac horâ quâ factus sum Iudex, extraneus quoq; simul vobis factus sum, meq; in delictis vestris non alium habebitis, quam si in minimo quidem ne vos contingerem. O sancte Deus! qualem mihi terrorē hæc sententia incutit, nam Deus qui nunc nos manibus suis descriptos continet, qui firmā adeò nostri habet memoriam, & faciliùs sponsa monilium suorum obliviscatur, quam ut ipse unquam populi sui oblivisceretur, qui homines nunc oculorum suorum pupillam, & coronam gloriæ suæ nominat, hic, inquam, Deus tàm amabilis & pius, in illo novissimo die, erit quasi extraneus, & alienus à peccatoribus, & tanquam si nunquam aliquod cum ipsis habuisset necessitudinis commercium; unde hanc illis formidabilem pronuntiabit sententiam: *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. v. 13. *Nouit Dominus qui sunt eius*, dicit S. Hieronymus, *& qui ignorat ignorabilitur.* Ego ita vos tracto, sicut vos me tractastis, vos ignorastis meam patientiam, ignoro quoque ego vestram miseriam: vos neglexistis gloriam meam, neque ego vestrum curabo commodum, dedignati estis vos respicere leges meas, ego quoque nunc vestras dedignabor intueri necessitates, *ab hac die me à vobis alienum putate; ideò vos desero, quia per vita meritum non recognosco.* Nihil mihi vobiscum deinceps negotii erit, qui nō recognosco aliquod vitæ meritum in vobis. Non habetis signum characteris ovium mearum, ideò velut alienos & reprobos vos ego derelinquo: *Amen dico vobis, nescio vos.* Hoc verbum, secundum quod videtur Chrysostomo. Infernus quidam peccatoribus erit, imò ipso intolerabilius inferno: *Cum dixerit, nescio vos, nihil aliud quam gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur, imò verò omni gehennâ istud verbum gravius est.*

Hier. in Matth. Interlinearis. Chrysost. in Matth. 25.

16. Pergite ulterius, & ponderate quomodo Deus in hac vitâ in suis immissis afflictionibus unum tantum digitum adhibeat; at verò in illo iudicii die, totam manum suam foris extensurus sit, conformiter illi, quod prædixit Jeremias: *Ostendam eis per vicem,* Cap. 16.
hanc manum meam, & virtutem meam, & v. 21.
scient quia nomen mihi Dominus. Hoc est tempus illud, quo ipsi exhibeo videndam manus meæ potentiam, quam nunquam viderunt hactenus, & scient quia universi Dominus ego sum. Quid tu dicis magne Deus? Tu nunquam monstrasti manum tuam? Annon illam valdè explicatam exhibuisti quando totam humanam progeniem è Paradiso pepulisti, eamque in infœlix hocce & infortunatum exilium relegasti, ad illas quotidianas lachrymas, ad perpetuos hosce labores, ad dolorosas illas vicissitudines, ad fastidiosos illos morbos, ad infimas illas necessitates, denique ad illud mortis triste regnum? item quādo apertis abyssi fontibus, & explicatis cœli cataractis, totum mundum mundasti, & diluvio quodam universali cooperuisti? quando terram derepentè aperuisti, atque ut hæc ambitiosos & temerarios homines vivos dehisceret præcepisti? quando Ægyptum tot tamque prodigiosis modis flagellasti? quando suffocasti

focasti Pharaonem in mari rubro? Quando superPentapolim horrẽdam illam flammarum pluviam immisisti? Quando impii Achabi turbas igne cœlesti destruxisti? Quando totam tribum Beniamin in ensis aciem pepulisti? Quando petrarum grandinem depluisti super Gabaonitas? Quando in unica nocte perfidi Sennacherib exercitum centum octuaginta quinque millibus constantẽ incinerasti? Quando intra Samariæ civitatem leonum quendam immisisti exercitum? Quando ursos è sylvis prodire, atq; indisciplinatos, ac insolentes Samaritanorum pueros occidere fecisti? omnia inquam hæc supplicia, ô æterne Domine, anne à manu tua patrata sunt? Ergone exaggeratio quædam Rhetorica seu Oratoria censebitur omne id, quod Prophetæ in oraculis suis elocuti sunt, quando tot & tam horrendis modis ex tuo præcepto mundum exterruerunt? Ergone parca nimis & defectuosa potentiæ tuæ specimina fuerunt ululatus illi, & illi rugitus, quos in conspectu hominum dabant. Ergo nihil potentiæ tuæ convincent portentosi illi ritus & mores, quibus prodibant in publicum, quando spoliati & nudi, quando ferris & vinculis onusti, quando in habitu peregrino ac nunquam hactenus viso cernebantur? Ergone insufficiẽtes rationes erunt horrendæ illæ figuræ, quibus depingebantur homines ignei, vivarum flammarũ flumina, montes ænei, plena maledictionũ volumina, massæ plumbeæ, feræ prodigiosæ, falces per aera volantes, globi sulphurei, solidæ cathenæ; elimati & expoliti enses, fervẽtes ollæ, sagittæ igneæ, dies bellorũ, temporum caristiæ, terræ motus & concussiones, implacabiles populorũ discordiæ, pestilentię nationum, civitatum ruinæ & incendia, hæccine omnia iam dicta nihili æstimabuntur? Nihilominus, ô Domine, id mihi negare haud poteris, cuius testimonium præbet mundus universus, scilicet monstrasse te potentiam manus tuæ versus populum illũ, quem quondam gratiarum tuarum & favorum scopum ac metam constitueras, quando illum, ob sua peccata à te iustè derelictum, in manus dedisti inimicorum suorũ, atque in tantas, tamq; miserabiles captivitates? Ah quas infœlices illi non tolerarunt miserias? Quali illos servituti non mancipasti? quæ probra non acceperunt? Qui etiam campi illorum nõ maduerunt sanguine? quod crudelissimæ mortis gen⁹ experti non sunt? Pleni sunt divinarũ scripturarum libri, plenæ historiæ Ecclesiasticæ, pleni antiquitatũ annales.

Verum, dicit Dominus Deus, omnia illa, quæ & quantacunque hactenus dicta sunt, unius duntaxat digiti opera fuerunt in comparatione castigationum extremi Iudicii, ad quas inferendas totam manum adhibebo, unde cum ratione dicit: *Ostendam eis per vicem hanc manum meam.* Quando susque deque totam vertit Ægyptum, eamq; horrendis adeò confixit suppliciis, uti nostis, unicum tantum ad omnia illa facienda admovebat digitum, ac proinde dicebant: *Digitus Dei est hic*: similiter quando in exterminium & dissipationem ponebat infernum, exterminando tenebrarum principem, eumq; ex huius mundi dominio exturbando,

bando, faciebat id unico duntaxat digito. Unde ipsemet dicebat: *Si in digito Dei eiicio Dæmonia.* *Manus enim eius* (sunt verba Philonis Hebræi) *ne à totâ quidem terrâ, quanta, quanta est, imo nec à mundo universo sustineri posset.* Nunc ergò in die iudicii non uno solum digito puniet, sed totam manum adhibebit, cuius vis ne à toto quidem mundo sustineri potest, unde apud Matth. dicitur: *Videbunt filium hominis venientem cum virtute multâ*, & Luc. *Videbunt filium hominis venientem cum potestate magnâ.*

Luc. 11. v. 20. L. de vita Moys. Matth. 24. v. 30. Luc. 21. v. 27.

17. His adde quod Christus tanquam Rex & universalis Dominus se Ps. 9. v. 17. faciet agnosci ab omnibus. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens*, dicebat Rex David: *Qui nunc iniuriam patiens ignoratur*: adiungit Bernardus: *Et notus efficior cum iudicavero te, & scies quia ego sum Dominus*, dicebat quondam per Ezechielem Prophetam. Ego me tibi exhibebo cognoscendum tanquam supremum Dominum cum ad iudicium venero. Modò Dominus est quasi absconditus, neq; de ipso apparet, quod Dominus sit universi, ideò enim eum peccatores contemnent, necquicquam eius minas æstimant; Enimverò, num fortasse quispiam in mundo reperiatur iniquus, qui non præponat commodum suum utilitati seu honori divino? eritne aliquis avarus, qui maioris non faciat opes suas quam gratiæ divinę thesauros? Eritne ex ambitiosis non nemo, qui ne pro suæ reputationis & honoris conservatione, Dei honorem pedibus proculcet? Eritne sensualis quispiam, qui non insectetur ea, quæ sibi placent, per ea, quæ summè Deo displicent? An invenietur vindicativus aliquis, qui propriæ iniuriæ vindictam non exequatur cum expressâ Dei iniuriâ? undè tantus divinitatis contemptus nascitur? tanta versus mundi Monarcham irreverentia? tanta erga liberalem adeò benefactorem ingratitudo? totum istud profectò ex ignorantiâ absolutæ & illimitatæ potentiæ, huius adeò magni Domini nascitur, qui proindè haud dubiè in die illo cognoscetur Dominus iudicia faciens, qui nunc iniuriarum patiens ignoratur; nam ut dicit S. Augustinus. *Tunc manifestus veniet inter iustos iudicaturus iustè, qui occultè venerat iudicandus ab iniustis iniustè.* Ita rogabat eum S. Hierosolymorum Rex: *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis*, (id est, ut exponit Hieron. ibidem.) *demonstra tuam potestatẽ, qui prius venisti in humanitate.* Monstra te illum Dominum, qui revera es, quẽ in primo adventu formâ servi indutum mundus non cognovit. Exhibe te per iustitiæ rigorem cognoscendum, qui hactenus in beneficiorum concessorum mansuetudine nõ es cognitus: Demonstra tuam potentiam qui prius venisti in humanitate. Et ita profectò fiet, nam uti docet Isaias. *Diiudicabit Dominus in igne*, ubi Hebræus legit: *Diiudicabitur Dominus in igne.* Cum enim Dominus iudicaturus est, tunc iudicabitur, hoc est, tunc faciet dignum fieri ab hominibus iudicium, & æstimationem proportionatam suæ Maiestatis, suæ potentiæ, suique dominii. *Diiudicabitur Dominus in igne*, id est, eum apud homines de se excitabit conceptum, qui illi maximè est conveniens.

Ep. 21. Cap. 35. v. 4. In Ps. 9. Ps. 93. v. 2. Isaiæ c. 66. v. 16.

18. Quotidiè hanc Deum petitionem

nem postulamus, ita à Christo edocti scilicet: *Adveniat Regnum tuum.* Ubi Tertullianus benè ponderat, illis verbis peti, ut Christus ad iudicandum veniat, tunc enim verè Regem se esse commonstrabit: *Cum Regnum Dei ut adveniat oramus, ad cõsummationem sæculi ut tendat optamus.* Nec mirum, an non hodie audistis, quod Christus, quando daturus est sententiam, Rex vocetur: *Tunc dicet Rex:* Quis iste Rex? Annon ipse in principio magnæ huius narrativæ, filius hominis vocatur: *Cum venerit filius hominis.* Quomodo ergò nunc mutatur terminus, & non dicitur: *Tunc dicet filius hominis*, sed *tunc dicet Rex*? Respondebo vobis adhibitâ similitudine eorum, qui invitati sunt ad nuptias, in quibus, dum Deus ad opera misericordiæ suæ, qualis est incarnatio, in quâ factæ sunt nuptiæ verbi cum humanâ naturâ, invitat, homo vocatur: *Simile est Regnum cœlorum homini Regi.* At verò quando deprehendit vestitum sine veste nuptiali, ipsumq; iam sententiaturus est, non amplius homo; sed Rex duntaxat vocatur: *Intravit autem Rex, ut videret discumbentes.* Hæc est consideratio seu reflectio Hieronymi ita dicentis: *quando invitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est, quando ad ultionem venit, homo siletur, & Rex tantum dicitur, quia ira Regis nuncius mortis.* Sic ergò videtur, quod Dominus in iudicio obliviscatur illius nominis, quo aliàs continuò appellabatur, quodque tantopere appretiabatur, monstrando infinitum amorem, quò ob hominis amorem inductus est homo fieri: Et uti S. Augustinus dicebat: *Commendat nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis, & velut mysterium commendans, admirabilis incarnationis suæ, nomen hoc sæpius auribus nostris insinuat;* Adeò, ut Christus, qui frequenter vocatur homo, in Iudicio tantummodo Rex vocetur, neque credo, nisi fortè fallar, quod in toto vitæ suæ cursu, unquam simili nomine vocatus fuerit: *Homo siletur, & Rex tantum dicitur.*

Matth. 6. v. 10. Lib. de orat. cap. 5. — Hieron. in Matth. — L. 2. de consens. Evãg. c. 1.

19. Nescio an unquam adverteritis modum, quo Redemptor loquitur quando de adventu ad Iudicium agit: *Cum venerit filius hominis in Maiestate suâ, & Patris, & sanctorum Angelorum.* In quo loco duæ sunt difficultates. Prima: quomodo Christus qui ipsa urbanitas & amabilitas erat, primò seipsum nominet, & postea Patrem suum. Secunda: quomodo ibi nominetur Pater, cum scriptum sit: *Pater nõ iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio?* Respondeo ergò ad hanc difficultatem, videlicet, quod venturus sit in Maiestate suâ, & Patris, eò quod ibi particulariter monstrabit vires & potentiam divinitatis, quæ illi cum Patre communis est, & sic manet soluta etiam altera difficultas scilicet, cur Christus se præ Patre æterno primò nominet, nam quoad divinitatem ipse non est minor Patre, ideòque parum refert, quod primò nominatus sit. Dicit ergo nunc Christus, quod veniet in Maiestate Patris cum totâ Maiestate & virtute divinitatis, quæ tunc plenissimè mundo manifestabitur. Audite idipsum ex ore Tertulliani dicentis, quod in secundo adventu sanctissimus Redemptor noster, ut ita dicam, foràs emittet omnem divinitatis virtutem:

Luc. 9. v. 26. — Ioannis v. 22. — In Apolog. c. 21.

Duobus

Duobus enim adventibus Christi significatis, primò qui iam expunctus in humilitate conditionis humanæ; secundò qui concludendo sæculo imminet in sublimitate divinitatis exertæ: Notate, quæso; ultima hæc verba: *Veniet in sublimitate divinitatis exertæ*, & totaliter in damnum peccatorum adhibitæ. Modò divinitas in Christo videtur occulta, & quasi subducta, tunc verò quanta quanta est totaliter exerta, totaliter applicata erit, totaliter semetipsam remonstrabit *in sublimitate divinitatis exertæ.* Denique neque habebit in die iudicii ullam contrarietatis oppositionem. Hic tamen punctus in ultimâ discursus huius parte recluditur, quam iam aggrediemur & prosequemur.

PARS SECUNDA.

Quartum punctum seu quarta proprietas Iudicis. 20. Ultima proprietas ergò supremi Iudicis est, quod futurus sit inexorabilis: *Quis poterit cogitare diem adventus eius?* Modò Dominus habet aliquos, qui, ut ita dicam, se illi opponant, qui illi resistentiam faciant, qui illum ad opinionem mutandam restringant; sic enim ipse Ieremiæ dicebat. *Tu noli orare pro populo hoc, neque obsistas mihi.* Et Moysi. *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* At verò tunc, *Triumphator in Israel non parcet, nec acquiescet cuiusquam precibus*, imo ne quidem iis quæ ab ipsämet suâ benedictâ matre funderentur; audite ergo verba Chrysostomi & contremiscite: *Quid faciemus, quando & tenebræ erunt, & stridor dentium, & vincula insolubilia, & vermis immortalis, & inextinguibilis ignis, & tribulatio, & angustia, & planctus, & nullus audit? Et rigamur à doloribus & nullus attendit? & omnia loca respicimus, & nusquam adest qui contempletur? Quid animabus illis miserabilius?* Hæc est ratio, cur Isaias vocarit diem iudicii, diem iræ & furoris insanabilis. *Ecce dies Domini insanabilis venit, furoris & iræ*; in illâ namque die Dominus in tali irâ & furore adveniet, ut nullū ab illo sit effugium, atq; tantâ cum tribulatione, quæ nullam habitura sit medicinā. *Insanabilis furoris, quia cum dies Iudicij advenerit, nō erit locus pœnitentiæ.* Exponit S. Hieron. Quando dies Iudicii adveniet, nullus amplius veniæ loc⁹ erit, quia nullus loc⁹ erit pœnitētiæ. Modo omnia flagella, quæ Deus immittit, directa sunt ad nostram pœnitentiam, ideoque flagella sunt misericordiæ, at verò illius diei flagella, iræ & furoris flagella sunt, quippe quibus nec remedia sunt, nec remedia habentur. Hæc est ratio, cur David tantâ cum instantiâ petierit à Deo; *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* q.d. noli me punire pœnâ aliquâ quæ furoris sit plena, sed tali me virgâ coerce, quæ misericordiâ plena sit, tali, quæ vitam adferat mihi, non per eam, quæ totam per æternitatem vitâ me privet, sed per illam, quæ benignitati propria sit, non vero per eam quæ propria est crudelitati inimici. *Modo enim quisquis per flagella corripitur, dicit S. Gregorius & corruptionibus emendatus in mansuetudine corripitur, non in irâ. In districto illo examine, omnis argutio & correptio ira est, quia venia post correptionem non est.*

21. In illa die Dominus, ut ita dicam, ad condonandum impotens erit, dicetque quod apud Ierem. ait: *Super quo propitius tibi esse potero?* Quid me movere poterit, ut tibi crimina tua condonem? Quis flagellum è manu mihi eri-

Marginal notes: Ier. 7. v. 16. — Exod. 32. v. 10. — Ho. 10. in 2. ad Cor. — Is. 13. v. 19. — In Ioel. 1. — Hom. 16. in Ezech. — Ierem. 5. v. 7.

piet? Quis furoris mei extinguet flammam? *Super quo propitius tibi esse potero?*

Modò varia Christus condonandi motiva habet. Precatur illum Mater, nec minus facere potest, quam ut precibus illius acquiescat: *Tunc autem luna non dabit lumen suum.*

Postulant Sancti, hanc habentes à Deo promissionem, ut semper à Deo exaudiantur, tunc autem una cum Christo iudice inexorabiles existent, dicentque: *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.*

Protegunt Angeli, qui nostræ custodiæ deputati sunt: tunc verò dicent: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.*

Sanguis etiam Redemptoris in Sacramentis melius pro nobis loquitur, quam sanguis Abel: tunc autem omnis Sacramentorum usus completus & finitus erit.

Dominus quoque à suâ innata clementiâ & bonitate à puniendo revocatur, unde vocatur: *Deus salvos faciendi.* Tunc autem dicet verbum Isaiæ:
Isaiæ 27. v. 4. *Indignatio non est mihi, quis dabit me spinam, & veprem in prælio? Gradiar super eam succendam eam pariter.*

Hier. in c. 27. Is. S. Hieronymus notat, quod Aquila sic vertat: *Quis dabit me Adamantem & Senticetum?* Eheu me, cur non tantam habeo penes me indignationem quãtam vellem? O utinam instar Adamantis durus essem, ne emolliantur viscera mea, utinam totus spina existerem, ut totaliter afflictivus esse possem & ferox omnibus inimicis meis. *Quis me faciet durum* (sunt verba Hieronymi) Hier. in c. 5. Ier. *atque crudelem, ut vincam naturam meam, & in prælio atque certamine truculentus incedam?* Ergo: *Super quo tibi propitius esse potero?* Et respondet ipse Hieronymus, *dicit se ignorare Deus, qua posit eis ratione misereri.* q. d. Deus: Non sunt mihi amplius modi aut consilia ostendentia, qua ratione tecum misericordiâ uti possem. Id quod plangere fecit Cardinalem Petrum Damiani in hæc ferè verba: *Quid faciemus sub tanti Iudicis Maiestate? Quid excusationis ostendere poterimus? Qua nos defensionis arte purgabimus? Quæ nobis subventura est pœnitentia, quam in hac carne contempsimus? Quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hac vitâ non fecimus? Ad quos Apostolos, aut quos alios sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul & verba despeximus? Pensandum ergo est & summo studio revolvendum, quis in illo die terror erit, cum in pœna iam remedium non erit. Dies Domini insanabilis furoris.* Epist. 57.

22. Tunc implebitur illud, quod Iob dixit: *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis.* Scio S. Greg. dum hunc locum explicat, dicere, quod flagitiosi in omni sua adversitate aliquod in hac vitâ communiter habeant effugium: *Cum tristitiam aliquam patiuntur,* inquit, *effugii latebras inveniunt, quia ad voluptatem protinus desideriorum carnalium recurrunt.* Modò infinita habẽt refugia, quibus defenduntur ab iis, quæ occurrunt, miseriam enim paupertatis, v. g. divitiarum suarum abundantia exsuperant; à morbis se tuentur captatione boni & salubris aëris, nec non & potentibus, valdè & consequenter admodum sumptuosis ac pretiosis præservativis. Contemptui & deiectioni status sui prospiciunt dignitatis & honorum suorum splendore. Famis tormentum
Iob. 11. v. 20. 13. mor.

mentum longè à ſe per lautas ſumptuoſaſque menſas arcent. Solitudinis tædium grata ſocietate & dulci amicorum converſatione propellunt: ſi fortè cogitabundi fiant, aut melancholici, confeſtim ad mille genera feſtivi joci, aliaque iucunda recreationum loca ſeſe recipiunt: ſuperbo veſtitu corpus mulcent, ſuavi muſices harmonia aures recreant, oculos paſcunt regiorum palatiorum pulchritudine, villarum item amœnarum frequentatione, nec non faſtuoſo ſui ornatu. In ſumma *tot hic habent effugia, quot ſibi præparant delectamenta*: at verò in funeſtiſſimo illo die *effugium peribit ab eis*, utpotè ab omni conſolatione deſolatio, quia nihil aliud videbunt, præter ſeipſos & Iudicem: *Quia eorum mens amiſſis omnibus ſe ſolummodo & Iudicem aſpicit.*

23. Sed dicamus ita: *Effugium peribit ab eis.* Dominus Deus refugium noſtrum eſt, *Deus noſter refugium & virtus.* Modo in quovis infortunio Deus nobis aſyli loco eſt, in naufragiis portus, in adverſis remedium; ſed tunc effugium peribit, non amplius proderit gratum illud refugium, inimicus enim iis fiet, præciſa quoque ſpe perditam amicitiam recuperandi in æternum. Et Nota, quod dicat: Morietur, peribit. Nam ſicut qui habet amicum, ſi is elongetur à te: facilè illum reducere poteris; ſi iraſcitur tibi, mox medium aliquod invenis, illum tibi viciſſim reconciliandi; ſi non audit te, tu illum tandem vincis precibus tuis; at vero ſi is fortè moriatur, deſperata eſt omnis amici recuperatio. Morietur ergò omne refugium, ſiquidem per omnem retro æternitatem, impoſſibile erit, perditam Chriſti recuperare benevolentiam.

Non revertetur oculus meus, ut videat bona, nec aſpiciet me viſus hominis, dicit Iob, quod S. Gregorius exponit: *Viſus hominis eſt miſericordia Redemptoris, qui inſenſibilitatis noſtræ duritiem, cum reſpicit, emollit*; Nam ſi benè dicitur: *Oculi tui in me ſunt, & non ſubſiſtam*, non tamen oculus Chriſti videbit, ut beatificet, ſed tantum ut caſtiget, ac ſi apertè dicat, diſtrictus Iudex ad Iudicium veniens, & ad ſalvandum non videt, & ad ſæviendum videt. [Iob. 7. v. 7. Gregor. l. 8. mor.]

24. Quapropter, auditores Chriſtiani, per Deum vivum vos obteſtor, conſiderate punctum hocce adeò terribile, atque illius ſemper memores eſtote, cuius Petrus Damiani meminit dicens: *Tunc erit timor ille tremendus, cum cœlis ardentibus, pugnantibus elementis, terra ſuccenſa, conſcientiis obvolutis, Dæmonibus accuſantibus, trementibus Angelis, Iudice furibundo, & miſericordiam neſciente fiet illa diſcuſſio, qua utinam nos paratos inveniat.* [Ser. de S. Victo.]



CONCIO VI.
In Feriam III post Dominic. I. Quadragesimæ.

THEMA.

Scriptum est; Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. Matth. 21 v. 13.

ARGVMENTVM.

Spurcissima omnium peccatorum sentina est avaritia; Avarus enim uno eodemque tempore Dei, proximi, & suiipsius fur est.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Armatur Christus contra avaritiam mercatorum. n. 1.

Avarorum corda speluncæ sunt latronum. ib.

Synopsis concionis. ib.

Primum punctum. *Avarus ipsum Deum deprædatur cuius non recognoscit Dominium. n. 2.*

Idololatria est partus avaritiæ Isaias accitus. *ib.*

Per avaritiam deperditur fides. Augustini Censio. *ib.*

Exemplum Elisæi in recusandis Naaman muneribus.

Divitiarum abundantiæ & Dei oblivionis combinatio, Oseas *adductus. n. 3.*

Avaritia idolorum servitus dicitur. n. 4.

Sola avaritia, sese fidei, rationi, scripturis, creaturis, inspirationibus, gratiæ, denique omnibus se opponit quæ Deum manifestant. SS. PP. Ambrosii, Chrysost. & August. *effatum n. 5.*

Iudas non proiecit nummos in sterquilinium, sed in templum; talibus semper Diis templum suum devoverat Drogonis acumen. *n. 6.*

Aurum avarorum, dicitur signum offensionis, & aurum sacrificantium. Sapientis effatum diversimode *explicatum. nu. 7.*

Quod facit pius Sacerdos pro Deo, hoc avarus pro auro. Antitheses utriusq; *n. 8.*

Avari Gerasseni rogant Christum ut discedat ab ipsis propter porcos in mare præcipitatos. n. 9.

Ava-

Avaritia stupidiorem asinâ reddidit Balaam.n.10.

De auro & divitiis optimum *Iobi* iudicium.*n.11.*

Inter avarum & aurum eius est quasi matrimonium si posui aurum in coniugium meum. Locus Iob à 70. versus. Verba Genesis *huc flexa.n.12.*

Quos tormentis non fregit Dæmon, cupiditate corrupit: aureum S. Leonis effatum. *Avaritiæ & Martyrij Antitheses.n.13.*

Secundũ punctum. *In furto Acham de Anathemate Ierichontino; erat regula aurea, vel ut alii, gladiolus. Avaritia est gladius contra omnes. Benè cum quis quærit aurum invenit gladium.* And. Masii *acumen.n.14.*

Sacrum aquè ac prophanum pessundat avaritia; omnia ab ipsâ, mala & scelera prodeunt, eorum elenchus amplissimus, Scripturæ *sacræ* & SS.PP. producti.*n.15.*

In Asiaticâ Scythiâ ubi aurum eruitur, reperiuntur pariter gryphes ut Auctor est Solinus.*n.16.*

Tales autem sunt avari, qui & prædones à Iob appellati sunt.ib.

Dives effectus sum (ait Oseas) inveni idolum mihi, *alii vertunt*; dolorem, *alii* violentiam *& bene.ib.*

Divitiarum idololatriæ, doloris & violentiæ, nexus Oseas diversimodè interpretatus.*ib.*

Avarus assimulatur paliuro sicut & nasturtio, qui ut crescant, alia herba vicina perire debent. Micheas, Jeremias sicut & *Socrates* producti.*n.17.*

Qui acquirit divitias perdit amicos. Dives aut iniquus aut iniqui hæres. *nu.18.*

Admissâ metempsicosi animæ avarorum corpora asinorum subibunt, & quare.ib.

Avari à Zacha. vocantur querc⁹, *quippe quæ nõ aliis fructũ ferunt quam porcis.n.19.*

Contrarietas maxima quercũ inter & oleam, hâc misericordia, istâ avaritia indigitatur.n.20.

Avarus plusquam homicida est, non pavisti occidisti, *optimè Augustinus.ib.*

Avaritia crudele & sanguinolentum monstrum.n.21.

Nullum est malum in mundo quod Avaritia non produxerit, votum auctoris pro sæculo aureo.ib.n.21.

Avari furantur sibi bona naturæ, gratiæ & gloria.nu.22.usq; ad 29. Tertium punctum.

Cor avari est mare procellosum.n.23.

Mare invehitur in avaros sub nomine Sidonis.n.24.

Avaritia est hydropisis.ib.

Est irremediabile vitium. Sapiens productus.*n.26.*

Exempla Baalaam, Ananiæ, *Achan*, Pharaonis.*ib.*

Substantia divitis quasi murus validus. Sapientis effatu.*n.27.*

Fecit prodigia Basilius quia aperuit ditiorum horrea, ut notat Naz.*n.28.*

Avaritia bona gloriæ furatur.n.29.

Locus proverb. anima satura calcabit favum, *huc flexus* ab Hugone, *quia pro terrenis bonis spernit dulcedinem regni cælestis.ib.*

1. CONtra avaros mercatores, qui absque ullo prorsus respectu sacratissimæ domus Dei, omni aliàs veneratione & respectu dignissimæ, extrinsecùs quidẽ cultum religionis adaugere se simulabant, reverà tamen proprii augmento studebant commodi, sanctissimus Redemptor noster hodie pectus & cor suum zelo, ma-

manum flagello, linguam denique variis obarmat querelis. Neque inducor, ut Dominum nostrum credam ingemuisse duntaxat, ob templi illius materialis, precibus & sacrificiis aliàs destinati, prophanationem, cùm, nimirum, humanæ illud cupiditatis, avaritiæque violari culpâ, ac innumerorum latrociniorum & usurarum cōspexit fieri receptaculum, quantum indoluit cordibus hominum electis in dignum divinitatis habitaculum, eò quod avaritiam infame veluti admittendo idolum, verum suum legitimumque Dominum abinde migrare coëgerint. O vitium detestabile prorsus & execrandum, quod cum inferni mereatur iure domicilium, pedem suum nihilominus ipsimet Dei domui inferre audet: quod etiam cum semper infinitis certissimis atque inevitabilibus coniunctum sit miseriis, voluntates tamen humanas, qua cum nescio inventione pessimâ, incantando, totum post se mundum trahit, quòd denique cum in scripturis, tàm sacris, quàm prophanis, veluti fœdum, fastidiosumque terræ huius monstrum proclametur, ab omnibus tamen sacrilegè se adorari procurat. Undè si Deus noster, antiquum illud templum, speluncam haud immeritò vocat latronum, eò quod humanâ mediante avaritiâ publicum factum esset iniquitatis rapinarumque emporium: cur non maiori cum ratione avarorum corda nominabimus speluncas latronum, utpotè quæ intra ordinaria cuiuscunque demum quantumvis desperati flagitii confinia, nec quicquàm se continent, sed cunctos transiliendo terminos, uno eodemque tempore, latrocinia & furta exercent circa Deum, proximos, & semetipsum? Deo enim gloriam eripiunt divinitatis, proximo misericordiæ debitum, pacis denique divitias sibimetipsi furantur.

In Deum fures sunt, utpotè quem sicut Deum non recognoscunt; in proximum, quia illum veluti inimicum tractant: Erga seipsos, quippè qui suammet non curant salutem. Deum deprædantur, utpotè cuius debitam involant Religionem: Proximos etiam, quibus necessariam rapiunt sustentationem: denique seipsos, quia ex semetipsis crudelissimos efficiunt carnifices. Videte ergò dilectissimi, an non pleno ore malitiam ipsorum verbis spiritus sancti apud sapientem depingere debeamus, quibus dicit: *Avaro nihil est scelestius*; siquidem universalis est inimicus cœli & terræ, Dei & hominum aliorum, nec non & suimetipsius. Ecclesiast. 10. v. 9.

2. Et ut à Deo incipiamus, *Avaro nihil est scelestius.* Non habet mundi huius circulus avaro quicquam flagitiosius; hic enim deprædatur Deum ipsum, cuius inprimis non recognoscit dominium, utpotè ab inordinatissimâ avaritiæ passione gubernatus: nec veneratur præsentiam, quippè qui aliud animo suo præsens non habet, aut corde tractat, quam lucri sui incrementum: nec timet iustitiam, siquidem se auri sui præsidio ictus illius evasurum sibi temerè pro- Primum punctum.

promittit; neque præmium sperat, cum alibi vanam suam & somniatam fœlicitatem collocatam habeat; neque potentiam Dei quicquam æstimat, cum in divitiarum suarum potentia & robore vanè præsumat; Dei quoq; providentiam minimè diligit, nunquam enim ad eandem in oratione recurrit, cum Animum suum in sordidis insatiabilis cupiditatis suæ commercijs occupatum semper habeat; Nomen quoq; ejus sanctum non reveretur; siquidem illud in adversis negotiorum suorum casibus, sacrilegè blasphemat; nec veritatem appretiatur, utpotè, qui eandem frequenter millenis cum perjurijs tanquam mendacij sui testem adducit; Deniq; non admittit aut recognoscit Divinitatem cum præter suum denarium alium Deum non adoret. *Avaro nihil est scelestius.*

Unde liquet, quam appositè Propheta Isaias locutus fuerit, quando, postquam dixisset terram auro & argento, thesauris quoq; magnisq; divitijs repletam esse, mox addit eodem quoque tempore Idolis repletā esse & superstitionibus. *Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum ejus, & repleta est terra Idolis.* Plena est auro, sed & Idolis mox referta est. Infiniti sunt thesauri, verum sunt quoque sacrilegia infinita. Avaritia ingressa est mundum, & ecce mox verus mundo excluditur Deus; videte ergo quam sapienter locutus sit Augustinus, quando de rapaci quodam avaro in hæc verba prorupit: *Acquirit vestem & perdidit fidem, ubi lucrum ibi damnum visibiliter lucrum, invisibiliter damnum.* Ecquod cōmercium damnosius est illo,

Elaiæ cap. 2. v. 8.

Ser. 95. de tempore.

quod tractant avari? qui ut modicum sibi acquirant, summi boni jacturam faciunt, ut pauculos terræ palmos, in suam assequantur proprietatis possessionem, fidei faciunt naufragium. *Acquirit vestem, & perdidit fidem.*

3. Hinc est quod magnus ille vates Eliseus, quantumvis à famoso illo Principe, Regisq; Syriæ charissimo aulico violentaretur ad recipiendum munera, impossibile nihilominus judicaret, ut in eorundem donativorum ultrò citròque oblatorum receptionem consentiret, memorabilem illam sempiternâq; memoriâ dignam proferens sententiam. *Vivit Dominus ante quem sto, quia non accipiam.* eo Domino meo, in cuius hic conspectu dego, juro, quod de donis tuis non tangam neq; parvum, neque magnum. *Cumq; vi faceret* (inquit sacer textus) *non acquievit.* O gratiosum verè spectaculum ipsis quoque Dei oculis dignissimum. Avarus, ut aliena rapiat, vim adhibet, Eliseus ab eo, qui spontè offerebat vim passus, sustinet & vincit. Avarus cum novi lucri occasionem perdit, valde affligitur, Eliseus, ut acquirat, constringitur & invitus est ac dolet. Avarus omninò anxius est ut recipiat, è contra verò Eliseuus totus sollicitus est, ne recipiat. Ambo hi Palestritæ magnum profectò Animum generosumq; in se exhibent spiritum, Naaman scilicet & Eliseus: Naaman dando, Eliseus respuendo; unus omninò gratus, alter nullius omninò Lucri cupidus; Ille liberalis erat, hic verò magnanimus. *Disce congruè præcepta virtutis* (estque monitum S. Ambrosij) *probavit fidem qui præmia recusavit.* Evidentem certè

4. Reg. 5. v. 16.

In Luc. 4.

O Eliseus

Eliseus fidei suæ probationē fecit, dum sponte oblata recusavit donaria; si recepisset dona, fidem perdidisset: fidelis ergo permansit, quia avarus esse noluit; *Adimpleti sunt, & saturati sunt, & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei*, sunt verba Domini apud Oseam Prophetam: Videte quomodò simul combinentur, bonorum abundantia, & Dei oblivio, Divitiæ & turgidus fastus, Avaritia & Idololatria. *Probavit fidem, qui præmia recusavit.*

Oseæ c. 13. v. 6.

4. In scripturis antiquis pariter & novis avaritia simulachrorū servitus & Idololatria vocatur; in antiquis quidē, apud Oseam, ubi legitur: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi*; In novis verò apud Gentium Apostolum Paulum: *Mortificate Avaritiam quæ est simulachrorum servitus.*

Oseæ 12. v. 8.

Coloss. 3. v. 5.

Avaritia Idololatriam introduxit ac conservavit, ut liber Danielis testatur, ubi mortua quædam & insensata imago manducasse fingebatur, cum intereà insensati sacerdotes suis cum consortibus cibos manducassent appositos. Avaritia rapuit & abstulit sacrificia Deo verodestinata tempore quo Hebræorum genti Joiadas Rex dominabatur. Avaritia veri Dei loco vitulum aureū in civitate & districtu Samariæ adorari fecit, atque imbelles sacerdotes ad impediendum, ne fidelium victimæ ad sacrum Hierosolymæ templum conducerentur ferro atque loricâ armavit. Avaritia Hæreseos pestilentiam in Ecclesiam Dei introduxit, nam uti advertit Chrysostomus, nisi fuisset avarus, non fuisset hæreticus, *Tolle pecuniarum studium, & cessabunt hæreses.* Avaritia Hebræorum corrupit ac depravavit concilium, fecitque, ut iniqua ab eodem adversus sanctissimum Redemptorē nostrum pronunciaretur sententia. Avaritia unum ex Apostolis traditorem fecit, eidemq;, ut vilissimo pretio verbum venderet incarnatum, persuasit. *Parricida pariter & conviva, vendidit argento Dominum*, ita loquitur Chrysost. *fecit de Magistro ferale commercium, accepit aurum & vendidit Deum.*

Hom. 17. In 1. ad Thim.

Ser. 3. de Resurr.

In summa concludemus benè si cū Divi Ambrosij sententia concluserimus: *Avarus non videt, quæ Divinitatis sunt, sed cogitat quæ Cupiditatis sunt*, eodē momento, quo avarus venatur divitias, de corde suo Deum exterminat. Et dum oculum suum in concupiscentias suas defixū habet, universi Creatorem ab oculis perdit. *Accepit aurum & perdidit Deum.*

5. Quæ res unquam præsentior atque vicinior esse potest, quam sit Deus noster? adeò ut magna cū emphasi Poëta dixerit: *Jovis omnia plena.* Quid reperiri potest nobis manifestius? *Non enim reliquit seipsum sine testimonio*, inquit Paulus in actis Apostolicis? Quid mentis nostræ oculis plus observatur, adeò, ut dicere quasi possimus cum Joanne: *Quod vidimus, quod audivimus, quod manus nostræ contrectaverunt.* Nunquid in creaturis nobis depictus est ipse? Annon in chartis divinis descriptus? figuratus in humanâ essentiâ? manifestatus à fide? à rationis lumine commonstratus? per ipsamet eius inculcatus opera & præstita beneficia? annon quasi ostensus digito ab internis mentis inspirationibus? ab exteriori sanctorum prædicatione publicatus? sculptus denique

Act. 14. v. 16.

1. Joan. 1. v. 1.

Psal. 138. v. 7. nique in cordibus per gratiam? *Quò ibo à spiritu tuo? Et quo à facie tua fugiam?* Et tamen sunt, qui pro ut, ait Rex sanctus, non magis illum vident, quam si nunquam fuisset, Psal. 53. v. 5. *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

Verum, inquies, qua ratione fieri poterit, ut sint qui nõ videant, q; omnibus universaliter idq; modis tàm varijs videndũ se exhibet? Qui adeò nobis est vicinus, ut visceribus & cordi nostro intimissimus existat? *Non enim longè est ab unoquoq; nostrum.* Qui lumen est clarissimũ ac limpidissimũ, quod omnem illuminat hominẽ? *Illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundũ.* August. in Psal. 53. Sed respõdebit D. Augustinus, quod sola avaritia sese fidei rationi, scripturis, creaturis, inspirationib⁹, gratiæ ac deniq; omnibus illis sese opponat, quæ Deum manifestãt, solaq; hominẽ excæcet, adeò, ut non videat id, q; tot modis visibile existit. *Quomodo proponent ante conspectũ suũ Deum, ante quorũ conspectũ nõ est nisi sæculũ.* Estq; hoc idipsum, q; S. Ambros. dicebat scilicet: *Non videt, quæ Divinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.* Et prorsus cũ illo, quod S. Chrysostomus dicebat, coincidit, scilicet: *Accepit aurũ & perdidit Deum.* Divinitas namq; avaro apparet, quasi nunq̃ fuisset, adeò namque cœcus est, qui avarus existit, ut tãetsi ipsa in omni loco reperiatur, ipse tamen nusquam illam conspiciat.

L. de Sacramento passionis Chris. 6. Observastis ne aliquando dilectissimi idipsum, q; ante notavit S. Drogo Episcopus Ostiensis, videlicet, quod ille Judas pretiũ ex venditione Magistri sui acquisitũ ad sacrũ templũ deportaverit? Mat. 27. v. 3 & 5. *Retulit 30. argenteos & projectis 30. argenteis in templo, recessit.* Cur pretium illud in templũ potius, q̃ in fimetũ detulit? Itane? Ergone rẽ sacrilegã & execrandã templo intulit? Tẽplo argentũ & monetam, quâ cum ipsiusmet Dei vita vẽdita fuerat? Tẽplo pretium sanguinis Agni innocentissimi? Templo impij illius pretium tradimenti, quod ab ipsomet tenebrarum principe suggestum fuerat? Templo pestilentẽ illum & venenosum avaritiæ fructum? Tẽplo escam peccati turpissimi, quod unq̃ in mundo visum fuit? Templo fomentũ effrænis concupiscentiæ, amici cuiuspiam infidelis, ingrati alicuius servi, filij parricidæ, deniq; cuiusdam discipuli traditoris? Imò, dicit sapiens Ille Prælatus prædictus, Tẽplo hęc omnia intulit: Nummi enim seu denarij illi, Dij erant hominis illius impij, ac proinde veluti talibus templũ inhabitationem consignare voluit; Templo illos intulit, semper enim ijs illam detulit venerationem, quam Deo vivo ac vero sustulerat: *Non projecit in sterquilinium, sed in templum: Talibus semper Dijs templum suum devoverat, avaritia enim est simulachrorum servitus, excæcat quæ oculos.*

7. Confirmatur conceptus ille testimonio Spiritus sancti, qui vocat avarorum aurum, aurum sacerdotum: *Lignum offensionis est aurum sacrificantiũ.* Eccles. 31. v. 7. *Lignum offensionis* dicit Paulus Palatius, alludit ad lignum illud, cui innitebatur serpens ille æneus in deserto, qui à multis veluti Deus adorabatur: Eodem modo divitiæ, quæ concessæ à Deo fuerunt in infirmitatum nostrarum Medicinam, sicut serpens æneus datus fuerat Hebræis, multis sunt in offendiculum, ijs videlicet, qui illas adorant, veluti si Divinitatẽ habeant

Hom. 2. de arct. & angusta via. desinentes interea verum adorare Deum, vero namq; verius est id, quod Valerius docuit Episcopus, quando dixit: *Bona ista, dilectissimi, mala nostra sunt, quibus dum aliquando nimium attentè aliqui serviunt, cœlestia perdiderunt.* Lignum offensionis dicit Rabanus est arbor scientiæ boni & mali, quæ à nostris Prothoparentibus degustata, tanta illis damna intulit. Ita maximum peccati incentivum sunt divitiæ, quæ efficiunt, ut possessorillarū Deo dorsum obvertat. Unde benè monet S. Ambrosius: Lib. 2 de Interp *Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum. supinat, extollit, oblivionem auctoris infundit. Lignum offensionis*, dicunt alij, est Lignum illud, ex quo artifex mediante arte statuam format & Idolum, quod à stultis adoratur veluti Deus: Ita homines amentes veluti Idolum, propriam adorant avaritiam, quemadmodum Hebræi vitulū adorabant aureū; *Quo Judicio*, dicit S. Ambrosius: 1. Apol. David. c. 4. *claruit, auri cupidine materiā esse perfidiæ, & avaritiæ studio solere sacrilegia generari. Lignum offensionis*, dicit Cornelius Jansenius, est lignum, quod erigitur ad demonstrandam viatoribus viam, in quod is, qui sibi præsens non est, inadvertenter impingens caput allidit: Ita divitiæ, quæ manuducere debebant ad cœlum, per cæcitatem humanā à cœlo abducunt, & uti Tertullianus dicebat: Lib. de cultu fœmin. *Retinacula sunt ista spei nostræ. Lignum offensionis*, dicunt multi esse navim in alto mari ventorum turbini, impetui procellarum, scopulorum insidiis ac pyratarum persecutionibus expositam. Undè Paulus dicebat, quod illi, *qui volunt divites fieri, incidunt in desideria multa, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* 1. Timot. 6. v. 9. *Vnde fugiendæ sunt divitiæ*, concludit S. Prosper. Lib. 1. de vita contemplativa. *quas qui habent, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant. sine noxiâ delectatione non possident, sine dolore non perdunt.*

Porrò id, quod potissimum proposito præsenti servit, est, quod sapiens aurum avarorum vocet aurum sacrificantium; *Lignum offensionis est aurum sacrificantium.* Nam avarus divitias loco Dei sui habet, iisdemque seipsum dedicat & sacrificat. Id quod Deus Dominus graviter lamentabatur apud Prophetam suum Oseam: *Argentum dedi eis, quæ fecerunt Baal.* Argento, quod à me acceperunt ad fabricandum sibi Idolum, contra me usi sunt, meisque ad inhonorandum nomen meum, abusi sunt beneficiis. Reducitque mihi factū illud in memoriam id, quod fecisse scribitur Eribatus Regis Cyri Capitaneus, qui bonā denariorum summâ à Rege suo Crœso receptâ, mox Crœso rebellavit ab eodem deficiens, seque ad Cyrum capitalissimum eius inimicum recepit: Eodem namque modo accidit hominibus, qui post receptas à Deo divitias, iisdem met contra Deum pugnant, & ut Gregorius dicebat: In Mor. *De bonis Domini contra Dominum pugnaverunt.* Hoc est quod Deus conqueritur: *Argentum dedi eis, quæ fecerunt Baal.* Dono dedi illis aurum & argentum, ipsi verò donativo isthoc accepto usi sunt in summā donatoris injuriam & contumeliam: Divinitatem meam rapuerunt mihi, eandemque infimis creaturis manuum suarum operibus attribuerunt. Me defraudarunt debitis sacrificiis,

ſacrificiis, atque Avaritiæ turpi Idolo ſacrificarunt. Ecce ergò quomodo aurum avarorum vocetur *aurum ſacrificantium.*

8. Et revera quid eſt, quod devotus aliquis & Religioſus Sacerdos pro Deo facit, quod non faciat avarus pro auro? Sacerdos divino ſe conſecrans cultui, omnium obliviſcitur, ut ſolius Dei recordetur, dicitq; : *Dominus pars hæreditatis meæ:* Avarus inſatiabili cupiditati ſuæ ſe dedicans, Dei obliviſcitur, ne emolumentorum ſuorum obliviſcatur. Sacerdos rebus ſacris & divinis conſervandis & augendis totus incumbit: Avarus totus ſollicitus eſt pro rebus prophanis & terrenis conſervandis & augendis. Sacerdos ubiq; Dei prædicat magnalia; quovis in loco avarus iniqui Mammonæ prædicat divitias. Negotiatur ſacerdos pro Chriſti gloria Animæq; ſalute: Avarus proximi ruinam mercatur, & Domini offenſam. Sacerdotes populo Sacramenta miniſtrant: Avarus monetam mercatoribus in lucrum diſpenſat. Sacerdos id facit in templo: Avarus in argentariis. Sacerdos ut plurimum libros ſacros manu ſuâ terere conſpicitur: Avarus libros rationũ & cambiales literas tractare videtur. Sacerdos circum ſacra moratur altaria: Avarus circa arcas & ſcrinia.

Illi pro Dei honore ad loca ſacra prolixas peregrinationes inſtituunt: hi ad aurum venandum faſtidioſis itineribus mercatus frequentant & fora. Illi ſigillatim omnes ponderant gratias: hi exactiſſimè ad bilancem ſua examinant lucra. Illi ad meritum augendum jejunant: Hi manducare vix audent, ne ſuum diminuant theſaurum. Illi ad Redemptoris noſtri imitationem pauperculâ & modeſtâ amiciuntur veſte: Hi, ne expendant aut diminuant acquiſita, ſordidis induuntur veſtimẽtis. Meditantur illi in Lege Domini die ac nocte: Hi verò in parſimoniæ & ſordidæ tenacitatis legibus continuò ſtudent. *Lignũ* ergò *offenſionis aurũ ſacrificantium.* Sunt enim tales veri Avaritiæ, Idoli videlicet ſui, ſacerdotes.

Juvabit hic meminiſſe graviſſimi illius & ſapientiſſimi moniti S. Auguſtini: *Potuitne gravius divinis eloquiis accuſari Avaritia, quam ut Idololatriæ monſtraretur æqualis, & eius nomine appellaretur? potuitne majori digna pœnâ judicari, quam ut inter illa crimina poneretur, quibus obſeſſi Regnum Dei non poßideant? Aperiantur oculi cordis, ne fruſtrà pateant oculi corporis.* Li. 3. contra Epiſc. Parm.

9. Verum enimverò pertranſeamus nonnihil Geraſenorum Campos, videbimus enim ibidem duos dæmoniacos adeò terribiles, ut vix aliquem per vias quas obſidebant tranſire permittant. *Occurrunt ei duo dæmonia de monumentis exeuntes ſævi nimis, ità ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* Matth. 8. v. 28. Dominus autem noſter à miſeris illis dæmonia pellit, atq; juxta dæmonũ petitionem, ut in immundorum animalium gregem eo loco paſcentem commigrare liceat, permittit; Moxq; grex ille, Dæmonũ, à quibus obſidebãtur, furiâ agitatus, in profundas maris undas præcipitatus fuit.

Dicit autem Evangeliſta Matthæus, quod ad tanti famam miraculi univerſa civitas obviam proceſſerit: *Et ecce tota Civitas exijt obviam Ieſu.* Sed cur id cives feciſſe exiſtimatis? Forte, ut illum,

 intra

intra mœnia sua se ut recipiat, invitent, tantique Domini illius, qui veram secum ferat fœlicitatem & gloriam, gaudeant præsentiâ.

An ut post liberatam à dæmonum infestatione patriam, debitas liberatori referant gratias? Fortè ut, postquam civibus libertatem donando, atque iniquos eorundem possessores potentia sua eliminando, domitor inferni manifestatus est, illum benedicant & glorificent? An fortasse ut ab illo vitæ æternæ verba audiant, aut tanti Magistri fiant discipuli?

Nihil horũ populares hosce ad obviandum Christo promovit. Quid ergo? *Et viso eo rogabant eum, ut transiret à finibus eorum.* Instanter admodum illum rogarunt, ut isthinc se recipiens in aliam concederet regionem. Cur ita? videbant enim sublatum à Domino avaritiæ suæ fomentum, illa videlicet animalia, quæ à malignis spiritibus in mare præcipitata se suffocârunt.

Caiet. in Matth. En quàm id sapienter animadvertit Eminentissimus Cardinalis Caietanus in Matthæum dicens: *Salutem quippe hominum liberatorum à dæmonibus, & perditionem porcorum videntes ex adventu Iesu magis timuerunt augmentũ damni rerum temporalium, quam concupiêrunt augmentum salutis spiritualis Salus hominum admirationem generavit, damnum porcorum timorem maioris damni in ea excitavit.* Per miracula quidem ad Christum allecti & attracti: per proprij verò lucri cupiditatem alienati fuerunt ab eodem. Addiderunt quidem illis aliquam Miracula Dei fortitudinem, maiorem tamen illis subministravit avaritia. Ne res perderent modicas, authorem, datoremque rerum omnium perdere non curarunt. Denique benè dixit Benedictus Fernandius: *En Avaritia eijcit Deum; neque enim cum Deo Avaritia potest commorari. Nolunt recipere Christum, & custodes, & heri porcorum*; appositéque in eundem locum conclusit Theophylactus. *Videlicet quia ubi est vita porcina, ibi non manet Christus, sed Diabolus.* Fern. in Gen. Theop. in Matth.

Et quæ est vita porcorum nisi avarorum vita, qui faciem suam Cœlum versus nunquam vertentes, capitibus in terram pronis continuò grunniunt? *Statuerunt os suum declinare in terram.* Adeò ut putarit Jansenius in Matthæum magnæ fuisse argumentum astutiæ id quod Dæmon dixit: *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum,* Cur ita? *Cupierunt nocumentum istud hostibus illis inferre, ut perditis porcis, damno consternati* Jesum *non susciperent, sicque fructu prædicationis privarentur.*

10. Quæ PseudoPropheta Balaam non vidit miracula? etiam usque ad illius jumenti, cui insidebat, sensibilem atque articulatam locutionem, nec tamen indè deterritus est, quin contra expressum ipsiusmet Dei præceptum abiret, ut populo Dei malediceret. Unde quæso nascitur cum tanta luce, tanta cœcitas? Cum tanta persuasione tanta duritia? Cum tot motivis tanta obstinatio? Certè non aliundè quam ab Avaritiâ. Unde ipsemet dicebat: *Dixit vir cuius obturatus est oculus, & visionem omnipotentis intuitus est.* Videt & quasi non videt. Clausos habet cordis oculos, Numer. 24. v. 3.

neque

neque altissimis Coeli mysterijs intendere potest: *quia per Propheticam scientiam* (ita loquitur Rubertus Abbas) *visionem omnipotentis intuitus est, sed per Avaritiam cor caecatum habuit.* Videt, verum perindè est, ac si non videret, quod enim videt non maioris æstimat, quasi non videret. O quot sunt, qui visionem omnipotentis DEI vident in scripturis, in creaturis, in miraculis, at verò oculos habent obturatos illumq; Deum quē ore confitentur factis negant: *Avaritia ejicit Deum, neque enim cum Avaritia commorari potest Deus.*

Job. 31. v. 24. 11. Unde S. Job dicebat: *Si putavi aurum robur meum.* q. d. Nullam mei tutelam habeat DEVS, meque derelinquat, si unquam adeò affectus fui auro, ut in ipso spem meam collocatam habuerim, aut si ab Avaritiâ unquam adeò excæcatus fui, ut ab oculis meis aliquando evanuerit Dominus: aut denique si tantam aliquando erga divitias affectionem habui, quin semper infinities erga Deum magis affectus fuerim *si putavi aurum robur meum.* Non me latet, ô Domine, quod si ego aurum æstimarem tanquam fulcrum & basin spei meæ, eo ipso te fulcrum animæ meæ non venerarer, aut curarem, aut si in divitiarum subsidium, fiduciam haberem, fidem tuam quasi eiurarem, aut si eo usque perverterer, ut mihi Avaritiam pro Idolo construerem, tuam haud dubiè pedibus meis substernerem Divinitatem: aut denique si terræ lucrum appretiarer, per necessariam omninò consequentiam cœli contemnerem aut despicerem thesauros, nam uti docet S. Petrus Chrysol. *Nemo potest connecti terræ & jungi Cælo.* Ser. 164.

12. Ast prædictum locum sic vertunt septuaginta: *Si posui aurum in conjugium meum.* q. d. Nunquam tàm mentis inops fui, ut cum auro & divitijs matrimonij vinculum, inire meditarer. Est autem nobilissima comparatio vinculi, quod habet maritus cum suâ conjuge, cum stricto illo ligamine, quod est inter avarum & divitias eius. Si enim maritus ut locupletem conjugem, & cum illa amplissimam accipiat dotem, mundum hunc susq; deq; vertit: certè incredibile est, quos conatus avarus adhibeat, ut prætensę substātię assequatur possessionē. Si mulier tunc vel maximè custoditur anxiè, quando inter ipsam & maritum affectus subnatus est Zelotypiæ: Quis custodiam & anxietatem explicabit, quà cum avarus suas tuetur divitias, quippe quæ tantas à multis patiuntur insidias? Si matrimonium viri cū muliere secundum omnes bonas sanasq; leges indissolubile est: Quis, obsecrò, is erit, qui divortium procurare possit inter avarū & divitias semel possessas, aut libellum repudij avaritiæ procuret semel in domum introductæ. Denique nostine cur Job c.31. dixerit: *Si posui aurum conjugium meum?* Ideo scilicet quia, uti Salvator dicit, *Relinquit homo patrem suum & matrē suam, & adhæret uxori suæ.* Matth. 19. v. 3. Verum quot eheu hodie reperiuntur, qui ob infœlicissimam Avaritiā Deum Patrem suum, matrem q; suam Ecclesiam derelinquunt! Gen. 3. v. 24. *O pecuniæ amor*, (exclamabo cum Petro Blesensi in Job) *O tinea cordium, rubigo mentium,* Petr. Bles. in Job.

Lan-

Languor pessimus animarum, virtutum subversio, genimen vitiorum, vertens dilectionem in odium, & Dei gratiam in contemptum. Quomodò divitum corda excæcas? ut quanto amplius habeant, tanto minus habere se credant. Notate verba illa: *Vertens Dei gratiam in contemptum* commutat avaritia gratiam Dei in Divinitatis contemptum: *eò magis contra Deum elevantur, quò magis ab eius largitate contra meritum ditantur*, dicit optimè S. Greg. Papa. L. 2. mor.

13. Concludam hanc partem gravi quadam S. Leonis Papæ ponderatione, qui optimè advertit, Diabolum valdè conatum fuisse, ut homo mediante Tyrannorum crudelitate à Deo deficeret, quod quia assequi non potuit, manum suam misit ad potentius quoddam & efficacius medium, inordinatum videlicet rerum terrenarum amorem. *Terrores proscriptionum, in avaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrupit. Inflammat concupiscentijs, quos non potest vexare tormentis*; plus Sathanas per avaritiam effecit, quam præstiterit per tormenta. Tormentis multa occidit corpora: per avaritiam verò infinitas mactavit animas; Inter tormenta Ecclesia etiamnum infans & exordiens superior semper extitit atque triumphans; Per avaritiam verò Ecclesia adulta & provecta detriumphata remanet & devicta. Per tormenta stabiliuntur & confirmantur dogmata: per avaritiam autem hæreses multis in locis introductæ sunt & atheismus; Tormentis mediantibus Agri Christianismi passim irrigabantur & humectabantur, unde brevi temporis spatio maximi collecti sunt fructus: Avaritia verò mediante Ager fidelium arefactus & ex succidus evasit, adeò ut terra bona maxima ex parte sterilis facta sit & infœcunda. Tormēta è gloriosis Martyrū linguis liberas laudis & gratiarū actionis elicuerūt voces: Avaritiæ autē ori sequaciū suorū verba inseruit contumeliæ atq; blasphemiæ. Per tormenta Paradisus beatis est refertus animabus: Avaritia verò magnum inferno damnatorum numerum asseruit. *Inflammat concupiscentijs, quos non potest vexare tormentis.* Existimo ergò abundè probatum relinqui, *quod Avaro nihil sit scelestius*, eo quod rerum Divinarum fur sit & latro: *vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Serm. c. de Epihp.

14. Existimo vos haud difficulter mihi fidem adhibituros dicenti, quod Avaritia deprædetur proximos, cum ut vobis ex dictis jam liquet, eadem non verecundetur ipsummet bonis suis spoliare & exuere Deum. Unde Zeno Episcopus Veronensis valdè accuratè notavit quod inter ea, quæ usurpaverat sibi impius Acham, etiam gladius quidam fuerit. *Vidi inter spolia pallium coccineum & ducentos siclos argenti, gladiolumq; aureum.* Sic legit Andreas Masius loco eius verò vulgata habet: *regulam auream.* Convenienter admodum, dicit S. ille Doctor, requirens aurum, invenit gladium, non ideò duntaxat, quod mille certissimis & inevitabilibus eo ipso subjiciatur ictibus; sed potius, quoniam disponitur ad pugnandum contra omnes, utpotè universalis humani generis inimicus factus: *Bene cum quis quærit aurum invenit gladium. Inter hæc nemo considerat conditionis* Secund. Punctū. Serm. 14. Jos. 7. vers. 21.

tionis fragilitatem humana, nemo hostem nemo imminentes judicij flammas. Solum colitur de quo dictum est: Idola gentium argentum & aurum, pro quo quis aut jugulatur, aut jugulat. Avarus est universalis omnium hominum terræ totius inimicus, ideoque semper armatus incedit, sive ut se defendat, quippe qui cunctos sibi inimicos effecit, sive ut offendat, cum omnes sibi habeat adversarios: *Benè cum quis quærit aurum, invenit gladium.* Est hic conceptus adeo rationi conformis, ut etiam Senecæ viri gentilis, luminisq; fidei expertis menti obvenerit: ubi dicit: *Video ferrum ex ijsdem tenebris esse prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset aut pretium.*

Lib. 7. de Benef.

15. Et reverà, quodnam iniquitatis genus unquam fingi poterit, quod ab avaritiâ reali executioni contra proximum mandatum non sit? Quis innocentes opprimit? Quis mercede defraudat operarios, quod est peccatum adeo enorme, ut in ipsas Dei aures inclamans vindictam de cœlo expostulet? Quis Dominia ac principatus publicos, publica, per nimium graves impositiones, iniquas gabellas, injustas atque irrationabiles confiscationes, efficit latrocinia? Quis sacrosanctas conculcat leges, easq; sub pedibus suis submittit, ut cum libertate spoliare possit pupillũ æquè ac viduam? Quis ora claudit Judicibus & Tribunalibus, ne in favorem loquantur Justitiæ? aut illa aperit, ut in iniquitatis defensionem parum considerate loquantur? Quid puellarum & matronarum prostituit pudicitiam? Quid fidem vendit Matrimonialem, eandemq; extranei ac irrationabilis affectus consortio cõtaminat? Quid falsa testimonia, quibus oppressa sepultaq; remaneat manifesta veritas, excogitat? Quid scripturas falsificat? Testamenta evertit? adulterat Cambiales literas? allegationes & probas subtrahit? Quid involat in sacta locis pijs legata sustentationem pauperum, aut Eleemosynas Monasterijs Jure debitas? Quid venena miscet & propinat, ad tantò velocius prætensam hæreditatem assequendam? Quid est quod traditoriè circumvenit proprium sodalem, atque amici vitæ insidiatur? Quid ad bella injusta, nec non ad manifestè iniquas prætensiones prosequendas obarmat populos? Quid inter proximos consanguineos zizania dissеminat? Quid usuræ pestem, unde miserorum exsugitur sanguis, adeò promovet? Quid mille fraudulentis palliationibus artes corrumpit & perdit mechanicas? Quid mendaces, perjuros, & deceptores efficit mercatores? Quid Sacramẽta aliasq; res sacras pretio, carentes populo divendit? Quid inhonestissimis lupabus, & harpijs rapicissimis replet lupanaria? Quid peculatus, Fora aleatoria & ludos prohibitos, quibus mox integræ corruant familiæ, fovet? Quid traditori prodit patriam, propriorumque concivium suis inimicis divendit sanguinem? Quid milites in latrones convertit, atq; hoc pacto honoratissimam mundi huius artem infamat? Dicamus id obsecro unico verbo cum magno illo Pontifice Ambrosio: *Rapiendi nullus modus, ubi nulla mensura cupiendi.* Prædandi nulla habetur mensura, ubi desideria

Lib. 1. de Abel.

deria mensuram nullam habent, atque interminatam cupiditatem interminata pariter subsequitur rapacitas. Desiderare & damnificare pari passu ambulant. Non desinunt insidiæ, quia nō desinunt invidiæ. *Rapiendi nullus modus, ubi nulla mensura cupiendi.* Estq; veritas isthæc adeo certa, ut os Chrysostomi aureū veluti rem omnino impossibilem æstimet, ut simul quis amet aurum, & amet proximum. *Non diliget proximum, qui diligit aurum.* De corde suo charitatem pepulit, quisquis in idem Avaritiam introduxit, neque proximum amare potest, qui aurū diligit, deniquè omnium inimicus erit, quisquis denarij amicus erit; *Hinc inimicitiæ, hinc pugnæ, hinc contentiones, hinc bella, hinc suspiciones hinc convitia hinc furta, hinc cædes ac sacrilegia. Propter hanc non civitates, non regiones solum, sed viæ ipsæ, & qui habitatur, & qui non habitatur Orbis, & montes, & colles, & saltus uno verbo, omnia, cædis & sanguinis plena sunt, propter hanc Naturæ leges subversæ, & cognationis jura convulsa, hinc sive in domo, sive in foro, sive in judicijs, sive in curijs, sive in Regijs, sive ubicunquè vis, omnia mala pullulare videbis.* Quodnam ergo illud monstrum, quod per omnia ubiquè dominatur Regijs in Curijs, Tribunalibus, templis, privatis domibus, in civitate, sylvis, vijs, foris, locis sacris æquè ac prophanis? Quodnam pestilens illud contagium, quod omnem infecit ac intoxicavit gradum & conditionem magnorum & minorum, Principum & privatorum, Nobilium & plebeiorum, Sacerdotum & laicorum, divitum æquè ac pauperum? Quæ est crudelis illa & sanguinolenta fera, quæ terram hanc sylvam efficit ferarum bestiarum, quæ ad ultimas usq; ruinas mutuis se persecutionibus impetunt? *Benè qui quærit aurum, invenit gladium.*

Hom. 65. ad pop. Antioch.

16. Refert Solinus: quod in Scythiâ Asiaticâ, ubi aurum eruitur ibidem quoquè Gryphes aliæquè ferocissimæ feræ reperiantur, negotiationem mutuam valdè impedientes: *In Asiaticâ Scythiâ terras aiunt esse locupletes inhabitabiles tamen: nam cum auro & gemmis affluant, Gryphes tenere universa alites ferocissimas, & ultra omnem rabiem sævientes, quarum immanitate obsistente accessus advenis difficilis & rarus sit.* Sed quos Gryphes reperiemus Avaris ferociores ac terribiliores, utpotè qui procul à thesauris suis, omni cum diligentia, cunctos homines arcent, & ex ppius appropinquantibus horribile cōficiunt macellū? Qui item citra utilitatem omnem, imò maximo cum damno, sine ullâ Justitiâ, imò magnâ cum iniquitate, sine ullo gaudio, imò infinitis cum fastidijs pro ratione suæ cupidissimæ voluntatis illud metallum custodiunt, quod in communem omnium utilitatem à Deo creatum fuit? Hi ergo sunt latrones & prędones illi, de quibus sapientissimus Job loquitur: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipse omnia dederit in manus eorum.* q. d. Dominus secundum justissima judicia sua permisit, ut possideat unus quod multorum erat, atque ut totus nudus & spoliatus remaneret mundus, ad hoc, ut uni cuncta abundè suppeterent. Verum quo nomine Job tales compellat? *abundant tabernacula prædonum:* Latrones & prædones appellat

Sol. Hist. cap. 23.

Job. 12. vers. 6.

appellat eos, eò quod divitiæ & abundantia prædones interdum efficiant. Estq; hæc glossa S. Thomæ de Aquino in Catenâ in prædictum Jobi locum.

D. Tho. Quod idem est quod Oseas Propheta dicebat: *Veruntamen dives effectus sum, inveni Idolum mihi.* Verum habet textus

Ose 12. v. 8. iste duas alias lectiones apparenter quidem contrarias: revera tamen admodum conformes: Vbi enim nos legimus: *Inveni Idolum mihi*, legunt alij: *Inveni dolorem mihi*; Et alij: *Inveni violentiam mihi*, q. d. una cum divitijs dolorem inveni & violentiam; Et prout Hieronymus Pineda interpretatur: idem est: *Inveni dolorem, & inveni violentiam*, quod: *Inveni violentiam, quæ alijs dolorem inferat.* Hoc significare vult: *Dives effectus sum, inveni dolorem mihi*, aut: *Inveni violentiam mihi.* Factus sum dives, at simul latro evasi abundans & rapax: opulentus & injuriosus, locuples & prædator; nam *qui quærit aurum, invenit gladium.*

Cap. 7. 17. En tibi spinas acutissimas de quibus Propheta Michæas: *Qui optimus in eis est, quasi Paliurus est. Quasi Paliurus.* Exponit S. Hieronymus: *Pungens & retinens: pungens appropinquantē sibi, & adunco dente comprehendens.* Spinæ

S. Hieron. in Mich. pungentes & spinæ retinentes, spinæ ferientes, & spinæ spoliantes, spinæ lacerantes & spinæ rapientes. ô pessimi sæculi pestis perniciosissima! Quod singuli homines de suis substantijs vivere nequeant, fit eò quod unus homo solus de substantiâ omnium vivere velit. Quod hi ab Hæreditate paternâ impiè repellantur, fit ideò, quia omnium bonorum alienorum avarus universalis prætendit esse hæres: Quod illi ne palmum quidem terræ proprium, ubi quieti residere possint, inveniant, nō est mirum; Nam avari pacem de mundo tollentes ad totius terræ aspirant possessionem. *Quasi Paliurus pungens & retinens.* Lamentabatur quondam Socrates apud Aristophanem totum mundum Nasturtio plenum esse, symbolicè intelligendo avaros; habet enim herba ista hoc sibi proprium, quod omnium sibi uni humorem attrahat, eoquè privet vicinas: *Ita ut illæ pereant, dum hæc crescit.* En tibi veram divitis avari & cupidi effigiem, hic enim ordinariè non crescit nisi ingenti vicinorum suorum damno. Undè Jeremias Propheta postquam sub plantæ prosperè vegetantis similitudine divitum descripsisset abundantiam hisce verbis: Jer. 12. v. 1. & 2. *Quare via impiorum prosperatur, &c plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum*, mox sub eâdem plantarum Metaphorâ vicinorum subjungit destructionem & miseriam, dicendo: *usque quo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur?* Omnes ferè herbę exsiccantur, ut una virescat, cuncti homines depauperantur, adhoc ut unus abundet. An non id videamus quotidie? Opifex fame moritur, quia dives ei quod debet, non solvit. Mercator fallendo cedere foro cogitur, eò quod dives receptarum mercium illi denegat preciū; vicinus domi suæ nequit ꝑficere, quia dives illi litē movit injustā; Impatiēter vociferantur qui serviūt, eo ꝙ multorū annorū eis residuū sit salariū. In summa dives, ꝑcipuè verò avarus similis est Nasturtio, ꝙ omnia interire

P 2 & emo-

& emori facit, ut ipsum solum vivat; *ita ut illæ pereant, dum hæc crescit.*

18. Hinc Timandridas ut refert Ælianus: post longam multorum peregrinationem ad Patriam reversus, postquam reperisset Filium opes & substantiam paternam valdè adauxisse, indignatione plenus eidem dixit: *Multos familiares atque hospites injuriâ affecisti*, Auxisti quidem substantiam, sed necessum est ut amicitiam diruperis, nec enim absque multorum injuriâ acquirere potuisti, quod non nisi cum variorum deprædatione acquisiisti. Utile tuum absque aliorum damno esse nequit, dumque te adeò incrassatum conspicio, suspicione id carere nequit, quin multi ob hoc à te ad extremam sint redacti maciem; Ideò enim domus tua omnibus rebus necessarijs est referta, quia domus aliorum exinanisti, atque necessum est infinitos rerum illarum, quas tu modo tenes, possessione esse exutos. In cuius confirmationem servit S. Hieronymi oraculum, qui dicit: *Omnes divitiæ de iniquitate descendunt, & nisi alter perdiderit, alter non potest invenire. Vnde & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Dives aut iniquus, aut iniqui hæres.* Undè Lucianus Sophista, qui asserebat Metempsichosin, sive transmigrationem spirituum, dicit, quod animæ divitum post mortem eorundem, Corpora subirent asinorum. Ut pauperibus exagitentur, sicut ipsi pauperes exagitarunt.

Ælian. l.4

Regul. Monach.

Luc. in Menip.

19. Ululate quercus Basan, dicit Deus, ubi Chaldæus legit: *Vlulate Satrapæ Provinciarum.* Ululate, ô Satrapæ, Provinciarum prælides, vobis enim Deus dignè pro meritis accelerabit pœnas, vos quibus non sufficit vestrum tondere gregem, sed illum excoriatis, omnemque, quem venis latentem habet, sanguinem exsugitis: vos, qui ad satiandam cupiditatem vestram, ne tantillum quidem pauperculo Panem relinquitis, ut suam possit satiare famem. Vos, qui ad hoc ut habeatis omnia, alteri nec quicquam relinquitis: *Vlulate quercus Basan, ululate Satrapæ provinciarum.* Nostis cur vocentur quercus? Quia sicut quercus, dum radices suas per terram dispergit, omnibus plantis vicinis aufert succum & alimoniam: ita avarus omnibus nocet, his per fraudem, illis per violentiam, alijs per injustas lites, nonnullis perscripturas falsas & fictitias, pluribus denique alijs mille prætextibus iniquis. *Vlutate quercus Basan.* Aut vero dicamus, quod dives vocetur quercus, *quippe quercus*, dicit Pineda, *non alijs fructum ferunt quam porcis.* Sic dives qui à suâ beneficentiâ pauperculos excludit Christi, denarios suos in lupas, seu Meretrices, scurras, momos, sicarios, aliosque similes infames homines profundit & prodigit. Canibus, equis & avibus venaticis ordinaria sua nunquam subtrahitur profusio, pauperi autem & extremè inopi sua quantumvis modica & miserabilis denegatur sustentatio: *ut ipsi habeant currentes canes*, dicit Ailredus: *Aves volantes, equos spumantes, nudantur Domine* JESV *in pauperibus latera tua, ridentur verbera tua, effunduntur viscera tua.* Et S. Ambrosius similiter non sine rationali indignatione dicit: *Pecuniam pauper quærit, & non habet; panem*

Zach. 11. v.2.

Pineda in Job.

L. 3. Spec. c.21.

Lib.3. de Naboth.

nem poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit. Vlulate quercus Baſan.

20. Verum cur de divitibus loquimur avaris, non verò de prodigis rerum ſuarum dilapidatoribus? Multum ad noſtrum præſens facit propoſitum, eſtque certa quædam Quercus proprietas, relata à Plinio, videlicet capitalis quædam inimicitia, quam cum olivâ habet: *Quercus & olea tàm pertinaci odio diſſident, ut altera in alterius ſcrobe de pacta moriatur.* Quis eſt qui neſciat per olivam ſignificari miſericordiam? Tanta ergo, quæ quercum inter & olivam eſt, inimicitia, contrarietatem refert, & averſionem, quam avari erga pauperes habent, verſus quos pietatis viſcera omninò recluſa tenent, veluti impius ille Achab habebat, qui tametſi admodum dives eſſet, contentus non erat, donec pauperculo Naboth vineam ſuam ſuſtuliſſet, & quia hic illam ipſi denegabat, *projiciens ſe in lectum ſuum*, dicit S. ſcriptura, *avertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* Ecce quercum olivæ inimicam. Ecce flagitioſum iſtum derepentè infirmum. Verum quonam is morbo laborat? Morbus ille eſt, quod non deprædatus fuerit alterum: malè habet, quia non intulit malum & damnum pauperi, eumque malè habere & egere fecit: *Non manducavit panem ſuum, quia quærebat alienum* dicit S. Pater Ambroſius: Si ergo non paſcere pauperem, dum id tamen in tuâ eſt poteſtate, eſt occidere illum ſecundum ſententiam S. Auguſtini: *Non paviſti, occidiſti,* imò ſecundum ipſius quoque Senecæ ſententiam, qui etiam ſolius naturæ lumine magnam iſtam veritatem ignorare non potuit, dicit enim: *Qui ſuccurrere perituro poteſt, cum non ſuccurrit, occidit.* Si ergo homicida eſt, qui neceſſitatem patienti non ſuccurrit, cum tamen poſſit, vos nomen aliquod, quæſo, inveniatis quod malitiam adæquet avaritiæ, qui homini miſerabili, inſatiabili cupiditate ſuâ, etiam rapit, quod ſuum eſt.

Lib. 24. cap. 2.

3. Reg. 21. v. 4.

L. de Naboth.

21. Ah monſtrum verè crudele & ſanguinolentum Avaritia, ex aliorum ruinis ſemper te paſcis, ex aliorum bonis te ſemper deſtruis, de fœlicibus aliorum ſucceſſibus ſemper conquereris. Pro lucris tuis tota es oculus, pro alienis emolumentis totaliter cœca exiſtis, Tuas jacturas vivaciter ſentis, quoad damna verò aliena ſemper es inſenſibilis: In lucro proprio non fatigaris, alienis miſerijs non compateris. Incredibili inurbanitati & ferociæ tuæ nullus eſt infœlicis hominis planctus qui non ſit ſuavis; nulla miſerorum pœna, quæ non ſit grata; nulla, quæ non ſit chara infortunati infœlicitas. Tu peſſimis artibus tuis pacē ſuſtuliſti de mundo, terrā infinitis ſpinis ſeminaſti cōtra omnē perſonarū ſtatū & conditionem conjuraſti. Tu capitaliſſima humani generis inimica, deſtruis familias, & gaudes: Civitates perturbas, & hilaria feſta agis, ſanguinis rivos per campos ſæpè manare facis, idque ſiccis intueri vales oculis; Tu Dei leges rumpis & Naturæ; filium armaſti contra Patrem, & Matrem adverſus filiam, fratrem denique contra germanum ſuum, omnique Dei timore à pectoribus illorum evulſo, ad impietatem illos & parricidia præcipitaſti. Tu ex Regnis rapinarum negotiationes

efficis, Harpyiarum congregationes ex aulis, ex civitatibus ferarum receptacula, jurgiorũ officinas ex domibus, ex templis simoniarum synagogas, ex Tribunalibus Latrociniorum scholas, denique passionum humanarum ancillas ex artibus sacris & scientijs. Tu universalis es omnis injustitiæ magistra, crudelitatis artifex, machinatrix fraudium, insolentiarum mediatrix, in parentes impia, inhumana in proximos, erga benefactores ingrata, erga amicos crudelis, perfida erga sodales, erga maiores irreverens, superba versus æquales, fastidiosa denique erga subditos. Tu venenosâ peste tua adeò universim totum intoxicasti hominem, ut vix partem aliquam in se sanam retineat; Tu enim illum in paciscendo fecisti iniquũ, in loquendo mendacẽ, altũ in discurrendo, in conversando intractabilem, in modo procedendi fictum & duplicem, in promissis infidelem, temerarium in aggrediendo, crudelẽ ad instar Neronis, superbum instar dæmonis, ac deniq; bestiæ instar insensatũ. O mare insatiabile, ꝙ quò plus recipis, eò plus requiris, & quò magis requiris, eò plus desideras, tanto plꝰ ardes, de acquisitis nunquam satiaris, novorum semper avida lucrorũ, rapax semper prædatrix, semper invidiosa, intra aquas residens semper, & semper tamen sitibunda. Quis mihi dabit, ut te aliquãdo ex hoc mundo eliminatã esse conspiciã? Quis mihi concedat, ut tandẽ tempus illud antiquum resurgere videam, si tamen non est fabulosa ætas illa aurea, tantoperè apud antiquos celebrata, quâ domus non occludebantur, eò quod insidiatores non essent, neque divitiæ sub clavium asservabantur custodiâ, eò quod omnibus liberalissimè communicarentur, neque tribunalia aut curiæ apertæ erant; in illâ namque summâ pace & concordiâ, nõ erat unde lis oriretur. Quando pastor pauperculum gregem suum absq; ullâ curâ pascebat, securus erat fistulam suam à militaribus non interrumpendam fore tympanis: simplex item agricola suum cum hilaritate excolebat prædiolum certus sudores suos inhumanis nunquam atq; inexorabilibus dandos esse exactoribus: Famulus quoque omni cũ fidelitate & accuratione serviebat (si tamen servire dicendus erat) nunquam de pactâ mercede defraudatus, Sacerdotes deniq; ad sacra altaria quotidiè offerebant hostias, neque sacros cantus suos à rauco tumultuosi tympani sono opprimendos, nec religiosarũ domuum Campanilia ab horrido bombardarum fragore perturbanda timebant. ô fœlicissima tempora, verèq; tunc aurea, quãdo ne nomen quidem auri audiebatur, qualia fortassè fuerunt illa nascẽtis Ecclesiæ, quando & nomen turpis illius Avaritiæ, quæ te hodie & devotione versus Deum, & misericordiâ erga proximum spoliavit, in exilium quasi relegatum erat.

PARS SECVNDA.

22. Superest nunc probandum, Avarum furari & prædari semetipsum. Dico ergo, avarum in uno momento, simul ac semel auferre sibimetipsi & naturæ bona, & bona gratiæ, nec non & bona

& bona gloriæ, ideoq; *Avaro nihil est scelestius.*

Et primò quidem furatur sibi bona naturæ; Avari namquè teste S. Paulo: 1. Timot. 6. v. 9. multis rapiūtur perniciosis desiderijs, à quibus merguntur in interitū: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionē. Radix enim omniū malorū est cupiditas.* Cavete vobis ab avaritiâ, quæ radix est omniū malorum, & talium quidē, quę cōtinuam quandā cōmunicabunt mortē, nec pacis unicū quidem momentum permittent. Ut Senec. in Senten. pinde Seneca benè dixerit, avaro se nihil desiderare posse perniciosius, q̄ ut longum vivat. Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu? Diuturnam avarus agit vitam, eritq; hæc maior illius, quam habere possit, infœlicitas; nam quādo omni alio carebit tormento, hanc passionem suam tormentatricē habebit. Vivat ergò & diu, quia quantò diutius viver, tantò prolixiorem habebit pœnam, & quantò se mors ab eo magis elongat, tantò prolixior illi erit pœnalitas. Proverb. 10. v. 2. *Nil proderunt thesauri impietatis*, dixit sapiens. Resipiscamus ergo, non enim juvant impietatis thesauri, sed potius damnificant; nō recreant sed torquent; sitim non extinguunt, sed adaugent; nequaquam fœlicitatis, sed potius omnium sunt causa maloīū. *Radix enim omnium malorum est cupiditas. Non proderunt thesauri impietatis*: Hebræus legit: *Non proderunt thesauri inquietudinis.* Tales enim sunt thesauri, ut inquierent & perturbent, idq; quasi sine remedio, Hom. 61. ad pop. Antioch. ut dicebat Chrysost. *Commoventur aqua & iterum sedantur: movetur terra & iterum subsidet, venti impelluntur, & tandemquiescunt: flamma excitatur & consumpta deniq; materia consumitur: At verò Homo cum semel pecunia cupiditate agitari cœperit nunquam desinit.* Qualis ergo illa est inquietudo quæ nunquam terminatur? Quale illud quod nunquam extingui potest incendium? Quod nam illud sine omni consolatione tormentum? *Non proderunt thesauri inquietudinis*, sic is qui commodò in lecto jacebat, requiescere tamen nequibat, unde Luc. 12. v. 19. dicebat animę suæ: *Anima mea requiesce*: sed quâ id ratione animæ suæ, ut requiesceret, persuadere nitebatur: *Multa bona habes reposita in Annos plurimos.* ô stulte hæc hæc est illa turbationis causa. *Non extinguitur ignis nisi materiam incendij spinarumquè sarmenta detraxeris*, dicit Chromatius Episcopus Aquileiensis: *Sic neque Animus erit mitis,* L. 8. de Beatit. *& quietus, nisi ea quæ exsuscitant atque inflammant, fuerint abdicata.* Vide ergo, quia miser ille requiescere non potest, etiam dum se quietis putat habere materiam. Undè concludit S. Petrus Chrysologus, illum non tam bonorum quam pœnarum divitem esse: *Cui quies perit, pœnâ dives est non censu.* Chrysol. Ser. 19.

23. Dic, sodes, mihi, ô avare (estque hæc interrogatio S. Ambrosij) qui te in quotidianos illos fœlices reposuit eventus, qui tibi ne unum quidem quietis permittunt momentum? Quis te fecit adeò tui ipsius immemorem, ut tantum recorderis eius, quod magno tuo bono à memoriâ procul abesse deberet? Quis te per terræ totius amplitudinem adeò inquietum discurrere cogit ad di-

ad despiciendum, in quâ mundi parte curas & sollicitudines tuas magis magisque adaugere possis? Sed quid dico de terrâ? Quis te in mare pepulit teque tanto tuo studio per navigationem propria tua pericula venari & insectari adegit? Quis te cogit manifesta salutis tuæ tibi multiplicare discrimina? aut tot tibi modis tuam procurare mortem? Deus non ad navigationem sed ad recreationem mare fecit, latum valde extendit istud Elementum, ut in idipsum regiones includeret & provincias, ne tu solum tuum vagus egredereris & mendicus. Piscibus illud in habitationem dedit, non verò ad itinerandum hominibus. Voluit illud esse terræ piscinam, non verò mortalium sepulturam. Cur ergo tu tuamet tibi sectaris pericula, idque ultrò citròque?

Ambr. Lib. de Elia c. 19. Cur altas illas & secretas mundi voragines infestas? Cur niteris innocentis elementi irritare procellas? *Quis vos homines navigare compellit? Mare non ad navigandum fecit Deus, sed propter Elementi pulchritudinem. Latius Pelagi figit æquora, certè ut freto includeret terras, ne longius tu vagus & exul errares. Piscibus dedit non hominibus perambulare semitas maris. Ad escam tibi mare datum est, non ad periculum; Cur tibi periculum generas de voluptate? Cur inquietas mundi altiora secreta? Cur tentas frequenter innoxia æquora, irritas procellas? O inexplebilis avaritia mercatorum!*

Isaiæ 23. v. 4. *Erubesce Sidon ait Mare*, legitur apud Esaiam. Sidon Phœniciæ civitas erat, mercatoribus & consequenter avaris refertissima, dicit ergo mare, *erubesce Sidon*. q. d. Nequeo amplius tua sufferre itinera, quibus tam frequenter omnes amplitudinis meæ sinus defatigasti; Cur, quæso, tu undarum mearum reprehendis iniquietudinē, cum tamen tu ipsismet undis meis multò sis inquietior? venti vestris cupidinibus verecundiores sunt, habent enim hi suam aliquando moram & quietem; vestra autem ardens cupiditas sistitur nunquam, & cum sæpè otiosæ sint tempestates meæ, vestra tamen nunquam otiantur navigia: unda sæpè à remigibus commovetur & agitatur, cum tamen non est commota aut turbata ab aurâ, *Erubesce Sidon ait Mare.*

Tanquam fatigati Elementi (interpretatur Ambrosius) *ait, vox ista dicentis est: Erubesce Sidon: hoc est, meos fluctus arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior. Verecundior es venti sunt quā vestræ cupiditates. illi habent otia sua, nunquam vestræ quærendi studia feriantur: & cū otiosa tempestas est, nunquam vestra otiosa sunt navigia, versatur unda sub remige, quæ quandoque quiescit à flumine.* Sic S. Augustinus: Considerans hanc ingentem avari solicitudinem, concludit illam nihil esse posse aliud, quam extravagantem quandam Hydropisin, quæ semper bibit & semper sitit, semper plena est humoribus, & humores tamen semper quærit, habet semper, & semper desiderat: *Habes aurum, habes argentum; & concupiscis aurum, & concupiscis argentum. Et habes, & concupiscis, & plenus es & sitis. Morbus est, non opulentia. sunt homines in morbo: nonne pleni sunt humore, & sitiunt humorem?* Lib. 14. verb. D. post.

Secundò

25. Secundo avaritia furatur avaro bona gratiæ, id quod iam in primâ parte abundè satis probatum fuit, dum ostendimus, quod avarus sit privatus charitate versus Deum, & amore versus proximos, si igitur charitas vita est virtutum, absque illâ omnes virtutes mortuæ erunt. *Væ divitiis* (dicebat Gofridus Abbas & Cardinalis S. Priscæ) *quæ non solum pereunt, sed suum etiam perire faciunt amatorem.* Væ malè natis divitiis, quæ solæ non pereunt, sed è gratiâ quoque excidere faciunt suos possessores.

Gofr. Abbas Vind.

26. Hoc totum transiret, verum id quod infinitas meretur lachrymas, est, quod ipsum sit irremediabile quoddam vitium. Audite hac in re ipsiusmet sapientis mentem, *Est alias infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiæ conservatæ in malum Domini sui.* Chaldæus ita legit. *Est periculosum malum, cui medicina non est.* Videtur hic avaritiæ morbus omni prorsus carere remedio, nam uti advertit Petrus Blesensis. *Non facilè de avaritia triumphat, de quo ipsa semel triumphavit.* Constat hoc ipsius impiissimi Balaami exemplo, qui non obstante quod Deum vidisset, fuissetque ab ipsâ asinâ suâ adeò prodigiose reprehensus, nihilominus continere se non potuit, quin abiret maledicturus populo Dei, vanis Regis Balac promissionibus allectus, atque ab avaritiâ suâ violentiam passus. Unde colligit S. Augustinus Deum haud dubiè suum habiturum fuisse intentum, nisi Balaam avaritiâ imbutus fuisset, quæ nihili facit, seu minas divinas, seu ipsummet Deum. *Deus ire Balaam ad maledicendum prohiberet, si tamen à cupiditate cessasset, quasi avaritia* quoddam sit obstaculum ipsimet Deo resistentiam faciens. *Est periculosum malum cui medicina non est.* Constat id quoque ipsius Ananiæ exemplo, qui partem pretii agri venditi iam Deo oblati: retinuit, ideoque à S. Petro morte subitaneâ occisus fuit, qui occidit illum, ut docet S. Ambrosius quia non inveniebat remedium quo impium istum à scelere suo revocaret: *In Anania Petrus si potuisset corrigere, non punivisset. Est periculosum malum, cui medicina non est.* Constat item in exemplo Josue, qui solem imperio suo firmare, & Deo obtemperantem reddere poterat, nec tamen ad obedientiam inducere poterat unicum avarum, prout id idem notat Ambrosius. *Iesus nave potuit solem sistere, ne procederet: Avaritiam hominum non potuit sistere, ut serperet. Ad vocem ipsius sol stetit, avaritia non stetit. Est periculosum malum, cui medicina non est.* Idem denique probat impii Pharaonis exemplum. Quot enim illi Deus immisit flagella ad hoc, ut populum suum Ægypto exire permitteret? Annon visus est pœnis quasi opprimi? Annon consilium & remedium in ipso frustraneum fuit? Annon ab incantatoribus suis delusus est? Nunquid ab invisis hactenus prodigiis perterrefactus est? Et tamen non est commotus, sed potius induratus magis, imò tot tantisque Dei monitis oculos suos omninò occlusit. Et quænam huius obdurationis causa fuit? Nil profectò aliud, quam proventus & utilitas, quam recipiebat ab operibus, quæ populus in publicis regiæ urbis laboribus præstabat: *Pharao*, dicit Hildebertus *cum esset ferventi plagæ proximus,*

Ecclesiast. 5. v. 12.

Ser. 14.

S. Aug. ser. 103. de temp.

Ser. de S. Alc.

L. 2. offic. c. 26.

Ep. 43.

ximus, hoc frigore tamen induruit, quia labores manuum Israel indebitè usurpavit. Est malum perniciosum, cui medicina non est.

27. Accedamus nonnihil propius ad sapientem, qui dicit, quod *substantia divitis quasi murus validus circumdans eum.* Proverb. 18. v. 11. Nisi ego timerem, ne fortè vim aliquam inferre literæ dicti huius, facilè mihi persuasissem, murum hunc adeò fortem, quo circumdatus avarus dicitur, murum esse carceris cuiusdam tenebrosi, quo is claudatur absque spe futuri egressûs & reserationis. Quicquid tamen sit Chrysostomus ad minus aurum comparavit homini cuipiam incarcerato, totque retento vinculis, quod sunt inordinata eiusdem hominis desideria. Ho. 14. in Matth. *Sicut cum aliquem videris in carcere vinctum, & cervice, manibus, pedibusque ferratum, propterea illum maximè misereris: sic etiam cum videris divitem, & infinitis rebus circumdatum, noli illum propter illa vocare locupletem, sunt enim vincula. Præter illa autem vincula habet custodem carceris severiorem, pravum videlicet amorem pecuniarum, qui semel à se vinctum nequaquam ab hoc carcere migrare permittit; sed mille imponit catenas. Malum ergò perniciosum est, cui medicina non est.*

28. Unde S. Gregor. Nazianzenus Ora. fun. de S. Bas. laudando S. Basilium dicere ausus fuit, quod tametsi is Eliæ, Moysis, aut Christi miracula non fecerit, fecerit tamen prodigia illis simillima: *Caterū quæ his sunt similia, & pariter illuc tendunt, cum eadem cogitavit & perfecit fide. Sed quænam sunt isthæc prodigia? siquidem verbis ditiorum aperuit horrea, persuasionibusque scripturæ illud perfecit, Frange esurientibus cibum, & pasce inopes panibus.* Maxima Cæsareæ fames erat, persuasitque Avaris Basilius, ut granaria reserantes misellos pauperes pascerent, atque id ipsum vocat miracula simillima iis, quæ fecit Elias, Moyses & Christus, quasi non minus miraculum esset divitum aperire granaria, quam mortuorum sepulturas, restituere intellectum avaris, quam cœcis visum, emollire obstinatorum corda quam petras deserti: pectora à cupiditatibus exsiccare, quam mare ab undis abstergere, efficere ut flammæ charitatis descendant, quam ut ignis de cœlo proruat. *Est malum periculosum, cui medicina non est.*

29. Ultimò denique avaritia gloriæ bona furatur; in huius namque mundi bonis occupata, de alterius vitæ bonis minimè curat, atque spes rerum cœlestium à malis concupiscentiæ germinibus, à pessimâ radice progerminantibus suffocatur & submergitur. Audite Augustini hac in re Oraculum: *Non times? Radix omnium malorum avaritia. Mergi non times in interitum & perditionem? non times radicem omnium malorum avaritiam? de agro tuo extirpas radicem spinarum & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum? purgas agrum tuum unde capiat venter tuus, & non purgas cor tuum, ubi habitet Deus tuus?* Ser. 10. de temp. An pluris æstimas agrum tuum, quam cor tuum? Agrum à spinis expurgas ne fructum perdas, cor autem à passionibus non evacuas, ne amittas Deum? *Væ qui opulenti estis in Sion.* Dicebat Propheta Amos ubi Septuaginta legunt: *Væ qui despicitis Sion.* Amos 6. v. 1. Et Clemens Alexandrinus in eundem locum dicit, quod divites montis Sion

nihili

nihili æstimabant templum in monte Sion situatum, neque ipsum templi Dominum, *qui templum Sion & ipsum Dei templum pro nihilo habetis.* Ego verò per Sion intelligi volo patriam cœlestem: *Væ qui despicitis Sion: Væ qui opulenti estis in Sion;* Estque divitem esse in terrestri Sion, idem quod cœlestem contemnere; *Qui opulenti estis in Sion, qui despicitis Sion.* An non auditis monentem sapientem. *Quod anima saturata calcabit favum,* hoc est, ut Hugo explicat: *Anima divitis favum calcat, quia pro terrenis bonis spernit dulcedinem Regni cœlestis.* Domus ergò Dei facta est spelunca latronum, quia avaritia in uno quasi puncto vel momento gloriæ furatur bona, imò quantum Deus ipse valet. O mundum pauperem & infœlicem, qui pericula sua non videt, neq; ad horrenda adeò præcipitia attendit; nam pro creaturâ Dei creatorem Deum amittit, & pro adeò manifesto ac evidenti malo, æterno ac incomparabili bono renũtiat. O miserabiles Adæ filij! Quis adeò vos excœcavit? Quis vos intellectu privavit ac prudentiâ? Quis vos cœcutire facit inter mendacia & vanitatem huius sæculi? O pater luminum, illuminare dignare obscuratarum mentium nostrarum tenebras, cautos & attentos nos effice in medio tot tamque periculosarum illusionum. Tolle, ô benignissime pater, è pectore nostro pestiferum venenum istud, quod omnes nostras inficit cogitationes, omnesque rationabiles conatus nostros infirmat. De cordibus nostris monstrum hoc infernale depelle, quod omnis boni fur est & deprædator.

Prov. 27. v. 7. Hugo in Prov.

CONCIO VII.

In Feriam IV. post Dominic. I. Quadragesimæ.

THEMA.

Et ecce plus quam Ionas hic. Ecce plus quam Salomon hic. Matth. 12. v. 41. & 42.

ARGUMENTUM.

In severitate Ionæ Prophetæ, & benevolentiâ, Salo-

monis Iustitia & misericordia Christi exprimuntur, virtutes nimirum tales, quas imitari debent, quotquot animarum curâ onusti sunt.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Potentia & misericordia Christi indigitantur per austeram Ionæ prædicationem & per Salomonis magnificentiam.

Synopsis concionis.n.1.

Primum punctum. *Promptus Ninivitarum ad pœnitentiam recursus. Descriptio Ninive, & illius pœnitentiæ.n.2.*

Disproportio inter Christum & Ionam, & tamen Ionas auditur, & Christus non auditur.n.3.& 4.

Quantum æstimabatur sancti Basilii doctrina, teste Naz. à fortiori quantum deberet æstimari doctrina Christi.n.4.

Licet Ionas non prædicaret pœnitentiam, eam tamen & quidem magnam fecerunt Ninivitæ. Christus vero licet prædicet contemnitur, multa de pœnitentia.n.5.

Natus est Christus ex semine David quia fuit magnus pœnitens. ait Ambr.ib.

Gladius ex utraque parte acutus, ex ore Christi exit, hic gladius est vivus & efficax, labia Christi distillant myrrham, percutit terram virga oris sui, in tuba canit, lingua eius quasi ignis, ita rugit & tonat ut cœli moveantur, per quæ omnia ad pœnitentiam intendit excitare.n.6.

Supplicia necessaria ut peccatores convertantur.n.7.

Oculus filii ad faciem patris; oculus servi ad manum Domini à qua castigatur.ib.

Propheta regius inter magna Dei beneficia ponit virgam & baculum.n.8.

Noviter conversis Deus ostendit supplicia damnatorum. Isaias *ab Oleastro* elucidatus.*n.9.*

Cogitatio seria pœnæ liberat à pœna. Verba regis Ezechiæ & *Annæ* à SS.PP. explicata.*n.10.*

Deus terrendo sanat. Verba *Prophetæ* huc flexa.*n.11.*

Cherubini propitiatorium alis abscondebant, non monstratur propitiatorium peccatoribus ne fiant temerarij sed potius iustitia.n.12.

Firmamentum quod in similitudinem Cristalli apparet horribile indicat, quod bonorum mentes unde terret inde protegit, ait *S. Gregorius.n.14.*

Verba psalmi, ego iustitias iudicabo *optimè à S. Aug explicata.n.15.*

Per prædicationem Ionæ Ninive eversa est in malo, & ædificata in bono, sicut eversus Paulus persecutor, & ædificatus Paulus prædicator. Ingeniosè August.*n.16.*

Pulcherrimi paralelli Christum inter & Salomonem, nihilominus Christus omnes sanctos infinitè superat.n.17. Secundum punctum.

Perfectionum Christi summarium solus ille non habet modum qui habet totum, suaviter *Bernardus.n.18.*

Christus benevolus & clemens erga peccatores, latrones, publicanos, omnia Christus est nobis.nu.19.

Quare Christus dictus est, est medicus omnibus morbis, acciti prophani & sacri scripto-

scriptores. *Salomon scripsit pro omnibus morbis, sed Christus adhibuit medicinam. num.20.*

Miram vim attractivam Christus habebat. Verba Prophetæ huc *versa.n.21.*

Solus Christus vere pulcher, in spelunca in qua natus est Christus nullæ erant mundanæ pulchritudines & quare.n.22.23.

Omnes cogitationes nostræ terminandæ & allidendæ ad Christum tanquam ad Petram.n.24.

Gladii & pulchritudinis Salvatoris nexus, psalmi locus à Chrysost. enodatus, gladius eius, species *eius.n.25.*

In negotio suæ providentiæ utitur Deus iustitia & misericordia. Iona & Salomone decore & fortitudine, Psalmus 44. à sancto August. hic applicatus.*n.26.*

Tertium punctum. *Prælati iustitiam & misericordiam à Christo debent discere n.27.*

Sphinx hominem & serpentem referens est symbolum iustitiæ & misericordiæ.ib.

Confiteor tibi Pater, Domine. *Hæc duo verba* à Tertulliano *graviter ponderata & ad iustitiam & misericordiam applicata.n.28.*

Huic consonant verba Ieremiæ & Davidis.*n 29.*

Vtuntur gladiis medici & homicidæ, hi ut vita spolient, illi ut vitam donent. Basilius.*n.30.*

In sermone quem habuit Christus in monte post iustitiam adhibet misericordiam. num.31.

Vngebantur Sacerdotes cum sanguine & oleo.ib.

Ante Iob iuvenes abscondebantur & viduæ consolabantur.ib.

Betlehem & Ephrata interpretatio, scilicet domus panis & videntis furorem culpa est totam persequi culpā, acutè Blesensis.*ib.*

Eruditus scriba qui profert de thesauro suo nova & vetera.ib.

Arca testamenti continebat virgam & manna.

Leones & boves simul posuit in templo Salomon ib.

Lignum vitæ in Paradiso cum ligno scientiæ boni & mali, misericordia & iustitia sunt duo Domini pedes.ib.

Misericordia & iustitia denotantur per sagenam quæ in imo habet plumbum & in summo suberem paschasii iudicium.*ib.*

Item per vinum & oleum Samaritani Evangelij.ib.

Sicut & per spiritum sanctum qui in forma ignis & columbæ descendit, uno verbo Christus est Ionas & Salomon.*ib.n.30.*

1. IN Evangelio hodierno illud Davidis Regis video Oraculum, in quo formam depingit Regiminis Dei optimi Maximi, utpotè nunc rigore armati, aliàs ornati comitate & benevolentia, severi aliquandò minis, quãdoque in promissis sereni, nonnunquam noti à iustitiâ, aliquando verò inclinati per misericordiam: dicit enim *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Potentia in severo Prophetâ Ionâ se prodit, clementia verò in pacifico Rege Salomone. Ionas Dei Propheta, rigorosa quadam cum protestatione, sceleratiorem gentem, quæ super terram vivit, ad pœnitentiam convertit; Salomon autem Rex ille gloriosus magnalium Magnificentiæ suæ famâ totius mundi sapientissimam ad se trahit Principissam. Ille sua dicendi efficaciâ & neruo indurata frangit Ninivitarum corda: Hic aulæ seu curiæ suæ Maiestate, cõsiliorumque suorum excellen- Ps.61. v.12.

cellentia, regium magnæ huius Dominæ animum attonitum, suique numerosi & spectabilissimi comitatus singula corda stupefacta reddit. Primus minarum vi & violentiâ intentum persuadet, suæque cœlesti legationi per rigorem credentiam seu fidem acquirit; Secundus verò stupendo domus suæ ordine, nec non superbâ ministrorum suorum pompâ, maximæ sapientiæ suæ famam stabilit, atque confirmat. Porrò in ultimo magni iudicii Dei die, tam à civibus Ninivitis, quam ab Austri Regina confundentur & condemnabuntur, quotquot incarnatæ sapientiæ mirabilia contemnentes, nec à salutari asperitate eius, qui infinities maior Ionâ est, dimoveri se sinunt, neque à blandâ Maiestate illius, qui incomparabiliter maior est Salomone, commoventur. *Ecce plus quam Ionas hic, & ecce plus quam Salomon hic.* Desperatus est, dilectissimi, casus illius, quisquis nec timore vincitur, nec cedit Maiestati: Neque pœnitet cum pœnitentibus, nec se reflectit cum iis, qui blanditiis deliniuntur: Neque ad terribilis Prophetæ huius prædicationem plangit, neque gaudet ad demonstrationem gloriæ pacifici huius Regis.

Primum punctum. 2. Et ut à Ionâ & Ninivitis exordiamur; à Ionâ quidem, qui pœnitentiam prædicat: à Ninivitis vero, qui eandem faciunt; excedit profectò omnem admirationem, subita illa, & extraordinaria mutatio, quæ ad intonationem quatuor brevissimorum verborum naufragi & fugitivi Prophetæ, in numeroso illo populo visa fuit. Erat urbs Ninive totius Soriæ caput, non solum in Asiâ maiori, ubi situata erat, famosa, verum & inter omnes maiores civitates in universo mundo: à Nino ad maximæ eius potentiæ immensarumque divitiarum ostētationem ædificata, muris ad prodigium usque cincta ad usq; quadringenta octuaginta stadia, quæ sexaginta milliarium nostrorum æquivalent. Erantque muri altitudinis non minus centum pedum, tantæque latitudinis seu grossitiei, ut tres magnæ rhedæ simul desuper magna cum facilitate deduci possent, distinctique erant debito cum intervallo à superbissimis turribus quarum numerus erat, 1500. quæ tum pro civitatis ornamento, tum pro civium serviebant præsidio. Ædificia illius publica & privata erant magnifica, sumptuosa templa Diis prophanis dedicata, divitiæ illius immensæ, luxus incredibilis, sine numero quasi habitatores eius, ipsomet namque Deo teste soli infantes & pusilli, qui inter dexteram & sinistram discernere non poterant, ascendebant ad centum viginti millia. Huic ergo civitati non minus peccatoribus refertæ, quam gentium plenissimæ Propheta Ionas ex parte Dei formidabiles illas intimabat minas: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Undè veluti fulmine perterriti perversi illi & infideles homines, è gravi ignorantiæ Lethargo evigilantes, impetum effrænis libidinis suæ, à quâ recta ad inferni præcipitia deferebantur, cohibuerunt. O res profectò mirabilis, quæque omnem fidem superat, ad primum sermonem hominis peregrini, ignoti, atque secundum exteriorem apparentiam cōtempti-

temptibilis, franguntur obstinata illa Ninivitarum corda, qui superba sua capita sordido conspergebant cinere, sacco vestiebantur & cilicio, seque rigorosissimæ condemnarunt abstinentiæ, idque à teneris infantibus ad usq; vetulos decrepitos, ab hominibus usque ad animalia, ab catenis vincto mancipio ad coronatum usque Regem. O quæ unquam facies similis fuit huic, magnæ illius Reipublicæ, & civitatis magnificæ, quando ipsemet totius Asiæ Monarcha, atque Orientis Dominus, tot Satrapæ, & Barones, qui victoriosorum armorum suorum fortitudine, maiorem confinium regnorum suorum partem, coronæ Sorianæ subiugaverant, tot provinciarum Principes, tot Vicereges, & locumtenentes, superbo ornatu suo deposito, illum non in funestum & honestum vestitum lugubrem, verum in rude, asperum, & hispidum cilicium commutarunt, sederuntque non in thronis suis, sed in humili terrâ, atque super immundis cineribus, neque à cibis solum delicatis aut pretioso liquore seu potu, sed ab ipsiusmet quoque panis & aquæ usu abstinuerunt, conformiter edicto universali, quo cavebatur: *Non gustent quicquam, & aquam non bibant.* Quale illud fuit spectaculum (quod ipsos quoque emollire potuisset silices) quando parvuli infantes, amantissimas matres suas teneris vagitibus effusisque lachrymis frustrà fatigabant? quando innocentes pueri, ac puellæ delicatæ iam fame pene consumptæ, à parentibus consuetum postulantes panem, lapidem sibi porrigi videbant? quando viri pariter ac mulieres, cuiusvis ætatis, cœlum precibus & planctu implentes postulabant à voragine sibi imminente, atque tantâ cum certitudine à Prophetâ fulminatâ liberari? quando cuncta animalia, eaque ad maiorem horrorem incutiendum cilicio & sacco cooperta, veniam pro Dominis suis suo modo prout poterant, exposcebant, ipsaque quæ ob Dominos suos, & in societate illorum pariter mori debebant, eo modo quo poterant, scilicet mugitibus, & rugitibus, & grunnitibus suis communem procurabant obtinere salutem? *Et clamaverunt ad Dominum in fortitudine.* Quando tam copiosæ spargebantur lachrymæ, tam accensa suspiria, tam teneræ querimoniæ, preces tam ardentes, adeoquè resoluta concipiebantur futuræ emendationis proposita, quæ fulminatam à Deo iustam sententiam facilè revocare poterant. Id quod S. Chrysosto. in hæc verba exclamare coëgit: *O novam rem & admirabilem! Denuntiatio mortis peperit vitam, sententia ut lata fuit, invalida fuit.* Hom. 5. ad pop. Antioch.

3. Verum enimverò, quid Ionæ cum Christo convenit? homini infirmo & debili cum omnipotenti Deo? Prophetæ cum prophetiæ inspiratore? Peccatori cum ipsa sanctitate Paradisi? Inobedienti & contumaci servo, cum æterno totius universi Domino? Ergone Ninivitæ Ionæ credent, & Christiani non credent Christo? Ergone corda obstinata unius Prophetæ movebunt sermones, nec tamen movebunt verba illius, qui cordium & Prophetarum est Dominus? Ergone barbarus ad unius peregrini hominis præ-dica-

dicationem pœnitentiam faciet, & illam fidelis aliquis facere detrectabit ad Messiæ & Dei sui publicam denuntiationem? Ergòne Ionas dicet: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*: & credetur ei; dicet autem Christus: *Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*, nec tamen ei fides adhibebitur? *Et ecce plus quam Ionas hic.* Ecce, ô Christiani, genus quoddam hominum simile illi, de quo loquebantur Actus Apostolici, qui, ne audirent, aures suas occluserunt, *continuerunt aures suas.* Similes secundum mentem S. August. aspidi, quæ ne Marsum incantatorem percipiat, unam aurem terræ superimponit, alteram verò cauda sua obturat: *Allidit unam aurem terræ, & de cauda obturat alteram atque ita voces illas, quantum potest, evitans, non exit ad incantantem.* Aspidi profectò similes sunt, quotquot per verba Christi divini incantatoris, se moveri non sinunt. *Huic similes dixit spiritus Dei quosdam non audientes, sed omninò, ut non valeant audire facientes.* Gens videlicet, quæ, ne moveatur à Domino, à voluntariis suis non movetur tenebris, quæ, ne audiat, auditum obturat, atque, ne fœliciter incantetur, incantationem non audit: *Non erant surdi, sed fecerunt se surdos.*

Actor. 7. v. 57.

In Ps. 57.

4. Et ò quantò maiora motiva nos habemus credendi Christo, quæ non habuerunt Ninivitæ, ut Ionæ crederent? prænuntiat Ionas temporalem infœlicis civitatis subversionem: denuntiat Christus æternam animæ peccatricis in inferno futuram damnationem. Ionas prodiit è ventre piscis cuiusdam, qui illum evomerat, totus squallidus & deformis. Christus è paterni sinus Thalamo nostra vestitus humanitate processit. Ionas incognitus erat, nec uspiam anteà visus: Christus autem tot Prophetarum Oraculis prævisus, atque infinitis scripturarum encomiis nominatus: Nullum Ionas patravit miraculum, quo suam apud Ninivitas confirmaret doctrinam: Christus coram toto mundo operatus est innumerabilia. Ionas etiam nulla suis Auditoribus exhibuit beneficia: Nos verò à Christo infinita recepimus beneficia, imò omne hoc quod possidemus bonum: Persuasit Ionas pœnitentiam, solo pœnæ timore incusso. Christus vero adiungit spem præmii, nec non propinquam regni cœlorum præsentiam, dicitque: *Appropinquavit regnum cœlorum.* Non erat Ionas amore Ninivitarum mortuus: Christus verò pro Christianis post longam dolorosamque passionem mortis sustinuit crucem. Nullam Ninivitæ à Iona mercedem expectabant: Nos verò à Christo cuiuslibet rei etiam minimæ ex amore eius factæ expectamus præmium. Non poterat Ionas, si fides verbis eius adhibita non fuisset, aliqua ratione damnificare incredulos: at verò Christus ad ultimum usque exterminium reducere potest non credentes: *Et ecce plus quam Ionas hic.* Denique si teste Nazianzeno tantopere fiebant doctrina & opera S. Basilii, ut nulla de re, tanto cum gustu, sermo fieret in hominum conventibus, neque tanto cum iubilo discurrebatur in mensis, neque tractabatur in foris & plateis, quam de doctrina & operibus Magni illius Basilii. Illum Principes & aulici eorundem, tanquã cha-

Orat. f. ne. de S. Basilio.

charissimas delitias semper ore ferebant, de illo cum lætitia, & voluptate solitarii loquebantur & Monachi, otiosi & laboriosi Philosophi, Christiani & sapientes è gentilibus: *Quæ enim alia hodie in conventibus est gratia? quæ in conviviis voluptas? quæ in foro? quæ in conciliis? quæ principum cum suis delitiæ? quæ Monachorum aut mixtorum? quæ otiosorum & negotiosorum? quæ eorum qui in externis aut nostris philosophantur? unica profectò voluptas per omnia & in omnibus maxima illius sunt scripta & labores?* Quantò ergò maiori cum ratione audiri deberent Christi nostri doctrinæ, quantòq; maiori cum voluptate profunda cœlestis doctrinæ suæ Sacramenta intelligi deberent, omnia ad nostrum commodum, atque pœnitentiæ nostræ utilitatem directæ? *Et ecce plus quam Ionas hic.*

5. O Christiane quo vituperio dignus est, qui illi, qui tantâ fide pollet, fidem non habet, cui creduli sunt omnes ad ipsas usque meretrices & publicanos, ad ipsos usq; scurras, lurcones & latrones. Præterea Ionas Ninivitis persuasit pœnitentiam, absque eo, quod iis loqueretur de pœnitentiâ, cuius ne verbo quidem meminit, purum duntaxat supplicium & ruinam secuturam, proprium videlicet mancipiorum servorumque motivum, adeò siccè proponens; quantò ergo iustius est, ut nobis sinamus à Christo inculcari & persuaderi pœnitentiam illam, quam ipse in cœlum usque extollit, quam ipse solidis adeo rationibus & efficacissimis argumentis persuasit, quam denique adeo delectabilem infinitis probationibus demonstravit. Si magnum illud è cœlo in terram confecit itinerarium, illud certè ipsomet teste confecit propter pœnitentiam: *Non est opus valentibus medicus sed male habentibus.* Si per Iudeæ & Galileæ Castella, & Civitates prædicat, primum profectò verbum, quod ex eius ore dimanat, in commendationem profertur pœnitentiæ; *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Quod si præcursorem quendam ante faciem suam præmittit, vult, ut is per pœnitentiæ Baptismum, populum pro adventu suo disponat: *Venit Ioannes in omnem regionem Iordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ;* Si peccatores repræhendit, id facit, quia contemnunt agere pœnitentiam: *Cœpit exprobare civitatibus, quia non egissent pœnitentiam.* Si in mundum dimittit prædicatores iis ut pœnitentiæ nomen celebre reddant præcipit: *Oportebat prædicare pœnitentiam in nomine eius.* Si in suo palatio ordinat iubilos & festa, in honorem pœnitentiæ illa ordinat: *Gaudium est coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Si se ingerit ad convivia, id non facit absque pœnitentiæ interventu *Zachæe festinans descende, quia hodie oportet me manere in* domo tua. Propter pœnitentiam ad puteum Sichem cibi sui obliviscitur, dicitque: *Cibus meus est ut faciam voluntatem Patris mei.* Pœnitentia prima fuit, quæ in persona latronis in Paradisum introducta fuit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Prima quã à morte resuscitatus invisit, fuit Maria Magdalena pœnitens: *Conversa est retrorsum, & vidit Iesum stantem.* Omnes inspirationes internæ, quibus corda illuminat, ad pœnitentiam directæ

sunt: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Si quempiam in suam amicitiam admittat, id sine introductione pœnitentiæ non facit. *Iacientes fundamentum pœnitentiæ,* dicebat S. Paulus Hebræis scribens. Totam suam gloriam in hoc positam esse existimat, ut faciat toti mundo valorem pœnitentiæ innotescere: *Exaltatus est ad dexteram Patris ad dandam pœnitentiam in Israel, & remissionem peccatorum.* Denique ubivis terrarum omnibus intimari curat, velle se, ut pœnitentia ametur & apprehendatur: *Annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* Tantopere Christo pœnitentia placet, ut Ambrosius existimet, ipsum ideo ex Regis Davidis stirpe nasci voluisse, quod tantus fuerit pœnitens, ut omni nocte lectum suum lachrymis respergeret, pœnitentia erroris sui ductus: *David dicebat: lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo, & ideo meruit, ut ex eius familia virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet:* Et Bachiarius super illa verba Matthæi: *Ex ea quæ fuit Vriæ*, considerans Christum profectum à Bersabeâ, primum peccatrice postea vero pœnitente, in hæc verba prorupit: *Talis filius nascitur ex pœnitentia, talem parturiunt gemitus & lachrymæ.* Cum ergo Ninivitæ ad solam Ionæ prædicationem, ne quidem nomen pœnitentiæ à Iona audientes, tanti nihilominus pœnitentes evaserunt; cur nos ad pœnitentiam non cõmovebimur per prædicationem Christi, qui tantas pœnitentiæ laudes tribuit & encomia? *Et ecce plus quam Ionas hic.*

Amb. l. 2. de pœnit. c. 2.

Epist de recipiendis lapsis.

6. Et si Ionas prædicando pœnas à Deo infligendas, aut denuntiando comminationes divinas, obtinuit à Ninivitis pœnitentiam; certè non desunt Christo nostro minæ, quibus frangi meritò deberet, cor, quantumvis durum & obstinatum; gladius enim ille; *Et de ore eius exibat gladius ex utrâque parte acutus*, quid aliud denotat, quam ictus illos, quibus corda nostra & animas nostras sermo Domini huius ferit? qui teste D. Paulo vivus & efficax & gladio est penetrabilior: *Vivus est enim sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Myrrha illa quæ è divinis labiis suis distillabat: *Labia eius distillantia myrrham primam*, utique minarum & improperiorum suorum repræsentat amaritudinem. Virga illa oris Christi, qua tota terra percutienda erat, *percutiet terram virga oris sui*, quid aliud significat, quam pœnarum & suppliciorum suorum ad nostram duntaxat emendationem directorum formidinem? Sonora illa tuba, quæ Zacharia teste à Domino insufflanda erat *Dominus in tuba canet; & vadet in turbine austri*; signum est, quo peccatoribus bellum intimat; eosdem æternorum iudiciorum suorum intimatione perterrefaciendo. Flamma illa scintillans, cui Propheta Isaias comparavit eius linguam: *Labia eius repleta sunt indignatione & lingua eius quasi ignis devorãs*, est ardor & efficacia, qua cum iustitiæ suæ denuntiat supplicia. Rapidum illud & igneum flumen, quod apud Danielem manabat à facie eius, discursus & sermones sunt huius Domini, concernentes alterius vitæ pœnas, atque intentata nobis inferni supplicia. Denique si velut Leo rugit apud

Apocal. v. 16.

Hebr. 4. v. 12.

Isai. 11.

Zach. 9. v. 14.

Isai. 30. v. 27.

Daniel. c. 7. v. 10.

apud Ioelem, cœlosque tremere facit.
Ioel. 3. v. 16. *Dominus de Syon rugiet & de Ierusalem dabit vocem suam & movebuntur cœli.* Si instar furibundi vociferatur apud Isaiam
Isaiæ 42. v. 13. *vociferabitur & clamabit, & super inimicos suos confortabitur.* Si instar tonitrui
Iob. 37. v. 4. fragorem excitat. *Tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur, cum audita fuerit vox eius.* Totum istud nihil est aliud, quam velle terrere mundum, eundem instigare ad agendum pœnitentiam, atque cum Iona dicere: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.*

7. Et tamen sepulti sunt peccatores in Lethargo culparum suarum, & nisi aliquando divinorum suppliciorum comminationibus perterreantur, desperatus casus eorum erit. *Sicut oculi*
Ps. 122. v. 2. *servorum in manibus Dominorum*, dicit David. *Et sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Sicut enim mancipia & servi manum Dominorum suorum, qua cum castigantur, semper respiciunt: Ita quoque peccatores, qui spiritum similiter servilem, & non filialem habent, aliò non respiciunt, quam ad comminata à Deo supplicia. Non faciem, sed dexteram quâ puniti sunt, respiciunt; & veluti Hugo Cardinalis monebat: *Vbi baculus ibi oculus: servus*
In Ps. 122. *enim est qui timet flagellum. Oculus filii ad faciem, oculus servi ad manum.* O amabilissime Deus, merito quidem pulcherrimi vultus tui amore inardescere deberent homines, nec tamen id faciunt, quia servili ducuntur & reguntur spiritu; instar servorum igitur tractentur, fortè enim severitatis tuæ rigore eos te facies respicere, fietque quod dicit Propheta David: *Cum occideret eos quærebant eum.* Ubi de populo Hebræo loquitur, qui Dei nunquam recordabatur nisi flagellatus & percussus. Flagellat itaque Deus, & percutit, ut excitetur in illis suæ Maiestatis memoria, & sicut dicit S. Hieronymus *ut quem per beneficia non senserunt, per tormenta cognoscant.* Indubitabile namque est, quod notat S. Augustinus quod sicut meliores sunt, qui amore ducuntur, ita eorum qui per timorem ad viam bonam reducti sunt, infiniti reperiuntur: *Sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor: nam ubi baculus, ibi oculus.* Ps. 77. v. 34. In Ps. 77. Epist. 12. ad Bon.

8. Regius Propheta providentiam Dei commendare non cessat, quoad paternam curam, quam de suis habet. Unde Deum in eo, quod in propria persona expertus fuerat, laudans, dicebat: *Dominus regit me & nihil mihi deerit,* Ps. 22.
in loco pascuæ ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me & animam meam convertit; Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quasi diceret. Tanta est erga me, in gubernatione personæ meæ, Domini pietas, ut nihil sit eorũ, quæ mihi necessaria sunt, quod mihi subito concessum esse non videam: vitæ meæ alimoniam, abundè, tantisque cum delitiis subministravit, ut ab esse meo antiquo me transmutatum esse comperiam, inesse quoddam fœlicissimum, atque beatum, idque tantâ cum securitate, ut non videam quid timere possim, quamdiu adeò benignus & munificus mecum est benefactor. Verum audite obsecro, quid mox subiungat *Virga tua & baculus tuus ipsa*

me consolata sunt, quasi diceret, Inter tot beneficia, tamque singulares gratias, ad infinitas tibi gratias reddendas me sentio obligatum, eo præcipuè, quod præter cætera etiam circa me uti dignatus fueris baculo rigoris, hic enim effecit, quod munificentiæ tuæ beneficia custodiverim. Ita hunc locum interpretatur S. Hieronymus dicens: *Iungit timorem, qui custos est timoris & infert: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt, & est sensus, dum tormenta formido, servavi gratiam.* Tormenta fuerunt gaudiorum meorum custodia: sub indignatione & gratia tua me gratiâ dignum reddidi; ac dum castigor, dignum me invenis, quem blanditiis & favoribus delinias. *Dum tormenta formido, servavi gratiam. Vbi baculus, ibi oculus.*

L. de 42. mans.

9. In prophetia Isaiæ, ultima verba sunt hæc sequentia: *Egredientur & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me, & vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*: Loquitur de gentilibus ad servitium & obsequium Dei conversis, dicitque, quod *egredientur* id est, de gentilitate, contemplabuntur damnatorum animas, quas ipsis Deus videre dabit, hos autem vocat cadavera, quia vitæ gratiæ expertes sunt: simul quoque conscientiæ vermem conspicient, qui eos rodit, nec non & ignem culpæ suæ, qui eos comburit. Hieronymus Oleaster hoc loco admirabundus quærit: cur ô Domine, peregrinis domus tuæ, quæ est recens nata Ecclesia, tam horrendum exhibere vis spectaculum? cur non potius statuis ostendere illis tuam magnificentiam, nec non & thesauros tuos? cur non efficis, ut ipsis mediante prædicatione cœli præmia, Evangelii tui sequacibus & observatoribus præparata, manifestentur? potius ergò monstra illis animas prædestinatas, qui infinito gaudio faciem tuam vident, indeque beati sunt: *Videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt.* Sed valdè sapienter Author iste respondet: *Non minus utile est iis, qui ad Deum accedunt videre damnatorum supplicia, quam præclara præmia beatorum, quoniam per timorem Domini recedit omnis à malo.* Fideli non minus est utile, videre infernum, quam videre Paradisum; videndo namque infernum, infernum fugiet, quem non videns fortassè non timeret, nec consequenter fugeret, neque autem suam daret illi cuius meminit Augustinus: *Discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus.*

Isaiæ c. 66. v. 24.

Oleaster in Is.

Ser. 214. de temp.

10. Atque huic proposito servit expositio, quâ Hugo Cardinalis illa verba Isaiæ explicat: *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, quæ sunt verba Ezechiæ Regis. Dicit ergò beatus iste Rex, quod ad portas inferorum usque, cogitationibus descensurus esset. Sed qua ratione istud erit, si ipse tantæ sanctitatis erat, ut summa cum fiducia Domino dicere posset: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Respondet ergò Hugo, & sapienter quidem: *In dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi; supple: Et in alio dimidio ad portas cœli.* In dimidio

Isa. 38. v. 10.

midio dierum meorum, hoc est, in diebus vitæ huius, per considerationes meas infernum adibo, ut in alterâ medietate, id est, in diebus vitæ futuræ ire possim ad cœlum. Et revera ita est, dilectissimi, infernus impedit, quo minus ad infernum mittamur, & pœnæ seria cogitatio à pœnâ nos liberat. Quod est idem, quod sancta illa Matrona in suo Cantico. *Dominus deducit ad inferos & reducit*, deducit ad infernum, illum comminando; & comminando inde iterum reducit; nam per æternæ pœnæ consideratio- nem efficit, ut à pœnis peccator liberetur. *Deum ad inferos ducere* (est glossa S. Gregorii) *est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere: reducere est territas pœnitentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus.* Ad illum prorsus modum, quo Ninivitæ hodie per ruinæ denuntiationem impediti fuerunt, ne corruerent, & per supplicii minas dignos se reddiderunt, ne castigarentur. Ideoque monebat S. Augustinus: *Timeamus iustitiam, cuius misericordiam desideramus. Vbi baculus, ibi oculus. Dum tormenta formido, servavi gratiam. Tum peccare desinimus, cum futura tormenta pertimescimus.*

1. Reg. 2. v. 6.

Gregor. in mor.

L. 50. hō. hom. 36.

Ps. 59. v. 4.

11. *Commovisti terram* (dicebat sanctus Propheta & Ierosolymorum Rex) *& conturbasti eam, sana contritiones eius, quia commota est*, quasi diceret: ô Domine, concussisti, & terrefecisti terram, tua eidem intimando seu denuntiando supplicia, tuam illi manifestando iracundiam, æterna tua illi prædicando iudicia, pœnarum inculcando immensitatem, gloriæ iacturam illi revocando in mentem. Nunc verò in bona est dispositione, ut per gratiam tuam à te sanetur, siquidem à comminationibus commota est. *Sana contritiones eius, quia commota est. Quomodo conturbata est terra?* (quærit Augustinus) *conscientia peccatorum, quo imus? quo fugimus? quando ille gladius vibratus est. Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum. Commovisti terram & conturbasti eam, sana contritiones eius, quoniam commota est. Non digna est sanari, si mota non est.* Et S. Hieronymus explicando hunc locum *qui sedet super Cherubin moveatur terra*, dicit: Quæ est ista connectio, Dominus sedet super Cherubin, moveatur terra? Moveantur homines terræ huius & perterreantur, sic enim Cherubini fient, quibus ille insidet Deus. *Super quem*, inquit, *requiescit spiritus meus? nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos: quoniam terra tremens commota est, propterea ille, qui sedet super Cherubin, incipit sedere in terra tremente.* An non id propriè est illud, quod Propheta dicebat: *Iustitia & Iudicium præparatio sedis tuæ*: Apparatus sedis divinæ in peccatoribus est iustitia & iudicium, rigor & comminationes.

Aug. in Ps. 59.

Hier. in Ps. 68.

Ps. 88. v. 15.

12. Loquenti nunc mihi de Cherubinis in mentem veniunt Cherubini illi, qui alis suis propitiatorium abscōdebant, ne videretur, dicit enim Petrus Cellensis, *quod totum quantum ad nos officium Angelorum est, ut defendant nos*

Exod. 25. v. 20.

L. 1. de myst. tabern.

nos à malo, & conservent nos in bono. Quod si ita est, cur propitiatorium contegunt, & non potius ab omnibus videri permittunt? *Vtrumque latus propitiatorii tegunt, quando differunt vel abscondunt interdum auxilium propitiatorii, ut exerceant nos tentationibus, & quando celant amorem propitiatorii, ut invitent ad quærendum ardentius.* Adeoque Dei misericordiam & propitiationem magno nostro bono & commodo abscondunt, ne videlicet audaces & temerarii evadamus, nam ut Eusebius Emissenus monet. *De Dei bonitate dum fiduciam nefariam sumis, factus es & contra scientiam impudens, & contra potentiam audax: Hoc est, quod cogitas & dicis, putas Creator opus suum destruet?* Hinc oritur pestilens illa confidentia, quæ omnis nostræ ruinæ est causa, & sicut loquitur Tertullianus *redundantia clementia cœlestis libidinem facit humanæ temeritatis,* ideo non monstratur propitiatorium peccatoribus, ne fiant temerarii, sed potius iustitia illis ob oculos statuitur, nam uti mox dicebamus, *non minus utile est iis, qui ad Deum accedunt, videre damnatorum supplicia, quam præmia beatorum.* Sic ergo instar Angeli facies, ô prædicator verbi Dei, si peccatoribus misericordiam interdum absconderis, & commonstraveris iustitiam: si per singula iracundiæ divinæ exempla explicueris, pietatis autem divinæ triumphos nonnihil dissimulaveris, si de igne, quem Deus ore suo circumfert, non verò de melle, quod habet sub lingua sua sermocinatus fueris: si non semper Salomon fueris: sed interdum quoque te Ionam exhibueris, atque pio zelo motus dixeris: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.*

Dom. I. Quadr.

L. de pœnit. c. 6.

14. Supra caput mysticorum illorum animalium, quæ vidit Ezechiel erat firmamentum velut crystallum ad cooperiendum & protegendum illa distensum; at verò dicit scriptura, quod fuerit crystallum horribile. *Et similitudo supra capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti supra capita eorum desuper.* Secundum mentem Gregorii Papæ, crystallum istud Christum significabat. Sed qua ratione id verum erit, si crystallum illud dicitur fuisse horribile? *Aspectus crystalli horribilis.* Si protegit, quomodo terret? si consolatur, quomodo comminatur? si defendit, quomodo offendentis speciem habebit? Respondet sanctus ille Doctor mirabiliter: *Firmamentum hoc, quod in similitudinem crystalli, supra capita eorum animalium apparet & horribile & extensum est, quia bonorum mentes, unde terret, inde protegit. Si enim pavendus in eorum cordibus non esset, protector & modò à peccatis & postea à suppliciis non fuisset.* Pulcher profectò conceptus, dilectissimi, Christus mihi exhibetur horribilis, ad hoc, ut ego inde perterritus maioris æstimem divinam eius Maiestatem, neque mihi ulla violentia ad eum offendendum vim inferat, quin potius per minas illius coactus omnibus comminationibus suis superior evadam, idque faciam, quod Augustinus docet: *Contemne potestatem, timendo potestatem.* Omnem potentiam mundanam contemne, in comparatione omnipotentiæ divinæ. Et tametsi is, qui ad illicita legique Dei contraria te cogere vellet, totius terræ

Ezech. 1. v. 22.

Hom. Ezech.

Ser. 6. de verbis Dom.

terræ esset Imperator, tu plena cum libertate dicas: *Prohibet maior potestas, da veniam; tu carcerem, ille gehennam minatur.*

Ps. 74. v. 3. 15. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* O bone Deus, facile videtur, quod tu iudicare nolis, cum præmoneas te iudicare velle, si hominem iudicandum in ruinam extremam adigere voluisses, tu certè ipsum de imminente sibi ruinâ non commonuisses. In Ps. 74. *Gratias misericordiæ eius* dicamus cum Augustino *quod prius prædicet iustitiam, & sic iudicet iustitiam. Nam si ante vellet iudicare iustitiam, quam prædicare, quis inveniretur liberandus? quis absolvendus occurreret?* Comminatur suppliciũ, ut illud nos declinare faciat; suamque nobis inculcat iustitiam, ne illam nos experiamur. *Ab illa fugiens ad illam fugio,* De morib. c. 2. dicebat Guilielmus Parisiensis ut iustitiam Dei fugiamus, nobis melius non est medium, quam eiusdem iustitiæ consideratio. Tunc Ninivitæ subversionem fugerunt, quando se subvertendos cogitabant & verebantur.

16. Concludam locum istum pulchrâ animadversione S. P. August. In Ps. 60. Quâ ratione, ait hic S. Doctor, Prophetia Ionæ adimpleta est, per quam adeò liberè Ninivitarum prædixerat ruinam? *Stetit Ninive, an eversa est Ninive? Aliter quidem videtur hominibus, & aliter visum est Deo. Ego autem puto impletam fuisse, quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Ninive, & vide, quæ eversa est; eversa est in malo, ædificata est in bono, sicut eversus Paulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator.* Per Ionæ minas destructa pariter & fabricata fuit Ninive; destructa est Ninive antiqua, quæ mala erat, & facta est nova, id est, bona. Non muri civitatis corruerunt, sed civium cecidit superbia: non sunt præcipitata ædificia, sed deiectæ sunt passiones. Non est extinctus cœtus ille hominum, sed tantum defecit grex peccatorum. Si Carthago, inquit Augustinus, immutaretur, & tot homines ebriosi, qui in illa degunt, fierent sobrii, tot sacrilegi fierent pii, tot hactenus avari liberalitati studerent, tot blasphemi in magnos potentiæ divinæ & nominis divini Encomiastes converterentur, profectò diceremus, Carthago iam non est amplius Carthago. *Nonne diceremus, ubi est illa Carthago? quia non est id, quod erat, eversa est, sed si est, quod nõ erat, ædificata est;* Quod fere coincidit cum eo, quod Rex Israelis sanctus dixit Psal. 9. *Increpasti gentes, & periit impius.* Ps. 9. v. 6. Per prædicationem Apostolicam illum reprehendisti, at quomodo periit? *Qua increpatione,* inquit Augustinus, *periit impius? quia iustificatus est impius, & factus est pius. Nomen eorum delesti in sæculum sæculi, Nomen impiorum delesti in æternum; quia deinceps nunquam erunt impii.* Aug. in Ps. 9.

17. Transeamus nunc à Iona ad Salomonem, à Iona terribili ad Salomonem amabilem, à Iona qui minus terret, ad Salomonem, qui donativis allicit. *Venit Regina Austri audire sapientiam Salomonis.* Secundũ punctum. Non fuit unquam visus Rex tam magnus, qui cum Salomone comparari posset in divitiis, & aulæ splendore, in servis, in satellitio, in equitatus generositate, in ædificiis publicis & privatis, in templo, in mensis, in victimis, in sapientiâ, in gubernandi ratione, in amore vasallorum, in adve-

narum

narum æſtimatione, dein in plurimis aliis ſingularibus prærogativis, quæ tales tantæque fuêre, ut magnam illam Sabæorum Principiſſam attonitam prorſus & exanimem reddiderint, adeò ut ſcriptura divina dicat: *quod non habebat ultra ſpiritum.* Magnus ergò Rex iſte expreſſa Chriſti Regis regum figura fuit, adeò ut Rupertus Abbas dicat, *totum præfiguratum in Salomone myſticè de Chriſto intelligendum eſt.* Salomon Davidi Patri ſuo à Nathan Propheta prænuntiatus eſt, Chriſtus verò ab omnium ſcripturarum oraculis prædictus eſt: & in particulari ſuæ benedictæ Matri ab Angelo. Salomon vocatus eſt amabilis Deo: Chriſtus verò æterni Patris ſui dilectus filius. *Hic eſt filius meus dilectus.* Salomon ſecundum nominis ſui Ethymologiam, idem eſt, quod pacificus: Chriſtus, Iſaiâ teſte, Princeps pacis dicitur. Salomon fuit Eccleſiaſtes, hoc eſt prædicator: Chriſtus verò legis & magnalium Dei annuntiator; *Ego autem conſtitutus ſum Rex prædicans præceptum eius;* Salomon Rex magnus, & Rex Regum appellatus: *Chriſtus primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Salomon ad ſtuporem pulcher in ſacris Canticis deſcriptus eſt: Chriſtus in Pſalmis ſpecioſus forma deſcribitur præ filiis hominum. Salomon in Regni ſui exordio inſidias ab Adoniâ paſſus eſt; Chriſtus in primo vitæ ſuæ limine ab Herode. Salomon bis unctus eſt in Regem, ſemel veluti privatim & inter paucos, poſteà verò ſolemniter, & in medio totius populi: Inauguratus eſt Chriſtus in Regem primò quidem in tugurio Bethlehemitico inter paucos paſtores & nonnullos Orientis Barones, veluti cum pompa quadam privata: dein verò publicè in reſurrectione, quando dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Salomon *à mari dominatur uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum,* id eſt à mari rubro, aduſque mare mediterraneum, & ab Euphrate fluvio, uſque ad ultima Palæſtinæ confinia: Chriſtus verò ſine termino, aut confinium limitibus, moderatur in cœlo & in terra. Salomoni, tam copiosè communicata eſt ſapientia, ut arenæ maris comparata fuerit: in Chriſto verò latent omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Salomon infiniti theſauri poſſeſſor extitit: Chriſtus verò abſolutus totius univerſi Dominus eſt. Salomon mulierem alienigenam & peregrinam, filiam videlicet Ægyptii Regis in uxorem duxit: Chriſtus gentilitatis amore captus eſt, utpotè alienæ à populo Dei. Salomon ædificavit templum: Chriſtus Eccleſiam. Infinitas parabolas ſcripſit Salomon: Chriſtus ſine parabolis non loquebatur eis. Salomoni dictum eſt: Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui habitant coram te ſemper: De Chriſto verò: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Quæ tametſi ita ſe habeant, attamen dicamus oportet: *Et ecce plus quam Salomon hic. Nimis exaltatus eſt ſuper omnes Deos,* dicebat Propheta de hoc Domino noſtro Pſ. 96. *Super omnes Deos, id eſt, ſuper omnes ſanctos,* dicit S. Auguſtinus in Pſal. 96. *Quid magnum eſt, quia exaltatus eſt Chriſtus ſuper omnia idola, exaltatus eſt ſuper Dæmonia?* At verò ſanctus ille pater reſpondet, per Deos intelligi homines, qui

Ruper. in Pſ. 71.

Iſai. v. 2. Eph. v. 21

Pſ. 96. v. 9

Aug. in Pſ. 96.

qui in virtutibus cœlestibus & donis divinis valdè emicuerunt: *Et homines Dii dicti sunt. Ego dixi Dii estis. Super omnes homines exaltatus est Dominus noster Iesus Christus.* Christus in omnibus statibus principatum tenet, est enim super omnes Reges potentissimus. Super omnes divites opulentissimus, super omnes speciosos gratiosissimus, super omnes ingeniosos acutissimus, super omnes charos amabilissimus, fortissimus super omnes Martyres, illuminatissimus super omnes Prophetas, super omnes virgines purissimus, sapientissimus super omnes Doctores, denique super omnes Sacerdotes religiosissimus. *Nimis exaltatus super omnes Deos.* Unde apud Isaiam vocatur *mons in vertice montium,* nam uti dixit S. Paulus Christus eminet *super omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed & in futuro.*

Isaiæ c. 2. v. 2. Eph. 1. v. 21.

18. Et quis ad hunc divinum Salomonem non accederet? cuius domus tantis referta est delitiis, cuius armaria tantis exuberant opibus, cuius mensæ immensâ coopertæ sunt dulcedine, cuius aulicus comitatus sunt omnes Angeli totius Paradisi, cuius Regnum non terminatur confiniis, cuius potentia præter proprium velle nullam agnoscit mensuram, cuius scientia est infallibilis, cuius pulchritudo cuivis cordi vim infert, quantumvis id rude sit & intractabile. Quid, ô vos stulti Hebræi, nova miracula ab hoc Domino nostro exposcitis? ipse sanè est maximum totius mundi miraculum, miraculum omne in se miraculum continens. Deus homo. Deus carne nostrâ vestitus. Deus in terra peregrinus. Deus in nostrâ modicitate seu paruitate magnus, fortis in nostrâ impotentiâ, in nostris miseriis gloriosus. Cuius pater est æternus, cuius mater semper est virgo, cuius caro omnis expers est corruptionis, cuius natura est sine peccato, cuius dies sunt sine fine, cuius virtutes sunt sine numero, cuius prærogativæ sunt sine limite, nam ut dixit S. Bernardus. *Solus ille non habet modum, qui habet totum.* Sanctus in operibus, in verbis iustus, in moribus divinus, cœlestis in conversatione, in doctrina sapiens, prudens in gestibus, in affectibus tener, liberalis in beneficiis, in suppliciis moderatus, magnanimus in honoribus, in iniuriis patiens, in consiliis constans. *Et ecce plus quam Salomon hic.*

In Cant.

19. Super omnia autem tam in moribus humanus, in agendo blandus, ut semper illum benevolum deprehendas, & clementem, semper gratiis stipatum, præparatum semper ad beneficia; tam est omnibus humanus & benignus, ut nec despiciat pauperem, nec peccatorem abhorreat, nec repellat latronem, nec abigat meretricem, publicanos admittat; *Curremus in odorem unguentorum tuorum,* dicebat Ecclesia & cum Ecclesia Bernardus; *Omninò propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, curremus post te, Domine Iesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem*

Cant. 1. v. 4.

gantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. Quis non currat post tam suavium odorum, tantarum præeminentiarum, & dotum adeò singularium fragrantiam, quæ in Christo nostro conspiciuntur? Qui ex mente S. Ambrosii in nostrum commodum nobis dignatus est fieri omnia, scilicet Dux in erroribus nostris, in paupertate nostra thesaurus, medicina in infirmitatibus, in debilitate nostra baculus, cibus in fame, obiectum beatificans in nostrâ beatitudine. *Omnia Christus est nobis; si vulnus curare desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si gravaris iniquitate, iustitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si cœlum desideras, via est, si tenebras fugis, lux est. Si cibum quæris, alimentum est. Gustate igitur & videte, quia suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.*

Plutar. apud Rhodig. 20. Huc servit, quod Plutarchus apud Rhodig. de Antiphonte Philosopho scriptum reliquit. Hic enim postquam Corinthi (quæ tunc famosissima erat civitas) appulisset, domum accepit foro vicinam, supra portam autē domus illius Epigraphen quandam reponi fecit, quæ transeuntibus significaret, doceri in ea domo artem omnē fugandi tristitiam & melancholiam. *Corinthi cum versaretur, prope forum domicilium habuit, scripto professus, se ægris animis curationem adhibere.* Quis autem est verus ille medicus, qui venisse se profiteri ausit, ut animos afflictos, & laborantes curaret conscientias, nisi solus Christus? Audite illum apud Isa-

Isai. 61. v. 1. iam dicentem: *Spiritus Domini super me, ad Evangelizandum misit me, &c. ut mederer contritis corde, ut consolarer omnes languentes*, unde Bernardus serm. 16. in Cant. hunc locum explicans dicit, Dominum nostrum vocari Christum, id est unctum, quia *veniebat ungere contritiones nostras, & linire dolores. Ideo venit unctus, venit mansuetus & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus se.* O dulcissimus conceptus. Hic est medicus ille, qui cunctas se miserias nostras indulcoraturum promittit, venit unguentis instructus, imò ipsusmet totus unguentum est, quia ad unguenda & curanda vulnera nostra veniebat. *Veniebat ungere, ideo venit unctus.* Scripsit equidem Salomon contra omnes carnis nostræ infirmitates remedia, veluti id testatur Anastasius Nicænus in quæstionibus in script. verum *eccè plus quam Salomon hic.* Divinus hic noster Salomon, remedia attulit adversus morbos cordis. *Scripto professus se ægris animis curationem adhibere*, idque infinitâ cum facilitate, cum id verbo tantum, imò volendo efficiat. *Quid difficile facit, qui verbo facit.* dixit S. Augustinus.

Ser. 16. in Cant.

Quæst. in script.

21. Verum enimvero excellentes Christi prærogativas, necnon admirabilem divinarum dotum suarum vim attractivam Propheta & Israelis Monarcha ad stuporem explicavit hisce verbis: *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*, quasi diceret. Ego contemplando te, ô amantissimum bonum meum, atque unicum animæ meæ gaudium, visum oculorum meorum, quo alia conspiciam, perdidi, neque aliud bonum videre desidero, dum te summū bonum meum conspicio, factiq; sunt oculi mei inutiles mihi, postquam ex- Ps. 118. v. 82.

tremam

tremam pulchritudinem tuam vidi & consideravi. Hæc est expositio S. Hi- Hil. in Ps. 118. larii Episcopi ita dicentis: *Aliis igitur oculos suos in sæcularia desideria occupantibus, & in voluptatem rerum præsentium tendentibus, Propheta in Dei salutare defixus est*, postquam te conspexi, alia à te intueri nequeo, quando in te totam visus mei aciem occupatam habeo. *In eo enim, quem diligimus*, dicit Ambrosius, *totis oculis occupamur, nec quidquam aliud videre delectat*: Omnes animi mei vires, omne cordis mei desiderium, nec non intelligentiæ meæ oculos rarissimâ pulchritudine tua turbasti mihi, ad eum ferè modum quo Hieronymus de S. Ioanne Baptista exponebat, *qui oculis aspicientibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere.*

Cant. 1. v. 16. 22. Atque ita sponsa loquebatur: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* At verò dicat quispiam: quid porrò magnum est, ô sponsa, quod post longam adeò cognitionem, tamque fiducialem, & domesticam cum benedicto sponso tuo familiaritatem, & praxin, de eodem sponso tuo dicas, quod Hom. 4. in Can. adeo sit pulcher? At verò Nyssenus dicit sponsam illis verbis expressius sic dicere velle. *Ecce tu pulcher es, & nihil aliud mihi videtur esse pulchrum.* Si verò quis replicet, dici non posse, quod solus Christus pulcher sit, cum in eodem loco is, qui summa veritas est, de sponsâ suâ quoque dicat: *Ecce tu pulchra es,* Theod. in Cant. *dilecta mea.* Respondet Theodoretus id verum esse; ast sponsæ speciositas à Christi pulchritudine nascitur. Ut proinde sponsa dicere debeat pulchra sum ego, quia tu pulcher es, atque ex pulchritudinis tuæ reflexu decor meꝰ derivatur. *Tu solus iure pulcher dici potes, cuius pulchritudine pulchra sunt omnia.* Et Ser. 19. in Cant. veluti Bernardus more suo valdè gratiosè discurrebat: *Millia millium cum dilecto, & decies centena millia circa dilectum, & nemo ad dilectum.* Cœlestis hic Salomon noster omnem præsentiâ suâ obscurat virtutis lucem, omnem sanctitatis deprimit altitudinem, prærogativarum denique omnem disparere facit præsentiam. Ut proinde benè De nativ. Domini. notet Cyprianus, quod in speluncâ in quâ nascitur Dominus, primumque in stadium mortalitatis nostræ gressum fixit, nec gemmæ aderant, nec aurum, nec ornatus, nec aulici, nec ulla Maiestatis species, quippe quæ eo in loco prorsus inutilia fuissent, quando spectatores in sola Christi nati contemplatione omnem suum occupatum tenebant intuitum: *Ornamenta quæ deerant, etsi adessent, non haberent oculos inspectores, quia præsentia parvuli sic eorum, qui aderant, oculos occupabat, ut in hoc summo bono omnium bonorum unita collectio videretur, nec opus esset evagari, & mendicare per partes, quod semel in se uno fidelibus omnipotens infantia præsentabat.* Benè ergò Propheta regius dixit: *Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Et ecce plus quam Salomon hic.*

23. *Ex Syon species decoris eius, Deus manifeste veniet*; dicitur de adventu Mes- Ps. 49. v. 3. siæ veluti ex Hebræo legitur: *De Syon consummatæ pulchritudinis, Deus illustris emicabit.* Dominus obscuræ Babyloniæ nostræ de cœlesti Syonis civitate illucescet, seque perfectissimâ & consummatâ pulchritudine præditum, conspiciendum præbebit. *Consummatæ pulchritudinis Deus emicabit.* Mox verò

Propheta subiungit: *Ignis in conspectu eius exardescet*: Et quid obsecro, per hoc innuitur, quod in excellentis pulchritudinis huius incendia exarsura sint? nihil profectò aliud, quàm quod omnes in illius rapientur amorem, quod præsentiâ suâ ignem quaquaversum vibraturus sit, ignem videlicet charitatis, & dilectionis; uti S. Carthusianorum fundator sapienter interpretatur scribens. *Ignis in conspectu eius exardescet, id est, fervor dilectionis augmentabitur ad modum ignis exardescentis in cōspicientibus eum speciali aspectu.* Quocunque ergo hic Dominus se conferet, semper amorem in humanis pectoribus crescere faciet, atque ubivis charitatis flammæ accendentur. Denique si de Salomone scriptura dixit. *Quod universa terra desiderabat videre vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius*, quantò magis id de mystico Salomone nostro dici debet, qui est terræ gaudium & delitiæ gentium desiderium, amor sæculorum, *& ecce plus quam Salomon hic.*

In Ps. 49.

3 Reg. 10. v. 24.

24 Ad hoc alludebat magna illa prophetia, occidendos, videlicet, fore parvulos ad petram. *Beatus qui tenebit, & occidet parvulos suos ad petram.* Hi parvuli sunt cogitationes nostræ, petra verò significat Christum: *Petra autem erat Christus.* Ad hanc ergò petram, ad hunc Christum omnes humanarum gentium cogitationes occidendæ erant, quia ipse futurus erat cunctorum amor cordium, omnium meta desideriorum, omniumque voluntatum ardens flamma. Ita hunc locum interpretatur S. Ambrosius: *Beatus ille, qui allidet parvulos suos ad petram, hoc est, qui infirmas ac lubricas cogitationes allidet ad Christum*, per Christum omnes occidentur cogitationes quæ in Christum non diriguntur, ne aliud quid spirent præterquam Christum, prouti Ecclesia, Domini sponsa faciebat, dicens: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Quis ille dilectus suus sit, non explicat, existimans ipsum esse universale omnium mundi huius cogitationum obiectum. Id quod exclamare fecit S. Bernardum. *O amor præceps, vehemens, impetuose, qui præter te, aliud cogitare non finis? fastidis cætera, contemnis omnia præter sese contentus. Totum quod opportunitatis, quod rationis, quod puderis, quod consilii, iudiciique videtur, triumphas in temetipso, & redigis in captivitatem. En omne quod cogitat ista quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil.* En ergò omnes cogitationes ad petram occisas, ecce omnium affectuum triumphatorem amorem, ecce oculos ad omnia clausos, atque soli Christi obtutui intentos, ecce omnium desideriorum nostrorum, cunctarumque intentionum magnetem, ecce ignem in cunctorum cordibus & voluntatibus accensum, ecce solem ad cuius lumen omnes minores stellæ disparent. *Et ecce plus quam Salomon hic.*

Ps. 136. v. 8.

Lib. de pœnit.

Cant. 3. v. 3.

Ser. 39. in Cant.

25. Huc denuò in campum prodeat illa nunquam fastidiosa sed semper placens divina Regii Davidis cythara. Hæc ergo *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè*; accinit Christo. Accingere, ô potentissime Domine, erit enim id necessarium tibi, ob tam frequentium contrarietatem oppositionum, quæ tibi ab extre-

Ps. 44. v. 4.

extrema mundi perversitate obvenient: Necessum profectò erit ut inter tot hostes, & in medio tam perversæ malèque assuefactæ generationis armatus compareas. Deinde subiungit: *Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Quæ est ista mutatio* (dicit Chrysostomus)
In Ps. 44 *& quæ verborum translatio? quid commune habent gladius & pulchritudo?* Quænam est ista, quam Propheta facit, commutatio? Vult, ut armetur, atque ensem arripiat, mox verò dicit, ut procedat & progrediatur, regnumque sibi acquirat specie & pulchritudine: *Cum dixisset cinge te gladio, subiunxit, specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna.* Verùm audite mirabilem Chrysostomi responsionem, qui magnum illud præclarè enodat mysterium. *Hoc est gladius eius, species eius, pulchritudo, authoritas, gloria, Maiestas, & magnificentia:* Gladius tuus, ô sanctissime Redemptor, pulchritudo tua erit; confliges quidem, verum est, at non cum aliis armis, quam iis, quæ sunt authoritatis, gloriæ, Maiestatis, & magnificentiæ, *gladius eius species eius.* Gladio isto corda vulnerabis, & non corpora; liberum tibi voluntatis creatæ acquires arbitrium, non vero corporis vires; Ecclesias, non verò civitates, tibi subiicies. *Gladius eius species eius.* Regni tui possessionem per arma amoris, non vero timoris assequeris, favendo non feriendo, colligendo, non reiiciendo, per clementiã & non per vehementiam. *Gladius eius species eius.* Cõcludo tandem cum Giliberto Abbate, neces-
Ser. 19. in Cant. sum est cœlestem hunc Salomonem amabilissimum esse, non enim tantum amari potest, quantum amabilis est, nam quantocunq; cum fervore & intensione mentis nostræ amatus fuerit, infinitam tamen adhuc habebit amabilitatem, à quâ in immensum superabuntur amores nostri. *Quantum placet, qui satis placere non potest?* & ideo *totus amari vult, qui totus meretur amari. Et ecce plus quam Salomon hic.*

26. Suntque hi, ô dilectissimi, duo modi, quibus De⁹ in negotio suæ providentiæ utitur, iustitia & misericordia: Severitas & pietas, comminationes & promissiones, Ionæ horror, & Salomonis Maiestas. *Dominus regnavit, decorem induit, induit fortitudinem, decorẽ induit.* Ecce Salomonem; *induit fortitudinem*; ecce Ionam. *Decorem offerebat eis, quibus placebat*, dicit Augustinus *fortitudinem adversus eos, quibus displicebat*, qui obstinatus est, fortitudini cedat: qui autem flexibilis est, se dedat decori. Qui servus est, illum respiciat fortem; qui autem filius est, ipsum contempletur ut pulchrũ; qui reus est, illum flagellum in manu sua tenentem intueatur; qui verò iustus, illum mercedem retribuentem consideret. *Induit fortitudinem, induit decorem.* Dominus dicebat: *Cui similem æstimabo generationem istam? similis est pueris saltantibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: cecinimus vobis, & non saltastis, lamentavimus vobis, & non planxistis.* Moris erat apud Iudæos, inquit Cyrillus apud S. Thomam in catena, quod pueri in medio fori duas facerent coronas seu congregationes, quarum una cum Heraclito vitæ huius plangebat miserias: altera vero

Ps. 92. v. 1. In Ps. 92. Matth. 11. v. 16. 17.

cum Democrito cachinnis deridebat illas: Transibant interea loci incolæ, qui neque ridentes, neque plangentes quicquam æstimantes, res suas curabant: *Vilis sermo* (sunt verba S. Ambrosii) *sed non vile mysterium, sed quidnam est illud mysterium? Hoc videlicet: Cantavimus vobis & non saltastis; hoc est, non elevastis animum ad spiritualem gratiam. Lamentavimus vobis & non plorastis, hoc est non egistis pœnitentiam.* Quasi diceret: Comparui corã te, velut alter Ionas, plangendo, & non planxisti, nec fecisti pœnitentiam. Coram oculis tuis velut alter Salomon totus ridens & iucundus obversatus sum, nec te quicquam movisti, adeò ut nec minas curaveris nec præmia; cum ergò tàm iustitiam conculcaveris quam misericordiam, nullus in providentia mea superest modus te convertendi. O Christiane quid facis? cur ruinas tuas non consideras? cur emolumentis tuis non prospicis? cur salutis tuæ remedia, quoadusque potes, cum devotione non recipis? si Deus tuus terribilis est, cur non contremiscis? aut cur non amas eundem, si benignus est? si minatur, cur non formidas? aut cur non evigilas, si promittit? ut quid protervus es, si castigat? aut si remunerat, cur es ingratus? si totus ira est & vindicta, cur non fugis? aut cur curris, si totus est amor? cur provocas illum, si inimicus est? aut si pater est, cur eundem honorare detrectas? si Ionas est, cur cum Ninivitis non agis pœnitentiam? aut cur cum Regina Austri illi non appropinquas, si est Salomon? ne permittas, obsecro, ut in horribilissimo Dei iudicio à Ninivitis condemneris ut obstinatus, aut ut insensatus à Sabæorum Reginâ.

L. 2. de pœnit. c. 6.

PARS SECUNDA.

27. Prælati & omnes alii, quibus animæ gubernandæ commissæ sunt à Christo, duas admirabiles eiusdem proprietates discere debent, ne videlicet cum Iona ita sint rigorosi, ut nesciant esse cum Salomone benevoli, memores eorum verborum *Diligit misericordiam & iudicium*, aut prout S. Augustinus in Psal. 32. explicat: *Omnipotens Deus, nec in misericordia amittit iudicium, nec in iudicio misericordiam, &c. fac ita, quia Deus facit ita.* A divina ergo ipsius Maiestate rectum animas gubernandi modum docere, ne, videlicet, aut per benignitatem illis nimium indulgeas, & fræna laxes: aut per asperitatem easdem plus nimium opprimas: *Fac ita, quia Deus facit ita.* Atque huc quadrat id quod Clemens Alexãdrinus refert, videlicet apud antiquos sphyngẽ peculiare divinitatis symbolum extitisse, quam ea de causa in templorum suorum adytis reponere consueverunt, quod is ex medietate hominem, ex alterâ verò medietate serpentem referret, volebantque per hoc insinuare idem, quod nos in præsenti dicimus, videlicet, quod Deus *diligit misericordiam & iudicium.* Ita loquitur Clemens: *Fortè autem, quod Deum oportet amare & timere; amare quidem, ut sanctis benignum & propitium: timere autem, ut qui sit impiis iustus inexorabiliter. Feræ enim simul & hominis imaginem sphynx significat: Fac ita, quia Deus facit ita.*

Tertium punctum

Ps. 32.

Aug. in Ps. 32.

L. 5. Strom.

28. Pa-

L.2. contra Marc. 28. Patrum antiquissimus Tertullianus pulchrè advertit, Christum Dominum, pulchram illam ad patrem directam orationem, à S. Matthæo relatam, optimè fecisse, dum dixit: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ.* Videte, inquit Tertullianus, & notate Deum patrem simul vocari & Dominum. *Pater & Domine*, tota namque divinitas, ex duobus illis composita est attributis, neque perfecta foret, si alterutrum illorum deficeret. *Vsque adeo iustitia & plenitudo est divinitatis ipsius, exhibent Deum perfectum & Patrem & Dominum, Patrem Clementiæ, Dominum disciplinæ Patrem potestate blandâ; Dominum severâ; Patrem diligendum piè; Dominum timendum necessariè; diligendum quia mavult misericordiam, quam sacrificium; & timendum, quia nolit peccatores sui iam non pœnitentes:* quasi diceret. Amabis illum sicut Patrem, timebis autē veluti Dominum Patrem clementiæ, Dominum disciplinæ, Patrem suavi potestate, Dominum vero potestate severa, Patrem promittentem hæreditatē, Dominum qui hæreditate te privaturum se comminatur: *Vsque adeo iustitia etiam est plenitudo divinitatis.* Et ideò dicit Tertullianus eodem loco, lex tam unum quam alterum præcipit, amorem scilicet & timorem, amorem veluti Patris, timorem sicut Domini, amorem si filius es, si vero sis servus timorem: *Ideo lex utrumque definit. Diliges* Deut. 6. v. 5. & 13. *Deum & timebis Deum. Aliud obsecutori propofuit, aliud exorbitatori.*

Ierem. c. 10. v. 13. 29. Per prædicta optimè confirmatur textus Ieremiæ, dicentis: *Elevat nebulas ab extremitatibus terræ, fulgura in pluviam facit.* Nubes prælatos, prædicatores, & Doctores significant, qui subinde fulmine sese armant, hæc enim (ut inquit Chrysologus) feriunt Chrysol. ser. 4. altissima montium cacumina, locis vero declivibus & infimis parcunt: ita prudentes servi Dei humilibus condonant, verberant altiores, *quasi fulgura sunt, hæc summa feriunt, humilia fugiunt.* Atque ideo David Rex sanctus Deo gratias agebat, *quia misericordia tua &* Ps. 39. v. 12. *veritas tua semper susceperunt me.* A tua iustitia, tuaque misericordia me semper circumdatum inveni. Misericordia tua me confortabat, corrigebat autem me tua iustitia: Illa à desperatione, hæc verò à præsumptione me liberabat: ab illa recreabar, terrebar ab ista. *Misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me. Attendo quia bonus es* (verba sunt S. Augustini) *attendo quia iustus* Aug. in Ps. 39. *es, amo bonum, timeo iustum: Amor & timor perducunt me, quia misericordia & veritas tua semper susceperunt me.* Hanc quæso doctrinam à Deo Magistro tuo edisce, sicut Henricus II. Rex Angliæ Epist. 66. eandem edoctus fuerat, qui teste Petro Blesensi mansuetissimus pariter & severissimus erat, mansuetissimus erga afflictos, erga superbos autem severissimus & quasi insupportabilis: *Nullus mansuetior est afflictis, nullus importabilior est superbis. Quadam enim divinitatis imagine semper studuit opprimere fastuosos, oppressos erigere.* Ecce fulmina, de quibus supra dicebam, quod *summa feriunt, humilia fugiant, fac ita quia Deus fecit ita.*

30. Ferrum manu sua tenet (inquit S. Basilius) homicida pariter & Medi- Constit. Monast. ca. 14. cus; ille ut auferat, hic vero ut donet vitam; ille odio instigatus; hic motus

chari-

charitate. Ille absque omni misericordia & respectu; ille verò magnâ cum dexteritate & prudentia: *Si acciderit, ut aliquando suscipienda à nobis adversus negligentiam indignatio sit adhibenda in eo cura est, ut indignatio ratione sit temperata, siquidem gladiis Medici utuntur, utuntur & homicidæ, verum hi ut vita spolient, illi ut vitam donent.* Dum autem hic loquor de ferro, quo Medicus piâ crudelitate utitur, dum vulnerat pariter & amat, imò ideò vulnerat, quia benefacere desiderat, conceptus quidam S. Hieronymi in mentem mihi incidit: scilicet, quod *putridæ carnes ferro indigent & cauterio: nec est medicinæ culpa, sed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit Medicus ut parcat; sævit ut misereatur. Ergò fac ita, quia Deus facit ita.*

Hier. A. Mando.

31. Hæc est doctrina illa, quam Christus in montis culmine in illo suo divinissimo sermone discipulos docebat; in quo postquam zelum commendasset iustitiæ, mox ad prædicandum misericordiæ dulcedinem convertit dicens: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: beati misericordes. Ne zelus immoderatior in vitiū feratur, sequitur misericordia, qua temperetur*, (quæ est Guerrici Abbatis notatio) hic est sanguis ille, & oleum divini altaris, quo vestimenta sacerdotis præcipiebantur conspergi. *Cumque tuleris de sanguine, qui est super altare, & tuleris de oleo unctionis asperges Aaron & vestes eius.* Nam uti Hieronymus Oleaster notat: *Vnguntur oleo & sanguine, ut scirent olei misericordiā cum rigore sanguinis temperare.* Hæc erat forma & modus agendi ipsi⁹ Iobi, qui de semeipso dicebat: *Videbant me iuvenes, & abscondebantur, cor viduæ consolatus sum. Quanta disciplina regiminis* (exponit S. Gregorius) *ut ante eum iuvenes abscondantur? quanta mansuetudo pietatis, ut per eum viduarum corda consolentur?* Et paulo infra: *negat disciplinæ vigor mansuetudinem, ut mansuetudo ornet vigorem: & sic alterum commendetur ab altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* Hoc est mysterium illud, quod in nomine civitatis illi⁹, in qua Christus natus est, reconditum cernitur; vocatur enim civitas illa Bethlehem terra Ephrata. Bethlehem domum panis significat: Ephrata vero domum videntis furorem; ibi enim Christi favores & gratiæ inveniuntur; ubi dulcedo panis & pœnæ asperitas pariter iunguntur. *Bethlehem domus panis est* (inquit Ambrosius) *Ephrata domus furorem videntis; ecce tibi ubi crudelitas, ibi pietas, ubi pœna nocentivum, ibi universorū redemptio.* Hoc est notabile illud spiritus præceptum apud sapientem uti S. Ferrandus Diaconus advertit: *Noli esse iustus multum.* Iustus est, qui cum zelo corrigit defectum: nimium iustus est, qui sine pietate corrigit eundem; *Esto iustus, ut corrigas inquietos, noli esse multum iustus, ut consoleris pusillanimes.* In reipsa namque vero verius est, quod notabat Petrus Blesensis scilicet *culpa est, totam persequi culpam.* Hæc est doctrina docti illius & eruditi scribæ, qui uti docet S. Gregorius; profert de thesauro suo nova & vetera, id est regni promissa, quæ legis novæ sunt propria, & pœnarum comminationes, quæ pertinent ad legem veterem: *Ille in sancta Ecclesia doctus prædicator est, qui & nova scit proferre de suavitate regni, & vetusta dicere de terrore supplicii: ut vel pœna terreant, quos præmia non incitant.*

Ser. de omnibus sanctis.

Exod. 29. v.21.

In Iob. 1.

Michæ. 5. v.2.

Ecclesiast. 7. v.17. Tom. 1. Biblioth. Patrum.

Ep. 154.

Greg. hom. 11. in Ev.

incitant Audiat de regno quid amet, audiat de supplicio unusquisque quid timeat. Hæc
Ep.154. est ex mente Petri Blesensis. Arca illa testamenti, quæ virgam continebat disciplinæ, & manna benignitatis & clementiæ. *Planè si pectus tuum arca Dei est, sicut profectò dignum est, non in eo sola sit virga quæ terreat, sed & manna quod fraternæ mentis palato dulcescat.* Hic erat modus, quo cum S. Iob prævaricantium monebat turbas, dicit S. Grego-
Iob.30. v.28. rius lib. Moral. quæ clamabat quidem, sed clamores citra furorem fiebant. *Si-*
Gregor. l.20. mor. *ne furore consurgens in turba clamavi; quia nimirum bonus contra turbas insolentium clamorem habet, & furorem non habet, &c.* sicut charitas, quæ *irascitur & amat; sævit & tranquilla est, quatenus infirmos suos corrigat ex æmulatione, foveat ex pietate.* Hi sunt, ut venerab. Beda opinatur, le-
3.Reg.7. v.29. ones & boves, quos Salomon in templo Dei pariter reposuit, leones per zeli fortitudinem, boves per pietatis dexteritatem: *Sanctorum mentes habent cum leonibus boves, quando invectionem correctionis cum spiritu mansuetudinis exhibent.* Hæc est sapientia, quæ, secundum quod sapiens dicit, omnia
Ep.12. operatur fortiter, & suaviter. Ita Petrus Blesensis Episcopum Aurelianensem exhortans, ut Regem Franciæ corrigat, dicit: *ut tanta verborum moderatione utaris, ut si fortis est sermo, nihilominus sit suavis. Nam & sapientia, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, suaviter tamen universa disponit*, hoc est illud vitæ lignum ex mente S. Ambrosii, quod in Paradiso pariter cum ligno scientiæ boni & mali, utpote mortis
L. de Parad. baculo, erat. *Discamus quod ibi lignum vitæ, ubi erat lignum scientiæ boni & mali produxerit Deus. Ergo in medio Paradisi & vitæ erat & causa mortis.* Hi secundum opinionem S. Bernardi, sunt duo Christi Domini pedes, quos Maria Magdalena osculis stringebat, dexter videlicet & sinister, id est, misericordiæ & iustitiæ, *nam universæ viæ Domini misericordia & iudicium, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda.* Hæc iudicio Ser. de S. Magdal.
Clementis Alexandrini est lex ignea, Orat. ad Græcos.
quam Deus manu sua tenebat; ignis namque simul lucet & urit. *Quod simul est & gratiæ & timoris. Si obedieris lucem, si non obedieris ignem.* Hoc est rectæ prædicationis inquit Pascasius. *Simile est* L. 3. in Matth.
regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, quod ex una parte plumbo gravatur, ut profundum petat per timorem: *Trahitur hæc sagena duobus connexa funibus, per medium hoc mare, à summo usque deorsum extenta. Sursum quidem spe, super omnes fluctus sæculi vehementer erecta & firmata; deorsum verò usque ad ima timore divini iudicii demersa.* Hoc est mordax illud vinum & oleum linitivum, quo usus fuit Samaritanus ille Evangelicus: *Debet terrere per supplicia* dicit Ser. 36.
Blesensis *mulcere per præmia. Vinum prædicatio sapit, dum pœnarum incutit timorem, oleum infundit, dum inculcat supernorum amorem.* Hic est spiritus sanctus, qui in specie columbæ venit & in forma ignis, uti idipsum exponit Gregorius hisce verbis: *Spi-* Hom. 30. in Evang.
ritus sanctus in igne monstrari debuit & in columbâ, quatenus omne cor, quod eius gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate, & zelo iustitiæ accensum fiat. Sed quid ultra dicam? Hic est Ionas pariter & Salomon,

simul in uno coniuncti, qui expressum Christi Domini nostri symbolum sunt, qui utrumque hoc semper mirabili mixtura simul coniunxit, zelum videlicet & pietatem, repræhensionem & compassionem, asperitatem & dulcedinem, promissiones & minas. Ergo & tu *fac ita, quia Deus facit ita.*

CONCIO VIII.

In Feriam V. post Dominic. I. Quadragesimæ.

THEMA.

O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis: Matth. 15. v. 28.

ARGUMENTUM.

Oratio continet omnia bonorum genera, quæ à sapientibus ponuntur, nimirum: Honestum, utile & delectabile.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Victa cedit omnipotentia cœli debilitati mulieris. n. 1.

Magna virtutes Chananeæ sed maxima eius oratio. Synopsis concionis. ib.

Primum punctum. *Oratio habet bonum honestum. Exoptat* Ambrosius *imitari in cantu* Lusciniam, *eius descriptio. n. 2.*

Omnia nobis necessaria ex Psalmis depromere possumus. David spiritalis philomena. De ipso sicut & de illa posset dici, vox prætereaque nihil. *Omnia enim sua & interiora & exteriora formabat ad laudandum Deum;* pulchra *hic multa* congeruntur. *n. 3.*

Musica Capellæ divinæ nunquam interrumpitur. n. 4.

Silentium factum in cœlo, *ideo ordinatum ut auscultarentur orationes sanctorum,* acutè August. *ib.*

Orationes viatorum sunt Deo gratiores quam beatorum cum hæ careant merito, istæ non. ib.

Bona mens chorus est Dei *appositè* Sixtus Papa. *ib.*

Chananea non est à Christo exaudita ut magis exaudiretur. Scite Euthimius. *n. 5.*

Deus frequenter nostras differt exaudire preces ob gustum quem recipit ex illis. n. 6.

Secundum punctum.

Perse-

Perseverantia licet importuna plus amica est quam amicus. n. 7.

Molesti sumus Deo cum ab eo nihil petimus, productus Rex Achaz ex Isaia. n. 8.

Fingebat Christus se velle transire ultra Emmaus, & discipulos in mari ut ipsum rogarent. ib.

Cum Deus concedit gratiam post orationem, concedit eam tanquam debitum. ib.

Quando petimus ut sanctificetur nomen Dei, &c. nostrum interesse & commodum postulamus. n. 9.

Licet gentes sint hæreditas Christi, vult tamen Pater æternus ut eas postulet. ib.

Quod titulo hæreditatis habet, vult etiam ut titulo orationis obtineat. ib.

Spiritus orationis promittitur à Deo per Zach. n. 10.

Spiritus gratiæ & precum nexus. n. 11.

Qui nihil habet in patrimonio, nec in sacello nec in dolio, totum habet in animo nimirum orationem. ib.

Secundũ punctum. *Nihil utilius potest facere servus Dei in hoc sæculo quam orare Deum. n. 12.*

Diversa orationis Epitheta. ib.

Omnia orationi obediunt imo & ipsemet Deus. ib.

Omnipotentia orationis. ib.

Orationis & pecuniæ nexus. Cornu Amalthea ei præsto est cui pecunia est, hoc melius de oratione. n. 13.

Oratio sanavit Israelitas in deserto, & compescuit plagas in Ægypto. n. 14. & 15.

Describuntur bona quæ obvenire debebant populo Israelitico in templo Salomitico oranti. n. 16.

Oratio est clavis cœli, ascendit deprecatio, descendit Dei miseratio. ib.

Efficacia orationis Regis Ezechiæ post *acceptas* à Semnacherib literas. *num. 17.*

Oratio Elisæi integrum excæcat exercitum. n 18.

Iudith per orationem exercitum Holofernis profligavit. n. 19.

Quamdiu Samson fuit Capillatura instructus (quæ orationem repræsentabat) fuit insuperabilis. ib.

Delectatio vera non ex mundi tripudiis, amicorum aut vasallorum copia, non ex scientiis, lucris, pompis sed ex oratione provenit. Tertium punctum.

Oratio est fons vivus, fœcundans plantas spirituales animæ nostræ. n. 20. 21. 23.

Oratio est pharmacum universale contra omnes animæ & corporis morbos, omnipotens oratio cum sit una omnia potest. n. 22. 23. 24

Oratio, Patriarchæ Iacob & S. Hieronymo fuit in deserto viaticum, solius secum, deferens orationis viaticum, ut ait Egesippus. *n. 25. 26.*

1. HOdie mulieris cuiuspiam Chananeæ debilitati victa cedit ipsa cœli omnipotentia, nosq; dubios relinquit & perplexos, utrum stupendum magis, an quod Deus evadat ita debilis, ut à mortali fortitudine vinci potuerit? an verò, quod homo evadat adeò fortis, ut ipsam omnipotentis Dei fortitudinem vincere sufficiat? Non possum non valdè admirari Deũ, ut ita dicam; exarmatum, suaque inexpugnabili potentia destitutum, atq; miserabili fragilitati nostræ in prædam datum: sed neque possum non vehementer obstupescere, dum heroicam & fortissimam hanc contemplor viraginem, quæ novis, neque hactenus visis armis provisa fortitudinis nostræ arcem aggreditur, eandemque robustis machinis animosè cingit, multiplicatis quoque, sæpiusq; repetitis illam

congressibus impetit, denique diuturnis iisdem que pertinacibus expugnat obsidionibus. Singularissimum, haud dubiè, utrumq; est prodigium, Christus scilicet mulieris præda factus: Mulier item Christi Domini prædatrix: ille detriumphatus, hæc verò triumphans: ille voci obediens humanæ; Hæc verò obedientem sibi habens ipsam Dei voluntatem. *O mulier magna est fides tua.* Magna profectò tua, ô mulier, est fides, quæ inter ignorantiæ Paganismi tenebras, tanta cum claritate scintillat. Magnus est fervor tuus, qui te è patria tua in regiones incognitas foras protraxit, ad prosequendum ipsius in terra oberrantis Dei vestigia. Magna est devotio, quæ tantæ prudentiæ & discretionis verba ori tuo suggessit, linguamque tuam movit ad tam pios efformandos sermonis accentus. Magna est humilitas, quæ te docuit, ad acceptandum probrosum canis titulum haud invitam esse, teque venerandis Redemptoris nostri pedibus substernere. Magna est perseverantia tua, quæ toties repetitas repulsas firma & stabilis stare, neque inter tot adeoque resolutas negativas fiduciam perdere novit. Præ omnibus tamen aliis maxima est tua oratio, utpote, quæ adeò nobili cincta comitatu, ante Christum comparens, è manibus eiusdem postulatam mercedem violenter quasi eripere potuit, responsionemque adeò gratam, omnisque amoris plenam audire digna fuit. Dicam igitur cum Raphaele archangelo. *Bona est oratio magis, quam thesauros auri recondere.* (Tob. 12. v. 8.) Bona est oratio, sive quia ipsa omne bonum in se continet, sive quia fons est & causa omnis boni, sive honestum illud sit, aut utile, aut delectabile, quæ sunt tria præcipua bonorum genera, ad quæ sapientes omnia reliqua bona reducunt, quæq; uti S. Bernardus advertit, ab omnibus hominibus communiter desiderantur: *Desideria nostra in tribus maximè videntur constituta. Quod decet, quod expedit, quod delectat.* (Ser. in Vig. nat.) Homo enim ut rationalis desiderat honestũ, ut corporeus utile desiderat, quo mediante naturalibus suis prospiciat necessitatibus: Denique ut infœlix boni delectabilis est avidè cupidus, quo infinitas miserias suas aliqualiter mitigare possit. Quisquis ergò donum orationis possidet, omne bonum sine ullo dubio possidet, potestque cum sapiente dicere: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

2. Primò *ergò bona est oratio* quia habet bonum quod est honestum, profectò enim nihil est quod à Deo sive in antiquis, sive in novis scripturis adeò frequenter postuletur uti oratio: ipsum enim ut Deum, hoc orationis sacrificio recognoscimus: Ipsi ut Regi, illam pendim⁹ tanquam tributum: ut patri, hunc ipsi præsentamus filialem affectum: ut benefactori, hanc ipsi damus modicam retributionem: uti amicum ipsum salutamus hac humanitatis plenissima oratione: Hisce ipsi tanquam sponso blandimur deliciis: Denique ipsum, veluti omnis boni authorem, hac laude commendamus.

Bona est oratio. Tametsi enim hinc nostra non dependeret sanctitas & innocentia: *Verè enim novit rectè vivere,* qui

Ser. 14. de diver. *qui novit rectè orare*, dicebat S. Augustinus, honestissimum tamen & æquissimum foret, nequaquam Domino nostro denegare illud, unde is se tantoperè existimat honoratum, ut dicat. *Sa-* Ps. 49. v. 23. *crificium laudis honorificabit me.* Vellem inquit Magnus ille Mediolanensium Antistes, imitari te parvulas illas camporum aviculas, quas videmus manè, & vesperi; modo suo grates persolvere creatori: atque si quæ maior in te sit devotio dicit S. Ambr. optarem imi- Ser. 43. tari te Lusciniam, cui cum dies, ad divinas laudes celebrandas, non sufficiat, ipsas diei noctes quoque coniungit: *Imitare frater minutas aves, mane & vesperi creatori gratias referentes; & si es devotior, imitare Lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes, dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurrit.* Et quis non obstupesceret, quando circa tempus vernum renovante se mundo, ipsa quoque Luscinia suas renovat Harmonicas concinnasque cantiunculas? Quis creatorem non laudaret, quando illum à tam nobili avicula, quæ sylvarum Syrena, parvulusque divinæ Maiestatis est tibicen, adeò prodigiosè laudatum cernimus? Quis non admiraretur, dum aviculam illam, indefesso studio noctem diemque coniungentem, infinitisque modis ingeniosas fauces moventem, atque industriam linguam suam replicantem audit? Quæ fistula, aut quæ chelis unquam ad vivum repræsentare poterit inexpectatas illas cantus terminationes, vocis tremulæ trepidationes, imperceptibiles longi spiritus protractiones, sonos illos nunc cum impetu expressos, nunc artificiosè suppressos, ordinatas illas currentis & reflexæ, artificiosæ & neglectæ, velocis & lentæ, sollicitæ & confidentis vocis temperaturas, & alternationes? Aut quis adeò peritus Musicus unquam promittere poterit tantam in arte fortitudinem, quantam Luscinia habet in natura, dum modo quodam inimitabili minimèque assequibili alternat, fugas & pausas, risus confundit & suspiria, raucas notas miscet cum sonoris, copulat voces planas cum tremulis, semper varia, nunquam eadem, quam proinde potius vita quàm vox deficiet: *Si devotior es imitare Lusciniam.*

3. Adeamus, obsecro, regii Davidis psalterium, ibi namque videmus eundem veluti divinam quandam philomelam, Deum suum infinitis modis laudantem, adeò ut cantet, plangat, speret, timeat, doleat, gaudeat, clamet, reclamet, promittat, minetur; conscendat in cœlum, inde in abyssum descendat, loquitur Deo, sermocinatur inde cum hominibus, atque cum semetipso discurrit, nunc insensatis prædicat creaturis, nunc cum Angelis ratiocinatur. *Quid est quod non discamus in Psalmis?* dicit August. in Prologo in Psalmos nul- Prolog. in Psal. la invenitur virtus, quæ in iisdem non commendatur; non est vitium, quod inibi non reprehendatur; non est remedium, quod ibi non proponatur; non est doctrina, quæ ibi non doceatur. Ibi in compendium redactæ sunt omnes antiquitatis historiæ, prophetiarũ mysteria instructiones sa-

pientum; stylo namque verè divino decantatur in Psalmis creatio mundi, gesta Patriarcharum, Ægyptii captivitas, plagæ Pharaonis, peregrinatio per desertũ, bella à populo Dei gesta, ac denique fœlix in terram promissionis ingressus. Ibi Regnum Christi ob oculos ponitur, Nativitas, Prædicatio, Miracula, Passio, Resurrectio, Ascensus in cœlum, propagatio Ecclesiæ, atque ipsa Evangelii dilatatio. Quid est quod *non discamus in Psalmis? Non omnis magnitudo virtutis, non norma Iustitiæ, non pudicitiæ decor, non prudentiæ consummatio, non patientiæ regula, nõ omne, quicquid potest dici bonum, procedit ex ipsis? Dei scientia perfecta, prænunciatio Christi in carne venturi, & communis resurrectionis spes, suppliciorum metus, gloriæ pollicitatio, mysteriorum revelatio, omnia prorsus in his velut magno quodam & communi thesauro recondita atque conferta sunt bona.* De Luscinia dixit sapiens quisquam: *Vox & præterea nihil.* Sic quoque David videbatur sola vox esse, & præterea nihil, quippe qui nihil in se habebat, quod ad laudandum Deum sonorum non esset. De corpore dicit: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* De Anima: *Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido.* De manu: *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* De pede: *Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine.* De ossibus: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi.* De interioribus: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* De oculis: *Oculi mei defecerunt in salutare tuum.* De corde: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea.* De spiritu seu flatu oris: *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Et si devotior es, imitare Lusciniam*: Id quod Rex sanctus tanta faciebat cum assiduitate, ut videri meritò potuisset omne vitæ suæ momentum, laudando Deo consecrasse. Laudabat enim per diem Deum: *Deus meus clamabo per diem.* De nocte: *Memor fui nocte nominis tui Domine.* Circa vesperam: *Vespertina oratio ascendat ad te Domine.* Circa meridiem: *Meridie narrabo & annunciabo.* Circa mediam noctem: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Frequentatis vicibus de die: *Septies in die laudem dixi tibi.* Multoties & de nocte: *Meditatus sum nocte cum corde meo.* Quotidiè: *Per singulos dies benedicam tibi.* Omni nocte: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum.* Per totum diem: *Lingua mea meditabitur iustitiam, tota die laudem tuam.* Per totam noctem: *Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Per totam vitam: *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.* Per omne tempus: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Per omnia sæcula: *Benedicam nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.* Si devotior es, *imitare Lusciniam.* O philomelam cœlestem, quæ laudes Dei in ore suo semper habebat, à quo & hanc gratiam rogabat: *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam. Quid est tota die?* interrogat S. August. In Psal. *Sine intermissione, in prosperis, quia consolaris, in adversis, quia corrigis; antequam essem, quia fecisti; cum essem, quia salutem dedisti; cum peccassem, quia ignovisti; cum*

con-

conversus essem, quia adiuvisti; cum perseverassem, quia coronasti; ita planè tota die. Bona est oratio.

4. Certum est Musicam Capellæ divinæ in cœlo nunquam interrumpi: *Qui non cessant clamare una voce dicentes* (canit Ecclesia) *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens* (dicit S. Ioannes:) *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te,* dicit David. At verò cum (ut breviter rem transigamus) ita sit, uti docet S. Augustinus quod nimirum *hoc erit negotium nostrum sine defectu Alleluia*, quomodo dicere potest Ioannes Evangelista factum esse in cœlo silentium? *Factum est silentium in cœlo quasi media hora.* Quid uspiam esse poterit, quod interrumpere possit hanc Musicam? Fortè fatigantur cantando? At verò nequit esse in cœlis lassitudo aut defatigatio? Deficitne fortè cantui materia? Minimè: Argumentum enim beatissimarum cantionum illarum est Deus ipse, eiusdemque divina attributa. Forte versantur circa rem quampiam meliorem, quæ ipsos à dulci hac occupatione avertat? Nequaquam: Quid enim laude divina melius esse potest? Fortè exercitium hoc, cui tam diu dediti fuere, illis commutare placebit? Quis enim nescit, quem gustum afferre soleat rerum aut occupationum vicissitudo & alternatio? Sed nec hoc dici potest, *quia hoc erit totum negotium nostrum sine defectu Alleluia.* Quid ergò causare potuit prodigiosum istud silentium? Respondebit Augustinus, quod immediatè ante silentii illius cõmemorationem, mentio fiat orationis hominum bonorum: *Data sunt ei incensa multa, quæ sunt orationes sanctorum.* Agedum ergò dicit Augustinus, factum est in cœlo silentium, ad audiendas terræ orationes: *Auscultat cœlum orationes Sanctorum*, adeò ut supremæ cœlorum curiæ non minus hominum Musica placeat, quam illa Angelorum. Non tacet solemnis illa Dei capella, dum invicem vocum beatorum, voces audiuntur peregrinorum sæculi huius, *auscultat cœlum orationes Sanctorum*; imo ausim dicere gratiores esse Deo orationes nostras præ illis Angelorum. Nostræ merentur, quæ à beatis funduntur, sunt sine merito: nostræ commendant id, quod non vident: Beati laudant Deum à se in viluminis gloriæ clarè visum: nostræ fiunt in medio infinitarum miseriarum præsentis vitæ; illæ vero, quæ à beatis funduntur, fiunt in medio gaudiorum vitæ sempiternæ, adeo ut dicere possimus cum S. Sixto Papa. *Bona mens chorus est Dei.* Bona mens Deo in locum chori deseruit, adeo, ut tametsi chori Angelici taceant, suppleri tamen possint à choris humanis, dumque perpetuum illud Alleluia supremæ Hierusalem interrumpitur, nõ minus gratum est divinis auribus Alleluia Jerusalem terrestris. *Auscultat cœlum orationes Sanctorum.*

In Ps. 23. — Apoc. 8. v. 1. — In Ps. — Sent. 64.

5. Videte idipsum, dilectissimi, in hodierna muliere gentili, quæ à Christo non est exaudita, dicit Euthymius in Matthæum, ut magis magisque exaudiretur; neque ipsi concessa est gratia, ut illam sollicitare pergat; neque

Euth. in Matth.

à Do-

à Domini pietate admissa est, ut inceptam continuare pergat cantilenam, perseveretque delectari illos qui tantam ex precibus nostris delectationem hauriunt. Contingit nonnunquam in civitatem nostram appellere excellentem quendam Musicum extraneum, hunc ergò mox canere faciunt in totius præsentia nobilitatis. Dum autem hic linguam suam inusitatis & extraordinariis modis solvere incipit, unusquisque obstupescit, atque ab illius novæ & hactenus inauditæ harmoniæ suavitate rapitur, omnes digitum ori admovent, nec est qui interrumpere ausit communem, quam indè hauriunt, delectationem, unde non nisi omnibus invitis canere desinit; ita quoq; benedictus Redemptor noster, tantâ cum delectatione percipiebat Chananeæ illius orationem, ut ægrè ferret illam esse interruptam, suamque pulchram cantilenam ad finem usque non esse perductam. *Fœmina altè clamabat*, subiungit Euthymius, *Christus silebat, sustinens donec omnis fœminæ fides, omnis modestia, ac prudentia manifestaretur.* Et quia discipuli dicebant: Dimitte illam, Dominus modum adinvenit, quo mulierem illam coram se attrahat, eidemque occasionem nobilem cantionem suam prosequendi subministrat; *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*; Quasi Apostolis loqueretur illis verbis sapientis. *Ne impedias Musicam.* Nostra namque Musica terræ huius, tantopere Paradiso placet, ut dicat Augustinus, quod dum hanc non audit, videatur illi, quod fortunatos illos Paradisi muros certo quodam modo mœror subingrediatur & tristitia. *Tunc thesauri domus Dei tristitiam patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia petitionum.*

Ecclesiast. 32. v. 5.

6. Hinc intelligetis causam cur Deus frequenter nostras differat exaudire petitiones; id enim non alia de causa facit, quàm ob summum gustum & recreationem, quam à nobis recipit, quando per orationem ad ipsum recurrimus. Ita advertit Anselmus quod Dominus thesaurum suum abscondit, ut illius reddamur magis cupidi: recondit margaritam, ut in nobis crescat illius desiderium habendæ; differt dare, ut doceat petere: dissimulat quærentem audire, ut eundem in quærendo perseverantem efficiat: *Abscondis thesaurum tuum, ut invites cupidum: recondis margaritam, ut augeas quærentis amorem; differs dare, ut doceas petere; dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem.* Atque ad idem propositum notat S. Hieronymus quantum Deo perseverantia illius placuerit, qui nocturno tempore à suo amico tres panes petebat, de quo dicit, quod non fuit exauditus, eò quod amicus eius esset, sed quod importunus esset & obstinatus: *& si non dabit illi surgens, eò quod amicus eius sit, propter importunitatem eius surget, & dabit.* Noli timere dicit Hieronymus de hac importunitate valde enim necessitati tuæ est opportuna, nec non & gustui ac beneplacito divino convenientissima: *Huius amici ostium incessabiliter pulsare debemus, & horis eum inquietare nocturnis; & usque adeò molestiæ esse, ut importuni etiam iudicemur, sed non huius importunitatis vereamur offensam, quia hæc apud Dominum impor-*

Ansel.

Hieronim. Matth.

importunitas opportuna est. Hæc importunitas admodum Christo est opportuna, amorique suo fastidium quoddam est delectabile & sine fastidio; unde & illi præ ipsomet amico amica magis est & grata, siquidem ipsa, non verò amicus, à Christo exauditur: *Magna perseverantia est, quæ quamvis importuna est, quamvis molesta sit Deo, tamen plus amica est quam amicus; Ecce id quod negatur amico, perseverantia promeretur. Illi recusat de fiducia, huic de contentione compatitur; illi non largitur familiariter pulsanti, huic pertinaciter miseretur oranti.* In summa: Dominus preces nostras exaudire dissimulat, quia perseveranter vult esse rogatus: *Dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem.*

S. Bern. serm. 75. in Cant. Cantic. 2. v. 17. 3. v. 1. Cant. 8. v. 14. 7. Sic docet S. Bernardus, quod anima fidelis ad portam Dei frequenter pulset, & tamen reiiciatur, clamet, & non exaudiatur, replicet, videaturque tamen derelicta: *Revertere dilecte mi, assimilare Capreæ. In lectulo meo quæsivi, quem diligit anima mea, & non inveni. Non est reversus sponsus ad vocem & votum vocantis. Quare? ut exerceatur amoris negotium. Sane ergò dissimulatio est, non indignatio.* Non audit Dominus noster subitò, eo quod diu audire desideret, negligere videtur voces ad illum emissas, quantumvis & amorosæ illæ sint, ad hoc scilicet, ut in nobis amor magis excrescat: *Dissimulas audire petentem, ut facias perseverantem.* Unde tametsi

2. Reg. 24. v. 16. Deus Angelo præcepisset, ut reconderet gladium quem vibraverat, neque ultra populum pestilentia ferire pergeret: *Et ait Angelo percutienti populum, sufficit, nunc contine manum tuam:* Angelus ille nihilominus pergebat feriendo, uti advertit S. Ambrosius, & colligitur ex ipso contextu scripturæ; Nam postquam Dominus Angelo pugnam finire præceperat dicitur: *Dixit David ad Angelum, cum vidisset Angelum lædentem populum: Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi, isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Si ergò Angelus à Deo præceptum acceperat non feriendi, cur non obediebat? aut si mox obedivit, quomodo David illum vidit adhuc ferientem? Respondet mirabiliter S. Ambrosius id factum esse ab Angelo, eo quod hic apprimè nosset inclinationem Dei, qui tametsi admodum sit ad condonandum pronus, nihilominus adeò de oratione nostrâ delectatur, ut non condonet donec oratio nostra perfectè sit terminata: *Si mandaverat Dominus Angelo, ut parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? Nisi quia Dominus, & & si vult ignoscere, vult rogari, & ut rogetur hortatur.* Vult quidem Deus ignoscere, antequam tamen ignoscat precum nostrarum sacrificium exposcit. Orabat Rex David, ideòque orationem illius interrumpere non audebat Angelus, quippe quæ Deo adeò placeat, ut *dissimulet petentem, ut faciat perseverantem.* In Ps. 37.

8. Utique meministis, quod quando Isaias Regi Achaz dixit, ut signum aliquod à Deo peteret, ipseque respondit: *Non petam & non tentabo Dominum Deum.* Subiunxerit Propheta: *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* ô sancte Propheta quid dicis? videtur omninò contrarium dicendum. Rex Esa. c. 7. v. 13.

dicit: *Non petam*, ut non pariam aliquod Deo fastidium: Tu verò dicis quod eidem met Deo molestus fastidiosusque futurus sit non petendo. Explicemus hunc locum per alium quendam locum eiusdem Prophetæ: *Et vidit quia non est vir, & aporiatus est; quia non est qui occurrat.* Angustiatus & afflictus est Dominus, eo quod non reperiatur homo, qui Deum oratione mediante reconciliaret. *Desideravit aliquem virum iustum dicit* S. Hieronymus *qui sibi irato posset occurrere, & non invenit, & aporiatus est, quia non est vir qui occurrat. Aporiare* (inquit Hugo Cardinalis) *est laborare seu angustiari vel affligi. Quasi enim labor & afflictio grandis est Deo, quando nullus orando animadversioni eius obviat.* En ergò quomodo Achaz Deo molestus extiterit, non petendo aliquid à Deo, utpote cui nihil esse possit acceptius & gratius, quam rogari & precibus sollicitari; unde advertit S. Bernardus quod Christus, dum ambularet cum discipulis suis in Castellum Emmaus *simulabat se longius ire: non quia hoc volebat, sed volebat audire: Mane nobiscum Domine.* Eodem modo dicit Bernardus, videbatur quod Christus dum ambularet super aquas, vellet coram discipulis suis transire eosdemq; derelinquere, cum tamen hi intereà ex magna quadam maris tempestate gravissimè periclitarentur, id quod tamen minimè prætendebat, imò hoc solum curabat, erat, ut gaudio illo sibi frui daretur, quod ipse ex nostra oratione concipit: *Cum Apostoli laborarent in remigando, quasi volens præterire eos, nec tunc quidem istud volebat, sed magis probare fidem, elicere precem.* Undè magno cum acumine notat S. Basilius, quòd quando Deus post orationem concedit gratiam, non eam concedat tanquam gratiam, sed tanquam debitum; veluti debitam mercedem, non verò velut liberale donativum; veluti solutionem, non verò tanquam favorem. Sic David Rex dicebat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* Deus non tribuere, sed retribuere, non donare sed solvere dicitur, *pro omnibus quæ retribuit mihi*, præcesserat enim oratio nostra, quam ipse veluti beneficium acceptat singularissimum. *Etenim magnificus dator Dominus haud quaquam dictus est tulisse, sed retribuisse, ac si ipse non cœpisset prius gratiam in nos conferre.* Et sicut de Theodorico Italiæ Rege Cassiodorus dicit, hunc beneficentiam suam reduplicasse, siquidem ita illam donabat tanquam si ad illam elargiendam ex debito obligatus fuisset. *Nec benignitas vestra una remuneratione contenta est, honorem geminat, & studio donare parat, quasi debeat omnia quæ præstat.* Sic Deus se certo quodam modo debitorem nostrum recognoscit, postquam orationem recepit, quam ipse tantopere desiderat, ut concedens nobis ea, quæ postulamus, illa tanquam debita, non verò velut gratuita concedat: *Quasi debeat omnia, quæ præstat.*

In Isaiam. | Ser. 76. in Cant. | Orat. in Iulith. | Ps. 115. v. 12. | L. 1. var. v. 12.

9. Miratur Gregorius Nyssenus quod Dominus docens nos orare hisce utatur verbis apud Matth. *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Si enim hoc à me non dicatur, nunquid fieri potest, ut nomen Domini Dei sanctum non sit? nunquid nunc Regem vult fieri universorum regem, qui semper est, quod est?* Certum

De Beatit. Matth. 7.

tum est, nomen Dei sanctum revera esse, tametsi ego non orem, ut sanctificetur, neque Deus Rex esse desinet, ideò quod ego non postulem, ut ipse regnet. Quid est ergò quod in huiusmodi petitionibus nostris prætendimus? Nihil profectò aliud, quam interesse nostrum & commodum, id est, petimus, ut nos Dei voluntatem faciamus, ut sanctum eius nomen sanctificemus & benedicamus, ac denique ut illum in cordibus nostris regere & gubernare permittamus. *Sed quidquid nobis optamus*, dicit Tertullianus lib. de orat. c. 5. *In illum auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus.* Sicque cum ipsa Dei utilitate nostrum quoq; postulamus interesse & commodum, & quando oramus, videmur id facere Deo simul novos augurando honores, novas divitias, novam Maiestatem, novum regnum, idque totum ex suamet propria instructione, utpotè qui dixit: *Vos autem sic orabitis.* Quia ergò ipse ex nostris precibus adeò honoratus censetur & magnificatus, ideò illas tantâ instantiâ sollicitat: *Quicquid nobis optamus in illum auguramur.* An non meministis quod in Psal. 2. æternus Pater Christo filio suo dixerit: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*? gentes illæ hæreditates Christi erant, cur vult, ut illas postulet? gentes illæ suæ sunt, quomodo de iis tanquam non suis loquitur? Quis quærit, quod nunc de facto possidet? Quis postulat quod nunc suis tenet in manibus? *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Vult dicere: Tibi quidem hæreditas ista divinitatis titulo debetur, volo autem ut eadem orationis quoq; titulo tibi debeatur. Habebis illam quia Deus es, sed & illam quoque habebis quia orans es; Maior mihi nequit esse consolatio, quam quod te habeam filium meum; post hanc verò consolationem, nihil ex cæteris omnibus adeò me recreabit, quam si te quoq; coram me videro precatorem. Unde pro divinitatis tuæ satisfactione accipe regnum illud tanquam tuum, at verò, ut mihi quoque meum sit gaudium & satisfactio, illud quoque petas tanquam non tuum.

L. de ora. c. 5.

10. Porrò, ut hanc partem aliquando finiam, pro summa orationis exaltatione verba Dei apud Zachariam serviunt: *Effundam super David, & super Ierusalem spiritum gratiæ & precum.* q. d. Effundam super Ecclesiam spiritum meum, qui spiritus precum vocatur, quia fideles semper ad orandum impellit. *Spiritum precum*; Non dicit spiritum mortificationis, non eleemosynæ, non compassionis in necessitatibus proximorum, non fortitudinis in tantis periculis, non perseverantiæ inter tot adversa occurrentia, sed spiritũ orationis, utpotè qui adeò sibi placet, quamque fidelibus suis ea ratione inspirat, quasi vellet eos orare continuò. Ideo simul coniungit spiritũ gratiæ & precum, orationi namq; cõiuncta est gratia, quia quisquis Deum orat, singularem apud Deum sibi conciliat gratiam.

Zach. 12. v. 10.

11. Quæ cum ita sint, cur non dicamus bonam esse orationem, eo quod bonum cõtineat honestum, atq; Deo per illam id demus, quod tantoperè desiderat, totiesq; postulat? *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo* Ps. 49. v. 14.

voratua. Non opus est in Arabiam cōtendere pro inquirendis, quæ Deo tuo offeras, odoriferis incensis multo minus ad bovile recurrere ad comparandam tibi, quam sacrifices, vitulam; neque ad thesauri tui gazam, qualem fortasse nequaquam habes, ut illum aureo aut argenteo honorare possis donativo: *Habebat hoc sacrificium laudis Zachæus* (verba sunt Augustini) *in patrimonio suo, habebat vidua in sacello suo, habebat, nescio quis, pauper hospes in dolio suo.* Multi certe fuerunt, qui ex rebus suis sacrificium Deo dare potuerunt, sive id modicum sive magnum futurū fuisset; at vero alius qui nihil omninò habet, quid faciet? Respondet Augustinus: *Alius nec in patrimonio, nec in sacello nec in dolio suo aliquid habebat, totum habebat in animo suo, O sacrificium gratuitū.*

In Ps. 49.

12. Accedo nunc ad bonum utile, quod similiter oratione mediante obtinetur: *Bona est oratio: venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Revera namque quid uspiam in mundo reperiri poterit adeo proficuum, quam ipsa est oratio quæ Domina est, omniumque gratiarum divinarum dispensatrix? Ecce quam id clarè dixerit Ruffinus presbyter Aquileiensis. *Nihil utilius potest facere servus Dei in hoc sæculo quam orare Deum?* Si enim oratio tantoperè Deo placet, uti iam diximus, certum est quod in virtute & valore illius, ipse semetipsum acquiri permittat, sicq; Domina facta ipsius Dei, Domina quoque erit totius universi. Audite hac in re S. Augustini testimonium *Cum tu me inquiris, me acquiris.* Hęc est sacrificium quotidianum, quod cœlum placat. Hæc est musica illa tantoperè Deo placens, ut illam in capella sua semper resonare cupiat. *Semper laus eius in ore meo.* Hæc est gladius Moysis, quæ absq; ulla sanguinis effusione Amalech vincit. Hæc est clavus ille fortissimæ Jaelis, qui tēpora Sisaræ transfigens populum Dei libertati restituit. Hæc est virga Aaronis, quæ tanta in Ægypto mirabilia operatur. Hæc est sonus cytharæ illius Davidicæ, quæ spiritus infernales incantat. Hæc est resonantia tubarū Gedeonis, quæ tantum inimicis familiæ Domini nostri terrorem iniicit. Hæc est sonus muros Jerichontinos deiiciens. Hæc est clamor Israelitarum, qui exercitui Philistinorum tantam confusionem immittit. Hæc est incantatio Danielis, quæ crepare facit serpentes, & Beli statuam præcipitat in ruinam. Hæc est ros ille, qui fornacis Babylonici extinguit incendia. Hæc est illud Eliæ sacrificium, super quod ignis è cœlo decidit. Liceat ergo mihi cum S. P. Augustino dicere: *Quid est oratione præclarius? Quid vitæ nostræ utilius?* Si conscendo in cœlos, video ibi Angelorum manibus confectum manna: Eadem quoq; orationis est opera: *Petierunt & pane cœli saturavit eos.* Si transeo ad Planetas, reperio de illis scripturas referre, quod à magno illo belli duce in medio eorundem cursu firmati sint; sed firmat eosdem quoq; oratio: *Et stetit sol obedienæ Deo voci hominis.* A cœlis ad elementa cum descendo, illa à Moyse in Ægypto omnino alterata atq; in confusionem redacta reperio: sed idem quoq; ab oratione patratur miraculū: *Clamavit Moyses ad Dominum fecitq; Dominus iuxta verbum Moysis.* Si cōtemplor ignem, illum intueor in fornace Babylo-

Secundū punctum.

In Ps. 60.

Orat. de 5. hæresibus.

Hom. SS. Ap

Tract. miser. to. 10.

bylonico ab aura flante refrigeratum, atq; ab infrigidantibus flabellis mitigatum, sed & idem orationis est prodigium: *Tunc hi tres clamabant & benedicebant Dominum.* Si ad aera ingredior, reperio inde Simonem Magum à Simone Petro præcipitatum: verùm quod illum maximè præcipitem egit, fuit oratio, nam ut dicit S. Maximus Hom. 5. de SS. Apostolis: *Petrus flexis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta, vicit magicam levitatem; prior enim ascendit ad Dominum oratio, quam volatus.* Si mare traiiciam, mox Ionam Prophetam in ceti ventre securum cōspicio, sed severitatem istam non nisi ab oratione obtinuit: *Et oravit Ionas ad Dominum Deū suum de ventre piscis.* Imò erit ne in terra ista locus aliquis, in quo potentiam suam non monstravit oratio? Eritne status aut professio, quæ mirabiles illius effectus nō millies experta sit? Eritne aliqua in terris necessitas, quæ per ipsam non sit sublevata, an gratia aliqua dabitur, quæ ipsa mediante à Deo impetrata non sit? Orat Enoch & translatus est in Paradysum. Orat Abraham, & in ætate decrepita filium impetrat. Orat Joseph, atque à fratrum suorum malignitate liberatus est. Orat Jacob, & Esau furibundi rabiem evincit. Orat Moses, Deumq; in rubo conspicit. Orat Anna, moxque Prophetæ insignis fit mater. Orat David, & gravissimum eius peccatum illi dimissum est. Orat Sara, & Dæmonem vincit Asmodæum. Orat Esther, atque populum suum à morte liberat. Orat Tobias, & visus sui lumen mox recipit. Orat Judith, illiq; soli adversus integrum exercitum victoria conceditur. Orat Salomon, & tanta in copia sapientiam recipit, ut omnes mundi huius sapientes immensum superet. Orat Ezechias, vitæque suæ quindecim annos insuper adiectos obtinet. Orat Daniel, atq; famelicos inter leones securus existit. Orat Ezechiel, & gloriæ currum videre meretur. Orat Elias, atque pro suo arbitrio cœlum claudit & aperit. Orat Ecclesia, & Petrum è carcere liberat. Orat Petrus & Tabitham viduam ex ipso sepulchro evocat. Orant Apostoli, atque adventum impetrant Spiritus Sancti. Orat Magdalena, & germano suo Lazaro vitam obtinet. Et quid dico? septem illæ Dei populo inimicæ gentes, scilicet Gerezæus, Amorrhæus, Hethæus, Hevæus, Jebusæus, Chananæus & Phærezæus, qua alias ratione devictæ fuerunt & domitæ, præterquam solius orationis fortitudine? En tibi ipsummet scripturarum oraculum: *Vicit autem turbas non in virtute corporis & armatura potentiæ: sed verbo & oratione*; Dicat ergò S. Ioannes Chrysostomus de oratione loquens, non enim tantum de illa dicet, quantum diu merito posset & deberet: *Aptissima arma oratio est, thesaurus certè perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietis, occasio tranquillitatis, deniq; author, parens, fons, & radix bonorum omniū & innumerabilium oratio est.* Oratio est armatura quædam, quæ ab omnibus nos defendit periculis: Et thesaurus nullo unquam tempore deficiens. Est opulentia omnibus serviens necessitatibus. Est portus ab omnibus procellarum tempestatibus, præservans omnis pacis est occasio, est vitæ tranquillitas, omnium gratiarum est mater,

Hom. 5. de SS. Apost.

Tract. ... nis. ... 0.10.

Sap. 18. v. 22.

Orat. 4. de incomprehen. Dei natura.

ter, fons omnium divinorum beneficiorum, omniumq; bonorum fœcundissima radix.

13. Super omnia tamen prædicta notate, obsecro, qualiter Chrysostomus orationem divitiis comparet & pecuniæ, *oratio divitia inexhausta*; sicut enim qui denarios habet, omnia possidet, sic qui orationem habet, possidet, quantum desiderare novit. *Cornu Amalthea ei præsto est, cui pecunia est*, dicebatur antiquo olim proverbio, uti enim fabulantur Poetæ, Iupiter Amaltheæ nutrici suæ ex gratitudine cornu illud concessit, è quo omne, quod desiderare poterat, eliciebat. Sed relictis fabulis istis, nos maiori cum veritate dicamus; *Cornu Amalthea præsto ei est, cui oratio est.* Oratio namque, utpotè, quæ thesaurus est inexhaustus, possessori suo quicquid ardentissimis novit concupiscere desideriis, subministrat. Annon Dominus ipsemet hanc veritatem enunciavit quando dixit: *Quodcunque volueritis, petetis & fiet vobis.* Ioan. 15. v. 7.

Multa loquor, nummis quidvis præsentibus opta,
Et veniet: clausum possidet arca Jovem.

Petron. Arb. Dixit olim Petronius Arbiter: possumus autem maiori cum ratione dicere: Quidvis precibus præsentibus opta & veniet. Qui pecunias habet, omnia habet, qui orationē habet, in manu sua modū tenet possidendi omnia.

14. Videam⁹, si ita placet vobis, pulchrum hac in re exemplum in populo Hebræorum, cuius necessitates David Rex Psal. 106. describit: Sustinuerunt, inquit Propheta, in solitudine mille labores, circumvagantes per loca sylvestria atq; inaccessa absq; ullo prorsus cibo & potu: *Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt. Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis defecit.* Ps. 106. v. 4. & seqq. Quale hic remedium? Oratio: *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.* Oppressi fuerant à molestiis intolerabilibus, adeò ut infirmati fuerint, idque absq; ullo prorsus auxilio aut sublevamine: *Humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt, nec fuit qui adiuvaret.* In quod ergò sic afflicti se receperunt refugium? ad orationem: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Accidit illis tanta ciborum nausea, ut ad ipsas portas mortis usq; perducerentur: *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usq; ad portas mortis.* Sed ubi pro hoc malo pellendo repererunt opem? Nusquam, certè nisi in sola oratione: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.* Horribilia in mari experti sunt naufragia: & veluti amentes inter procellas omni destituti sunt consilio & prudentia: *Ascendunt usque ad cœlum, & descendunt usq; ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius & omnis sapientia eorum devorata est*, sed quibus adversus hæc infortunia usi sunt remediis? oratione. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Concludit ergò Rex David hæc omnia hisce verbis: *Confiteantur Domino misericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum.* Circa quæ verba glossa S. Augustini ita loquitur: *Ille ametur in* In Ps. 106.

omni

omni nostra liberatione, qui est invocatus in omni nostra tribulatione. Laus perennis sit illi Domino, qui nos liberavit invocatus à nobis, à nobis item semper misericors probatus. *O rem mirandam!* rationabiliter exclamat Gregorius Nyssenus, *unica vox ad Deum imò ex pectore emissa, omnia in melius cõmutavit.* Sola & unica oratio est, quæ omne bonum populo Hebræo acquisivit, Pacem videlicet in bello, quietem in laboribus, in adversis fortitudinem, in exilio patriam, portum in naufragiis, in fame cibum, in ignominiis gloriam, fœlicitatem denique in fortuniis. *Oratio divitiæ inexhaustæ.*

De orat.

15. Vidimus orationis in favorem populi Dei fortitudinem, nunc quoq; eandem in favorem populi, qui inimicus Dei extitit, exhibitam dispiciamus. Quam aspere & variè ob Regis Pharaonis duritiem & obstinationem flagellata fuit illa Ægypti patria? Annon erat, dicit Ambrosius, intra brevissimi temporis periodum horrendissimum videre spectaculum, discurrentem videlicet per ingentis illius provinciæ campos & rura effrænem omnipotentis Dei iram eademq; novis & hacten⁹ nunquam visis plagis adimplentem? in cœlô tenebras, muscas & locustas in aere, in aqua sanguine, ranas in terra, in plantis grandinem, in herbis locustas, pestem in animalibus, vesicas in hominibus, in primogenitis deniq; mortem. Dic autem nunc, sodes, quis gravem hanc ærumnam, illasque formidabiles procellas composuit? Quis Ægypto Ægyptum restituit, eandemque desolatam, uti erat, ad pristinam redegit fœlicitatem? Quis iræ Dei ingentes flammas compescuit, atque è manibus eiusdem elicuit pro illis eam alias non adeò promeritam pacem? Quis ingratis illis perditas restituit gratias, portamq; tantis plagis reclusit? Aliud certè nihil præterquam sola optimi Moysis oratio, quæ quoties Deus ab impiis provocatus Iustitiæ suæ gladium manu præhendit, toties vi precum suarum eundem è manu illius iterum sustulit: *Contrita erant super terram omnia, rogavit Moyses, & universa in suam gratiam reversa sunt.* Concludamus ergò, quod *oratio inexhausta sint divitiæ.*

Li. 3. de offic.

16. Postquam templi fabricam cõsummasset Salomon, in totius populi præsentia, longam recensuit earum gratiarum seriem, quas Deus in tali loco daturus esset: si innocens quispiam, dicebat Salomon, angustiatus fuerit ab impio aliquo, ibi innocens Anchoram deprehendet refugii: impius verò promeritum inveniet supplicium, si ira exigentibus peccatis ab inimicis superatus fuerit populus, atq; in loco hoc cum vera cordis pœnitudine ad Deum recurrerit, omnem ibi reperiet propitiationem. Si cœlum, non dando pluviam oportunam, visum fuerit quasi æneum, ibidemq; ante tuum, ô Domine, altare precati fuerint, tu cœli mox catharactas aperies, eisque aquam dabis salutarem. Si pestilentia venerit, aut fames, aut inundaverint locustæ aut bruchi, aut inimici ad destruendam omnem circa regionem, certum pro his omnibus in loco istô invenient remedium. Imò si advena & peregrinus, qui de tuo populo non existit, suis in necessitatibus

ad

ad templum istud pervenerit, propitium te ibidem semper reperiet, & benevolum. Ad hæc si populus Hebræorum, cum ad bellum egressus fuerit, suisque in conflictibus & certaminibus, ad hunc locum sacrum se etiam ex longinquo converterit, impetrabit victoriam si nos ob offensarum nostrarum multitudinem in manus inimicorum dederit, & captivi effecti fuerimus, non nemo tamen ex nobis, in benedicto isthoc templo, preces tibi devotas contrito ex corde obtulerit, libertati pristinæ utiq; restituemur. Sed quo nomine templum istud, undè nationis Hebrææ omne bonum dependebat, appellabatur? An fortè portus salutis? Armamentarium, in quo omnia contra inimicos fabricata arma recondebantur? Bonorum cœlestium dispensatorium? Populi granarium? Ærarium gentium? in calamitatibus Asylus refugii? Domus benedictionis? Nullum profectò, omnium istorum nominum templo dabatur. Quo nomine ergò appellatum fuit? vocatum est domus orationis: *Domus mea domus orationis vocabitur*, nomen istud enim omnia in se includit, quippe cum indubitatum sit illud Augustini testimonium, qui orationem vocitavit omniũ cœli gratiarũ clavem: *Oratio iusti clavis est cœli: ascendit deprecatio descendit Dei miseratio. Oratio divitiæ inexhaustæ.*

17. Revocate obsecro in memoriam orationem illam quam Ezechias optimus ille Rex tunc fecit, quando post receptas à Sennacherib Rege Syriæ literas blasphemiis adversus Deum, & minis contra homines, refertissimas, ad sacrum templum ascendit, iisdemq; literis coram Domino sic apertis & explicatis, causam suam per ferventissimas preces in divinas eius manus consignavit. *Cum accepisset Ezechias literas de manu inimicorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & oravit in conspectu eius.* 4. Reg. 19. v. 14. Fueruntque huius pientissimi principis orationes adeò efficaces, ut in cœlo exauditæ obtinuerint, quod Angelus de cœlo descenderet, atque intra unius brevis noctis succinctum spatium universum inimici exercit⁹ militem occideret. *Non verba verbis*, dixit Egesippus *nec arma armis referenda credidit, sed exurgens cilicio se ut scuto induit: pro galea cinere caput texit: pro iaculis orationem intorsit. Cæsa per noctem centum octuaginta quinque millia Assyriorum cadavera numeravimus. Ascendit oratio, descendit Angelus.* L. 1. c. 16. O quantis opus fuisset ad inferendum adeò numeroso exercitui bellum, nisi id compendiosè præstitisset oratio? Quâ non ferociâ aut quibus non ausibus opus fuisset, ad resistendum copiis adeò ex numerosa sui multitudine præsumptuosis, insolentibus ex victoriarum frequentia, adeò ex ardenti opulentorum spoliorum concepta spe animosis? Quod non condensari gentes debuissent, ne hostili exercitu numero extitissent inferiores? Quæ non armaturæ genera provideri debuissẽt? Quâ non opus fuisset machinarum varietate? quibus non locis pro hospitiis, quibus nõ indiguisset pecuniis pro expediendis singulorum stipendiis? Sed omnia isthæc summa cum celeritate vis providit orationis. *Ascendit oratio & descendit miseratio. Ascendit oratio & descendit Angelus. Oratio divitiæ inexhaustæ.*

18. Atque

18. Atque non minus prodigiosum profectò extitit memorabile illud Elisei factum qui dum ab ingenti exercitu perquireretur intra urbem Dathan, atque in extremo vitæ esset periculo, spoliatus omni cuiusvis gentis subsidio, omni societatis, præterquam unius duntaxat servuli, custodia, omnique destitutus auxilio, solitâ suâ in cœlum fiduciâ ad Deum se vertit, ab eoq; petiit, ut omnem gentem istam oculorũ orbaret lumine, eandemque mox gratiam obtinuit: *Percute obsecro gentem hanc cæcitate, percussitq́, eos Dominus ne viderent iuxta verbum Elisei.* O admirabile spectaculum! videre scilicet exercitũ quendam floridum & copiosum, miraculosis attamen tenebris, veluti catenis, cinctum; confligendi & pugnandi avidum, atqui cœcæ cuiusdam noctis caligine vinctum; omni necessaria provisum suppellectile, lumine tamen oculorum orbum; militiæ peritissimum, armorumque tractandorum experientissimum, at cœcum; mille machinis bellicis ad aggrediẽda mœnia instructum, sed visu privatum; *Ubi sunt, qui dicunt plus quam preces sanctorum hominum, arma posse?* (sunt verba Ambrosii) *Ecce una oratio Elisei totum exercitum vulneravit: Quæ catena regum? quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt? hæc est vera, hæc incruenta victoria ubi sic adversarius vincitur, ut de vincentibus nullus lædatur. Oratio divitiæ inexhaustæ.*

4. Reg. 6. v. 14.

16.

Ser. 1. de Eliseo.

19. Erit quoque hæc orationis fortitudo & valor, in muliere quadam omnibus haud dubiè admirabilior. Annon enim invictissima illa Judith, per mediam armatarum copiarum aciem secura pertransiit? Annon in ipsa militaris insolentiæ libertate castitatem suam intactam servavit? Annon puram se atque illibatam in barbari cuiusdam vino & concupiscentia exæstuantis hominis consortio custodivit? Annon in fœmineâ suâ dexterâ talem se probavit, ut palmam eidem in æternum cessuri sunt excellentissimi universæ terræ Heroes? extraordinarium requiritur robur & fortitudo ad evincendum floridæ militiæ, virtutisq; veteranæ ac probatæ exercitum: at ipsa mulier erat. Ad discooperiendas astutas Capitanei cuiusdam practici atque inter arma inveterati technas, prudentia & sagacitas postulatur minimè vulgaris: ipsa verò iuvencula erat. Ad dissolvendos eiusmodi exercitus, qui vastos quasi obtegunt campos integraq; ac ingentia epotant flumina, non qualiscunque sufficit militum numerus; ipsa autem sola erat absque omni comitatu, præterquam unius duntaxat vilissimæ ancillæ. In milite requiritur truculentia & ferꝰ in vultu rigor, flamma & terror in oculis, in fronte torvitas; ipsa verò placidi atque sereni vultus erat, atq; incomparabilis, nec hactenus unquam visæ pulchritudinis. Confligentium propria sunt thoraces Chalybæi, expoliti enses acutissimi, temperatæ laminæ ferreæ, ex crebris annulis contextæ loricæ; atqui ipsa tota auro gemmisque cooperta erat; & tamen Judith ista totum Holofernis exercitum vicit, stravit, atque patriam suam ab imminenti periculo eripuit; idque fecit, cum esset fœmina iuvencula, sola, pulchra & mirè exornata; quâ autem id præstitit potentiâ, præ-

terquam in orationis vi & potestate? *Prosternens se Domino clamabat ad Dominum*, dicit sacer textus. Et ecce victoriosa & triumphans in patriam reducitur, manu sua horridam deferens infœlicis Holofernis calvariam! Ecce universorum civium encomiis celebratur & laudibus! Ecce mediante oratione salvatur, dum interea inimicus suus ab integro salvari haud potuit exercitu. Verum loquatur hac de re S. Augustinus. *Cum palmifera castitate Iudith ad cives sollicitè festinat, iam recipit attonita civitas tantæ victricis reditus triumphales. Iam luctus convertitur in gaudium. Vbi enim assiduis pulsatur: orationibus cœlum, potentia calcatur armorum. Ecce gloriosa fœmina castitatem servavit oratio, & hostem servare non potuit multitudo.* Agedum igitur tua ad cœlum ascendat oratio, ut de cœlo divina descendat benedictio. Ibi namque S. Hieronymus pulchram illam serenissimi Davidis notat antithesin: *Benedicite Dominum: Benedicat tibi Dominus, ut dum tu benedicis illum, tu benedicaris ab illo.* Orate, nam oratio vestra nunquam fructu suo destituetur, benedicetis enim vos, eritisque benedicti: *Tu benedicis Dominum, & Dominus te benedicit.* Concludo ergò, & bene quidem, uti existimo, cum Petro Chrysologo Ser. 43 qui rationabiliter admodum illos reprehendit, qui in sancto isthoc orationis exercitio otiosos se exhibent & torpidos dicens: *Quid de adversis queritur, qui sibi prospera non precatur?* Cur de vitæ huius adversitate lamentaris, si tibi de certis orationis remediis non prospicis, clavis Paradisi in manu tua est, quod si tu proindè illum non aperias, atque inexhaustas inde non capias tibi divitias, quarum paradisus ille plenus est, tuæ negligentiæ culpa imputanda venit. Si fragilis es, ideòque faciliter cadis, cur de fulcro non es sollicitus? Si tentantes te habes inimicos, cur defensionis tuæ arma spernis? si in medio periculorum consistis, cur ad salvationis tuæ portum non recurris? qui est oratio. Audiamus vocem Dei monentis: *Orate, ne intretis in tentationem; in tentationem vadit, qui ad orationem non vadit*, dicit idem Petrus Chrysologus. Samson Dei Nazaræus quoadusque capillos quibus omnis eius fortitudo inerat, conservavit, omnes inimicorum suorum technas superavit; capilli secundum Joachimi Abbatis interpretationem sanctæ sunt orationes, quibus tota inest servorum Dei fortitudo: *Necesse est, ut mens fortis viri sanctis & Deo dignis meditationibus implicetur, alioquin, ut ruat, necessarium est, qui abraso interiori capite fortiter se posse agere, & in solo stare præsumit.* Brevius id edixit Hieronymus: *Porrò Samson quoniam perdidit comam, perdidit fortitudinem.* Et certum est, dilectissimi, quod qui orationem perdit, perditurus sit fortitudinem, victusque erit ab hominibus per insidias, qui Deum vincere noluit per orationem, atque ab infernali violentia expugnatus remanebit, qui cœlo per orationem facere violentiam noluit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ.*

Iudith. 9. v. 1.

Ser. 228. de temp.

In Ps. 133.

Ser. 43.

Is. 56. v.

In Apo.

Tract. orat.

PARS SECUNDA.

20. Superest nunc tertium bonorum genus, quod est bonum delectabile, quod non minus in manu est ipsius

Tertium punctum

ipsius orationis, quæ fons est purissimarum & suavissimarum delectationum. Unde Dominus Deus per Isaiam dicebat *Lætificabo eos in domo orationis meæ*. q. d. Dabo inusitata gaudia servis meis, quæ tamen non nisi in domo orationis meæ daturus sum, audi Christiane, ubi sit verorum gaudiorum oriens, non in huius mundi tripudiis, neq; in delectationibus sensuum, nec in suavitate conversationum, nec in aulis Principum terræ huius, nec denique in domibus eorum, qui fœlices sunt in hoc sæculo, *sed in domo orationis meæ*. Aliqui sibi persuadent iucunditatem aliquam se inventuros in divitiarum abundantiâ, in splendore dignitatum, in honoris gradibus, in claritate nominis seu famæ, in amicorum copia, aut vasallorum obsequiis, verùm à consiliis suis merè decipiuntur, cùm in illis nullum verum positum sit gaudiũ. Ubi ergò? *In domo orationis meæ*. Gaudent, aut saltem gavisuros se sperant docti in scientiis suis, in victoriis milites, mercatores in lucris, in pompis nobiles, plebei in rerum abundantiâ. Sed, ô stulti, id, quod quæritis, ibi minimè repositum est. Ubi ergò id reperiemus, quod tantoperè nostras excitat cupiditates, & desideria nostra accendit? *In domo orationis meæ*. Audiamus, obsecro, hac de re discurrentem Cassianum, qui ita loquitur: vides hortum quendam florum, in cuius medio fons quidam limpidissimus scaturiens existat, qui varios per torrentes, vitales humores suos, in omnem plantam horti illius abundè distribuit: si autem fons ipse quovis ex eventu defecerit, omnes mox frondes impallescunt, languent omnes flores, omne germen siccatur, moritur omnis planta: sicut è contra ad aquæ reditum, aut influentiam, omnia pristinum suum recuperant colorem, iucunditatem, pulchritudinem, risum, vigorem & vitam. Talis fons, dicit Cassianus est oratio, hac enim in corde iusti iucundè erumpente & fœcundis rivulis scaturiente quæ inibi non pariuntur gaudia? Quæ fiducia non excitatur? quæ non accenditur perseverantia? quibus non satisfit desideriis? quæ non indulcorantur amaritudines? quæ passiones non sopiuntur aut extinguuntur? quæ non corroboratur infirmitas? *Lætificabo eos in domo orationis meæ*.

Is. 56. v. 7.

In Apoc.

Tract. de orat.

Tertium punctum

21. Rex sanctus de Israele dicebat: *Lætifica animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi*. q. d. ô Domine, per orationis alas exaltavi ad te animã meam, tu illam consolatione tuâ lætificare digneris. *Indulcari voluit* (exponit Augustinus ibidem) *& quæsivit fontem dulcedinis*, q. d. cupiens rem dulcorari, ad omnis dulcedinis fontem recurrit. *Levavi animam meam ad te. Iucundam eam*, dicit Augustinus, *quia ad te levavi eam. In terrâ enim erat, & in terrâ amaritudinem sentiebat, ne in amaritudine contabesceret, ne omnem tuæ gratiæ suavitatem amitteret, levavi eam ad te, iucunda eam apud te, solus enim tu es iucunditas, amaritudine plenus est mundus*. Atque in scripturis, ut idem Augustinus inquit; toties admonemur, ut corda nostra sursum elevemus: *Certè rectè admonet membra sua, ut sursum cor habeant. Audiant ergò & faciant, levent ad cœlum, quod malè est in terra*. Quoadusque cor tuum in terra steterit, amaritudine plenum erit:

Ps. 85. v. 4.

Aug. in Ps. 85. v. 4.

erit: tu ergò ad cœlum illud eleva, ubi præter dulcedinem nihil est. *Latificabo eos in domo orationis meæ.*

22. Theodoretus refert, sanctum quendam monachum dicere solitum, orationem medicinam esse, ab huius tamen terræ medicamentis valdè dissimilem, quæ non omnia pro omnibus, & singulis valent morbis, sed unum uni morbo medetur, alterum alteri. Oratio verò una quædam est potentissima medicina, quæ omnibus cordis malis medendis efficaciter servit: *Omnipotens oratio, cum sit una, omnia potest.* Est aliquis subtristis & melancholicus, quia perdidit filium, huic melancholiæ nullum servit remediū, donec suum coram se intuitus sit filium. Alius res suas amisit, indeque dolet, dolorem autem illum nunquam dimittet, nec se contentum inveniet, donec, quod perdidit, rebus suis reaccedere conspexerit. Alius tristatur & mœret, quod in honore suo læsus fuerit; huic suus restituatur honor, & pariter reddetur lætitia. Non verò ita est cum oratione, hæc enim universalis quædam est omnium cordium consolatio, omniumque amaritudinum antidotum præsentissimum. *Omnipotens oratio, cum sit una, omnia potest*, una quidem est in se, at verò non uni tantum huius vitæ vulneri medetur, sed omnibus in universum. Ipsa est pauperibus thesaurus, viaticum peregrinis, derelictis grata societas, lætificatio oppressis, viduis solatium, securitas pupillis, naufragantibus portus, pascua famelicis, confligentibus fortitudo, conflictum sustinentibus defensio, fortitudo debilibus, indignabundis omnimoda satisfactio. *Omnipotens oratio cum sit una omnia potest.* Ab oratione in carcere Petrus consolatur, nec carceres sentit; lapidatur Stephanus, ipsique lapides, quibus petitur, dulces esse incipiunt; crucifixus Andreas, nec crucis experitur cruciatum: Naufragatur Paulus, omnique fiducia & iubilo plenus perseverat: cōdemnatur ad mortem Mardochæus, ipse tamen vitæ suæ permanet securissimus. In puteum quendam Jeremias sepelitur vivus, inibique non aliter ipse quàm in cœlis beati, gaudet. Regno David pellitur, & tamen præ omnibus Regibus suam habet animi satisfactionem & quietem: Daniel in medio leonum consistit, coram quo tamen leones agno mansuetiore se vadunt. *Omnipotens oratio, cum sit una, omnia potest.*

In hist. relig.

23. Ad orationem nos sanctus David invitabat Psal. 94. quando dicebat: *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. Invitat*, dicit ibidem Augustinus, *ad magnas epulas, exultando non sæculo sed Domino.* O delitiosum orationis convivium, in quo tam delicata apponuntur fercula, quæ omnis sæcularis dulcedinis nauseam meritò ingerant degustanti. Ideò namque subiungit S. Augustinus, quod *piè debes Deo exultare, si vis securus mundo insultare*: Si Deo exultaveris, insultabis mundo, ipsique iusto cum contemptu dices: *Quid tu mihi*, ô munde fallax, proponere poteris ex omnibus, quæ tantoperè appretiaris, bonis, quæ in comparatione cum veris solidisque, quas ab oratione participo, delitiis, nil aliud sunt, quam somniata stultitia? Tu favorem magnatum magni facis, sicut & potentum

Psal. 94. v. 1.

In Psal. 94.

tentium

tentium adminicula, ego verò oratione mediante, non iam solam servitutem, sed quod omnem fidem superat, universorum Regis amicitiam assequor, atque cum hac familiaritate, quam mihi continui cœli exhibent favores, Deo facie ad faciem loquor, humanissimè ago cum Christo, cum B. virgine totius mundi Domina fiducialissimè confero, denique cum totâ Paradisi curiâ familiarissima mihi est negotiorum communio, delitiis ab eadem delinitus continuis, mirèque amatus. Id quod hic dicimus, gravi testimonio suo confirmat S. Chrysostomus: *Considera inquit quanta tibi concessa fœlicitas, quanta gloria attributa orationibus. Fabulari cum Deo, cũ Christo miscere colloquium, petere, quod velis, quod desideras, postulare.* Tuæ ô fraudulente mũde cogitationes tunc acquiescunt, quando discurrere possunt per magna prædia & bona, quæ possides, per vastas tibi subditas Provincias, perampla, quæ inhabitas, palatia, per opulentam suppellectilem, propter quam ab aliis beatus diceris; sed quid est totum istud, si conferatur cum fœlicitate servorum Dei orationi totaliter deditorum, qui per amplissimas Empyrei transeunt regiones; per pulcherrimos attributorum divinorum hortos discurrunt; ponderant beneficia, & gratias suas; regiminis sui, quo gubernantur, providentiam contemplantur; iudiciorum item suorum Maiestatem, operum suorum harmoniam, veritatem verborum suorum, iustitiæ suæ rectitudinem, ac dulcedinem clementiæ. Et quid est ulterius ô in mũde munde, inter delectationes tuas, de

L. 2. de orando Deo.

Psal. 9.
1.
Ps. 9.

quo gloriari possis? Fortè de spectaculis, à quibus curiositas humana tantopere decipitur? verum si spectacula isthæc conferas, quæ lux orationis mihi repræsentat, tunc, cum ad vivum mihi depictas exhibet ordinatissimas beatorum spirituũ Hierarchias, quando ob oculos statuit pulchras victoriosorum pugnatorum, stolas suas in sanguine agni lavantium congregationes, quando seniores coronatos, venerandos divini tribunalis Senatores, quando denique fortunatorum illorum civium qui numerum non habent, varietatem videndam præbet, dices non invitus huius mundi spectacula, non nisi puerilem lusum existere. Tace ergò, ô infœlix munde, tace inquam, opulentæ enim orationis divitiæ omne thesauris tuis tollunt pretium, cantus tui in comparatione illius harmoniæ quam pium cor aliquod coram Deo percipit, planctus sunt non cantus. Odores tui fœtores sunt & purulentiæ, quando thuribula aurea, plena aromatibus cœlestibus, *quæ sunt orationes Sanctorum*, odoris sui fragrantiam spargere incipiunt. Epulæ tuæ, frugale, parcum, modicum ac tenue mancipiorum sunt prandium, quando mentio fit de conviviorum delitiis, ab oratione animabus verè devotis accelera-tis; *Piè debes Deo exultare, si vis mundo insultare. Lætificabo eos in domo orationis meæ.*

24. S. Iacobus Apostolus dicebat: *Tristatur aliquis vestrum? Oret.* q. d. Si quis vestrum melancholiâ premitur, ad orationem se recipiat moxque lætificabitur. Ita David faciebat, quando dicebat Psal. 76. *In die tribulationis meæ*

Iacob. 5. v. 13.

Ps. 76. v. 3.

Deum exquisivi manibus meis, & non sum deceptus. Ego Deum exquisivi ad me lætificandum, neque id faciens falsus sum; siquidem omnis in Deo lætitiæ fontem inveni. *Renuit consolari anima mea*, hoc est: Anima mea nusquam cõsolationem aliquam, quæ suos mitigare possit dolores, invenit. Quid ergò tunc demum fecisti? quo te vertisti? Quodnam cœpisti consilium? certè non aliud, quam orationis remedium. *Memor fui & delectatus sum*; ad Deum recurri, atque illud in Deo remedium inveni, quod in nulla alia creatura invenire potui; *ô facilem & parabilẽ medicinam* (exclamabat S. Greg. Nazianzenus) *O celerem curandi rationem! ô egregiam beneficii magnitudinem! quid memoria paratius? Memor esto Dei tu quoque, & delectaberis.* Impossibile est faciliorem aut minus sumptuosam invenire medicinam. Non opus est, ut illam inter camporum pratorumve herbas perquiras, nec in terræ mineralibus, neq; in mundi simplicibus occultis, neque in pharmacopolii compositis, mentem duntaxat ad Deum eleva, idque sufficit. *Memor esto Dei & delectaberis.*

Orat. ad suos cives.

Delectatus sum & exercitatus, hunc locum S. Augustinus ita legit: *Delectatus sum & garrivi*; *Quid est, garrivi?* dicit S. Augustinus: *Lætatus sum, exultavi loquendo: Garruli enim propriè dicuntur, qui à vulgo verbosi appellantur, accedente lætitiâ nec valentes nec volentes tacere.* q. d. Tantam sensi in me cordis mei lætitiam, dum me in oratione ad Deum verterem, ut eandem in eodem corde meo continere non valuerim, ideòq; mihi necessum fuit, ut eandem exhalarem quoque ore meo: *Delectatus sum & garrivi*, me continere nequivi, quia loquerer, imò, quin garrulus, loquax & verbosus evaderem: *Tristatur quis vestrum? oret.* Equidem minus in præsentiarum facere nequeo, quam ut exemplum illud matris Machabæorum adducam in medium, de qua Marcus Victorinus, de constantia ultimi eiusdem filii loquens, dicit, tàm patienti filio quàm matri compatienti in crudeli istâ tyrannide & membrorum dilaceratione orationem iubili & solatii loco extitisse, ita enim canit:

Aug. in Ps. 76.

Marc. Victori.

Dum tacet, tacitusque rogat, quem debet & orat,
Nam sentit rapidos subiectis cratibus ignes,
Corpus inane fuit; mater gavisa dolore est,
Et dixit: vici, vincamque, si sæpius orem.

O ingens prodigium! Filius adeò ferociter tortus tormentum non sentit, neque mater tot inter dolores afflicta est, sed gaudio & consolatione plena. Mater gavisa est, in mercedem videlicet orationis, quæ tot adeò acerbos inter dolores gaudia illis Paradisi accersere potuit: *Et dixit, vici, vincamque, si sæpius orem.*

25. Sylvas, obsecro, palæsthinæ nonnihil ingrediamur, ut perquiramus S. Hieronymum, qui inter horridas densissimæ, atque inhabitatæ sylvæ solitudines, sine cibo, sine veste, sine domo, sine societate, provisione, aut alio quopiam humano subsidio existens, procul à patria absitus, ab hominum consortio sequestratus atque per pœnitentiam quasi omninò detritus atq; consumptus, mediante tamen oratio-

ne,

ne, in medio angelorum, ad gaudia paradisi quasi delatus, ingens istud de se reddidit testimonium; *Solus deserta penetrabam, sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi mea orationis locus, ibi illud miserrima carnis ergastulum; & ,ut mihi testis est Dominus, post multas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse angelorum agminibus, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus.* At quis tibi ô mortalis in terra Seraphine, ad volandum in cœlos usque alas dedit? Quis tibi dulcem iterum reddidit tàm rigorosæ pœnitentiæ amaritudinem? imò quis amaritudinem istam in gaudia convertit Paradisi, præterquam orationis mira dulcedo? quis te in tot molestiarum medio, adeò quietum & contentum reddidit, ut omnis boni creati oblitus ad instar beati cuiusdam unico duntaxat cœli bono potiri cuperes, præterquam sola orationis satisfactio? *Post cœlo inhærentes oculos videbar mihi interesse agminibus Angelorum.*

Ep. 22. ad Eustoc.

26. Neque adeò subitò è sylvis locisque solitariis me recipere possum, quin inibi adhuc nonnihil commorer ad inquirendum ibidem Iacob Patriarcham, de quo Egesippus hæc verba habet: *Iacob sanctus, Esau fratre parricidium minitante, patriam dereliquit, parentes deseruit, solius secum orationis deferens viaticum, meritòque in peregrinis locis, cùm fratris metueret insidias, & hominum comitatu, atque auxilio egeret, invenit Angelorum consilium, perductus ad castra Dei.* q. d. S. Patriarcha Iacob à fratre in mortem quæsitus, parentes dereliquit, fugit è patria, solitudinem ingreditur, ibidem ad consortium conductus est Angelorum, solum portando secum sanctæ orationis viaticum: *Solius secum deferens orationis viaticum.* Pretiosum reverà viaticum, quod, omnibus deficientibus, de omnibus nihilominus providet, neque, quod usurpetur, ideò imminuitur, imò quia usurpatur, semper augetur. Miraculosum profectò viaticum, quod adeò humanam fragilitatem corroborat, ut absque cespitatione aut offensione ad terram viventium usque progredi faciat. Dulce viaticum, utpote, quod cœlesti corda adimplet dulcedine, atque divinæ mensæ cibos anticipatè degustare concedit. *Solius secum deferens* ORATIONIS *viaticum.* Cum hoc viatico, te, ô popule fidelis, desero, teque memorem esse velim, omne bonum tuum in eodem repositum consistere, ac proinde hoc idem de eo, quod de omni bono censere ac dicere debes:

Egis. c. 16.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ.

CON-



CONCIO IX.
In Feriam VI. post Dominic. I. Quadragesimæ.

THEMA.

Est autem Ierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens. Ioan. 5. v. 2.

ARGVMENTVM.

Sanguis Redemptoris nostri, quatuor plagis naturæ humanæ à peccato inflictis, videlicet infirmitati, ignorantiæ, malitiæ & concupiscentiæ medetur.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Ad probaticam piscinam currebant olim Hebræi, iam à fortiori deberent Christiani currere ad Christum. n. 1.

Synopsis concionis. ib.

Primum punctum. *Infirmitas humana, ad res divinas, fortitudo ad terrenas. n. 2.*

Pellicano Christus comparatur. ib.

Sanguis Christi occidit & vivificat. ib.

Debilitas Apostolorũ ante Christi mortẽ, cõstantia post ipsam. Sicut & omniũ Christianorũ, etiam infantiũ & puellarũ. n. 3. 4. 5.

Ea est differentia inter sanctos veteris & novi testamenti, ac inter testam crudam & coctam. Testa ante ignem mollis & post ignem fortis. n. 6.

Dealbare vestimenta in sanguine mirus loquendi modus, & tamen valdè accommodatus; martyrium enim nuptiis comparatur, pulchra utriusque paralella lætitia martyrum ad mortem properantium. n. 7.

Quanta erat cœcitas & ignorantia ante Christum non tantum inter gentes imò & in populo Dei. *n. 8.* Secundũ Punctum.

Homo tria ignorabat, Deum, seipsum, & cœlum. ib.

Christus balsamo comparatus quæ incisa emittit lachrymas quæ valde proficuæ sunt visui, ut ait Plinius. *n. 9.*

Christus in medio duorum animalium, id est latronum in cruce cognoscitur. In morte Christi velũ templi scissum est, quia quod velabatur apparuit. n. 10.

Fons in India, cuius aquæ sunt ignis & lucis pabulum, ut auctor est Plinius. *n. 11.*

Hoc verius de fontibus Salvatoris dici potest. ib.

Lignum

Lignum cui affixa sunt membra patientis cathedra fuit Magistri docentis.n.12.

Fons mirabilis, vim sanandi oculos habens, teste Plinio. *Christus crucifixus liber scriptus intus & foris quo docemur.n.13.*

Deponendus est homo vetus in sanguine Christi.n.14.

Præclara & efficax veteris hominis descriptio.ib.& n.15.

In senibus præmoritur visus ut ait Plinius.*ib.14.*

Tertium punctum. *Peccat homo per malitiam tribus modis.* Angelici Doctoris Censio.*n.16.*

Totus mundus in maligno positus. Christi Oraculum.*n.17.*

Christus & omnipotens & peritissimus Medicus.ib & 18.

In manus tuas commendo spiritum meum, *id est fideles meos, hi enim spiritus & vita mea sunt*, ut docte ait Laur. Iustin.*n.17.*

Quartum punctum. *Passio Christi est imago gloriæ beatorum, licet aliunde appareat quasi infernus*, egregiè Amb.*n.19.*

Passione Christi à passione eripimur.n.20.

Fons mirus teste Plinio *ex quo bibentes amorem deponunt, verius de fontibus Salvatoris qui amorem terrenum absorbent.n.21.*

Canities seniorum de quibus in Apocal. quomodo accipienda.n.22.

Thronus Christi est crux eius, qui ante Christum crucifixũ in Seraphinũ non transmutatur aut stultus est aut mortuus.n.23.

Seraphini coram sancta cruce transmutantur in tot crucifixos.ib.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, *beatus qui penetrat magna sacramenta sanguinis à Redemptore effusi.* Optimè concludit Ambr.*ib.*

1. QUod si Hebræi quondam turmatim ad urbis Hierosolymitanæ aquas omninò prodigiosas antiquæ piscinæ probaticæ accurrerunt, ut inde adversus certam quandam corporis infirmitatem, cum tanta temporis personarumque limitatione haurirent salutem; profectò nescio, cur populus Christianus ad mysticam illam humanitatis Christi piscinam non currat pariter & recurrat, utpotè qui tantâ cum munificentiâ, tamque facili & honesto pretio, è 5. vulneribus velut totidem porticibus universalem morborum nostrorum subministrat medicinam. Ergone magni consilii Angelus nostris miseriis compatiens, ut aquis hisce cœlestibus & divinis, per eiusmodi stupendos & ineffabiles, ardentissimi sui amoris, operativos motus, vigorem præberet, de cœlo in terras descendit, neque tamen homines pigri & otiosi vel quicquam movebuntur, ut eum fructum recipiant, quem ingens adeò necessitas, qualis nostra est, efflagitat, quique tantâ cum benevolentiâ, qualis est illa Redemptoris nostri, exhibetur? Quis unquam in illo æterni ac districti Iudicis tribunali excusare poterit tantam iniuriam, tot modis ab amoris magnitudine, à vehementiâ necessitatis, remedii facilitate, tam evidenti denique utilitate accusatam? Aut quis deinceps de infœlici sua sorte, aliisque miseriis sive naturaliter hæreditariis, aut voluntariè contractis iustè conqueri poterit, cum propriis suis manibus teneat redemptionis suæ pretium, suorumque vulnerum medicinam? *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato,* dixit Ioannes Evangelista *Sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum* 1. Ioan. 1. v. 7.

obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus malis, ad serviendum Deo viventi, dixit Apostolus Hebr. 9. v. 14. *Occisus es & redemisti nos in sanguine tuo*, dicebant electi. Apocal. 5. v. 9. Quatuor illa infirmorum genera hodie in historiâ Evangelicâ adducta, scilicet *languentium, cæcorum*, claudorum & aridorum, quatuor mihi plagas repræsentant, quas secundum communem doctrinam, quam cum suo Angelico Magistro Thoma Aquinate. 1. 2. Q. 85. A. 3. tota tradit schola Doctorum peccatum in naturâ nostrâ causavit. 1. 2. Q. 85. art. 3. In languidis enim infirmitas sive debilitas significatur: in cæcis ignorantia: in claudis malitia, in aridis denique concupiscentia; quibus communibus omnium nostrorum vulneribus sanguis Domini nostri certissimum adfert remedium. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.*

Primum punctum. 2. PRIMO ergo peccatum in naturâ nostrâ certam quandam causavit infirmitatem & languorem, quâ ad voluntatem Dei implendam pigra effecta est, tarda in observantiâ legis, ad res spirituales lentissima, inconstans in servandis propositis, in superandis difficultatibus debilis, ac denique ad perseverandum in bono vehementer instabilis; aut certè si post peccatum aliquid fortitudinis penes hominem residuum mansit, id totum ad res sæculi huius adhibetur, adeoque videbis homines in carnis operibus fortes & robustos, in conatibus autem spiritus infirmos, infatigabiles in lucro rerum temporalium, debiles autem in negotio æternorum, in affectionibus mundanis ferventes, ast in amore cœlestium tepidos, vegetos ad divinam offensam, ad Dei autem servitium omninò desides. Verum ô nos fœlices! *Occisus es & redemisti nos in sanguine tuo.* Sanguine suo pretiosissimo balnea sacrosancta & veneranda præparavit, è quorum usu genus humanum in rebus vitæ huius difficilioribus magisque asperis vigorem & fortitudinem acquisivit. Ad instar Pellicani se habuit, inquit Augustinus qui mortuis pullis In Psal. suis proprio suo sanguine vitam restituit, ideoque iam dictæ avi Christus comparatur: *Similis factus sum Pellicano* Ps. 101. v. 7. *solitudinis. Habet hæc avis magnam similitudinem carnis Christi, cuius sanguine vivificati sumus.* Si tamen quis opponat, qua ratione similitudo ista subsistere possit, cum Pellicanus id sibi proprium habeat, quod pullis suis prius vitam eripiat, antequam eandem illis restituat? quod certè ei qui mortis destructor & vitæ est largitor, nec convenire nec appropriari potest. Respondebit Augustinus: *Annon illi etiam congruit: Ego occidam & ego vivificabo? ego percutiam & ego sanabo? an verò Saulus persecutor moreretur, nisi de cœlo percuteretur? aut prædicator excitaretur, nisi illius sanguine vivificaretur?* Duos habet ille divinus sanguis effectus prorsus mirabiles, qui sunt, occidere & vivificare, percutere & sanare, destruere & reædificare, occidit hominem veterem & novum vivificat, antiquos naturæ corruptæ mores tollit, excitat autem novos legi evangelicæ conformes, mortem infert persecutori, vitam autem prædicatori confert. *Prædicator non excitaretur, nisi illius sanguine vivificaretur.*

Sale

Sate sanguine Divûm
Poeta pro magni illius Æneæ encomio dicebat. Idipsum verò nos iure meritò de quovis fideli dicere possumus, esse videlicet illum Dei progeniem & de prosapiâ cœli, cum enim infirmus esset & debilis, sanguine Domini nostri quasi regeneratus, fortis adeo & magnanimus effectus est, ut sublimem stirpem, divinamque progeniem suam apprimè commonstret: *Sanguis Christi emendat nos ab omni peccato.*

3. Optimè de Christo Redemptore nostro verbum Prophetæ regii intellexit Hieron. scilicet: *Aruit tanquam testa virtus mea.* Quæ est distinctio inter vas figuli antequam in fornace decoctum, & inter flammas consolidatum sit, & idem met postquam è fornace solidum extrahitur? hæc videlicet, quod illud primò quidem tenerum videas, molle, & cuicunque levi impressioni subiectum, postea verò illud vi ignis benè consolidatum, & quasi in lapidem conversum reperias. Similis quoque fuit virtus Domini in servis suis, priusquam enim ipse acerbas passionis suæ flammas ingrederetur, debilis erat, & facilè à quocunque sinistro eventu superabilis, postquam verò passionis suæ fornacē subingressus est, illam repentè corroboratam & potentem effectam videbis, & quavis demū fortitudine longè superiorem. *Testa ante ignem mollis est, post ignem fortis,* verba sunt Hieronymi, *sic Domini nomen ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur. Non aruit tanquā fœnum ut caderet, sed quasi testa ut firmaretur.* O admirabilis sanè mutatio! videre sublimes animas illas, quæ fundamenta fuerunt Ecclesiæ, & Christianismi nascentis solidissimæ bases antequam per efficacissimā sanguinis Christi medicinam fortificatæ essent, adeò inertes & imbelles, ut ipsum caput eorum se terreri permittat à vili quadam ancillâ, adeò viles ut omnes ad captivitatem Magistri sui, dorsum verterint; adeò inconstantes, ut instante ad Redemptoris mortem occasu fidei miserabile fecerint naufragium: postea verò videre eosdē quasi in alios transmutatos homines, totam inter se partiri & dividere terræ amplitudinem, omnium gentium mundi huius moliri conversionem, absq; ullâ defatigatione, omnes percurrere civitates, ad annunciandam in iisdem crucifixi gloriam, ac denique pro Christo mortuo, quem viventem fugerant, obire mortem, ut videlicet hac ratione evidenter intelligeretur, novum illum spiritum & vigorem, effusi pretiosi sanguinis Christi, proprium esse effectum, & sicut Sapiens explicabat Athanasi[9] Hom. dē Semente: *Fugerunt quidem à vivo, sed ita ut pro eodem mortuo morerentur.*

Ps. 21. v. 16.
In Ps. 21.
Hom. de semente.

4. Verum enimverò quid de Apostolis loquor? imò ad ipsos usq; tenellulos infantes, & puellas delicatulas, ab hoc sanctissimo sanguine roboratas, potuerunt homines imperterriti caput suum cædendum & trucidandū truculentissimis & impiis exhibere tyrannis, crudelioribus quoq; ac inexorabilibus carnificibus omni cum affectu agere gratias, læti etiam in tenebricosis ac squalidis habitare carceribus, inter horribiles ferocissimorum leonum rugitus cantare cum iubilo;

cum profundissimâ reverentiâ & veneratione inaudita osculari Martyriorum tormenta, Deo in altissimis flammis & fornacibus ardentissimis laudes exsolvere, in equuleis suspensi atq; catastis extensi, velut in mollissimo se vertere lecto: vulnera velut oscula, lanienas velut amplexus, ut blanditias sic livores, mortem uti honorarium recipere donativum. Revera enim intelligebant quod olim optimè intellexit S. Cyprianus dum dixit: *Contemnenda mors est ubi Christus occisus est.* Postquam mortuus est Christus nihili facio mortem, & postquam Christus proprium effudit sanguinem, nihili iam æstimatur quod pro Christo fit sanguinis effusio, quippè *testa ante ignem mollis est post ignem fortis.*

Cyp. de mortal.

5. Postquam in horto captus est Dominus, & infamis satellitum caterva manus suas in discipulos mitteret, dictum est illis: *Si me quæritis, sinite hos abire*, daturq; dicti illius ab Evangelista Ioanne ratio, nimirum: *Vt adimpleretur sermo quem dixit, quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam.* At mox hic dubiũ exsurgit, qua ratione verum esse possit, Christum ex discipulis suis nõ perdidisse quenquam; vel enim de iacturâ loquebatur corporum aut amissione animarum, si de primâ, quis est qui nesciat, maiorem discipulorum partem à Christo in prædam datam esse Tyrannis, à quibus aliquantò post barbarè fuerunt occisi? si verò de animarum iacturâ sermo sit, non videtur, quomodo Christus discipulos suos rabiei atque furori Iudæorum permittendo, potuisset esse causa perditionis animarum & salutis earũ. Verum proposito

Ioannis 18. v. 8. & 9.

dubio optimè respondebit Philippus Abbas scilicet: quod si Christus discipulos suos carnificum permisisset crudelitati, priusquàm per sanguinem suum ipsos corroborasset, meritò dicendum fuisse perditionis discipulorum suorum Auctorem. Sequaces igitur meos dicit Dominus, arduo quidẽ Martyrio exponam, id tamen reipsâ non faciam donec à me fortitudine Martyrum muniti sint; si eos nunc, quando debiles adhuc & infirmi sunt ad confligendum emitterem, perderent utique victoriam; illos ergò tunc in aciem constituam ubi robur suum nacti fuerint, ut veluti victores futuri egrediantur; permittant igitur ipsi, ut ego pro ipsorum salute meum effundam sanguinem, tunc enim & ipsi animosi fient, ut suum quoq; sanguinem effundant pro meâ gloriâ. *Vt igitur sermo, quem de illis non perdendis dixerat, impleretur*, verba sunt Philippi, *refrænato persecutore illorum quispiam non tenetur, sed pro salvandis illis prior eligit ipse mori, ut postmodum fortificati idem referant Salvatori.* Et ideò optimè dixit Ambrosius, quod in cruce Christi, infirmitas moriatur nostræ carnis, & quod dum nostram apprehendit debilitatem, suam nobis vicissim communicet fortitudinem, occultavit quod erat, & quod non erat accepit, ut nos per id quod ipse nõ erat, id assequi possemus quod erat. *Crucifixus est Dei filius, ut in illa cruce nostræ carnis tentamenta morerentur. Suscepit enim quod non erat, ut ad id quod erat, per id quod non erat nos vocaret.* Adeoque Christus ideò discipulos non perdidit, quia illos in occasionem se perdendi incidere non permisit, quod fecisset,

Philipp. Abb. Epist. 19.

cisset, si illos in persecutionis & Martyris constituisset aciem, priusquam infirmitatem & debilitatem eorum occidisset in cruce. Ipsos ergò exposuit, postquam secundum exteriorem apparentiam, debilem se exhibendo, debilitatem nostram occidit, nobis autem vigorem & fortitudinem comparuit, quando omni virtute & potentiâ visus est spoliari. *O divinum crucis illius Sacramentum* (concludit optimè S. Ambrosius) *in quâ hæret infirmitas, virtus libera est: affiguntur vitia, eriguntur trophæa.*

6. Per vos mihi, obsecro, liceat, illustriores quas lex vetus habuit, aut ante Evangelium vixerunt, personas, cum novi testamenti Heroibus comparare, certus enim sum, quod mox palpaturi sitis, quantum illi in rebus adversis debiles, hi verò in periculis suis fortes fuerint & insuperabiles. Video igitur ex una quidem parte Abraham timore adactum mentiendo fingere quod non est, atq; ut imminens sibi in Ægyptii Regis palatio vitæ discrimen evadat, quandã turpiter texere fabulam: ex alterâ verò parte Sebastianum conspicio, qui in aulâ Diocletiani Imperatoris, pulchram adeò occasionem, vitam suam, pro fidei confessione, gloriosè prodigendi, animadvertens, ibidem discipulum se Christi esse publicè & liberè profess⁹ est. Huc servit ex veteri lege pastorum Abrahami & Loth exemplũ, qui invidiâ pleni invicem pro bonis contendebant terrenis: verum quoq; servit ex lege gratiæ, quod olim Macedones illi fideles ultrò citròq; facultatibus suis cesserint, merito ob hoc ab Apostolo laudati: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* David unicum tantum amittebat filium, & tamen quantumcunq; in divinam resignatus esset voluntatẽ, inconsolabiliter mortem ipsius deflevit: sancta èc ontra & gloriosa Matrona Felicitas septem pariter filios perdit, & tamen dum illos pro Dei honore propriis oculis iugulari, & enecari conspicit, summoperè gaudet. Video Moysem ob populi seditionem, & turbulentos motus perterritum; ex altera verò parte magnanimum conspicio Athanasium, qui totum contra se mũdum coniurasse, summè gaudet. Ezechias Rex optimus, postquam vicinæ sibi mortis accepisset nuntium miserabiliter plangit: cum tamen in lege nova Cyprianus eadem de causa gaudens rideat, laudes & gratias agens Deo. Ecce Danielem captivitatis quidem incommoda patienter sustinentem, impensè tamen ab eadem liberari efflagitantem: ecce quoque Paulinum venerandum Prælatum, qui amore proximi sui ultro se vendit, & voluntarium servum facit. Existens in vinculis Joseph ut indè liberetur, sollicitè sese Pharaonis Pincernæ recommendat; Paulus verò in carcere vinctus, dum carcer ultro aperiretur, exire noluit. Hieremias semetipsum in persecutionibus fastidit: Petrus verò ob easdem se beatum vocat. Zacharias ab Hebræis occisus, non quidem se vindicat, eandem tamen vindictam à Deo ad minus expostulat; occiditur Stephanus, atque pro suismet lapidatoribus Deum pro venia exorat. Ionas uni tantum civitati prædicaturus linquitur animo: Apostolus,

lus,ut toti mundo prædicet, invitatur & mittitur, nec quicquam æstimat. Elias omninò formidolosus, Achabi fugit comminationes, seq; abscondit: Ambrosius verò Theodosio Imperatori errorem suum magnâ cum libertate & ore patulo generosè ac sine formidine exprobrat. Sara ab ancillâ suâ iniuriam perpessa, mori postulat: Apostoli verò quod coram tribunali cõtumelias paterentur, gaudentes à conspectu concilii abibant. Iob quidem admodũ fuit patiens, attamen de passionibus suis in sterquilinio perpessis, multum lamentabatur: Laurentius autem in craticulâ sua & inter coquentes flammas lusit, & iucundus ac facetus fuit. Rogabant Machabæi à cingentibus se periculis liberari: Teresia verò *aut pati aut mori.*

Quid autem existimatis magnam hanc inter veteris & novæ legis differentiam aliud significare, quam quod *testa ante ignem mollis est, post ignem fortis.* Christus Dominus noster, per pretiosum sanguinem suum nos liberavit, atque sua infirmitate debilitatem nostrã sustulit, unde cum Ambrosio, gloriari possumus, dicendo: *Meum paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mea est virtus.* Eâ horâ quâ tu, ô Deus meus, in trunco crucis spoliatus fuisti, ego locuples & dives factus sum; fortisq; evasi, quando tu omnem tuam perdidisti fortitudinem: *Occisus es, & redemisti nos Domine in sanguine tuo.*

L.1.in Luc.

7. Nescio an unquam ad hunc mysticæ Apocalypseos locum adverteritis, ubi dicitur, Martyres stolas suas dealbasse in sanguine Agni. *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Quis est sanguis ille qui dealbat? fortasse lac erit candidum, non verò rubicundus sanguis? nequaquam, rubicundum enim esse Isaias testatur dicens: *Quare rubrum est vestimentum tuũ?* Videtisne ergò iustã esse Giliberti Abbatis admirationem dicentis: *Qualis rubor, qui dealbandi non caret effectu?* quis est ille Domini nostri sanguis, qui dat, ꝙ non habet; rubicundus, & candorem præstat? notate tamen vestem albam signũ semper fuisse lætitiæ. *Omni tempore sint vestimenta tua candida*, dixit Salomon, id est, cura semper sis hilaris. Sic advertit Gregor. Papa, Angelos, qui Christi annuntiabant resurrectionem, comparuisse *in vestibus albis*, eò ꝙ iucundissimum nuntiarent mysteriũ. Eodem modo Laurentius Surius testatur, virginem Sophiam, ut in Martyrio magni illius Pontificis Clementis Ancyrani, iubili & exultationis signa ederet, veste se candida induisse. Albis vestiebantur in conviviis, veluti id Romanus testatur Orator orat. in Vatin. Albis quoq; vestiebantur Triumphatores, prout refert Claudianus. Denique albis induebantur sponsi in nuptiis suis, ut proindè hac de causa Ioannes in Apocalypsi dixerit, quod Ecclesia ad nuptias suas se præparans candidissimâ bysso se induerit: uxor Agni præparavit se, & datum est ei, ut cooperiret se byssino splendenti & cãdido. Imò nunquid & Angeli de hac Dei sponsâ admirabundi dixerunt: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Ideò ergò sancti Martyres stolas suas in sanguine Agni dealbarunt, quia sunt stolæ nuptiales, *dealbaverunt eas in sanguine Agni.* At verò per vitam vos vestram obse-

Apocal. 7.v.14. Isaiæ. 63.v.2. Ser.47. in Cant. Ecclesiast. 9.v.8. Orat.in Vatin. 1.Cons. Honor. Apocal. 19.v.8.

obsecro, quantum ab invicem distant nuptiæ & Martyria? Anne reperiri possunt res diversæ magis & disparatæ. In nuptiis amor dominatur & violentia: in Martyrio vero odium & immanitas: in nuptiis de familiis & domibus perpetuandis agitur: in Martyrio de iisdem delendis & tollenda omni earundem memoriâ. In nuptiis læta canuntur epithalamia: in Martyriis funesta planguntur epicedia. In nuptiis festivæ resonant acclamationes & fœlicia prognostica: in Martyriis contumeliosæ iniuriæ & barbaræ evomuntur calumniæ. In nuptiis arrhæ præmittuntur & dotes: in Martyriis patrimonia & antiquæ confiscantur divitiæ. In nuptiis torquiũ aurearum, monilium, nec non & gemmis distinctarũ armillarum est usus: in Martyriis vero vincula, funes, & catenæ adhibentur ferreæ. In nuptiis splendent vestes pomposæ: in Martyriis præter nuditatem aut abiecta scruta & petias nihil cernitur. In nuptiis futuræ cognationis interveniunt mediatores & paranymphi: in Martyriis carnifices atq; tyranni. In nuptiis honestus cernitur sponsorum comitatus: in Martyriis ingens lictorum & satellitũ caterva. In nuptiis mysticæ resplendent faces: in Martyriis incendia undiq; collucent & exustorum cadaverum busta. In nuptiis torques aureæ adhibentur & florum manipuli; in Martyriis igneæ cassides & manicæ ferreæ. In nuptiis choreæ agũtur & tripudia: in Martyriis torturæ agitatur & catastæ seu penicularmenta. In nuptiis lauta instruuntur convivia: in Martyriis longæ ieiuniorum inediæ. In nuptiis generosa vina nobilesque propinantur liquores seu potus: in Martyriis liquefactum plumbũ & venena mortifera. In nuptiis molles lecti: in Martyriis lecti ferrei & equulei. In nuptiis nil nisi ris⁹ & lætitia: in Martyriis nil nisi dolor & miseria. Et tamen quantumvis prædicta sint vera, nihilominus de sanctis Martyribus dicitur, quod veste amicti sint nuptiali, ad iucunditatem composita, atque in sanguine Christi dealbata, ut per hoc innotescat, eosdē omni animi infirmitate, omniq; timore deposito, tanto cum iubilo, taliq; cum dulcedine processisse ad mortē, veluti si festivas irent frequentaturi nuptias, sic *ibant Apostoli* postquam publica sustinuissent flagra: *gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti essent pro nomine IESV contumeliam pati.* Sic procedebat ad crucem suam, lætanter prorsus atq; festive eandem salutans dicensq;: *ô bona crux, diu desiderata, sollicitè quæsita, & aliquando concupiscenti animo præparata.* Sic SS. Processus & Martinianus, dum facies eorũ saxis cõtunderentur, dum ignitis laminis carnes eorũ urerentur, extenderentur in equuleis nervi ipsorũ, hæc verba semper hilares repetebant: *Sit nomen Domini benedictum.* Sic aliquando Ignatius Antiochenus, Martyrii cupidissimus, Romam proficiscebatur nihil adeò desiderans, quam ut ibidem ferarum esca fieret, sicut ipsemet hoc suum desiderium hisce post se verbis testatũ reliquit: *Vtinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas oro veloces esse mihi ad interitum, ne sicut & aliorum Martyrum non audeant corpus tangere; Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo, ut devorer.* Sic ad Martyrium pro-

cedebat invictus ille Martyr Tyburtius, qui Christianâ generositate plenus Torquato iniquissimo iudici hæc retorquebat verba: *Applica equuleos, suspende Christianos, damna, percute, incende, universa deniq; supplicia adhibe, omnis nobis vilis est pœna, ubi pura comes est conscientia.* Sic Marcus & Marcellinus fratres ad passionem properabant, qui ad truncum quendam arboris confixi, sic læti canebant: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in unum, nunquã tam benè epulati sumus, quia modo cœpimus esse fixi in amore Christi.* Sic bonus ille & centenarius Senecio Polycarpus, in ardentem fornacem posit⁹, præ lætitia quadam insolita suo in pectore suborta, ita loquebatur cum Deo: *Pater dilecti & benedicti filii tui Iesu Christi, gratias tibi ago, quod me huius diei & horæ celebritate donasti.* Sic B. Cyprianus, auditâ contra se mortis sententiâ, veluti de beneficio quodam extraordinario, ingẽtes mox Deo egit gratias, dicens: *Tascium Cyprianum gladio animadverti placet, Deo gratias, qui me vinculis huius corporis dignatur absolvere.* Sic Secunda virga Romana, Ruffinam sororem suam torqueri cernens, sanctâ æmulatione imbuta Iunium Præfectũ hisce verbis allocuta est: *Quid est quod sororem meam honoras, me afficis ignominiâ? iube ambas simul cadi, quæ simul Christum Dominum confitemur.* Sic ad Martyrium processit S. Agnes tredecim annorum puellula, de quâ Ambrosius sic scribit: *Non sic ad thalamũ nupta properaret, ut ad supplicii locum læta successu, graduque festina virgo processit. Dealbaverũt* ergò nunc *stolas suas in sanguine Agni*, quia Redemptoris nostri pretiosus sanguis, ablatâ ab iisdem omni humanâ infirmitate, ac pusillanimitate, omnibus adhibitis violentiis cunctisq; tormentis illos superiores effecit. Sponsorum induuntur vestimento, quia nuptiarum experiuntur iubilum, atque in corde suo gaudiũ tale persentiscunt, quale ex maximâ mundi lætitia hauriri vix posset, quia in acerbissimis mundi pœnis dolorem nullũ sentiunt. Unde S. Laurentius Iustinianus de casto connubio animæ cap. 8. dicebat: *Quis pati renuat, patiente Domino?* Quis deinceps debilitatem prætendat? quis non animabitur? quis pati detrectet, postquam Redemptor noster charas adeò & pretiosas reddidit omnes sui amore exantlatas passiones? *Occisus es, & redemisti nos Christe in sanguine tuo.*

De casto connubio anim. c. 8.

8. Transeo ad secundum infirmorũ mysticam hanc nostrã piscinã circumdantium genus, videlicet ad cœcos, siquidẽ cœcitas, uti omnibus cõstat, est alia quædam corruptæ naturæ nostræ plaga. Et quidẽ quanta in humano genere reperiebatur cœcitas? quanta rerum cœlestiũ ignorantia? quantæ ex primâ prævaricatione hæreditatæ tenebræ? dicãt idipsum mores adeò bestiales, tam barbaræ consuetudines, leges illæ tã irrationabiles, illa adeò tyrannica gubernia, illa bella tam iniqua, cõtractus illi tã iniusti, illæ tam pueriles sciẽtiæ, tot erroribus cõspersi libri, dogmata illa tã discõvenientia, Dii illi adeò ridiculi, tam profana sacrificia, illæ denique tam stultæ superstitiones. O Deũ immortalẽ! annon eo erroris prolapsi sunt, ut vitiosissimis hominibus divinitatem attribuerin t? annon culpã veluti rationabilem cõmendare tenta-

Secundũ Punctum.

tentarunt? Annon inordinatam animæ passionem velut naturalem excusârunt? nunquid divinam providentiam vituperarunt tanquam fallacem? nunquid mundi huius gubernationem arguerunt ut reprehensibilem? nonne Dei ipsiusmet opera tanquam defectuosa culpârunt? annon cõtempserunt virtutem veluti impossibilem, viribusque nostris superiorem? nunquid fatum admiserunt, uti necessarium?
Soph.c.1. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccave-*
v.17. *runt*, dicit Sophonias. Præterea si mihi animus esset loqui hic de populo Dei, penes quem vera residebat religio, qui tot magistrorum ore edoctus erat,
Isa.42. annon cogeremur verbum illud Pro-
v.19. phetæ Isaiæ repetere: *Quis cæcus, nisi servus meus? quis cæcus, nisi qui venundatus est? & quis cæcus, nisi servus Domini?* Quis tenebras explicabit nationis illius, quæ ab adeò venerandis quidem nata est Patriarchis, & tamen ab eorundem virtute turpiter adeò degeneravit? quæ legem ipsiusmet Dei digito scriptam de cœlo habet, illam autem pedibus suis substravit? quæ totius huius universi Regem nunquam cognovit, tametsi toties cum ipso sermones miscuerit? quæ cum Prophetis tractavit, demum verò occidit? quæ ab Angelis defensa est, & tamen adoravit dæmonia? quæ templum quidem veræ religionis sedem possedit, nec tamen ideò desiit esse superstitiosa? quæ tot miraculorum spectatrix fuit, & remansit incredula? quæ tot mysticos recepit ritus, fuitque idololatra? quæ scripturarum habuit intelligentiam, & tamen ignorâns permansit? quæ ab ipsamet summa veritate immediatè edocta fuit, & tamen fuit hypocrita? quæ tot delinita fuit gratijs, & ingrata fuit? tantis provocata promissis, & mansit invita? Verùm enimvero non est quod miremini, tantas ante Christi passionem fuisse tenebras, inter homines illos, qui veritatem, virtutem, religionem, ac fidem non diligebant, imo fortasse insuper odiebant, nã uti docet Gregorius: *Mensura amoris minor est, ubi mensura minor est* Hom.21.
cognitionis. Nulla apud illos erat cogni- in Ezech.
tio, undè nec amor illis inesse poterat, non enim amatur quod non cognoscitur. *Ante adventum Salvatoris*, dicit Pe- Ser. 33.
trus Blesensis, *genus humanum duplici tenebrarum obscuritate obvolvebatur, tenebris scilicet ignorantiæ, & tenebris peccati; ignorabat enim homo Creatorem suum, ignorabat seipsum, ignorabat natale solum, & quid obscuritate hac obscurius?* Antequam homo à Christo illuminaretur, tria præcipuè & quidem valdè principalia ignorabat, scilicet Deum, seipsum, & cœlũ, & ideo peccatis Deum offendebat, inordinatis suis passionibus molestus erat proximo, ac deniq; terræ huius bonis omnino intentus cœli obliviscebatur. Subdit Blesensis: *Præterea multa nesciebat, cum essent, esse peccata: parva putabat esse gravia, vel pœnâ digna: nulla credebat à Deo esse punienda: & quid hac nocte nocivius?* Qui peccatum non cognoscit, quomodo fugiet illud? qui turpitudinem suam non penetrat, quomodo eandem abhorrebit? qui non intelligit quæ causet damna, quomodo detestabitur illa? qui pœnam non credit futuram, qua ratione eandem timebit? qui non sperat præmium non requiret illud. Agedum

ergò *venit Dei Filius, & revelavit abscondita, venit lux vera & illuminavit omnem hominem; venit sol justitiæ & luxit nobis.* Venit Redemptor mundi hujus, atque è suo pretioso sanguine efficax præparavit balneum, per quod cœci cordis illuminarentur oculi, atque à peccatorum tenebris liberaremur: *Occisus es & redemisti nos Domine in sanguine tuo.*

9. Comparatus est Christus Redemptor noster balsamo, quod nascitur in vineis Engaddi, *Botrus Cypri, dilectus meus, in vineis Engaddi.* Hæc arbor Balsami, referēte id S. Ambrosio. Circumcirca per omnes partes pungebatur ferris, ex quibus puncturis pretiosus ille liquor guttatim stillabat; *Sic & Christus in illo tentationis ligno crucifixus illachrymabat populum, ut peccata nostra dilueret, & quasi balsamum ab arbore, sic virtus exibat à corpore.* Crucem tentationis lignum appellat, alludens ad nomen *Engaddi*, quod tentationem significat, reverà namque venerandus Pontifex noster in rebus omnibus tentatus fuit, ut Paulus dixit: *Tentatum per omnia*, eo videlicet tempore quo in cruce hæsit, videlicet in honore, siquidem in medio latronū velut caput illorum crucifixus est: in substantia rerum suarum, quia nudus crucifixus est: in fama, quia à circumstantibus blasphematus est & convitiatus: in membris suis, quia truculenter tormentata fuerunt: in sensibus corporis, horum namque nullus fuit, qui suas non habuerit passiones. *Tentatum per omnia.* Verum ideò *in illo tentationis ligno crucifixus illachrymabat populum, ut peccata nostra dilueret.* Audite nunc obsecro id

Cant. 1. v. 14.

Serm. 3. in Ps. 118.

quod Plinius dicit de Judææ balsamo loquens, scilicet quod ex illo unguentum conficiatur pretiosum, visui mirabiliter subserviens: *Balsamum longè pretiosissimum omnium oculorū claritati plurium confert, caliginem discutit.* ô verè pretiosum balsamum, sanguis Redemptoris, quod cordium nostrorum illuminavit cœcitatē, atq; divite lucis dono nos locupletavit: *Quasi balsamū ab arbore, sic virtus exibat à corpore. Venit Dei filius & revelavit abscondita.* atq; omninò credo S. Hieronymum ideò dixisse, quod Redemptor noster doctrinam suam crucis suæ patibulo confirmarit, stabilierit & corroborarit: *Christus omnem doctrinam suam patibulo roboravit.* Annon videtis, quod centuriones sub patibulo ipsum velut Deum suum recognoscant dicentes: *Verè hic filius Dei erat?* Annon videtis quod latrones ipsum Paradisi Regem confiteantur, eidemq; supplices fiant; *Memento mei, dum veneris in Regnum tuū?* Annon perspicitis, quod circumstantes pœnitentia ducti pectus suum percutiant, *revertebantur percutientes pectora sua?* Ille recognitus est in cruce, qui nusquā cognitus fuit, ibidemq; cœci oculos suos aperuerunt ut viderēt, quod hactenus nunquam viderant: *Christus omnem doctrinam suam patibulo roboravit.*

L. 23. c. [illegible]

Lib. [illegible] Civi[illegible] cap. [illegible]

Epist. [illegible] ad Alg[illegible]

Ca[illegible]

10. Propheta Abacuc cantabat: *Domine consideravi opera tua & expavi, in medio annorum cognosceris*: q. d. dum attenta mente Redemptoris nostræ opus considerarem infinito stupore velut attonitus stabam, in illo mihi videre cōcessum est, quod in medio annorum cognoscēdus sis; in medio annorum, id est, inter veteris & novi Testamenti

Cap. [illegible]

menti tempus. Septuaginta interpretes legunt: in medio duorū animalium cognosceris; per quæ duo animalia S. Augustinus intellexit duos illos latrones, in quorum medio crucifixus est Dominus: *In medio duorum latronum, quasi dicat, Domine in cruce cognosceris, quando fueris cum iniquis reputatus.* Tunc videberis, ô Domine, quando cordium nostrorum cœcitatem, sanguinis tui pretioso balsamo sanans, te videri permittes. Atq; ideò illa sancta anima Ecclesiā Dei repræsentans dicebat, quod dū sub crucis arbore staret dilectum suum cognoverit. *Sub arbore malo cognovi te.* q.d. Ego scripturas tuas non intellexi, neque percepi Prophetarum tuorum oracula, neque vocem creaturarum tuarum, neque te in memetipso, opere videlicet manuum tuarum adeò excellenti, cognovi: cœcus fui ad beneficia tua, ad iustitiæ tuæ flagella, ad minas indignationis tuæ, ad munificentiæ tuæ promissiones, ad maiestatem judiciorum tuorum, ad regiminis tui rectitudinē, ad ordinem providentiæ, deniq; ad tam frequentes Angelorum visitationes. Ego ego illa eram de qua Propheta tuus loquebatur, quando dicebat: *Quis est cæcus, nisi servus meus?* tunc te cognoscere cœpi, quando mihi modū te cognoscendi es elargitus, miliq; ab arbore crucis sanguinis tui pretiosum balsamū cōmunicasti: ibi illuminata sum, ibi interiorum oculorū lucem recepi: sub arbore malo cognovi te. Ante Christi morte dies nostri erant dies fumi dicit Augúst. juxta illud: *Dies mei sicut fumus defecerunt. ô dies,* dicit Augustinus: *Si dies; ubi enim dies auditur, lux intelligitur; sed dies mei defecerunt sicut fumus.* Christus nos liberet à diebus fumi. Et in figura, dicit idem met Augustinus, eodem tempore quo Christus effundebat sanguinem scissum est velum, sancta sanctorm aperta sunt, hoc enim, quod eousq; velatum & absconditum extiterat, revelabatur. *Velum templi scissum est, quia quod velabatur revelatum est.*

Lib. 8. de Civit. cap. 32.

Cant. 8. ex 70.

In Ps. 101

11. Et ecce completam Isaiæ Prophetiam: *Aperientur oculi cæcorum.* Verum quam adhibebis medicinam, ut lumen oculorum adferas cœcis? *Quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes inundaverunt;* sed quid demum indè fiet? *Aperientur oculi cæcorum & scissæ sunt in deserto aquæ:* Hæ aquæ, sunt fontes, è vulneribus Redemptoris nostri, scaturientes, aquæ salutares & medicinales, quæ visum ministrare possunt ijs, qui illo carent; aquæ potentissimæ & efficacissimæ, multòq; haud dubiè admirabiliores aquis illis, quæ teste Plinio in terris Indiæ pro lucis alimento serviebant: *In India terris fontem esse aiunt, cuius aquis lucernæ ardescunt. Lucerna corporis tui est oculus tuus,* dicebat Christus. Hæc intellectus nostri lucerna paulò minus, q̄ extincta erat, donec fons sanguinis Salvatoris aperiretur. *Cuius aquis lucernæ ardescunt: aperientur oculi cæcorum.* Denique si verum est (est autem verissimum) id quod Naturales docent apud Plinium, quod videlicet proprietatem aliquam sibi adsciscant eorum locorum per quæ transeunt, nec non & herbarum, quas transeundo alluunt: *Tales sunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt, qualesque herbarum, quas lavant, succi,* mirum non est, quod aquæ cœlestes,

Isaiæ 35. v. 5.

L. 31. v. 2.

L. 21. c. 4.

quæ è Christi plagis dimanant, proprietatem receperint illuminandi, si per terram illam benedictam transierunt, in qua erant thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. *Aperientur oculi cæcorum.*

12. Huc servit magna illa visio apud Ezechielem, quæ ob sacramentorum altitudinem, multis humani intellectus capacitatem superare visa est. Videbatur ibi magnus ille Deus, portatus in curru, habente quatuor rotas mirandis proprietatibus præditas. Inprimis enim oculis plenæ erant; *totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum*, dicitque Hector Pintus, per illas cunctos significari fideles, qui quasi tot spirituales Argi sunt, oculis undique pleni, id est, pleni intellectu atque prudentia. Per hunc intellectum, currum gloriæ Christi portant, faciuntq; quod hortatur Paulus: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Verum enimverò, notate id, quod multum præsenti servit proposito, scilicet quod rotæ, quæ tot oculis instructę erant, speciem quoque habebant veluti aquarum maris: *Aspectus rotarum quasi visio maris*, adeò ut videns oculos, videret pariter & aquas, illi namque servi Dei, qui illū portabant, simul oculis pleni erant, & pleni similiter aquis, atque oculi in aquis stabant, aquæ autem hanc oculorum multitudinem in se continebant. Unde si id ita velimus exponere, prout valde consonum est rationi, ut aquæ istæ repræsentent sanguinem Redemptoris nostri effusum, concludemus, quod in beatis illis fontibus contineantur oculi humani obtutus, & quod qui oculos ad videndum desiderat, illos nunquam inveniet, præterquam in sanguinis Christi piscina. *Aperientur oculi cæcorum quia scissæ sunt in deserto aquæ.* Vnde benè dicere possumus, cum S. Augustino: *Lignum cui affixa sunt membra patientis, cathedra fuit magistri docentis*: non ideò duntaxat, quod in crucis patibulo omnis dederit virtutis exemplum, verum etiam quia pretioso sanguine suo, largitur nobis mentis spiritualem visum, unde doctrinæ suæ cœlestis percipiendæ capaces efficiamur. Atque hæc est ratio cur S. Bernardus dixerit, non esse pro purganda humanæ mentis obscuritate, atque ad reddendum illam doctrinarum cœlestium capacem, efficacius remedium, quam ad plagarum dominicarum fontes devotâ mente recurrere: *Quid tam efficax ad purgandam mentis aciem, quam vulnerum Christi sedula meditatio?* S. Augustinus ad hoc propositum verba illa intellexit: *Sicut aqua effusus sum*, nam dicit, *Aqua quando effunditur aut abluit aut irrigat. Effusus est Christus sicut aqua, abluti sunt sordentes, rigatæ sunt mentes.* q.d. Dominus noster aquis pretiosi sanguinis sui sordidos abluit, simul tamen etiam partē animæ nostræ rationalē irrigat, ut in doctrina & sapientia excrescat. *Aperientur oculi cæcorum, quia scissæ sunt in deserto aquæ.*

13. Hæ aquæ fontem quendam mirabilem in memoriam mihi reducunt, qui teste Plinio prope Puteolas in villa quadam, quæ Marci Tullij erat, scaturivit, atque oculos sanandi, visumque notabiliter augēdi vel promovendi proprietate præditus erat; unde eiusdem oratoris libertus quidam nobile-

Ezc.c.1.
Hector in Ezech.
Tract. 119. in Joann.
Serm. 16. in Cant.
Aug. in Ps. 21.
L. 31. c. 2.

bile quoddam epigramma ibidem apposuit, ab eodem Plinio relatum, *Dignum ubiq; & non tantum ibi legi*; cuius epigrammatis clausula ita habet:

Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit; hac fontes cum patefecit ope.
Vt quoniã totũ legitur sine fine per orbẽ
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

hoc est, quia Tullij opera passim ab omnibus per universum mundum sine fine summâ cum delectatione legebantur, hinc natas esse aquas istas, quibus debilitati mederetur oculorum, atque visus intenderetur acies. O pulcherrimus liber Christus crucifixus! liber scriptus intus & foris, intus quidẽ amoris characteribus, foris autem sacrorum vulnerum grammatibus. liber quem Gentium Apostolus continuò
1. Cor. 2. v. 2. evolvebat, undè dicit: *Nihil unquàm arbitratus sum me scire, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* liber, qui perpetua meditatio erat illius sanctæ animæ quæ dicebat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Liber quo unica S. Bernardi philosophia comprehendebatur, cuius hæc sunt verba: *Hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis; hæc in corde meo semper, sicut Deus scit; hæc stylo meo admodum familiaria sicut apparet; hæc mea sublimis interim Philosophia, scire Iesum & hunc crucifixum.* Cum igitur sacratissimus liber iste à fidelibus ubique cum attentione legatur, sint vobis aquæ sanguinis Dominici, quibus oculorum mentis lumen & acies augeatur & intendatur:

Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem
Non desint oculis, quæ medeantur aquæ.

14. Superest, ut salutare S. Pauli monitum nonnihil intueamur, dicentis: *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Eph. 4. v. 22.
Hominem veterem in sanguine Domini nostri deponamus, hominem flagitiosum & malignum, qui destruitur & corrumpitur secundum desideria erroris & ignorantiæ, hominem profectò ab ipsa nativitate cœcum, quia vitæ huius pericula non videt, ignorat culpæ præcipitia, minas iræ Dei non attendit, sinistrè de rebus judicat, eligit semper quæ peiora sunt, in favorem iniqui sententiam pronunciat, nigrum denique & album, ut ita dicam, proprium & alienum, temporale & æternum pro eadem habet: *Corrumpitur secundum desideria erroris.* hominem animalem, de quo Apostolus dixit: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, stultitia est enim illi, & non potest intelligere.* 1. Cor. 2. v. 14.
Hominem animalem & irrationalem, qui intellectum suum stultitiæ vinculis vinctum habet, qui illi, ut veritatis dogmata appendere & æstimare possit, minimè indulget, qui conculcat & supprimit spiritum, hoc est, meliorem substantiæ nostræ partem ad ignobilia condemnat sæculi istius negotia, eandemque à cœli commercio distrahit, intra angustum terræ huius sepimentum coarctat, & passionibus veluti Tyranno crudelissimo in prædam cedit, qui eundem spiritum suum mille modis malè tractat, idque tam effræni audaciâ, ut illum nec timores moveant, nec persuadeant rationes, nec testimonia convincant, nec firment preces, nec minæ perturbent, nec præmia alliciant, nec denique re-

vocent monita. *Qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Hominem terrenum, *primus homo de terrâ terrenus*, quia in terrâ vivit veluti in cœlo, cui dorsum obvertit, nec præter res terrenas aliud quippiam cogitat, atque eius est insaniæ, ut justitiæ originali pro uno pomo renuntiet, pro modico lucro fidem suam subtus pedes prosternat, pro humili mundi huius tugurio, regiorum palatiorum, cœlestis Paradisi jacturam faciat. *Qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Hominē carnalem. *Ego autem carnalis homo venundatus sum sub peccato*, quia ventrem Dei loco veneratur, crucem verò Christi inimicam sibi æstimat, delicias pro ultimo fine habet, quotidianū eius exercitium diridere simplices, virtuosos persequi, mortificationes subsannare, fugere solitudinem, abstinentias abhorrere, fastidire res ad spiritū spectantes, de bono alieno tristari, res aliorum rapere si possit, si nō possit ad minus easdē desiderare. *Qui corrumpitur secundū desideria erroris.* Hominē prorsus exteriorē. *Is qui foris est homo noster*, non enim internorum aliquam curam habet, sed solius duntaxat apparentiæ exterioris, quæ videtur ab hominibus; undè pietatem fingit & semper crudelis est: simulat devotionem, & semper est hypocrita; zelosum se fingit & charitativum, & tamen seipsum tantum & interesse suum in omnibus sectatur: modestus comparet, & est dissolutus: ab omnibus candidus haberi vult, & est simulatus ac duplicis cordis, mel in ore tenet, ast in pectore fel absconditum servat: amplectitur & opprimit: osculatur & mordet: blanditur & occidit: *Nil aliud*, dicā cū Nazianzeno, *quā pacem crepat, & interim de sanguine gloriatur: Qui corrumpitur secundū desideria erroris.* Sed prẹter omnia adducta epitheta vocatur homo vetus: *deponite hominem veterem*, nam ut docet Philosophus, in senibus propter siccitatem, quæ in ijsdem abundat, visus lumen deficit, & uti Plinius dicit: *In senibus præmoritur visus.* Moritur oculus, priusquam moriatur corpus, citius visus quam vita deficit. Sic vetus homo noster inter tot lumina, quæ visum juvant, non videt, tot inter documenta, doceri se non permittit, quo ad ipsum vanæ sunt scripturæ, vana prædicatio, vanæ inspirationes, vana virtuosorum exempla, vanus intellectus ducatus. Denique omninò cœcus, in medio tot splendorum à tenebris obscuratus semper manet, undè in operationibus suis semper est incautus, mortuus in fide, in devotione frigidus, stupidus quoad intellectum, in orando distractus, in fervore tepidus, superstitiosus in religione, in opinione sua pertinax, in determinando præceps, temerarius in aggrediendo, in resistendo desidiosus, ingratus in beneficiis, in laudibus arrogans, superbus in prosperitate, omniumque scelerum spurcissima sentina. *Qui corrumpitur secundum desideria erroris.*

Arist. in Problem.

Plin. L. 6. v. 50.

15. *Deponite* ergo *veterem hominem*, & induite novum. Sed quā ratione id fiet! hoc idem ille exponit Apostolus, dicens: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Juxta piscinam quæ de sanctissimo crucifixo scaturivit, certissimū cœcitatis illius vete-

Rom. 6. v. 6.

veteris hominis invenitur remedium. Hic est balsamum vinearum Engaddi, potentissimum adversus tenebras meas cataplasma. Hic est lux, quę ignorantiam meam depellit, meq; facit illū cognoscere in medio latronū, quē in medio Seraphinorum cogniturus nunquā erā. Hic est fons in mysticā illā deserti petrā, id est, in Redēptoris nostri humanitate, unde verum lumen visus recipio. Hic est mare plenum oculis, hos enim quos amisit, in Christi sanguine iterum reperiet. Hic est oriens, quæ mihi visivam potentiam fortificat, ne unquam Dei magnalia in mystico illo crucifixi libro contemplando defatiger. Hic denique est piscina, in quâ vetus homo submergitur & occiditur, *corrumpitur secundum desideria erroris.*

PARS SECVNDA.

16. Supersunt duo alij morbi naturæ humanæ per peccatum infirmæ, Malitia videlicet, & Passio. Tribus autem modis, dicit S. Thomas, homo per malitiam peccat. Primò quando peccat *ex inclinatione habitus*, paulatim videlicet in peccato habituatus existens, atque cum facilitate in peccata se præcipitat, propter habitum vitiosum, quod à Philosopho malitia appellatur, sicut econtra habitus bonus virtus dicitur. Secundo quis per malitiam peccare dicitur, quando unum peccatum ab ipso commissum est causa alterius peccati, veluti si quis ex invidiâ conceptâ ex eo quod proximus dives sit & locuples, facultatem substantiæ illius deprædetur. Ultimò deniq; peccare per malitiā est peccare per inordinationē

Tertium Punctum.

1.2.q.78. a.1.

voluntatis, quæ tunc peccat per malitiam, quando *minus bonum magis amat*, sicuti quando quis potius voluptates & delitias, q̄ charitatē & honorē Dei eligit, *& sequitur quod velit dispendiū pati in aliquo spiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono.* Hæc autem infirmitas nostra etiam in piscinâ sanguinis Christi sanatur: *Occisus es & redemisti nos in sanguine tuo.*

17. In mundo, dicebat Christus, nihil est aliud præter malitiam: *Totus mundus positus est in maligno.* Quis enim humanæ voluntatis perversitatem explicare potest, qui sese voluntati divinæ opponens, illam summo cum contemptu omni creato bono postponit? quæ in medio tantæ lucis, ad tenebras retrogreditur? quæ post tot divina auxilia se nihilominus præcipitare præsumit? quæ potius se multo cum labore præeligit perdere, quam magnâ cum felicitate se salvare? quæ id quod melius est dimittit, & quod peius est eligit? *Totus mundus in maligno est positus.* Monet tamen idem Joannes, ne ob id animum despondeamus, quia *nos vidimus & testes sumus, quia Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.* Mundus totus malitia est, sed ego sum testis, quod Christus ad nos venerit, ut mundum ab hac malitiâ liberet, atque tametsi ingens sit nostra infirmitas, maior tamen est medicina, & tametsi infirmi desperati, medicus tamen est omnipotens. Verum elegantius id ex ipso S. Augustini ore audire libeat: *Securi estote qui ægrotatis: talis medicus venit. Desperabatis, magni erant morbi, insanabilia erant vulnera, desperata*

Tract. 8. in Epist. ad Joan.

desperata erat ægritudo. Magnitudinem mali tui attendis, omnipotentiam medici non attendis? tu desperatus es, sed ille omnipotens est. Atque ideò dicit Laurentius Justinianus, Christum Dominum jam jam moriturum hæc ad Patrem dixisse verba: *In manus tuas commendo spiritum meum.* q. d. Æterne Pater in tuas manus cōmendo ecclesiā meā, fideles meos, filios meos, hi enim spiritus & vita mea sunt. *Audiant clamantē me, & se agnoscant in me, atque orationem istam pro se fudisse non dubitent. In manus tuas commendo spiritum meum, spiritum dico meum, non tantum quem gero ut homo, sed quem ut mediator & Redemptor acquisivi mihi. Meum planè dixerim spiritum, mea membra, ecclesiam meam, sponsam meam, quam patiendo pro illâ meam facio.* Quid ergo nunc dicis ô peccator, fortè quod malitia sit incurabilis? quod insanabiles sint plagæ tuæ? quod desperatus sis? At cur ita? An ergo non vides, cuius aut qualis medici manibus commissus sis? *In manus tuas commendo spiritum meum.* In ipsiusmet divinitatis manus traditus es, quâ ergo ratione de salute tuâ desperare poteris? *Tu desperatus es, sed ille omnipotens est, magnitudinem mali tui attendis, omnipotentiam medici non attendis.*

De Triumph. Christi Agone c.10.

Ps. 95. v. 1. 18. Cantate Domino canticum novum, dicit Rex David, idque ob novum quoddam & rarum beneficium. *Cantate Domino canticum novum.* at quale est novum istud beneficium? *quia beneplacitum est Domino in populo suo.* S. Augustinus ibid. legit: *Quia benefecit Dominus populo suo.* Laudate Dominum qui in populum suum tale contulit beneficium, quod neq; intellectu comprehendi, nec verbis explicari potest. Laudate eum qui insanabilem malitiæ nostræ plagam, plagis suis sanavit. Laudate eum qui Purpurino sanguinis sui pretiosi, delevit chyrographum, quod contra nos scriptum erat. Laudate eum qui ingeniosus adeò extitit, ut irremediabili vestræ perversitatis morbo remedium adinvenerit: *Cantate Domino canticum novum, quia benefacit populo suo. Quid tam beneficum, quam mori pro impijs, dicit Augustinus, quid tam beneficum, quam sanguine iusto delere chyrographum peccati? quid tam beneficum quam dicere, non ad me pertinet quod fuistis, estote quod non fuistis? benefacit Dominus populo suo, dimittendo peccatum, promittendo vitam æternam. Benefacit aversum convertere, pugnantem adjuvare, vincentem coronare.* Quod autem omnem benevolentiam superat, est, quod ipsemet ad quærendum infirmos veniat, ipsemet dum infirmi ab illo fugiunt post illos currat, ipsemet pretiosam illis offerat medicinam, quam ipsi despiciunt. *Bibant omnes de spiritali consequente eos petrâ,* dicit S. Paulus, loquens de petrâ unde in deserto aquæ eliciebantur. *Petra autem erat Christus. Non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur,* explicat Augustinus. Ut innotescere faciat id quod erat Christus, dicit, quod petra erat Christus, quem juxta Chaldæum Pharaphrasten cum maiori Hebræorum Doctorum parte, opinatur ideò dici consequi populum Dei, quia aquæ petræ illius illum consequebantur, ne in necessitatibus illis deesset, sed potius semper placito esset usui. Nolo hic decidere, an illud probabile sit an non, hoc solum dicam, quod

Aug. in Ps. 115.

1. Cor. 10. v. 4.

S. P. Au-

In Pſ. 38. S.P. Auguſtinus dixit: *Aqua de petrâ, ſanguis de Chriſto, qui fugientes ſe populos ſequebatur, ut biberent & non ſitirent, redi merentur, & non perirent.* O magna Redemptoris noſtri clementia, qui non ſolum recipit dum illum requirimus, ſed nos requirendo inſequitur, dum illum fugiendo declinamus. O inauditam bonitatem, quæ incogitantibus ſe offert, non verò ſolis donatur ſollicitis. *Benefacit Dominus populo ſuo, averſum convertere, pugnantem juvare, vincentem coronare.*

19. S. Ambroſius de Chriſti paſſione loquens dicere non dubitavit illam quandam cœli, nec non gloriæ Serm. 14. In Pſ. 118. beatorum eſſe imaginem: *Paßio Chriſti imago fuit regni cœleſtis.* Sed quomodò id verum eſſe poteſt tot inter tormenta, atq; inter tot injurias? ego Dominũ illum nõ empyreo, ſed in calvario conſpicio, non in regione viventium, ſed in cœmiterio mortuorum, non illum video in ſinu Patris, ſed in brachijs crucis: non ibi delinitur à Seraphinis, ſed injuriâ afficitur à latronibus: non audit Angelorum muſicã, ſed Phariſæorum contumelias, non ibi gloriâ, ſed ſpinis eſt coronatus, non luce veſtitus, ſed coöpertus eſt ignominiâ: non vultu ſuo ſe intuentes beatificat, ſed per compaſſionẽ ipſas quoq; frangit duriſſimas petras, quæ ipſum intueri non valent: nõ gaudijs abundat, ſed ſaturatur opprobrijs, Quomodò ergò *Paßio Chriſti fuit imago regni cœleſtis?* Videtur mihi potius paſſionẽ Chriſti quantam inferni imaginem referre, conformiter illi, quod Rex ſanctus in perſona Domini dicit: *Circumdederunt me dolores mortis: pericula inferni invenerunt me.* Siquidẽ ſi damnatus in inferno à Deo eſt derelictus, in paſſione quoq; Chriſtus à Deo derelictus fuit; atroces inferni pœnæ omni prorſus carent remedio, Chriſtus in paſſione ſua nullum dolorũ ſuorum invenit effugium, quantumvis idem paſſim requireret. In inferno ardentiſſimæ flagrant flammæ, in paſſione quoque ingentia æmulationis arſerunt incendia: in inferno magnæ contra magnum Dei nomen reſonãt blaſphemiæ: in montanis quoq; golgothæis contra venerandum Chriſti nomen terribiles audiuntur blaſphemiæ. In inferno in crudelitatem & truculentiam aguntur dæmonia: in paſſione omnis tenebrarum poteſtas ſoluta videtur. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenbrarum.* Infernus dolorum locus eſt: paſſio Domini tormentorum eſt pleniſſima, & adhuc deinceps dicetur, quod *paßio Chriſti fuerit imago regni cœleſtis?* Verum obſecro audite, qua ratione paſſio meritò gloriæ cœleſtis imago appellari poſſit; & quidem crede hanc analogiam valere quoad effectum, quem cauſavit in terris. Doctor Angelicus dicit 1 p.q.6. a.8.
beatum videre Deum per eſſentiam, *eſſentia autem Dei ipſa eſt eſſentia bonitatis.* Atque id quod nobis eſt ratio boni in communi, eſt beatis ipſa viſio Dei, unde fit quod ad amorem Dei neceſſitatus eſt, *ex conjunctione perfectâ ad bonum increatum.* Sic ergò *paßio Chriſti imago eſt regni cœleſtis*, quia humana corda tam perfectò repletamore, ut in illis nullum pro rebus terrenis locum relinquat, tollitque propenſionem voluntatis noſtræ ad malum. Unde conformiter ad

Hom. de cruce. hoc dicit S. Joannes Chrysost. quod *crux terram in cœlum reformavit, & ex hominibus Angelos fecit. Occisus es, & redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.*

Quartum Punctum. 20. Ultimò tandem per Christi sanguinem ab ultimâ naturæ nostræ plagâ, Passione videlicet sanati sumus; adeò ut passio passioni medeatur, passio Christi passioni hominis, creatoris ordinata passio inordinatæ creaturæ passioni. *Mirabilis passio tua Domine Iesu* dicit Bernard. *quæ passiones omniū nostrū propulsavit.* O divinæ potentiæ miraculum, quod passionatus alienarum sit passionum remedium, crucifixus quispiā servo libertatē pariat. Infirmus generosissimo inimico prævaleat, ac denique quod mortuus virtutem habeat restituendi vitam mortuis! *Passio passione vincitur*, dicit beatus Laurentius Justinianus; ut proindè magnus ille Papa Gregorius Augustino Angliæ Apostolo scribens hoc ferè modo easdem literas exordiatur. *Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis, quia granum frumenti mortuum cadens in terram multum fructum attulit, ne solus regnaret in cœlo, cuius morte vivimus, cuius infirmitate roboramur, cuius passione à passione eripimur.* Notastis ne verba postrema, valdè proposito nostro proficua, *cuius passione à passione eripimur?* Per sanctam Domini passionem liberati sunt homines ab impuris naturæ suæ corruptæ passionibus. Per Christi passionem nos omnis passionis expertes sumus, denique quia ipse voluntariè pati voluit, nos amicabiliter à patiendo liberi remanemus. *Mirabilis passio tua Domine* JESV, *qui passiones omnium nostrûm superavit.*

De casto connubio verbi & animæ.

Lib. 9. Ephes. 68.

21. A Joanne in sacrâ Apocalypsi agnellus visus fuit veluti occisus. *Vidi agnum stantem tanquam occisum.* Significabat autem agnus iste Christum pro nobis passum. Dicit ergo Joannes, quod fideles sui ducendi fuerint ab agno illo ad fontes vitæ: *Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Atque ideò nec famem, aut ullius rei sitim habere debebant: *Non esurient neque sitient amplius, quia agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Quod me attinet per hosce fontes aliud intelligere nolo, præterquam sanguinis rivulos, qui eius sunt virtutis, ut omnem tollant appetitum, omneque desiderium, quique omnem concupiscentiam omnemque passionem extinguant. *Non esurient neque sitient amplius.* Atque huic proposito congruè servit fons ille, qui referente Plinio reperiebatur Cyzigi in Hellesponto, tamque erat raræ proprietatis, ut in bibente omnem repentè amorem auferret, undè appellabatur fons cupidinis: *CyZigi fons cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mucianus tradit:* Ecce tibi fontem sanguinis Christi prodigiosissimum, qui facit ut bibens ex illo, quarumlibet rerum amorem mox perdat, veluti illum perdiderat qui dicebat: *Nihil unquam arbitratus sum me scire, nisi* JESVM CHRISTVM *& hunc crucifixum.* Et alibi postquam dixisset: *Christo confixus sum cruci*, quod idem est ac si diceret, Christo crucifixo velut surculus insitus sum, undè mihi attraho humorem, succum, ac vitam, mox subdit: *Vivo autem jam non*

Apoc. 5. v. 6.

Lib. 31.

1. Corin. 2. v. 2.

Galat. 2. ver. 19.

Galat. 2. verf. 20. *non ego, vivit verò in me Christus*. q. d. non jam vitam meã teneo, sed vivere meum est vita Christi, & ideò non jam amplius meos amores, & concupiscentias meas, sed puros & sanctos Christi amores, castos & divinos Redemptoris affectus possideo. *Hisce verbis* (dicit Hom. 15. in Cant. Gregorius Nyssenus) *Tantum non clamat Apostolus, nullam affectionem humanam in se vivere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram non metum, non audaciam, non injuriarum immemoriam, non vindictæ, avaritiæ, honoris, aut gloriæ cupidinem: sed his omnibus ablatis, solus ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus sempiternis. Mirabilis passio tua Domine* JESU, *quæ passiones omnium nostrum superavit.*

22. Conceptus iste confirmatur per id, quod in Apocalypsi & Isaiâ legimus, ubi postquam Christus passus exhibitus esset, dicitur, quod aulici illum cingentes, aut senes, fuerint coronati, aut amoribus capti Seraphini. Apoc. 5. v. 6. Joannes in Apocalypsi dicit: *Vidi in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum*, & ut nobis innotesceret seniores illos pariter fuisse Reges, introducuntur ijdem hoc sequens concinentes canticum: *Redemisti nos nos in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & regnabimus super terram.* Sed cur erant senes? notum est satis, velle Principes, Ephebos juvenis & vividi vigoris, ut ab ætate pulchri sint & jucundi quoad exteriorem apparatum, atque ad serviendum expediti, quales non sunt senes; imò Salomon dicit: Animas Creatori suo servientes omnes in juventutis suę flore consistere: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis. adolescentularum non est numerus.* Sunt equidem servi Dei haud dubiè ob fortitudinis vigorē, nec non ob pulchritudinis spiritualis florem, juvenes, attamen seniores vocantur, nam ut Aristoteles dixit: *Senectus est refrigeratio quædam naturæ.* Sect. 33. Problem. Ita ipsi coram Christo crucifixo stantes, per pretiosi sanguinis sui antidotum concupiscentias suas extinxerũt, suasq; juveniles refrænarunt passiones. *Qui per maturitatem fidei suæ, populum Dei juveniliter lascivientem, coërcuerunt.* (ita exponit Rupertus Abbas) *Verè seniores sunt, quorum senectus non diuturna, neque numero annorum, sed canis sensibus interioris hominis cõputata, juvenilis populi fornicationes coërcebant.* Adeoque juvenes coram Christo crucifixo senes existunt, id est, passiones refrigeratas & concupiscentias edomitas habent, velut si senes essent. Verum & Reges quoque sunt, ideoque Christus *Princeps Regum terræ appellatur. Quorum vel qualium Regum terræ,* dicit Rupertus in Apocal. *Illorum est Princeps iste, qui etsi non vulgò dicantur, sunt tamen revera Reges terræ.* Sed qua ratione? *Quia terrenitatem suam regere, & carnem crucifigere noverunt, liberi à peccatis, servi autem justitiæ. O verè pulchram & gloriosum Principis huius principatum, qui omnes subditos suos Reges facit!* Omnes corã Christo crucifixo Reges sunt, ibi namq; passiones suas subjugare, regere proprios appetitus, & sensibus dominari probè discunt. *Mirabilis passio tua Domine Iesu Christe, qui passiones omniũ nostrũ superavit.*

 23. Nunc

Isaiæ 6. v. 1. 23. Nunc ad locum ex Isaia petitum accedo, visus est Deus Deus super alto quodam throno: *Vidi Dominum super thronum excelsum.* Per thronum illum autem Glossa ordinaria, crucem Domini intellexit, quam prorsus reverentes & venerabundi circumstant Seraphini: *Seraphim stabant.* Ubi notate obsecro, quod in tota Scriptura sacra Veteris Testamenti nusquam de Seraphinis mentio fiat, præterquam in isto, ubi de passione & cruce sermo est. Seraphini dicit S. Hieronymus, nomen suum à flammis habent, aut ab incendio, sicque apppellantur, *quod in eis amoris vis effusissimè ardeat.* Seraphini ergò crucem & crucifixum circumstant, quia non estpossibile ante vehemens illud amoris incendium stare sine amoris ardore, aut illi charitatis Ætnæ charitatem sine mensurâ spiranti vicinum esse, nec ardere. Qui enim hunc divinæ clementiæ excessum videt, necessum est, ut superexcadit, atque in pietate ac devotione omnem modum supergrediatur. Qui ante Christum crucifixum in Seraphinum non vertitur aut stultus est aut mortuus; homo enim, qui juxta arborem scientiæ boni & mali, per concupiscentiæ pravitatem factus est quoddam veluti dæmonium, idem prope crucis arborem per charitatis ardorem vertitur quasi in Seraphinum. Notate secundò Seraphinos illos, coram sanctâ cruce transformari quasi in tot crucifixos, siquidem ex alis suis duas sursum porrigebant, alias verò duas extendebant deorsum, denique duas reliquas explicatas habebant, unde satis patebat illos admodum affectasse, ut cum Christo crucifixo se quoq; crucifixos exhibere possent, id quod S. Germanus Patriarha advertit dicens: *Illi qui tuæ gloriæ assistunt tibi confirmantur, & mirâ quadam ratione imitatione tui glorificantur, & in formam crucis volantes victoriæ laudes & præconia decantant.* ô gratiosos Seraphinos, qui per flammæ amoris in pectore eorum spirantis, excessum, simul cum Christo crucifixo suas crucifigunt passiones, faciuntque quod dicebat Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis.* Ardet Christus in igne passionis, ipsi quoq; in dilectionis igne torrentur. Christus ardet ut servũ redimat, ut Dominum suũ imitetur ardet quoque & servus. Ardet Christus ut præcepto paterno obediat, ipsi ardent ut charitatis violentiæ satisfaciant. *Mirabilis passio tua Domine Iesu, quæ passiones omnium nostrûm superavit.* Concludo cum S. Ambrosio super illa verba: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperē* Beatus qui mysterium paupertatis Christi intelligit. Beatus qui penetrat magna illa Sacramenta sanguinis à Redemptore effusi. Beatus qui ardentem adeò & incomprehensibilem charitatem, sibi in lucrum & commodum vertit. Beatus qui passibus mentis suæ accurrit ad veneranda huius sacræ piscinæ balnea, quæ infirmitatem nostram corroborant, illuminant cæcitatem nostram, malitiæ nostræ medentur, ac denique concupiscentiam nostram refrigerant. In Ps. 40. v. 1.

Intellige infirmitatem eius, ut accipias sanitatem.

CON-



CONCIO X.

In Dominicam II. Quadrages.

THEMA.

Domine, bonum est nos hic esse. Matth. 17. v. 4.

ARGVMENTVM.

Quoniam Beatorum gloria omnem excedit cordis cogitationem, omnemque dicendi facultatem superat, hinc aliquæ proponuntnr conjecturæ, è quibus aliqua ex parte rei cuiusdam inæstimabilis censura seu taxatio aliqualis elici potest.

SUMMARIUM COMCIONIS.

Antiquorum Philosophorum errores circa beatitudinem. num. 1.

Acquiri potest, æstimari non potest. diserte August. Ib.

Synopsis concionis. ibid.

Prima Lncerna. *Prima lucerna est liberalitas, munificentia & maiestas Dei, eiusque domus, quæ sermone explicari non potest, opere demonstratur* ait Beda. *num.* 2.

Descriptio beatitudinis. nnm. 3. 4. 5.

Secunda Lucerna. *Secunda lucerna est maiestas & virtus Redemptoris.* multi patres adducti. *n.* 6. 7. 8.

Tertia lucerna accenditur per egregia sanctorum facinora, qui nihil non aggressi sunt ut gloria æterna potirentur. nnm. 9. 10. 11. 12. Tertia Lucerna.

Etiamsi non habeant sancti quæ redimant habent tamen quod emant. disertè Salvianus. *num.* 10.

Quarta lucerna est universa natura creata cum multiplici quam continet pulchritudine qua multi rapiuntur. n. 13. 14. 15. Quarta Lucerna.

Spes Prophetæ regij pro felicitate æterna excedit quicquid potest de illa cogitari & ex-

primi. Locus Pſ. 118. *Et in verbum tuum ſuperſperavi*, *elucidatus. num.* 16. 17.

Quinta Lucerna. *Quinta Lucerna templi Dei conficitur ex honore, quem Deus amicis ſuis etiam in hac vita exhibet. qui tanta retribuet morituro quanta largietur æterno optimè.* Emiſſenus. 18.

Summus honos qui defertur ſanctis, ſicut & eorum; reliquiis poſt eorum obitum. n. 19. 20. 21.

Sexta Lucerna. *Sexta Lucerna exurgit ex delitijs ſpiritualibus quibus juſti, etiam durante hoc exilio perfunduntur. num.* 22.

Mundani gloriantur in divitijs, delitijs, fama, honore &c. at veri Chriſtiani in ſpe filiorum Dei. D. Pauli oraculum. *n.* 23. 24.

Septima Lucerna. *Septima & ultima Lucerna, erit conſideratio verbi incarnati, cuius Auguſtiſsima præſentia rapiebat mortalium corda.* Teſtimonia huius veritatis quam plurima. *num.* 25.

Si Chriſtus præſentiâ ſuâ humanâ tantûm potuit, quid poterit ipſo apparante in pompa divinitatis. num. 26.

Nazareth Incolæ, cum Chriſtus juvenis Ioſephum in laboribus adjuvabat, dicebant eamus ad intuendum filium Mariæ ut hilares reddamur. ex S. Brigittæ revelationibus. *n.* 27.

Exhortatio S. Bernardi ad ſuos diſcipulos ut ad gloriam æternam aſpirent. num. 28.

ILluſtre hoc ex ore Divi Petri dimanans oraculum, majorem antiquorum Philoſophorum partem falſitatis convincit, qui dum ſibi perſuaſerunt poſſe ſe inter tantas ignorantiæ tenebras, abſque fidei ducatu, illam invenire fœlicitatem ad quam DEVS vocat, impellit natura, atque in quam ardentibus ferimur cordis noſtri deſiderijs non ſolum intentum ſuum non ſunt aſſecuti, verum inſuper in millenos turpiſſimos maximeque enormes ſunt præcipitati errores, adeò ut dum quilibet illorum modo ſuo, & juxta proprij dictaminis inclinationem beatitudinem concipere ſibique efformare conati ſunt, illam ad inſtar paupercularum vilium & frugalium delitiarum terræ huius excogitarint, à quibus alij ſeſe in objectis corporalium ſenſuum noſtrorum ſtultè firmarunt, alij verò cũ judicio quidẽ nonnihil maiori, nonnihil conſcenderunt altius videlicet ad humanæ rationis paſcua, ita tamen, ut neq; hi veritat quã conjecturando venebantur ſint aſſecuti. *Verum decepit eos humanæ naturæ paupertas* dicit S. Baſilius. Non eſt laborum noſtrorum merces adeò exigua, ut intra humani deſiderij confinia conſtringi; aut inter anguſta diſcurſuum noſtrorum ſepimenta concludi valeat. Neque in hac noſtrâ habitatione terrenâ inveniuntur tam periti artifices, aut colores adeò illuſtres, aut ſic conſummatæ artes, quod ſupremum bonum iſtud, quod poſt hanc mortalitatem fragilem Deus nobis promiſit depingere ſufficiant. Erigat ſe etiam intellectus humani facultas, atque audaci conatu ſubtiliter & rationes aut diſcurſum acuat, quantum potuerit, ſemper tamen ſuperata & oppreſſa erit ab hoc divino & ineffabili ſubjecto, ad quod comparata quæcunque cogitatio noſtra, brevis nimium menſura eſt, ſtricta nimis æſtimatio quodcunque creatum judicium, parca nimis

Hom. … Hexam.

nimis collatio omne id quodcunque in votum aut desiderium nostrum cadere posset. Et uti benè intelligebat S. Augustinus : *Desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest.* Et tametsi hoc unicum duntaxat argumentum sufficeret ad persuadendam summi illius boni immensitatem, quo beati in æternum gaudebunt, quia scilicet ad illud dignè exprimendum vani sint omnes nostri conatus, omnis labor inefficax, inops omnis eloquentia, omnis conceptus inferior, humilis omnis dicendi majestas, nihilominus statui hodie favore sancti Spiritus innixus, aliquas vivas valdeque efficaces adferre conjecturas, quæ absdubio vel tepidis stimulus, vel solamen pusillanimis, aut denique curiosis satisfactio esse poterunt. Porrò sicut magnus ille Moyses ex DEI Præcepto, candelabrum aureum in templum DEI reposuit, instructum septem lucernis, quibus tota domus Domini illuminabatur : *Facies lucernas & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.* Ita quoque nos connabimur septem considerationibus veluti totidem lucernis tantam dare lucis cognitionem, ut faciant ex aliquâ saltem parte templum gloriæ beatorum videri, nosque cum amante Petro exclamare cogant : *Domine, bonum est nos hîc esse.*

Lib. 21. de Civit. Dei.

Exod. 25. v. 37.

Matth. 17 vers. 2.

Prima Lucerna.

2. Sit ergo Prima Lucerna, seu primæ considerationis punctus liberalitas, Munificentia & Majestas DEI suæque domus, de quo Propheta Baruch cum admiratione dicebat : *O Israel, quam magna est Domus Domini & ingens locus possessionis eius : Magnus est & non habet finem excelsus & immensus.* Hæc est ingens illa domus, quæ omnia sine mensurâ, sine numero, & sine pondere possidet : aut si aliquam mensuram tenet (ibi namque etiam mercedes cum certo respectu ad opera & merita expediuntur) illa tamen mensura omni mensurâ caret, & sicut S. Bernardus dixit : *Hæc est illa mensura, quæ est sine mensurâ. Quod expectamus à Deo, non est nisi Deus.* Undè si tu nunc cor seu spiritum & verba habeas ad describendum maximi DEI Majestatem : si ausis cogitationibus tuis transcurrere immensurabilem viam seu stadium, ut omne finitum spatium pervagando, in immensitatis sinum appellere te posse speres : si ijs polleas viribus, ut omnes temporum mensuras penetrare, & omnia retrô post te sæcula relinquere, aut transilire omnium annorum metas, aut ultrà eundo, usque ad ipsa æternitatis confinia pertingere valeas : aut denique si illum tibi promittere possis animi vigorem, ut immensos attributorum divinorum campos pertransire queas ; aut illam artem calleas quâ cavere possis, ne in vastissimo divinæ essentiæ Archipelago navigando de naufragio pericliteris : si inquam hæc omnia facere valeas, describere pariter valebis, quæ vel qualis res sit gloria Beatorum. Si vero tibi

Baruch. 3.

In. Ps. 90.

vide-

videatur impossibile, ut illud æstimes mare, carens littore, aut spatium illud omnis termini expers, vel fundum nesciens fundum, aut sine meta durationem, sine limitibus ampliationem necessum certè erit replices, illa S. Bernardi verba, & dicas: Hæc est illa mensura, quæ est sine mensura, aut verò oportebit ut cum S. Augustino confitearis, quod *qualis sit hæc gloria futura, & quibus divitijs floreat, quandoque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus.* Dominus namque idem tibi dicet, quod duobus Joannis Baptistæ discipulis ipsum interrogantibus: *Rabbi ubi habitas? illis enim respondit: Venite & videte. Vultis videre habitaculum meum*, dicit venerab. Beda: *Sermone explicari non potest, opere demonstratur. Venite & videte.* Nolite me interrogare de domo mea, illa namque talis est quæ apprehendi quidē potest, mente verò comprehendi non potest, dari potest sed explicari non potest, gaudiorum vestrorum potest esse materia, non verò discursuum vestrorum proportionatum potest esse subjectum. *Sermone explicari non potest, opere demonstratur.*

Serm. 1. de verbis Dom.

Joan. 1. v. 38.

Beda in Joan.

3. *O Israel, quam magnus est domus Domini:* Qualis erit magnæ illius aulæ splendor, in qua Rex quidam residet, cuius potentia præter voluntatem suam aliam prorsus nescit mensuram, cuius magnitudo immensitati adæquatur, cuius divitiæ sunt inexhaustæ, cuius servi numerum ignorant, cuius dies æterni sunt, vita immortalis, esse invariabile, cuius providentia errorem non admittit, cuius perfectio omnem transcendit cogitatum, omnemque excedit æstimationem, cuius pulchritudo semper amatur, semper possidetur, & semper inquiritur, semper in fruitione beatorum est, & semper est nova. Audite quem in more suo mirum in modum describat S. Augustinus: Noli timere, ne fastidio deficias: *Talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, & nunquam satieris, imò semper satieris, & nunquam satieris.* Nescio profectò qua ratione loquendum mihi sit, dicit S. Doctor, quia si te in beatitudine dixero satiatum, timeo ne tu apprehendas natum tibi inde fastidium: si verò te ibidem non satiatum esse dixero, iterum vereor, ne tu ibidem famen suspiceris, & molestum appetitum, adeò ut ingenue fateri cogar, quod ignorem quo modo hac in re sermocinandum sit, nisi ut dicam Deum ibidem nobis daturum talia, quæ à nobis exprimi non valeant: *Si enim dico quia non satiaberis, fames erit: Si dixero quia satiaberis, fastidium timeo; ubi nec fastidium erit, nec fames, quid dicam nescio. Sed Deus habet quod exhibet non invenientibus quomodo dicant. O Israel quam magna est domus Domini.*

Tract. in Joan.

4. Quam pulchrum oportet sit palatium, cuius muri ex auro purissimo fabricati sunt, ubi pedibus gemmæ calcantur & margaritæ, ubi columnæ ex limpidissimo sunt

erectæ crystallo, nec non ex lucidissimo adamante, ubi ex mera luce confectæ cortinæ, suspensæ pendent, ubi semper laudis & gratiarum actionis cantica resonant, ubi ex omni parte erecta conspiciuntur trophæa, æternæ atque indelebiles eorum operum memoriæ, quæ à fortunatis illis incolis patrata fuerunt, ubi armaria Dei omnino patescunt, omnibusque inibi contentis bonis gaudere licebit, absque ullo defectu, aut obstaculo, nam uti monet Augustinus: *Quid ibi deesse potest, ubi Deus est, cui nihil deest.* Devotissimus Bernardus cōtemplabatur domus huius pulchritudinem, quo ad ea, quæ deforis seu exterius oculis nostris patent, & à nobis videri possunt, atque accenso plenus desiderio exclamabat: *Tota pulchra es patria mea, tota pulchra es, & macula non est in te absque eo quod intrinsecus latet.* Quod si ergo tam es speciosa in exterioribus illis parietibus tuis, si adeò amabilis existis, in illa rudi facie tua, & rustica prospectiva, qua nostrum respicis exilium, quæ aut qualis ab intus eris, ad illam partem, qua domesticos domus Domini prospicis? *Vbi est cœlum quod non cernimus, cui terra est hoc omne, quod cernimus.* Ibi cœlum est, in cuius comparatione cœlum nostrum mera terra est, ita namque pulchrum est, ut in comparatione cœli illius, quod non videmus, cœlum quod videmus, terra sit. Pulchrum quidem est cœlum, quod videmus, id quod nemo inficiari potest, adeò ut nonnulli etiam sapientes crediderint hominem non alio fine creatum fuisse, quam ut cœlum istud continuo contemplaretur.

Lib. 1. de Spir. & anima.

L. 12. Confess. cap. 2.

Sed ad illud cœlum cœli, & terra nostra cœlum, terra est. O Israel quam magna est domus Domini.

5. Benedicta est illa Domus ubi omne desiderium completum est, omnisq; voluntatis appetitus suam habet satisfactionem, ubi omnes in sempiternum terminatæ sunt miseriæ, ridet omnis lætitiæ jucunditas, & omne gaudium. Cum Venantio Fortunato, hic loquar dicente: *Vbi semper liliorum rosarumque blandior lux arridet: ubi pictura floris odoriferi non marescit: ubi loci fœcunditas, neque nube premitur, neque sole siccatur: ubi non finitur, cum possessore possessio: ubi quidquid desiderat animus, dat aspectus: ubi justus gemmas calcabit in plateis, quas modo Reges non habent in coronis: ubi mortalitas translata in immortalitatem cum Angelis sorte simili gloriatur.* O Israel quam magna est domus Domini. O chara & dilecta mœnia, intra quæ exterminatum est per omnem æternitatem omne fastidium, omne bonum autem sincerum est & illibatum. Ubi torrentes delitiarum qui tamen diuturno usu nullum pariunt fastidium: ubi lactis flumen pariter & mellis, nec tamen abundantia sua quemquam infestat: ubi pluvia est Mannæ cœlestis, nec tamen per nauseam vel minimum displicens aut torquens: ubi epulæ sumptuosæ & regiæ, nec tamen per morbos damnificant: honores superbi & magnifici, nec tamen per invidiam turbant: amici comes, blandi & chari, nec tamen unquam traditoriè alium derelinquentes, facultates opulentæ ac pretiosæ, nec tamen per avaritiam occæcantes, amo-

In Orat. Domin.

res ardentissimi & valde vehementes, nec tamen turbantes per zelotypiam. *O regnum beatitudinis sempiternæ* (verbis Augustini loquor) *ubi juventus nunquam senescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas numquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi vita terminum nescit. Domine bonum est nos hic esse.*

In Solil. cap. 15.

Secunda Lucerna.

16. Transite nunc mecum ad Lucernam secundam seu secundam gloriæ cœlestis conjecturam, & videamus remedium istud per quod portæ illæ æternales, tot sæculis occlusæ, apertæ sint. Quodnā ergo est illud quod thesaurum nobis adeò incomparabilem comparavit? Quid est quod viam nobis ad illam viventium regionem adeò nobis incognitā patefecit? Quid pennas nobis inseruit, per quas ad æternæ illius patriæ altitudinem volare possimus? Quid est quod animum & vires nobis suggessit, ne in huius magni itineris medio deficeremus? Nil profectò aliud, quam tua Majestas, ô sanctissime Redemptor, qui turpitudines nostras sanguine tuo pretioso lavasti, vitæ tuæ sacrificio iram Patris tui reconciliasti, tuo nobis exemplo vitę viā ostendisti, doctrina tua illuminasti tenebras nostras: tuis sacramentis corroborasti infirmitatem nostram: meritis tuis denique gloriam comparasti nobis. *Ascenderunt Viri Israel in virtute sua*, dicit Scriptura divina, loquens de Hebræis, terram promissionis ingredientibus, qui mysticè prædestinatos referunt, qui ab Ægypto mundi huius in viam versus terram promissam cœlorum sese recipiunt. Sed qua ratione id fit: *In virtute sua. Quæ enim est electorum*

Exod. 13. v. 18.

Virtus, nisi Christus qui est virtus Dei, docet Cardinalis Petrus Damianus: *Qui ergo ascendit, cum ipso ascendit, qui ad eos non necessitate, sed dignatione descendit.* O ineffabile pietatis Sacramentum! Alteratæ sunt universæ leges, immutatæ cunctæ mundi consuetudines, totum susque deque versum est universum. Æternus sese tempori subjecit, impotentiæ omnipotens, immortalis morti, infinitus confinium limitibus, immensus modicæ parvi cuiusdam corpusculi mensuræ. In unum simul copulatæ sunt res tantopere ab invicem dissitæ, videlicet Gloria & Ignominia; abundantia & penuria; innocentiæ & peccatoris imago; verbum & silentium, filius Dei & filius hominis, splendor glorię visus est obscurus, sapientia stultitia reputata est, universi Dominus, cunctorum factus est servus, calumniatus magni consilij Angelus. Unigenitus qui sedet in sinu Patris in puellæ cuiusdam gremio visus, denique is qui judex est vivorum & mortuorum est constitutus, cernitur judicatus. Hoc est grande opus illud, quod sapientes mundi huius infatuavit, quod mutos reddidit facundissim os terræ huius oratores; quo nec ipse sol hactenus vidit maius & excellentius, neque visurus est in æternum, quod ipsos cœli Angelos in admirationem atque stuporē coegit? Unde S. Ambrosius interrogationem illam quā Angelorum exercitus apud Palmistam excitarunt scil. *Quis est iste Rex gloriæ?* notans subdit: *Grande mysterium Christi quod stupuerunt & Angeli.* Quid est quod Christus Dominus in consimili nobiscum vestitu amictus apparuerit, transierit regio-

Ephes. 2.

L. 1. de Fide.

regionem exilij nostri, familiariter cum hominibus sit conversatus, tenerè deplanxerit nostras miserias, pro nostra salute devotissime oraverit, cœli nobis revelârit secreta, vitæ æternæ notitiam nobis suggesserit, fundârit Ecclesiam, operatus sit mirabilia, doctrinam cœlestem & hactenus inauditam seminaverit, interpretatus sit scripturas, umbras terminârit, compleverit prophetias, sacramenta instituerit, vixerit in ærumnis, moriatur in pœnis, se denique totum hominibus in utilitatem eorundem dispensârit? Hæc inquam adeò extraordinaria, adeò nova & excelsa opera, in quem existimatis finem directa fuisse, præterquam ad aperiendum nobis cœlum peccatis nostris pertinacissimè hactenus occlusum?

Eph. 2. vers. 5. *Cum essemus mortui peccatis, convificavit nos in Christo & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Hoc Christo mediante admissi sumus ad consedendum in Thronis gloriæ, ad Angelorum conversationem, ad possessionem regni, denique ad visionem Dei beatam, nam uti docet Cardinalis Petrus Damianus: Ser. 1. de S. Severo. *Nisi Deus humanam suscepisset formam, nunquam homo ad cœlestem pertingeret gloriam. Nisi Deus humiliaretur infra se, nequaquam homo exaltaretur supra se; & quid amplius dicam? Nisi paulo minus ab Angelis minoratus esset Deus homo, nunquam æqualis Angelis fieret purus homo.* Humilitas, veltis, hominis exaltatio fuit, Deus siquidem sub velo carnis abscondit gloriam, & homo assecutus est gloriam. Nisi Deus se submisisset infra Angelos, homo ad Angelorum domesticum convictum & familiaritatem nunquam evectus fuisset. Incarnatio Filij Dei pons quidam fuit, dicit S. Paulinus Episcopus Nolanus, Epist. 34. per quem nobis à nostris miserijs ad Paradisi gaudia, à rebus mortalibus ad divinas, à terrenis ad cœlestes datus est transitus. *Pignus habemus in Deo carnem Christi, quæ intervallum istud immensum, quo à divinis mortalia disparantur, medio & inter utrosque communi interventu suo, velut quodam (ut sic dixerim) ponte continuat, ut eius tramite terrena cœlestibus conferantur.* Atque hæc quoque est ratio cur benedictus Redemptor noster, apud Ezechielem in porta seu foribus domus Dei repræsentatus fuerit: Ezech. 40. v. 3. *Et ecce vir cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius: stabat autem in porta. Stabat in porta*, dicit S. Hieronymus: Hier. in Ezech. *Quia per ipsum ad Patrem ingredimur, & sine ipso civitatem Dei intrare non possumus.* Christus est ostiarius, qui prædestinatos introducit ad regnum, ideòque stat in porta, quia sine eius auxilio nullus consequitur gloriam: *Ante Christum Abraham apud inferos, post Christum latro in Paradiso*, dicit idem Hieronymus: In Epit. Nepotia. Ante Christum nec nomen quidem gloriæ aut Paradisi audiebatur: siquidem chariores etiam DEI amici inde excludebantur, ad tenebras carceris Lymbici condemnati: post Christum verò adeò facile est eo inserere pedem, ut etiam id ipsum latrones prætendere possint. *Post Christum latro in Paradiso.*

7. Adsit nunc Prosper Episcopus & dicat : *Quid futurus est homo, pro quo Deus factus est homo ?* Cogita obsecro, quàm ingentes impensæ pro homine isto factæ sint ! Attende quale donativum pretij scil. infiniti ipsi è cœlo oblatum sit ! Considera quàm excelsa & ineffabilia opera Omnipotentis DEI dextera in lucem statuerit. Profectò ô Domine, in rem quampiam valde sublimem illa per ingentes adeò excessus dirigis : in finem aliquem inexcogitabilem illa per adeo nova & inaudita remedia disponis ; utique in bonum aliquod, quod omne bonum superat, refertur stupenda adeò misericordia, quæ omnes alias tuas misericordias longè vincit & superat. *Quid futurus est homo, pro quo Deus factus*
In Ps. 143. *est homo ?* Hucadsit S. Augustinus & dicat : *Christus pependit in ligno vitæ. Vide quanto emit, & sic videbis quid emit. Empturus es aliquid, ipsum aliquid nondum scis ; vide quanti, & videbis quid.* Attende pretium, quo Christus comparavit gloriam, & tunc quàm pretiosa sic gloria videbis. Comparavit illam per vitam suam, quæ valoris est infiniti, infinita ergo quoque oportet sit gloria, quæ adeò pretioso compara-
L. 22. de Civit. Dei c. 29. tur lytro. *Vide quanto emit, & sic videbis quid emit.* Adsit & iterata vice Augustinus & dicat : *Quæ bona in ea vita facit eos sumere, pro quibus in hac miseria unigenitum filium suum voluit usque ad mortem mala tanta perferre ?* Considera passionem Domini & tormenta, & mox videbis quanta sint beatorum gaudia. Considera totam ærumnissimæ vitæ suæ seriem, & statim intelliges, illam paupertatem tuum esse thesaurum, illam eius humiliationem tuam esse exaltationem, crucem illam tuum thronum, mortem denique illam, æternam tuam esse vitam.

8. Adhæc quando DEVS benedictum filium suum in gloriæ pretium dedit tibi ? Haud dubiè quando tu impius eras & inimicus, quando venia indignus, quando gravissima supplicia promeritus. Si ergo tantum donavit cum inimici essemus, quid daturus est nobis, quando amici fuerimus ? quando filij eius adoptivi per gratiam ? quando in domo sua erimus domestici ; Fuitque istud S. Augustini argumentum dicentis : *Si antequam Deum diligeremus, ab illo dilecti sumus, ut æqualem sibi filium suum hominem faceret propter nos, quid nobis servavit jam diligentibus se ?* Si tantum homo sine ullo suo merito recepit, quid recepturus erit olim cum per divinam misericordiam merita aliqua reposuerit ? S. Augustinus : *Si verbum carnem factum peccator justificatus accepit, quid in futuro sæculo justificandus accipiet ?* Placuitque adeò S. Doctori conceptus iste, ut illum frequenter cœlesti calamo suo significet, veluti in Psalm. 103. ubi sic inquit : *Quam vitam tibi servat justificato, qui suam mortem donavit & impio ?* Qualis erit vita ista, quæ Dei constat vita? Qualis vita justo dabitur, si talis mors data sit impio ? Quàm pretiosa vita illa erit, quæ Deo tanti constitit, quantum dare poterat Deus ? Qualis

In Ps. 62.
In Ps. 100.

lis illa vitæ beati, quæ digna æstimata fuit morte Christi? *Domine bonum est nos hic esse.*

Tertia Lucerna. 9. Pro tertia Lucerna ad immensitatem gloriæ supremi templi DEI conjiciendam, statuo omnia illa, quicquid justi & servi DEI operantur ad illam consequendam, quæ utpote ex una parte, à gratia, & continuo spiritus sancti succursu excitatur ex altera verò parte nobilitata à propriæ voluntatis obsequio & liberi arbitrij promptitudine, uisa sunt adeò in oculis hominum stupenda, adeoque in conspectu DEI mirabilia. Quid enim sancti perpetuo Domini favore delibuti non fecerunt? quos eventus non sustinuerunt cum alacritate? quos non sustinuerunt labores cum gaudio? quænam ad honoratum finem non perduxerunt consilia. Ecquid vero ipsis ad similia obeunda vigorem, vires constantiam suggessit? quid est quod illis adversus rubustos adeo inimicos subministravit? quid illis in tantis perturbationibus adeò constans ut imperturbatum pectus inseruit? Nostisne quid illud sit? unica spes gloriæ cœlestis. Hinc animati cum S. Maximo Abbate Lyrinensi in reconditis cellulis suis dicebant: modicum est omne id, quod facis ô anima, in hac temporali peregrinatione, propter spem bonorum æternorum: *Loquebatur in cubiculo suo beata illa anima; ô fragilitas humana, exiguum est quicquid agis propter spem æternam.* Hinc est, quod plurimi servi Dei, societatis suavitatem ultrò citròque contemnentes, Monasterijs sese incluserint, aut ruri inter horrida densaque spineta, obscurioresque Eremitarum sylvas & solitudines sese receperint: paternam quoque domum promptissime, dereliquerint: neque vel minimum à charo dulcique patriæ suæ nomine commoti fuerint, fugerint amicorum aliorumque adpertinentium conversationes, ut hac ratione cum DEO liberius conversari liceret, dignitates & honores quibus aut gaudebant, aut jure gaudere poterant, nihil æstimarint, flocci habuerunt antiquas divitias, amplasq; à maioribus in ipsos derivatas atque possessas hæreditates, nullas admiserint delicias, quæ aut terrenum, aut sensuale quid saperent, imò pertinaci semper pugna, propriæ voluntatis inclinationibus contraiverint, noctes integras in continuis vigilijs, ac devotis contemplationibus perseverarint, prolixas & laboriosas per omnes mundi plagas aggressi sint peregrinationes, sensum & carnem asperis cilicijs, & flagellis nodosis rigidè afflixerint, tanta cum austeritate jejunarint ut miraculum videri posset, quo modo tam longo tempore absque cibo dolentem nutrire potuerint vitam; passiones & motus animi inordinatos severa cum disciplina refrenarint; ignominias & contumelias à plebe illatas adeò tolerarint patienter; pro culpis etiam minimis rigidam fecerint pœnitentiam, in quibusvis eventibus semetipsos pro

Emisenus de S. Maximo.

pro Domini sui honore & gloria exposuerint, proprias denique diû noctûq; deplanxerint imperfectiones, nec non & proximorum suorum peccata, tandem ut cum S. Ambrosio loquar, tametsi sarcinam portarunt corporis huius, visi tamen sint per hoc ne quicquam gravati, nam *in corpore siti, peregrinabātur à corpore*: & licet in mundo versarentur, supra mundum tamen semper fuerunt, atque eiusdem Ambrosij judicio potius cœli cives & incolæ, quàm peregrini esse viderentur huius terræ, *de hoc mundo non sunt, quia supra mundum sunt*: aut prout Petrus Damianus Cardinalis dicebat: *In corpore carnis obliti, naturam suam indefessa meditatione fatigant*, vel sicuti Pet. Blesaiebat: *In mundo erant, sed non erant, de mundo eorum enim cordi aruerat mundus*. Aut denique veluti Augustinus dicebat: *Carne versantur in mundo, sed corde inhabitant cœlum*.

Ser. 15. in Ps. 118. Ser. 14. Ser. 1. in Dedic. Eccles. Ser. 10. Tract. in Joan.

10. Ostende mihi, si potes, in toto mundo, prodigium maius sive magno illo Athanasio longâ temporum serie adversus totum mundum confligente, semper autem de mundo triumphante & victorioso: sive Simeone Stylita octuaginta annorum spatio altæ cuidam columnæ insistente, nec unquam inde recedente: sive Ludovico Galliarum Rege sub ostris & vestibus attalicis cilicijs amicto, aut cincto catenis: sive Henrico Imperatore in speciosissimæ sponsæ consortio perpetuam & illibatam virginitatem servante: sive Guilhelmo Burgundiæ Duce, amplissimum statum suum, modico cum tugurio commutante: sive Amedæo Duce Sabaudiæ inter regias aulæ delicias, quovis Eremita rigidiore; sive denique Carolo Borromæo (ne eum qui unica temporis nostri est gloria sileamus) in prospero ac favorabili omnis mundanæ fœlicitatis cursu magnanimo rerum omnium contemptore. Quis hæc ingentia gratiæ miracula produxit? Quis res illas adeò difficiles atque arduas persuasit? Quis illos adegit adeò rigidam amplecti pœnitentiam, præcipuè cum omnes, maiori ex parte, adeò innocentis, & inculpatæ vitæ extiterint ac proindè minimè opus fuerit, antiquæ desidiæ atque ignaviæ suæ damna per novā recuperare diligentiam? Ast ecce tibi sapientissimum Salviani Massiliensis Presbyteri responsum dicentis: *Etiam non habeant sancti qua redimant, habent tamen quæ emant*. Non quidem opus est illis perditam recuperare gratiam, superest tamen ut gloriam sibi comparent, nunquam hactenus possessam, & tametsi non tolerent propter jacturam, quam passi sunt, tolerant tamen propter lucrum, quod sibi paraturos se sperant, hæ asperitates voluntariæ & ultroneæ, non exercentur ad solvenda debita alias contracta, sed ad creditum in foro seu argentarijs cœlorum multiplicandum, non enim sunt ignari eius, quod Gregorius Papa docet: *scilicet quod pretiosa res parvo emi non potest*. Res adeò pretiosa, veluti est cœlorum gloria, tam modico pretio acquiri nequit, & præmium adeò immensum, & inæstimabile

L. 1. ad Eccles. L. 3. in L. 1. Reg.

mabile, omnes impensas modicas videri faciet.

11. Sed quid de sanctis Martyribus dicam? quorum tantò maior est gloria, quantò maiora fuerunt, quæ passi sunt, tormenta. O fortissimos nominis Christiani athletas! ô partem gregis Christi electissimam! vos legem Domini sanctam, & immaculatam, propria vita vestra defendistis, & inter illa sanguinis vestri diluvia, benedictum nomen eius intrepidè confessi estis, tolerastis supplicia, quæ duratione sui longa, acerbitate atrocia & truculenta, multitudine inenumerabilia, varietate diversa, ex motivo iujusta denique conditione infamia fuerunt. At vero tametsi sacra corpora vestra tandem, tanquam victimæ cœlo gratissimæ, à mille nocentissimis funestisque ferris pessimè mactata ceciderint, spiritus tamen vestri cœlesti quadam sublimitate & generositate verè Christiana stabant semper alacres, intrepidi & invicti, vos divina virtute armati, cum stupore cunctorum auditi estis, (in tribunalibus sacrilega Tyrannorum edicta liberè reprehendentes & arguentes, atque inter splendidas gladiorum acies, & truculentas feras, satellites inquam, nec non in ipsis vivacissimis flammis victoriosas linguas vestras, verbis plusquam humanis ad cantus, laudes, jubilos, & gratiarum actiones promptissimè solventes.

12. At verò quid pro consolatione sua inter tormenta adcò acerba honoratissimi Athletæ isti aliud dicere poterant, quàm illud S. Augustini in Psalm. 121. *In peregrinatione suspiramus*, *sed in civitate gaudebimus*. quid aliud cogitare poterant, præterquam illud Salviani Presbyteri dicentis: *Quanta libet pro sempiterna beatitudine Christo offerant Christiani, uile est quod datur, ubi tam grande est quod accipitur*. Quid in corde suo aliud ruminare potuissent, quam illa ex ore Petri Chrysologi Serm. 5. dimanantia: *Parva petit, maxima redditurus*. vel aliam S. Augustini sententiam nimirum: *Quanto labore digna est merces, quæ non habet finem?* Hoc est, quod Deus à nobis exposcit, juxta quod Eusebius Emissenus monet, dum nobis ingentia servorum suorum tormenta & passiones ob oculos statuit, *ut vel sic intelligamus quantum debeat desiderari vita illa, quam per vulnera & intolerabiles labores videmus inquiri: quam cognoscimus pretio sanguinis comparari*. Rem profectò maximam necesse est esse eam, pro qua homines sapientissimi, maximæque prudentiæ, omnia contempserunt, ingens oportet esse bonum, pro quo tanta hominum egregiè qualificatorum, multitudo, adeò prodigè omne bonum creatum pedibus suis calcavit. Qualis illa vita sit oportet, pro qua acquirenda, sanguis rationabiliter effusus, vitaque prudenter exposita judicatur, & uti dicebat S. P. Augustinus: *Illuc parantur corda nostra in omnibus huius vitæ tribulationibus & tentationibus. Noli mirari, quia in laboribus pararis, & ad ma-*

In Ps. 121.
Lib. 4. ad Eccles.
Serm. 5.
In Nata. Apost.
In Ps. 36.

ad magnum aliquod pararis. Sic magni sanctorum fuere labores, incomparabilis gloria maior erit. Ideo Emissenus hisce verbis aptè hortabatur: *Suspice ingrata fragilitas ad ineffabiles misericordias Domini tui: non valet parva servitus libertatem perpetuam, non valet brevis militia gloriam sempiternam?* Tandem juxta mentem Magni Gregorii Papæ, quot sunt in cœlo sancti, tot sunt à Deo contra nostram socordiam & somnolentiam producti testes, qui ad magna cœli promissa ne semel quidem evigilare potest: *Instauras testes tuos contra me: testes Dei sunt, qui per exercitium sancti operis testatur, quæ electos secutura sint præmia veritatis. Domine bonum est nos hic esse.*

Hom. contra divitum vitia.

L.9.mor. cap.35.

13. Quarto serviat nobis veluti scala qua ad aliquam gloriæ notitiam conscendamus, aut verò ut sanctæ illius civitatis cœlestis Jerusalem immensas videre possimus divitias, lucernæ loco nobis sit universa natura creata. Vultisne dilectissimi ingens hoc miraculorum theatrum vobis ob oculos poni? Hanc miram magnalium DEI scenam? Hanc maximam ad immortalem Regis cœlorum famam erectam machinam? An desideratis ut vobis exponam sive naturæ beneficia aut verò miras inventiones artis? Si ita, an ut de creaturis corporeis agam, an verò de spiritualibus? de viventibus, aut verò de ijs quæ omnis expertes sunt vitæ? de generatione simplicium, aut verò formatione mixtorum? de ordine cœlorum, aut verò elementorum admirabile harmonia? de successione & vicissitudine temporum, an de terræ permanentia & stabilitate? de substantijs an de accidentibus? de speciebus an verò individuis? de habitibus an de actibus? de materia an de forma? de scientijs speculativis an practicis? de artibus liberalibus an verò mechnicis? de facultatibus acquisitis an de infusis? de virtutibus moralibus, an verò Theologicis? de gratia corporum an de pulchritudine animarum? de sensibus internis an de exterioribus? de temporum serie an verò de vastitate locorum? de spatijs realibus an imaginarijs? sunt porrò omnes huius sæculi res, servis & filijs, reprobis & justis, condemnatis & prædestinatis communes, & ut S. Augustinus inquit: *Hæc omnia miserorum sunt, damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot, ac talia & tāta sunt ista? Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit & eis, quos prædestinavit ad mortem.* Si mudus iste, qui pœnitentiæ locus est; tam est speciosus, si hæc mancipiorum habitatio tantam refert majestatem; si mensa illa quæ servis apparata est, tam est lauda & opipara; si hæc bona quæ reprobis quoque communia sunt, tam sunt chara & grata: Ehem quæ demum gloriæ bona erunt? præparata filijs non servis, electis non reprobis, civibus non advenis idque in mercedem sempiternam, non verò in temporale sublevamen.

L.22.de Civit. c.24.

14. Nunquam nec usquam major Majestas videtur, quàm sit illa

urbis

urbis Romanæ, tunc præcipuè, quando nunquam triumphorum suorum exhibet pompam. Contigit (ut refert Laurentius Surius) quod S. Fulgentius Episcopus Arianorum persecutione, sede suapulsus, apud hanc urbem appelleret, idque fortè fortuito eo tempore, quo ipsi concedebatur oculis suis intueri, splendorem & gloriam Theodorici Regis triumphantis. Dum igitur unusquisque ob paludamentorum pompam splendorem ostri & purpuræ regiæ, vestimentorum elegantiam, equitatus pretiosissimis phaleris superbissimè ornati multitudinem, Majestatem Senatus Romani, nobilium equitum frequentem numerum, turbam servitorum, plebis applausum, denique per omnia superbissimum triumphi apparatum, præ maxima admiratione velut stupefieret, prædictus sanctus in altissimas cogitationes sublevatus, in hæc verba non sine devotè profusis lachrymis prorupit: *Quam speciosa potest esse Jerusalem cœlestis, si sic fulges Roma terrestris? Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem: qualis gloria & honor præstabitur Sanctis diligentibus veritatem?* Si Roma terrestris sua magnificentia oculos rapit mortalium, recordare quæso, quod quicquid illa possidet, in comparatione Jerosolymæ cœlestis, nil nisi sordida quædam mendicitas & mirabilis sit penuria: denique si tantopere abblanditur ijs, qui ipsum offendunt atque injurijs afficiunt, immensis profectò & inenarrabilibus delitijs excipiet eos, qui ipsi accuratè inserviunt. Hoc est, quod aliàs dicebamus cum Augustino: *Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit eis, quos prædestinavit ad mortem?*

In vita S. Fulgent.

15. An putas, mundus hic aliud fortasse quid est, quàm ut Augustinus in soliloquijs existimat, horridus quidam carcer? in quem condemnati sumus, ut ibi inter vincula passionum nostrarum, inter ignorantiæ nostræ tenebras, inter vincula passionum nostrarum, inter obstinationis nostræ cippos, inter torturas morborum nostrorum, inter miseriarum nostrarum infortunia degamus. Carcer est è quo extrahimur, ut ducamur ad mortem, ad quam ob scelera nostra damnati sumus. Si ergo Deus criminũ nostrorum judex, tot tamque raras gratias præstat in carcere, quantas putas in palatio suo præparatas habebit? *Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio?* Præterea si tot tantæquæ creaturæ quarum nobis gratiam præstat deliciosæ nobis sunt & amabiles, memẽto potiorem parte millarum servire homini, vel ob necessitatem, vel ob morbos corporis huius, uti lux ad videndum, sapores ad gustandum, ad respirandum aër, ad audiendum soni: animalia, pisces, volucres, fructus, semina ne moreremur fame, fontes ut refrigerent, simplicia & herbæ ad curandum nostras infirmitates, flores ad recreandum visum, & sic discurrendo per creaturas cæteras. *Corpori nostro corruptibili* (sunt verba Augustini) *& ignobili, ut videret dedisti cœli claritatem, ut spiraret largitus es aëris puritatem; ut audiret sonorum varietates, ut odoraret odorum suavitates, aut gustaret saporum qualitates. Adjumenta suis necessitatibus dedisti jumenta,*

Aug. in Solil.

volucres quoque cœli, & pisces maris & fructus terræ ad reficiendum impendisti. Medicinas de terra propter singulas quasque suas corruptelas creasti, singula solatia singulis malis obvianția præparasti, quoniam es misericors. Ast jam conclusionem audite, qua S. Doctor discursum suum claudit. *Si ergo pro hoc corpore corruptibili, tam magna & innumera beneficia præstas, à cœlo, & aëre, & terra, & mari, & luce, & tenebris; à calore & umbra, rore & imbre, à ventis & pluvia, volucribus & piscibus, bestijs & arboribus, & multiplicitate herbarum & germinum terræ, ut alleves fastidium nostrum, qualia quaso, & quam magna erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te in illa cœlesti patria, ubi te videbimus facie ad faciem.* Quid facies ô magne Deus spiritui, qui imago tua est, capax visionis beatificæ, atque divinitatis tuę fruitioni destinatur, siquidem carni tanta, tamque pretiosa præparaveris, ut jure mundi huius sapientes obstupescant, neque illos suis in tractatibus cōmendare cessent. Profectò impossibile est illas comprehendere delitias & gaudia, quæ charis amicis tuis concessurus es, quando manibus tuis abstersurus es lachrymas ab oculis ipsorum, quando gesta ipsorum tormenta inenarrabilibus delitijs compensaturus eris. Non est possibile ut inter nos mortales inveniatur tam altus dicendi modus, tam divina eloquentia quæ dignè enarrare valeat, qualia futura sint fortunatorum illorum civium gaudia, quando jam in securitate optima constituti sunt cantaturi victorias, divisuri spolia, suasq; numeraturi sunt palmas. Nihil nostris penurijs convenit cum illa abundantia, nostris jocis puerilibus cum illis gravibus & cœlestibus negotijs, rusticanis nostris tugurijs cum illis regijs mansionibus, nostris fastidiosis & laceris scrutis & repetiatis vestibus, cum illa Attalica gloriæ veste.

16. Accedite obsecro non nihil propius optimum Davidem, hic namque conceptum istū egregiè exponit, dum inquit: *Defecit in salutare tuū anima mea, & in verbis tuis supersperavi.* S. Augustinus hic cum singulari ingenij acumine notat hocce verbum (*supersperavi*) Ecquid sibi vult quod sanctus hic Rex non solum sperarit, verum etiam supersperarit? supra quid? supra omne id quod unquam dixerunt scripturæ, supra id quod aliquando hactenus prædixerunt Prophetæ, supra omne denique id, quod unquam à justis est annuntiatum nobis. *In verbis tuis supersperavi.* Variè à varijs gloria cœlestis describitur, à quibusdam per sumptuosi cuiusdam convivij delitias, ab alijs per splendorem & maiestatem regni cuiusdam amplissimi, à nonnullis per horti pulcherrimi amœnitatē, à quibusdam per civitatis cuiusdam regiæ magnificentiam ab alijs denique per victoriosi cuiusdam exercitus spolijs onusti lætitiam. Verum omnes hæ analogiæ & comparationes gloria cælesti in re ipsa longè sunt inferiores, & nimis modicæ, nec mirum; desumpta enim sunt à pauperculo miserabilis domus nostræ armario; ideoque *in verbis tuis supersperavi, quia procul dubio plus futurum est, quam dici potest,* inquit S. In Ps. 118. Augustinus supremum illud, vitæ beatæ præmium, omnium creatarum rerum transgreditur confinia, nam incomparabiliter plus est omni illo,

quod

quod aut cogitari possit aut explicari. Audite verba eiusdem Augustini, proposito nostro valdè commoda, Tract. 34. in Joan. sic inquit: *Extendat anima cupiditatem, & sinu capaciore quærat comprehendere, quod nec oculus vidit, nec auris audivit. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest: tamen illud dignè cogitari, & verbis explicari non potest; quia procul dubio plus futurum est quam dici potest.*

Tract 34. In Joan.

17. Unde idem David omnium beatorum nomine cantabat: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te. Tanquam jucundorum* legit Augustinus, sed prorsus coincidit. *Quid est tanquam? quare tanquam?* interrogat Augustinus. An ergo fortasse Beati non sunt futuri absolutè læti, sed solum tanquam læti? Respondet S. Doctor: *Quia talis ibi erit jucunditas, qualem hic non novimus.* Ponitur hæc dictio tanquam, ne alicui in mentem veniret fore lætitiam cælestem eiusdem qualitatis cum lætitia nostrate. *Talis erit ibi jucunditas qualem hic non novimus.* Atque hæc eadē est causa quare S. Hieronymus responsurus Marcellæ petenti ut illa explicare dignaretur, de quibus dixit Apostolus 1. Cor. 2. quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*, sic rescribat in Epist. ad Marcellam: *Ad quæ brevis responsio est non debere nos quærere, quid sit illud, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Si enim ignoratur quomodo sciri potest? quod promittitur in futuro, non cernitur in præsenti. Quomodo si velit quispiam dicere: ostende mihi quod invisibile est, loquere quod audiri non potest, expone quod cogitatio non comprehendit humana.* Hinc ergo rationabilem elicite conjecturam, qualis sit illa Paradisi gloria, siquidem inter tot & tanta huius terræ bona, nulli reperiuntur colores, qui illam exprimere valeant, & ideò aliquando dices cū efferuescente Petro: Bonum est nos hic esse.

Ephes. ad Marcellan. 1. Cor. 6. v. 9.

Ps. 118.

18. Venio nunc ad quintam Lucernam Templi Dei, eritque consideratio honoris, quem Deus amicis suis etiam in hac vita exhibet. Nam ô quantum ab ipso exaltati & glorificati sunt in conspectu hominum, adeò ut Rex sanctus dicat: nimis honorati sunt amici tui Deus. Cum loquuntur, verba ipsorum sagittæ sunt, quæ corda feriunt: cum præcipiunt obedientiam obtinent adusque ipsasmet feras: cum benedicunt, omnem populis & Regnis fœlicitatem superinducunt: cum postulant, mox ad arbitrium illorum omnes naturæ leges invertuntur. Flammas suo imperio extinguunt, flumina rapidissima sistunt, evocant ê lumbis aut tumulis mortuos, ab Energumenis dæmones pellunt, maris consolidant aquas, petras montium emolliunt. In summa à Deo constituti sunt Domini totius universi, adeò ut David dixerit: *Magnificentia eius & virtus eius in nubibus, mirabilis Deus in sanctis suis* Nubes juxta mentem Theodoreti ibidē, sunt sancti, qui aquarum gratiæ Spiritus sancti plenissimi, beneficiorum multitudine mundum inundant: *Illi velut quædam nubes, aquam è pelago Spiritus sancti haurientes irrigationem hominibus afferunt.* In his ergo Dei virtus & magnificentia in admirationem rapit omnes gentes, ut proinde illos non tanquam homines, sed veluti angelos respiciant. Antonio Magno

Quinta Lucerna.

In Ps. 67. v. 35.

Ps. 67.

ipſimet Augusti ſua manu ſcribebant ſeque orationibus eiuſdem recōmendabant. Leoni ipſi quoque coronati Regum vertices obediebant; Ambroſius ipſis quoque Imperatoribus formidini erat, coram Benedicto in terrā ſe magni Principes proſternebant; Martino ipſæmet ſuis manibus cibum parabant Imperatrices; Bernardus pauperculus Monachus Potentatibus magnis ſui temporis unicè erat in delitijs; dicatis ergo nunc una cum Emiſ-

Hom.1. de Symbolo. ſeno: *Qui talia procuravit ſervo qualia procurabit libero? qui talia jacenti contulit, quanta referret reſurgenti? qui tāta retribuit morituro, quanta largietur æterno?* Omnia iſthæc mirabilia, ſervis ſuis à Deo conceſſa ſunt, adhoc ut nos ab hiſce temporalibus honoribus tranſiremus ad conjiciendum æternos: & ex gloria, quàm in hac vita obtinent, conjecturam ſumeremus, quanta ſit beatorū futura gloria in vitâ alterâ: *Vt per ea quæ agnoſcit præſtita, diſcas ſperare promiſſa, & de conſequendis ea quæ conſecutus es interroget; ac perceptorum experimentum proficiat tibi in teſtimoniū ſperandorum.* Modicum quid, inquit Greg. Hom. 9. in Evang. in ſanctis viſa eſt miraculorū gloria, intelligentia ſecretorum, ſcripturarum interpretatio, notitia variarum linguarū, ſupra creaturas dominium, poteſtas ſuper dæmonia, potentia in verbis, energiæ vis ſingularis in prædicationibus, virtus in curandis morbis: cuncta denique alia dona, quæ ipſos hac noſtra mortalitate ſuperiores apparere fecerunt; modicum quid inquam, niſi forte melius dixerimus, nihil ſunt reſpectu immarceſſibilium coronarum, quas in Paradiſo recipiunt. An non auditis quid Deus bono illi Patri-familias dicat: *Quia in pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam. Pauca quippè bona ſunt omnia præſentis vitæ, quamlibet multa eſſe videantur, comparatione retributionis æternæ.*

19. Chryſoſt. de claritate vultus ipſius Moyſis, ex divino conſortio contracta loquens, inquit quod *incorruptibilem gloriam corruptibilibus oculis vidit, & teſtimonium Divinitatis in vultum ſuſcipiens ad populum.* Hom. 4. Matth. Moyſes adeò gratioſus, tantoque ſplendore plenus apparuit, ut non nemini non purus homo, ſed homo in vultu ſeu effigie divina videri potuiſſet, quippe qui in facie ſua vivum Divinitatis teſtimonium portabat. *Teſtimonium Divinitatis vultum ſuſcipiens portavit ad populum.* Atque talis in hac terra noſtra omnis verus, immortalis Dei, ſervus apparuit, ut non aliter ab omnibus reputaretur, quàm veluti homo certo quodam Divinitatis afflatu honoratus, prout ipſe quoque Paulus dicebat: *Odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per vos in omni loco.* 2. Cor. 2. v. 14. Videntur certè ſancti odorem divinitatatis paſſim ſpargere in verbis, in vultu, in conditione vitæ, ac morum puritate. Hoc modo Vitricus Paulino Epiſcopo Nilano comparuit, poſtquam atrociſſima pro Chriſti nomine jam ſuperaſſet tormenta unde eidem hunc in modum ſcribebat: *Quis dabit nobis pennas ſicut columbæ, ut volaremus ad te, & requieſceremus in conſpectu ſanctitatis tuæ, coram ore tuo Chriſtum Deum admirantes atque venerantes, tergeremus capillis pedes illius in tuis pedibus* Epheſ.

dibus & lachrymis rigaremus, & in illis cicatricibus tuis, quasi Dominicæ Passionis impressa vestigia lamberemus. Quis mihi det, ut coram conspectu tuo me recipere possim, ac tuos venerabundos lambere pedes, lachrymis meis eosdem balneare & capillis meis tergere, atque in te Domini mei effigiem & in persona tua personam DEI mei contemplari possim ac valeam. ô quam ibi omninò contentus requiescerem, meque ex visu isto sic jucundo beatum dicerem. Imò beatus revera vocabatur, quia dignus fuisset illum, vel semel duntaxat in urbe Viennensi coram intueri. *Gaudeo nunc, quod hoc saltem mihi liceat, quia faciem tuam in carne viderim*; At verò quid obsecro, quid Paulinus in vultu Vitrici viderat, quod ipsum beatum reddere potuisset, nisi quod conversando cum DEO, *Testimonium Divinitatis in vultum suscipiens portavit ad populum.* Certum ergo Divinitatis quoddam testimonium, certumque quendam Dei odorem, secum portabat, qui ipsum omnibus reddebat venerabilem: *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.*

L. 5. c. 4. 20. Refert Athænus quod Antiochus Rex, convivium regiâ magnificentiâ dignũ, in honorem Daphnidis instruxerit, eo vero tempore quo ipse cum amicis epulabatur, jussi sint passim per urbem discurrere 600. Ephebi, atque ducentæ Gynecæi suæ puellæ, Attalicis vestibus indutæ, gemmeisque redimitæ coronis, qui è magnis aureis vasibus, passim pretiosissima spargebant unguenta: volebat autem superbus Rex ille, ut ex hac magnificentia Cives conjicerent, quis in aula sua splendor & excellentia, penes regium suum convivium adhiberetur. Ecce tibi sanctos DEI servos, qui in hac terra nostra, unctionem Spiritus sancti in tanta copia secum ferentes, adeò se in divitijs cœlestibus opulentos, adeoque à donarijs Divinitatis, qua cum quotidie conversantur, honoratos exhibent, ut simul evidenter ostendant, quam munificus sit Deus erga illos, qui una cum ipso ditissimæ, opiparæque illi cœlorum mensæ accumbunt, cum tam sit liberalis erga illos, qui procul ab illis divinis magnalibus constituti, in hoc nostro exilio, minimam duntaxat Divinitatis fragrantiam secum portant, *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Coguntque nos verba illa repetere: *Qui sic glorificat mortuum, putas quomodo decorabit æternum.*

21. Sed quid de sanctis in corpore mortali viventibus loquor? An non etiam à DEO post mortem infinitis miraculis sublimati sunt? An non etiamnum apud nos gloriosi vivunt, tum in templis superbis, nomini eorum dedicatis; tum inscripturis, & libris, quibus eorundem gesta recensentur; tum in memoriam ipsorum spirantibus marmoribus, in loquacibus æramentis, in artificiosis picturis, in prædicationibus quæ de encomijs ipsorum per totum anni curriculum declamantur è pulpitis;

tum denique in sacrificijs in quibus ipsorum quotidie honorificentissima fit mentio? An non modici illi residui cineres, qui sive post Tyrannorum crudelitatem, sive post injurias temporum, supersunt, veluti pretiosi requiruntur? An non etiam unius integri regni pretio comparantur? An non unionibus & margaritis alijsque cimelijs pretiosis exornantur? An non thecis ex auro purissimo fabrefactis honorificentissimè inferuntur? *ut hinc intelligatur* (infert Augustinus) *In quali honore secum habeat animas occisorum, quando caro exanimis tanto affectu Divinitatis coronatur.* Si ergò Deus adeò liberalis est, & munificus, ut etiam in hac vita dilectos suos adeò sublimiter præmiet, multò haud dubiè liberalior erit in sursum in cœlo, ubi omnes illis exhibebit honores, quos juxta magnificentiam suam ibidem excogitare, aut invenire poterit; ubi nomina eorum non ore mortali, sed ipsismet angelicis celebrātur concentibus: ubi non templa manufacta ijs dedicata videntur, verum templum istud, in quo omnem suam cum Agno gloriam habent, ubi laudes eorū non in annalibus, aut in populorum memoria expressæ leguntur, sed scriptæ sunt in libro vitæ, ubi non à principibus terræ, qui tandem deficiunt, verum ab ipsa Majestatę Divina, quæ vivit in æternum, excipiuntur. Hoc argumento utebatur S. Gregorius Papa quando Hom. 22. in Evang. dicebat: *Quomodo ergo vivunt illic, ubi vivunt, si in tot miraculis hic vivunt, ubi moriuntur?* Hic in terris ubi mortui sunt, ubi spiritus suos beatos sibi conjunctos non habent, ubi pauca reservantur ossa, tanquam mortalitatis suæ exuviæ residuæ, hic inquam tantoperè honorantur; quos ergo honores aut quam gloriam habebunt ibi, ubi vivunt, viventque deinceps per totam usque æternitatem? At verò nondum argumentum istud complevi, non enim ut illud claudam. S. Augustinus mihi permittit, qui insuper mihi suggerit, quod sequitur, videlicet: quod Deus non tantum honoret sanctos, dum in hac mortali carne vitam agunt, neque illos tantū honoret post mortem, nec denique sola duntaxat ossa & cineres honores afficit, verum & ipsa quoque passionis instrumenta. Undè Chrysostomus, clavos quibus Petrus cruci affixus fuerat, velut totidem gemmas, atq; ensem, qui gentium Apostolo caput detruncavit, veluti diadema quoddam venerabatur. Imò an non crux illa, in qua caput ac princeps Martyrum passus est, nunc totius est gloria Ecclesiæ, atque Christianismi thesaurus? Concludamus ergò cum Augustino, ubi de cruce Christi sic loquitur: *Nihil erat in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid servat fideli servo, qui talem dedit honorem supplicio suo?*

Serm. de S. Vincentio.

Hom. 22. in Evan.

Cant. 8. v. 5. c. 8.

Ser. in

Tract. in Joan.

PARS SECVNDA.

Sextam lucernam ad videndā gloriæ cœlestis Majestatem faciet reflexio, quam ad delitias spirituales facere debemus, quibus justi etiam in hac vita præsente donati fuerunt, hæ enim sunt eiusmodi, ut ipsis quoque

Sexta lucerna.

M v.

Ser in

An

Angelis admirationem adferant, ideò namque in Canticis sacris cum stupore interrogant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens?* q. d. Unde hæc tantas in deserto delitias invenit? qua ratione ipsa tanto risu in hac lachrymarum valle abundat? Quis ipsi charas & raras adeò dulcedines in huius mundi solitudine suggerit? Ubi vel unde hæc sibi in terræ huius pæupertate, de tam sapidis providit pascuis? dicat nunc Venerab. Abbas Gilibertus: *Qualis est putas, proventio, cum tam delicatus sit ascensus? quo tendit, quæ talis ascendit? qualis delitiarum est locus in quem ascensiones istas disposuit?* Quis unquam gaudiorum cœlestium explicârit abundantiam, si terræ huius gaudia in tanta copia abundant? *Quis posset in terra illa superaffluentis jubilationis gaudia spirare, quæ dabuntur in Patria, cum illa etiam stilla dulcedinis, quam nobis in via exhibet, totam mentem inebriet; & totam mentis latitudinem, novis delitijs coangustet?* sunt verba S. Bernardi: Si una stilla adimplet quid faciet Oceanus? si una mica parvula satiat, quid faciet plenissima & lautissima mensa? Si unicum duntaxat momentum fœlicitas, quid faciet tota & completa æternitas? *Quo tendit quæ talis ascendit?* An unquam Dominum audistis dicentem, quod fames pascat, aut sitis satiet? Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt.* Optimè hic loquitur Gilibertus Serm. 28. in Cant. *Nam & ipsa virtutum, esuries pascit, & delectat aviditas. Ergo si esurire beatum, multò magis pasci;* Fames pascit quid ipsa facient pascua? desiderium nutrit, quid res faciet desiderata? *Bonum orare & desiderare Dominum, sed amare & habere, & frui, melius, & ut ita dicam, cum non habes, bonum est mendicare, sed melius manducare?* Quæ sunt verba Bernardi: *Quo tendit quæ talis ascendit.* Hieronymus dicebat, omnes spirituales delitias, quibus in hac vita mortali fruimur, pignus quoddam esse delitiarum vitæ immortalis. Cœlum hic à nobis emitur, ne tamen inviti simus, ad solvendum Deo cœli pretium, quod tot postulat sudores, tot vigilias, tot passiones æquanimiter toleratas, aut ne videamur solvere pretium ipsa gloria maius, dat nobis futuræ jucunditatis & voluptatis aliquod specimen, seu probam, eamque nos experiri facit in præsenti. Dicit ergo S. Hieronymus ubi supra: *Si Arrhabo tantus, quanta erit ipsa possessio?* Lætamini ô justi ob favores præsentes, qui tam sunt pretiosi & excellentes, verum magis adhuc gaudete, quia iidem vos conjicere docent, quales esse debeant gratiæ futuræ; gaudete de jucunditate, quam in hac sentitis peregrinatione sed gaudia vestra multiplicate ob lætitiam futuram, quibus vos fruituros esse videtis in Patria: *Si Arrhabo tantus, quanta erit ipsa possessio? Quo tendit quæ talis ascendit?*

23. Hæc erat illa Pauli gloria, quando dicebat: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* q. d. Gloriantur homines huius mundi de nobilitate parentum, de parentibus, divitijs, honoribus, fama, fortitudine, aut sanitate, &c. nobis sufficiet gloriari

Cantic. 8. v. 5. c. 8.

Serm. 63. in Cant.

Matth. 5. v. 6.

Serm. 28. in Cant.

Serm. 32. in Cant.

In cap. 2. ad Ephes.

Rom. 5. v. 2.

riari in ſpe : hæc erit conſolatio noſtra, hic noſter theſaurus, hoc viaticum peregrinationis noſtræ, dicemuſque cum ſapiente illo Dei ſervo,
Pſalm.118. v. 14. Pſalm. 118. *In viâ teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitijs*, faciemus hanc cum Bernardo
In Declam. conſequentiam : *Quid erit in Patriâ, ſi tanta eſt copia delectationis in viâ ?* aut illam S. Auguſtini : *Qui ſic paſcit in via, in patria quomodo ſatiabit*, aut illam
Lib.7. in Lucam. cum S. Ambroſio : *Si tantum Domine* JESV, *confert umbra tua, quantum utique veritas afferet?* aut inſuper alium
Serm. 47 in Cant. cum S. Bernardo Serm. 47. in Cant. *Si tu bonus es Domine ſequentibus te, qualis futurus es conſequentibus ?* Aut ſimiliter de novo cum S. Auguſtino
In Pſ.126. in Pſalm. 126. *Si ſpes tam dulcis, quanto res dulcior erit ?* quanto ſuavius erit id quod ſperamus in cœlo, ubi non ſunt ſenſus, qui diſtrahunt, nec caro quæ aggravet, nec fomes qui accendat, nec objecta provocent, neque paſſiones quæ tyrannizent, nec quæ ſcandalizent mala exempla. Si inveniuntur tam gratiæ voluptates in hac lachrymarum valle : Si adeò jucundus ros in hac Babyloniæ fornace : Si tam clara lux in illa caliginoſa nocte : ſi tam ſapida menſa in hoc ſolitario deſerto ſi adeò tranquilla pax in hac conflictus arena, quales debent eſſe delitiæ regni illius pacifici ab omni periculo ſervi, tam omni morbo remoti, ab omni perturbatione muniti : *Quo tendit qua talis aſcendit ?*

24. Sola tua ô æterne Deus, memoria, quondam charis amicis tuis, tantam ſubminiſtravit ſuavitatem, ut jam viderenter eſſe beati, jam promiſſorum viderentur aſſecuti complementum, atque Angelis quam hominibus judicarentur ſimiliores veluti evenit illi ſanctæ Animæ quæ dicebat : *Exultabimus, & lætabimur, memores uberum tuorum ſuper vinum.* Cant.1. v.4. In quæ verba meritò accerſendus S. Bernardus, qui egregiam hanc inde eliciat concluſionem Serm. de verb. Apoſtoli dicens : *Quid faciet in præſentia, qui in ſola memoria delectat?* Serm. de verb. Apoſtoli. Vidimus aliquando homines, tantis delibutos ſpiritus delitijs, adeòque Deo plenos, ut nil aliud cogitarint, quàm de Dei gloria, in nulla reguſtum aliquem habuerint, quàm ut Deo placerent : nullum probarint deſiderium quàm ut illi ſervirent: non alia flamma præterquam amoris divini arſerint, rerum temporalium ſemper obliti, proprij commodi ſemper inimici, amori proprio ſemper contrarij, temporibus virtuoſis ſemper intenti, in perſecutionibus læti, in laboribus contenti, in injurijs quieti, glorioſi denique in ignominijs. Liceat ergo mihi cum Auguſtino dicere : *Domine ſi tam ſuave eſt flere pro te, quale erit gaudere de te ?* Ob tui amorem plangere adeò eſt dulce, quid ergo erit in conſortio & ſocietate tua gaudere? tui cauſa perperſſæ illuſiones tam ſunt gratæ, quam ergò accepti erunt honores à te conceſſi ? Tua flagella tam ſunt amabilia, quid ergò tua, erunt tuarum blanditiarum, quibus nos afficies, delinimenta ? Dicat ergò S. quoque P. Ambroſius: *Si opprobrium tuum gloria eſt Domine*

JESV

JESU, *quid erit gloria tua? quid ergo erimus tuæ participatione gloriæ, cuius ſumus opprobrio glorioſi?* Faſciculus Myrrhæ, & Cypri Botrus appellatus Chriſtus Dominus noſter. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus: Botrus Cypri in vineis Engaddi.* Ipſe Myrrha eſt amara, & dulcis Botrus, ſemper tamen dulcis & ſemper amabilis. An verò inquit Bernardus, ſi adeò dulcis eſt in amaritudine dulcior profectò erit in ipſa dulcedine, *Si dilectus in Myrrha, multò magis in Botri ſuavitate.* Serm. 44. in Cant.

Cant. 1. verſ. 14.

Serm 44. in Cant.

25. Ultimam gloriæ conjecturam, faciamus per Lucernam conſiderationis Verbi incarnati, cuius auguſtiſſima præſentia, & ſuaviſſimi mores rapiebant mortalium corda, dulcique violentia ligabant animas eorum. Teſtentur idipſum turbæ, quæ omnium aliarum rerum oblitæ, illum ad campos, & ſolitudines uſque inſequebantur, id quod ex mente S. Chryſoſtomi Hom. 10. in Matth. unum fuit ex maioribus miraculis, quæ unquam Chriſtus patravit, videlicet, quod in numero tot millium perſonarum, è quibus multæ erant mulieres debiles, multique pueri, continui cibi maximè indigi, nihilominus ne vel unus inventus fuiſſet, qui illum pro ſua neceſſitate ſupplenda rogaſſet, idque poſt longam, ſeu triduanam abſtinentiam. *Nemo ex turba accedens ad Chriſtum pro ſeipſo rogavit mirum ſiquidem in modum venerabantur Dominum, atque amabant adeò ut vel inediam æquiori animo perferrent,* Teſtentur id quoque Publicani & vectigalium exactores, qui ad fulgur huius divinæ pulchritudinis, atque ad huius diviniſſimæ vocis reſonantiam, mox omnium aliarum rerum immemores, antiqua ſua dereliquerunt commercia, nam ut bene advertit S. Hieroymus: *Fulgor ipſe, & maieſtas, Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebant, ex primo ad ſe venientes trahere poterat aſpectu.* Teſtes mihi ſint miniſtri Juſtitiæ, qui dum abijſſent capturi Chriſtum Joan. 7. ipſi divinorum ſuorum fortitudine capti ſunt undè revertebantur dicentes: *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo,* & uti Gloſſa ordinaria dicit: *Laudabiliter ſeducti erant, qui demiſſo malo infidelitatis tranſierunt ad fidem.* Teſtes mihi ſint meretrices publicæ, quæ mox in uno momento, immutata vita, ad pedes Domini incantatæ ne dicam, an incatenatæ? ſicuti faciebat Maria Magdalena, quæ tanta cum attentione verbum Domini auſcultabat, utpote qui uti dicebat S. Paulinus: *Voce hominis divina docet.* Teſtes mihi ſint Perſiæ tres Reges, qui ipſum in tugurio Bethlehemitico veluti Regem, & Dominum adorarunt, illum inquam quem omnium rerum videbant egenum; neque adorarunt tantum, ſed etiam myſtica ei munera obtulerunt, quæ quo ad exteriorem ſui ſpeciem demonſtrabant id, quod interius in interiori cordis credebant. *Magorum legatio*

Septima Lucerna.

Hom. 10. in Matth.

Serm. 1. in Matth. cap. 9.

Joan. 7. v. 46.

In Pan. S. Celso puero.

gatio perducta ad sacrà cunabula radio desuper currente miratur. Humanitas cernitur & divinitas adoratur dicebat Augustinus: Testis similiter sit gloriosus Apostolorum vertex Petrus, qui satiari nequaquam potuit videndo Christum, cui aliquando dixerat: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes,* Qui denique ut Christum citiùs & viciniùs videre posset, in mare se demisit, inquit Ambrosius: *Non contentus Petrus se vidisse quæ viderat, repetit intuenda, & quærendi Domini amore succensus, non satiatur videndo. Vidit solus, vidit cum undecim, vidit cum septuaginta, vidit & quando Thomas credidit, vidit cum piscaretur: sed non vidisse contentus, impatiens desiderij, negligens captionis, immemor periculi, uti Dominum vidit in littore, servum putat si cum cæteris navigio perveniret; & periculoso compendio religiosum maturavit obsequium.* At verò ille Christus tunc non se in sua majestate exhibebat, gloria sua cinctus non erat, sed in forma humilis servi, & uti dicit Apostolus, à seipso exinaniti servi comparuit in similitudine hominis peccatoris, & in specie mendici & inopis hominis: aut si nonnunquam aliquam exhibuit Majestatem, sed non Divinitatem. Si ergò Christus & homo, & parvus, & contemptibilis post se habere potuit universum mundum, quam vim attractivam habebit quando apparebit & DEUS & magnus augustissimæ Majestatis? Si fœlicem reddit illum qui eum in carnis nostræ infirmitate intuetur, quam non adferet fœlicitatem illi, qui ipsum in sua amplitudine & Majestate videre futurus est dignus: Si paupertate sua locupletare potest quid faciet ubi opulentiam suam exhibuerit? Estque hic discursus S. Augustini dicentis: *Quantas divitias habet, ut de paupertate sua divites faceret? quales nos facturus est de divitijs suis, quos divites fecit de paupertate sua?*

Serm. 36. de temp.

Ambros. in Luc.

In Psal.

26. Ecce hodie Petrum in monte, qui dum videt Dominum nostrum luminosum quidem, sed non lumen æterni luminis, candidum, sed non candorem lucis æternæ; solem in vultu eius resplendentem, non tamen increatum solem, dilectum Patris, sed non Patris substantiam, ecce inquam illum omninò ab infinita cordis lætitia absorptum, omnium rerum terrenarum immemorem, imò immemorem suimetipsius, eligentem ibidem habitare semper, unde dicit: *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Respuit gloriam mundi,* dicit S. Paschasius: *Et totum quod in mundo blanditur. Sola ei claritas quæ à facie Dei splendet, placet, Quid putare possumus, quomodo placeret ei, si talem tunc posset intueri per corpus mortale, qualem nunc cernit erutus mortalitate? Et placeret ultra quàm meus concipere posset.* Petro tantopere placuit Christus velatus, quantum ergo revelatus placebit? Raptus fuit in extasin, à parvu-

Matt. 17. v. 4.

Lib. 8. Matth.

parvula quadam magnalium Domini stillula? Quid Majestatis & magnificentiæ Oceanus in ipso facturus fuisset? Tantum Petro gaudium attulit gloriosa Christi Humanitas, quantum ergo datura est gaudium, ipsa ejus Divinitas in gloria?

27. In Revelationibus S. Brigittæ legitur, quod Civitatis Nazarethanæ incolæ, eo tempore quo Christus pueritiam suam agebat suumque putativum Patrem Josephum in laboribus adjuvabat, soliti fuerint se mutuò invitare ad frequentandam huius sanctissimi Fabri officinam, ut benedictum hunc puerum, qui totus cœlestes spirabat amores, suosque spectatores inæstimabili perfundebat lætitia, conspicere possent dicentes: *Eamus ad intuendum filium* M A R I Æ, *ut hilares reddamur.* Christus actiones formabat adeò graves, tamque suavibus & amabilibus moribus pollebat, ut certa quadam & occulta vi & violentia corda & voluntates omnium ad se raperet, sua negotia puerilia tanta cum gratiositate & venustate peragebat, ut captos suspensosque teneret omnes, & tamen etiam tunc, erat instar pueri alicuius vulgaris, & ordinarij, in vilissimis officinæ cuiusdam pauperculi Fabri ministerijs occupatus, Patris obedientiæ subjectus absque ulla splendoris alicuius, aut magnificentiæ apparentia. *Quales ergo nos facturus est de divitijs suis, quos divites fecit de paupertate sua?* Fecit per paupertatem suam quendam quasi Paradisum, qualem ergo divitiarum suarum abundantia Paradisum faciet? *Bonum est nos hic esse.*

28. Hæc ergo sunt lumina, quæ aliquali modo thesauros Domus Dei manifestant. Quid ergo faciemus, nisi ut amore inardescamus? *Filioli* (dicebat suis discipulis) atque in persona illorum omnibus nobis S. Bernardus, *concupiscamus in atria Domini, crebro suspiremus illuc. Patria nostra ipsa est, adoremus saltē, & à longè salutemus eam.* Filioli inardescamus desiderio domus Domini, frequenter ad beatissimum illud habitaculum anhelemus, ipsum est patria nostra, cum devotione illam adoremus & salutemus eam saltem adminus à longe. *Filioli concupiscamus in atria Domini, ipsa est Patria nostra.* Hæc verè nostra patria est, ubi D E I exhibetur magnificentia, vita & sanguine Redemptoris nostri comparata, pro qua sancti magna adeò & notabilia præstiterunt opera, cui mundus cum universis delitiis comparatus, nil nisi fœtidus est carcer, cuius gloria aliqua ex parte adumbrata, & delineata est, ab illa gloria quàm D E U S amicis suis in præsenti vita exhibet, adumbrata dico, sed non perfectè expressa, ab illis gaudijs, quæ amici D E I nonnunquam experiuntur; data denique ad intuitivè videndum verbum incarnatum nobiscum habitans: *Filioli concupiscamus in atria Domini.* Eheu aderitne aliquando optatissima illa dies, qua

 navi-

navigatione vitæ huius expleta, appellere concedatur ad illum fœliciſſimum æternæ quietis portum? Venietne tandem illa hora millies benedicta, qua in auribus meis inſonare audiam, grata illa Chriſti verba: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Fatigari oportet, laborare, & pati oportet; ſed quid convenit modicis ejuſmodi paſſionibus cum mercede illa æterna? oportet gaudijs vitæ huius renunciare; at quis adeò inſanus erit, qui id pro tanto præmio facere detrectet? Neceſſum eſt aliquas pauculas huius ſæculi reculas perdere; verum eſt ne-
Tertull. ad Mart. gotiatio & mercatus ille valde utilis, dicit Tertullianus ad Mart. *Negotiatio eſt pauca amittere, ut majora lucreris. Filioli mei concupiſcamus in atria Domini. Sed miſerum me,*
Lib. 2. ad *puto non creditur Deo* (cogor ita cum Salviano plangere) *Quis promiſſis cæleſtibus fidem commodat, & non agit, ut eſſe poſſit particeps promiſſorum?* Qui ergo ficti in nobis timores aſſurgunt? Quæ vanæ diffidentiæ nos morantur? Qui errores craſſi nos infatuant? Quæ viles nos paſſiones corrumpunt? Quæ nos audaces temeritates diſſolvunt? *Hinc mihi gehenna inde corona paratur*, dicit Bernardus, *& inter hanc & illam medium nugari libet, oſcitare delectat? neque adeò nec trahor deſiderio, nec periculo terreor, nec cupidus planè nec pavidus.* Cœlum ſtat in arbitrio tuo & dormitatur? de æterna agitur vita, & non curatur? ſermo eſt de lucranda aut perdenda beatifica viſione DEI, & non recogitatur? *Miſerum me puto non creditur Deo*; aut ſi credis fac opera quæ fides te docet, ut tandem cœli recipias gloriam, quæ operum, & fidei tuæ, ſummum eſt præmium.

Eccleſ. Cath.

Serm. 3. de parvis.

* * *

CON-



CONCIO XI.

In Feriam II. post Dominicam II. Quadragesimæ.

THEMA.

Ego vado, & quæritis me, & in peccato vestro moriemini. Ioan. 8. vers. 21.

ARGUMENTUM.

Perfidia Hebræorum ostenditur inexcusabilis, dum non recognoverunt Redemptorem, quem tamen ipsis manifestarunt scripturæ quæ de ipso loquuntur, doctrina quam ipsemet sparsit, exemplum quod dedit, miracula quæ operatus est, denique præsentia corporalis, in qua videndum se præbuit.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Summa Iudæorum socordia repudiasse Christum præsentem quem venturum, & absentem tandiu desideraverant. num. 1.

Synopsis concionis, extracta ex illis Ioannis verbis, quod fuit ab initio, quod audivimus, &c. *n.* 1.

Primum Punctum. *Virtutes Messiæ investigandæ sunt ex sacris scripturis, locus Ioannis* Scrutamini scripturas, &c. à Chrysost. & Eutimio explicatus. *num.* 2.

Diversi diversimode scripturam legunt & ex ea fructum diversum colligunt, n. 3. 4. 5.

Scripturæ sacræ indigitantur per areolas aromatum, de quibus in Cant. *n.* 5.

Quæcunque erant in veteri testamento erant figura eorũ quæ facta sunt in novo. n. 6.

Prophetiæ primi testamenti fuerunt antiquæ semitæ ad regiã viã scilicet Christum ducẽtes. multa Sanctorũ oracula huc adducta. *num.* 7.

Secundum Punctum. *Doctrina Christi excellentissima & efficacissima, via Domini via recta, via pulchra, via plena, via plana.* n. 8. 10. 11. 12.

Christus multis in locis lux vocatur. n. 9. & 10.

Descriptio & excellentia lucis tum corporea tum spiritualis. n. 9.

Verba sapientis (qui addit scientiam addit & laborem) *& ut* Aquila *vertit,* addit tormentũ, *doctrina Christi optimè congruunt n.* 11.

Alius ex alio fio, alteratus alteratione

 divi-

divina, optimè *Greg.Naz.* *n.* 11. & 12.

Verba Caiphæ, vos nescitis quicquã: *nihil enim noverunt qui Iesum ignorabant.* deserte Origines. *n.*13.

Tertium Punctum.

*Pharisæi operibus destruebant quod ore prædicabant, contra Christus opere & exemplo confirmabat quod verbis docuerat. n.*14.

*Christus per bonum exemplum adversarios superavit. n.*15.

Omnes in Christo fuerunt virtutes in supremo gradu & ideo coronatus omnibus diadematibus. Apocal. locus explicatus ibi.

Christus est mons in vertice montiũ. Incepit ubi omnes desierunt. Locus Cant. productus. *n.* 16.

*Christus est malus inter ligna sylvarum, fructibus onusta est sol inter stellas qui decoloravit sponsam. n.*17.

Ingressus Christi, ingressus Dei Christus dicitur effigies Dei, judiciũ patris, divinitatis interpres, Deifragantia vicarius patris. à M. Tert. Chrys. Amb. & alijs. *n.*18.

*Miraculis Christi non credere magna stupiditas, n.*19.

Christus dici potest ille Angelus de quo in Apoc. qui habeat signũ Dei vivi, *hoc autẽ signũ est operatio miraculorum, per quam compellebat ad Dei obsequium. n.* 20.

*Christus fuit simul servus & Dominus & quomodo, n.*21. & 22.

*Miracula Christi etiã in cruce, omnia quæ sunt in Christo miracula operantur. n.*23.

*Præsentia Christi corporea quam efficax ad ostendendã eius divinitatẽ, sicut & convertendos peccatores. n.*24.

Grande remediũ, propter me Christus suscepit meas infirmitates, &c. S. Ambr. *n.*25.

Pulchritudo Christi, tam divina quam humana. n. 26.

Terræ sanctæ & præcipuè urbis Ierosolymitanæ encomia propter præsentiam Christi corporeã, ubi etiã de plenitudine omniũ virtutum in Christo. *num.*27.

*Infœlicitas Ierosolymæ non cognovisse tẽpus visitationis suæ. Cœcitas Iudæorum non honorasse Redemptorẽ, maior Christianorum obcœcatio post tam multa sexdecim sæculorũ miracula, ipsũ respuere & offendere. n.*28.

1. SI vita fidei vivit justus, prout divinæ paginæ huius indubitatã fidem faciunt, mirum certè nõ est, quod Judæi in sua incredulitate & infidelitate mori debeant, conformiter illi præsagio quod ipsis benedictus Redemptor prædixit, dum inquit: *In peccato vestro moriemini.* Equidẽ valdè mirum est, ꝙ adeò ignavi & desides mori videantur illi, qui tam facili negotio poterant vivere, & quod tanta cum obstinatione credere detrectetis, qui è tot motivis ad credulitatẽ obligatus erat. Infortunata ergo synagoga, ad cuius instructionem locuti sunt Patriarchæ, vaticinati sunt Prophetæ, non tacuerunt Justi, scripturæ instruxerunt, adumbrarunt cæremoniæ, significarunt sacrificia, & tamen his omnibus cœca perfidia & inconsiderata duritie obstinatissimè sese opposuit. Quodnã est novũ istud & hactenus invisum monstrũ? absentẽ Messiam desideraverunt, eundemq; abjecerunt prȩsentẽ; procul positũ postularũt, negaverunt vicinũ; amarunt ignotũ, eundemq; possessum & habitũ nõ cognoverunt. Noli ô infœlix popule, atq; in divinis literis retractans & fastidiosus semper vocate, noli inquam lamentari, si ego te hodie stultũ & ratione carentẽ vocarim, si enim te olim per os Prophetȩ sui appellavit ipsamet infallibilis veritas, dum te in tam copiosæ lucis argumentorũ medio ignorantiæ nihilominus tenebris obumbratum conspiceret. *Stultus populus*

Jer. 4. v. 22. *pulus meus me non cognovit.* Noli jā deinceps pro tantis malis tuis aliquod exspectare remedium quando unicum omnium malorum remedium contempsisti, fidem videlicet, in tantopere desideratū nec tamen cognitum Messiam. Desine jam mirari, si in miserijs tuis de malo in peius semper prę ceps abeas, siquidē misericordiæ fontem non cognovisti. *De malo ad malum egressi sunt, & me non cognoverunt,* inquit Jerem. 9. V. 3. Jerem. Propheta: Quæ fuit unquam extrema cœcitas ista, nolle videlicet te videre hoc, quod se tot modis conspiciendū præbuit, tum in scripturarum oraculis, quæ toties Redemptoris tui meminerunt, tum in doctrinæ adeò novæ & prodigiosæ sublimitate, in sanctitate operum, quæ talia fuerunt, ut perpetui stuporis essent materia: tum in miraculorū novitate, quæ cum tanta Authoris facilitate & totius naturæ creatæ obedientia patrata sunt: tum deniq; in ipsamet carne & homine exteriore, qui se divinitatis absconditæ tabernaculum tot commonstravit argumentis. Id quod totum sanctus 1. Joan. 1. vers. 1. Evangelist Joannes divinissimè edixit, cum ait: *Quod fuit ab initio quod audivimus, quod vidimus, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ testamur, & annunciamus vobis. Quod fuit ab initio:* Ecce Scripturæ. *Quod audivimus:* ecce doctrinam *Quod vidimus:* ecce opera. *Quod perspeximus:* ecce miracula. *Quod manus nostræ contrectaverunt:* ecce carnem.

Primum Punctum. 2. Exordior ergo à Scripturis: *Quod fuit ab initio.* Non est Evangelium Domini nova quædam & recens inventio, aut repentina hominum persuasio seu opinio: neque cœlestis hic Legislator ita ab improviso de cœlis venit quin diu ante infinitis modis prænuntiatus exstiterit. *Scrutamini scripturas* dicebat Redemptor noster apud Joannem: *Quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* In Joan. Ubi Chrysostomus advertit, non dici *legite scripturas*, sed *scrutamini scripturas*, quod idem est ac si diceret, cum attentione illas legite, profundè sese in ipsa immittendo mysteria, atque literæ cortice relicto ipsos penetrando thesauros spiritus: *Ad scripturarum non simplicem & aridam lectionem, sed ad investigationem per quam diligentem Iudæos relegavit: non enim dixit legite scripturas, sed scrutamini. Effodere profundius jubet,* dicit Euthymius: *ut ea quæ altè in modum thesauri recondita sunt, possint invenire.* Euth. c. 5. Joan. Aurum in profundo terræ sinu conclusum est, gemmæ in montium sunt reclusæ visceribus, absconduntur uniones & margaritæ in alto mari, mineralia in specuum fodinarumque tenebris sepeliuntur, simplicia medicinalia, majorisque virtutis herbæ deforis in densioribus sylvarum dumetis & senticetis reconditæ sunt: sic peregrinæ admodum Messiæ virtutes atque excelsæ eiusdem prærogativæ in scripturis haud dubiè delitescunt, sed sub humanarum relationum cortice coopertæ, sed depictæ terrenarum historiarū coloribus, sed sub literæ velo obumbratæ. *Scrutamini ergo scripturas.* Nolite vos in exteriori superficie firmare, verum omni cum sollicitudine in ipsos sensus spiritus penetrare contendite, atque ab eo

ab eo quod dicitur, transite ad illa quæ innuuntur, ab eo quod videtur ad id quod per illud intelligitur, gressum facite.

3. Diversi diversimode sacris literis utuntur, ut notat Petrus Blessensis super illa verba Psalm. 90. *Qui habitat in adjutorio altissimi*: neque omnes quotquot illas legunt, eodem cum affectu, aut cum eadem illas legunt, attentione: legit illas piger & timet, quia suum in ijsdem sibi videt exprobari negligentiam. Legit illas superbus & ridet quia in ijsdem nec mundi invenit politicam, nec carnis deprehendit sapientiam. Legit illas hæreticus, easque corrumpit & adulterat, quia solidorum adeò documentorum sufferre nequit severitatem. Falsi fratres illas legunt & contemnunt, quia tam sanctæ & infallabilis normæ moribus approximare recusant. Legit illas hospes & transit, non ponderans sacramenta in ijs abscondita. Denique cives legunt easdem, & inibi veluti in regio quodam palatio habitant, *Habitat in adjutorio altissimi*, atque profunda quibus plena sunt mysteria in ijsdem considerando, Christum ibidem in omni ferè pagina clarè depictum invenit. *Non omnes literati*, inquit Blessensis, *habitant in adjutorio altissimi: Sunt enim quidam, qui sacram Scripturam timent, alij eam irrident, alij eam destruunt, alij eam contemnunt: alij per eam transeunt, alij habitant in ea. Qui timent eam, pigri sunt, qui irrident, superbi sunt: qui destruunt hæretici: qui contemnunt falsi fratres: qui transeunt hospites: qui habitant in ea cives.* Serm. 12.

4. Unde optimè dixit S. Augustinus, necessum esse diligens figurarum antiquarum facere scrutinium, sic enim fore, ut Christus in ijs clarè compareat figuratus: *Si figuræ discutiantur omnia ibi prophetata reperiuntur, quæ sunt præsentata vel exspectantur præsentanda per Christum.* *Quæretis me & non invenietis. Quare? Quia non scrutamini scripturas, quæ testimonium perhibent de me. O filij dispersi, oves errantes, rami præcisi, quid mihi calumniamini? Quid me non agnoscitis? scrutamini scripturas, ipsæ testimonium perhibent de me.* In veteri Testamento prout idem advertit Augustinus, nihil est aliud quam prophetia quædam testamenti novi. Unde quidquid in illa prædictum fuit, in hoc completum esse cernitur, ibi figura hic vero figuratam: *Vetus Testamentum rectè intelligentibus prophetia est Novi Testamenti.* Non videbatur ibi Christus perfectè expressus, sed obscurè tantum adumbratus: *Nondum revelabatur, sed tantum figurabatur.* Idem quoque alibi dicit, fuisse mysteria incarnationis in Veteri Testamento, veluti sancta sanctorum velo cooperta, ideòque mirum non esse, illis temporibus plenè non fuissent cognita: at verò nunc, postquam velum scissum est per medium, *à summo usque deorsum*, magna profectò cœcitas est eorum, qui sacramenta jam revelata & aperta non vident. *Gratia Novi Testamenti in lege velabatur, in Ev-*

K. 1. Retr. cap. 22.

Tract. 5. in Joan.

L. 15. contra Faust.

in Evangelio revelatur. Velum amovimus, quod velabatur agnovimus. Idque est quod dixit sanctus Bonaventura, scilicet quod *Testamentum vetus totum est de DEO incarnando: Testamentum novum de DEO incarnato.*

5. Accedite mecum obsecro, ad librum mysticorum illorum Canticorum, quem Salomon in regiarum nuptiarum suarum praeconium quidem composuit, sed adhibita tali penna quae mota à Spiritu sancto per sublimissimos sensus verbi aeterni cum humana natura, pactas nuptias designabat. Ibi verò genae sponsi, mystica profectò similitudine, amoenissimo cuipiam hortulo in pulchras areolas distincto, aromaticis & medicinalibus herbulis plenissimo comparant: *Genae tuae sicut areolae aromatum.* Non sum nescius, quod quoad exteriorem literae corticem, describatur ibidem extrema & incomparabilis Sponsi pulchritudo, nata ex proportione & symmetria vultus caeterorumq; membrorum extraordinaria, nec non ex prima lanugine quae circa genas illas modestè coloratas jucundissimè florebat: transeundo autem à sensu liberali ad mysticum cum Philone Episcopo Carpathio dicemus, quod *genae Christi sunt sacrae Scripturae, quae unguentum suavissimum spirant, ad omnem animi languorem sanandum.* Scripturae sacrae, sunt genae Christi, dictaeque sunt esse instar alicuius horti aromatum, quia ad primum divini vultus sui conspectum, fugati sunt omnes mentis languores & dolores. Verùm *quid genis & Scripturis?* dicit doctus quidam modernus, Franciscus Mendoza: *Quid genis convenit cum scripturis? ex genis & facie quilibet homo agnoscitur atque distinguitur ab omnibus alijs, conformiter ijs verbis sapientis. Ex visu cognoscitur vir:* Sic quoque ex Scripturis sacris, apertè satis intelligi potest, qualis futurus sit Messias, & quaenam illius futurae sint individuae proprietates & dispositiones: *Sicut ex genis cognoscitur homo, ita planè ex sacris Scripturis apertissima Christi Domini cognitio comparatur. Scrutamini Scripturas, illae testimonium perhibent de me.*

Philo Carpath. in Cant.

In 1. Reg.

Eccles. 19. v. 26.

6. Unde sanctus Paulus omnia antiquae legis mysteria vocavit *Vmbras futurorum.* Umbra facta est de corpore, veritas corpus erat, umbra figurae: Evangelium corpus, prophetiae umbra; corpus Ecclesia, umbra Synagoga; corpus Eucharistia, umbra sacrificia antiqua; corpus Apostoli, umbra Patriarchae; corpus MARIA Virgo, umbra arca Testamenti; corpus Baptismus, Mare Rubrum umbra; Corpus Crucifixus, Aeneus Serpens umbra; Corpus Messias, Lex umbra. *Vmbra habens futurorum* Et sicuti ex umbra aliquatenus aestimari potest magnitudo figurae, aliarumque corporis proprietatum: ita ex figuris antiquis, cuilibet qui mentis & sensus inops non est, facile est penetrare in aliqualem Messiae notitiam, nam umbrae illae ex mente sancti Augustini: *Significabant suo tempore revelanda, quae nos revelata* Ec *susce-*

Col. 2. v. 17.

In Ps. 76.

suscepimus; proinde illa vetera signa rerum; non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit: ut alia essent, quæ nunciarent venisse jam Christum, quam fuerant illa, quæ pronuntiaverant esse venturum. Non venit Christus ad abolendam sed ad complendam legem; non annihilavit, sed verificavit Prophetias; non sustulit cæremonias sed mutavit; non abolevit sacrificia cruenta, sed ea omnia in unum duntaxat sacrificium incruentum redegit. Eadem mente Clemens Alexandrinus vocat verbum incarnatum *Novæ Harmoniæ æternum modum.* Idæa seu modella in compendio totum id continet, quod ipsa fabrica in suâ habet amplitudine: Sic sacra Scriptura continebat Christum, sed restrictum: Evangelium vero eundem in suâ continet amplitudine & maiestate. Unde qui idæam respicit antiquam, pariter & novum inde natum ædificium, facillimè videt, quod quoadusque in illo delineatum fuit, tantum præcisè in hoc fuisse executioni mandatum. *Audi filia & vide*, inquit David. *Audi promissum, vide completum*, interpretatur sanctus Augustinus; audi qualiter à Prophetis fuerit effigiatum, & vide qualiter in plenitudine temporis fuerit fabricatum; audi veteris Testamenti oracula, & vide miracula novi; audi id quod promissum est, & audi hoc quod completum est. Audi *promissum vide completum.* Unde gratiosa fuit exclamatio illa Tertulliani: *O Christum in novis veterem.* Nihil non de Christo in novo Testamento dictum est, quod in veteri prædictum non sit. *Scrutamini Scripturas, illæ de me loquuntur.*

In Exhortat. ad gentes.

Psal. 44. vers. 11.

L. 4 Adversus Mar. c. 20.

7. Verum valdè aptè ad propositum nostrum loquitur Jeremias Propheta, quando dicit, omnes Prophetas esse quasi tot semitas & tramites, qui omnes terminantur & ducunt ad viam regiam, quæ est Christus: *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in eâ.* Interrogate Prophetas, & omnes nova de Messiâ vobis significabunt, ambulate in illis semitis, omnes namque in viam vos regiam perducent, sectemini magnorum illorum Magistrorum doctrinam, illamque laudibus atque encomijs de Christo prolatis refertissimam reperietis. *Multæ viæ*, dicit Theodoretus, *sunt sancti Prophetæ, via autem verè bona est Dominus noster, ad hanc ducit unaquæque viarum Propheticarum. Singuli Prophetæ viam hanc ostendunt.* Id quod apertè in concione quadam sanctus Petrus dixit: *Omnes Prophetæ à Samuele & deinceps qui secuti sunt, annunciaverunt dies istos.* Atque idem in eâdem concione repetit, dicens: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Ita Tertullianus lib. 3. Carminum contra Marcionem cap 20. cecinit:

Jerem. 6. v. 16.

Act. 3. v. 24.

Lib. 3. Carm. contra Marc. cap. 20.

Omnia de Christo, per Christum
cuncta loquuntur.

Nullus est Scripturæ locus, nullum Prophetarum oraculum, nullum Patriarcharum facinus, nec ritus Sacrificiorum quæ non loquantur de Christo. Si ergò, ô perfide, Moysi credis, cur Christo non credis, de quo locu-

locutus est Moyses ? atque si Prophetarum oracula tibi vera esse persuades, cur inde Prophetati Messiæ imaginem non colligis ? cur adhuc verbum quæris in verbo ? verbum æternum in verbo scripto ? Si jam homo factus tenebras figurarum & obscuritatem umbræ effugerit ? *Quid* Epist. 106. *quæris verbum*, dicit Bernardus : *Quod jam caro factum præstò est oculis* ? ô indignos gratiâ Dei, quem non cognoverunt, aut cuius adeo magnum non recognoverunt beneficium? porro si de filiatione tantopere gloriabantur ut dicerent: *Nos filij Abrahæ sumus*, cur magni illius Patriarchæ quoque non imitantur fidem, qui post revelatum sibi diem Domini tantam exhibuit lætitiam : *Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus est. Superbierunt inde Iudæi* In Ps. 56. dicit Augustinus, *& dixerunt : Nos filij Abrahæ sumus superbientes de nomine paterno, gerentes eius carnem, non tenentes eius fidem, semini hærentes, moribus degenerantes.* Concludat ergo sanctus Bernardus, Serm. 14. in Cant. discurrendo super illa verba : *Oleum effusum nomen tuum*, ubi dicit quod Scripturæ Sintoleum quoddam, quod per nos diffusum est, cuius passim sentitur fragrantia, Hebræo verò non oleum effusum, sed reclusum verè est : *Iudæus habet oleum sed non effusum, habet in codicibus, sed non in cordibus. Quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus. Stultus populus meus me non cognovit.*

Secundum Punctum. 8. Secundò dicit Joannes: Quod audivimus de verbo vitæ, Messiam enim ex verbis & doctrinâ suâ recognoscere debeant, quæ adeo sancta fuit & integra, ut mundum istum sanctificarit; adeò rationabilis, ut omnium convicerit intellectus; adeò vera ut luce suâ universa manifestaverit mendacia; adeò potens, ut omnem expugnarit obstinationem; adeò universalis, ut omnem aperuerit veritatem, adeò facilis, ut eam etiam simplices intellexerint & idiotæ: adeò alta, ut cuncta revelarit Paradisi arcana; adeò perfecta, ut omne ad salutem necessarium dogma contineret; adeò suavis, ut corda hominum raperet & voluntates; denique nova adeo, ut similis mundo nunquam visa fuerit. Hæ sunt viæ illæ, innuente id sancto Bernardo, de quibus sapiens loquebatur : *Iustum deduxit Dominus per vias rectas.* Serm. de 4. debito. *Viæ Domini viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ sine errore, quia ducunt ad vitam : Pulchræ sine sorde, quia docent munditiam : Plenæ multitudine, quia totus jam mundus est intra Christi sagenam : Planæ sine difficultate, quia donant suavitatem.* ô pretiosam doctrinam, quæ nullis est obfuscata erroribus, ad instar illius, quæ est Philosophorum; neque obscurata per ignorantiam, sicut illa Paganorum: Neque ænigmatibus implicita, cuiusmodi erat doctrina Hebræorum; Nam uti advertit sanctus Bernardus: *Error ubi est seducit : ignorantia ubi est non ducit, ænigma ubi est etsi ducit non tamen perducit.*

9. Merito Dominus noster in sacrâ paginâ luci millies comparatur, imò ipsemet de se loquens dixit: Ego sum lux mundi; Lux enim visi-

 bile

bile reddit quidquid est in mundo, radijsque suis pulcherrimis, veluti elegantissimis coloribus, inaurat aërem, flores decorat, plantas encausto depingit, limpidas & crystallinas reddit aquas, potenti & efficaci virtute sua, fœcunditatem terræ subministrat, saporem fructibus, herbis vitam, vigorem sementi, aviculis cantum, lætitiam hominibus, animalibus denique spiritum. Ab hac habitatione nostra sublunari lucem tolle, & mox ipsæmet purpuræ, funesti lugubresque vestitus, Palatia specus horrendi, sordidum lutum gemmæ, margaritæ nigri carbones, denique vultus hominum horribilia spectra erunt. Desinat lux in mundo, moxque elementa gement, terminabuntur commercia, artes perdentur, cessabunt negotiationes, scientiæ intermorientur, atque tantæ tamque mirabiles humani ingenii inventiones prorsus reddentur inutiles, tum pro necessitatis sustentatione, tum pro sublevatione laborum, pro delectationum materia, pro mentis exercitio, pro conservatione corporum, pro sensuum usu, denique pro vitæ conservatione. ô ergo gratiosa lux verèque divina, quæ ab hoc magno Magistro manavit, illa namque mediante *populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*, per hanc lucem revelata sunt secreta cœlestia, gratiæ annunciati sunt thesauri, prædicata æternitatis gloria, virtutis manifestata pulchritudo, horrida facta vitij deformitas. Hæc est illa beata lux, quæ Principes tenebrarum malignas artes omnibus fecit esse conspicuas; manifestavit perpetuas fallacis mundi huius fraudes, & illusiones, ærumnosæ & laboriosæ huius vitæ detexit pericula; nec non continuatas fugitivi & inconstantis huius sæculi traditiones. Hæc adeò potens extitit, ut ad castimoniam virginum reduxerit meretrices: ad Apostolorum paupertatem perduxerit Publicanos: ad perfectionem sanctorum perduxerit latrones; cœlesti quadam urbanitate, ac morum elegantia rudes imbuerit piscatores; denique usque ad ipsos terræ huius Imperatores cunctis Evangelij persuaserit humilitatem. ô lucem! ô vocem! quæ contra integrum sapientum huius sæculi torrentem, de quibus Augustinus dixit, quod *sibi usurpabant lumen, & furebant contra diem*, contra inveteratos mortalium abusus, contra consuetudines temporis diuturnitate firmatas, & potioris partis hominum exemplo stabilitas, in terra ista obtinere potuit, ut divitiæ spinæ, paupertas sponsa, honores detrimentum, detrimenta beneficia, placere fastidium, pati gaudium, mori denique lucrum æstimaretur. Tract. 45 in Joan.

10. Ego hodie de Redemptoris nostri voce & doctrina dicam id, quod referente Augustino quondam Orator Romanus, de doctrina & libris Marci Varronis dixit: *Nos in nostra urbe peregrinantes, errantesque tamquam hospites, tui libri, quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium humanarum divinarumque rerum nomina, genera, officia, causas, aperuisti.* In hac nostra mundi mansione Lib. 6. de Civit.

sione quasi perditi eramus, tu verò ô Domine divinæ tuæ sapientiæ luce, nostros nobis monstrando errores, veluti domum nos reduxisti, ut tandem aliquando, qui, & ubi simus, intelligamus. Tu tot nobis, tantaque secreta aperuisti, & manifestasti, scilicet patriæ nostræ ætatem, quæ est æterna; brevitatem vitæ nostræ, quæ nihil est nisi momentum; rerum terrenarum vanitatem, quæ sunt tantum umbra quædam; veritatem cœlestium, quæ omnem superant intellectum; Tu perfectam nobis dedisti notitiam abrogatæ legis veteris, novæ autem legis stabilitæ; regalis Sacerdotij, sacrificij incruenti, fundatæ Ecclesiæ, introducti Evangelij, Synagogæ reprobatæ, completarum figurarum, vaticiniorum revelatorum. Tu minutim descripsisti officia fideliũ, professionem Christianorum, bella confligentium, victorum coronas, civium pacem, populorum leges, officia denique Prælatorum.

Orat. funebri de S. Basilio. 11. Si etiam Nazianzeno dicere licuit, quod mox ut meditari inciperet sancti Basilij doctrinam, se repente in alium mutari hominem sentiret, se quoque non in animo tantum, verum in ipsomet quoque corpore transmutatum adverteret, dignumque fieri divinæ Majestatis templum, & organum Spiritus sancti ad gloriam eius & potentiam deprædicandam: *Cum sermones eius tam morales, quam activos evolvo, anima pariter purgor & corpore, ac templum fio Dei capax, organumque pulsatum à Spiritu, divinam decantans gloriam & pietatem. Cum hoc immutor & dirigor, aliusque ex alio fio alteratione alteratus divina.* Si inquam hic Nazianzeno dicere de doctrina Basilij licuit, quanto magis idipsum dici debebit, de ipsa Domini doctrina, qui divinis sermonibus suis homines à peccatis purgando, affectum ad virtutes ijs inserendo, sublevando illos à terra, ab occasionibus elongando, ad amorem inflammando nova in ijsdem desideria, novasque intentiones excitando stupendas profectò, neque hactenus visas in pectoribus humanis faciebat metamorphoses, adeò ut quilibet ex saluberrimis beatissimorum sermonum illorum pascuis revertens, jure dicere potuisset: *Aliusque ex alio fio alteratione alteratus divina.* Ad hæc si sapiens dixit: *Qui addit scientiam, addit & laborem*, quia quo quis fit sapientior, eo plus laborare cogitur, ad eos thesauros, quos sapientia manifestat, acquirendos. Ecclesi.1. v.18. O quot in cordibus eorum, qui ex ore Christi sapientiam auscultabant, proponebantur labores, tanti profectò, ut neque tormenta expauescerēt debiles, nec viri honorati subterfugerent ignominias, neque rerum suarum jacturam quicquam æstimarent divites. *Qui addit scientiam, addit & laborem* Aquila legit. *Addit & tormentum*, nam uti Gregorius dixit Theologus Orat. funebri in Basilium: *Profectò plaga cordati hominis doctrina est*, Eodem modo ex doctrina Christi auscultata, revertebantur singuli amore divino vulnerati, flammis tosti cœlestium desideriorum, & firmæ fiduciæ, percussique ictibus charitatis dicere singuli poterant: *Alius ex alio fio alteratus alteratione divina.*

2. Petr. 1. v. 16

12. Unde S. Petrus 2. Pert. 1. ut probabilem redderet Evangelij prædicationem, dicere debuit hæc verba: *Non doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem.* Sed quid hic audio? quid inquam dicit Apostolus. An ergo periculum erat, ne suspicio esset, Evangelium meram esse fabularum congeriem, ideòque necessum fuit dicere: attendite, quia non fabula, sed mera & expressa veritas est id, quod dicitur? *Non doctas fabulas secuti.* Romanorum fabulæ certè transmutationes quasdam referunt, adeò profectò stupendas, ut prorsus incredibiles videantur, ideoq; dicit sanctus Petrus: dicturus sum vobis aliquos adeò insolitos, & admirabiles Evangelij, & doctrinæ dominicæ effectus, ut existimaturi sitis esse fabulas, adeò sublimes sunt & excelsi; nunc verò certò scitote, certissimas & indubitatas esse veritates. Sanctus Ambrosius de hoc Patriarchâ loquens in sanctitatis ac virtutis suæ commendationem, hoc magnum edixit elogium: *Magnus planè vir Abraham, quem votis suis Philosophia non potuit æquare: minus est quod illa finxit, quam quod iste gessit: maiorque ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides.* Magnus omninò vir Abraham fuit, quem humana sapientia nullis verbis suis assequi potuit, minusque est, omne quod illa finxit, quam quod iste fecit, longèq; maior est simplex & nuda veritas, præ omni ex artificioso eloquentiæ fictione derivato mendacio. Eodem prorsus modo dico ego: *Non doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem.* Mirabilia quæ vobis ex Evangelij dogmatibus dicturus sum, dum exhibebo leones conversos in agnos; item agnos fortes factos sicut leones; durissimas petras in filios Abrahæ transmutatas; saxa à seipsis mota ad ædificandam concurrere Ecclesiam; realiter & verè mota ex sermone Christi, idq; efficacius quã olim fabulati sunt Poëtæ de saxis ex resonante Amphionis lyrâ commotis; hæc inquam mirabilia magna, fabulæ vobis videbuntur esse, sed non sunt. *Hæc enim est proprietas Dei* (ut advertit sanctus Zeno Episcopus Serm. de Resurrectione) *id operari, quod non potest credi. Alius ex alio fio, alte ratus alteratione divinâ.*

L. 1. de Abraham.

Serm. de Resurr.

13. Quæ cum ita se habeant, quâ ergo ratione increduli isti, Messiam suum ex doctrinæ suæ luce non cognoverunt? quomodo à tam suavi musicâ se non permiserunt placari? quî fieri potuit ut ab illis divinis sermonibus nó vulnerarētur, qui ipsas quoq; petras emollire potuissent? qui adeò erant efficaces, ut post se populos traherent & turbas, unde dicebant: *Totus mundus post ipsum abit:* adeò fortes, ut omnibus bonis mox avaros spoliarent publicanos: adeò dulces, ut turbas in campestribus ligatos, omniumq; aliorum negotiorum vitæ huius oblitos & immemores retinerent: adeò accurati, ut perversos sapientum terræ huius animos vincerent, atq; cōvincerent: adeò deniq; suaves & amabiles, ut Petrus totius Apostolici senatus nomine diceret: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* ô quam benè secundũ Originem in Matthæum, caput cōsilij vestri Caiphas dixit de vobis: *Vos nescitis quidquã: nihil enim noverant qui Iesum ignorabant*: quid enim scire poterant, si omnis scienrtiæ fontem ignorabant, aut

Orig. in Matth.

aut neſciebant id quod ſolum ſapientes reddit homines? *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*, legimus apud Prophetam, id quod ſanctus Hieronymus ſic interpretatur: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, cum morbos verbo curas, cum mare quieſcere facis, cum ventis ſilentium indicis, cum febrim diſcedere jubes, cum Lazarum vocas & venit, Patrem interpellas & audit, & non ſolum audit, ſed etiam reſpondet, & omnia quæ loqueris, gratiâ labiorum tuorum perficiuntur.* Et tamen hi infœlices homines adeò mentis ſunt inopes, ut hanc labiorum Domini gratiã, non videant, ſeq; à tam ineffabilis dulcedinis eſcâ capi nõ ſinant: *Stultus populus meus me non cognovit.*

Hier. in Pſalm. 44.

Serm. de Reſurr.

14. Verum enimvero, quanto maior populi huius ſtultitia fuit, non cognoviſſe eum, quem tanto tempore proprijs ſuis oculis, veluti operum cœleſtium, divinarumque virtutum exemplar conſpexerunt: *Quod vidimus oculis noſtris.* Non erat Dominus de Phariſæorum genere, de quibus dictum eſt: *Dicunt & non faciunt.* Bonam prædicabant doctrinam, at vero prædicationis fructum malis operibus deſtruebant: de lege ſublimiter loquebantur, & depreſsè ſine lege vivebant; alios divinarum ſcripturarum ducatu, ad cœlos ſublevabant, interea verò ipſimet, per ſenſuales affectus ſuos, per terram ſerpebant. Audite hac in re ſancti Baſilij mentem, qui uno verbo totum complexus eſt: *Ille quantuscunque erat, nihil niſi virtus erat.* Quidquid in Domino noſtro cernebatur, virtus erat conſummata, ut proinde ipſe Hebræis toties merito exprobarit, quod operibus ſuis non crederent, quæ tamen melius fortiorique magiſque efficaci voce loquebantur quam verba: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum.* *Opera quæ ego facio*, inquit, in aliâ quadam occaſione; *Teſtimonium perhibent de me.* Et alibi: *Si non facio opera Patris, nolite credere mihi: ſi autem facio, etſi mihi non vultis credere, operibus credite.* *Ille quantuſcunque erat, nihil niſi virtus erat.* Credidit Paganus à ſola operum Chriſti famâ motus, & qui illum proprijs intuitus eſt oculis non credat? *Qui non viderunt crediderunt, & qui viderunt negaverunt* dicit Auguſtinus. Imò ipſis quoque dæmonibus pejores exiſtunt, qui minus facere nequiverunt, quam ut illum confiterentur eſſe ſanctum Dei, unde dicebant: *Scio quod ſis ſanctus Dei. Populus negat, quem dæmones confitentur*, admirabundus dicit Ambroſius in Lucam: *Stultus populus meus me non cognovit.*

Tertium Punctum.

In Cõſtit. Monaſt. cap. 6.

Joan. 15. v. 24.

Joan. 5. v. 36.

Joan. 10. v. 37. 38.

Luc. 4. v. 34.

Ambr. in Luc.

15. Porro quid in Chriſto unquam viſum eſt, quod admirabile non eſſet? qui mores non ſancti? quæ operationes notatæ non perfectæ? quod unquam ſuggeſſit conſilium non cœleſte & divinum? unde Propheta fœlicitatem regni ſui, peregrinarum potius exemplo virtutum, quàm omnipotentiæ ſuæ viribus acquiſiti prædixit: *Propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam & deducet te mirabiliter dextera tua.* q.d. Habebis indubiè, ô Magne Domine, in hoc perverſo mundo oppoſitiones, hic enim ſemper ſe ſanctis & virtuoſis adverſum

Pſal. 44. verſ. 5.

ſi'n & contrarium exhibet, attamen operum tuorum ſanctitate dilatabis te, tibique ad totius mundi imperium viam aperies. Dicaces & malevoli famam quidem denigrabunt operum tuorum, tuarum tamen extraordinariarum luce virtutum maledicentiæ illius diſpelles tenebras. Nominis quidem tui ſanctiſſimi habebis inimicos, verum mox tuorum morum ſuavitate, & pulchritudine amicos illos tibi facies, & benevolos: *Deducet te mirabiliter dextera tua, talis apparuit, qui merito amaretur* (ſunt verba Bernardi Serm. 70. in Cant.) *verax pro ſe, mitis hominibus, juſtus pro hominibus. ò verè amandum & totis medullis cordis amplectendum ſponſum! Quid jam cunctetur Eccleſia totam ſe tota devotione committere, tam fido redditori, tam pio indultori, tam juſto propugnatori.* De Chriſto ſanctus Ambroſius verba illa Davidis intellexit: *Gloria & honore coronaſti eum Domine.* Gloria, dicit Sanctus, virtutis eſt præmium, omnis autem virtus particularem ſuam gloriam habet, qua virtuoſus quiſque coronetur. Joſeph à caſtitate coronatus fuit, à juſtitia Paulus, Petrus à fide, & ſic de cæteris ſanctis diſcurrendo; quia verò Dominus noſter in gradu eminentiſſimo ſanctitatem habuit, omni quoq; gloria coronatus fuit: *Quæ eſt corona, qua coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit caſtitatis, Paulus juſtitiæ, Petrus fidei, ſingularum virtutum coronæ ſunt; ſolus Chriſtus habet coronam gloriæ. In hac corona omnes coronati ſunt, quia gloria non portio unius coronæ, ſed præmium omnium coronarum.* Atque ideo forſitan Chriſtus à Joanne in Apocalypſi viſus eſt multa ab æterno Patre ſuo recipere diademata: *Data ſunt illi diademata multa*, quod idem eſt, ac ſi uſitato Scripturæ divinæ loquendi modo, diceret, omnia diademata data ſunt ei, ſicut namque omnes virtutes ipſe habuit, ita quoque omnium recepit præmium, *quia gloria non portio unius coronæ, ſed præmium omnium coronarum.* Coincidit id cum eo, quod Iſaias juxta ſententiam ſancti Hieronymi ibidem dixit: *Semita juſti recta*: cuius dicti ſenſus in Chriſtum directus eſt, qui per excellentiam juſtus dicitur: *Illius ergo juſti ſemita recta eſt, ſive ut verbum novum fingam, ſemita juſti rectitudines. In una igitur Chriſti ſemita, omnes juſtitiæ reperiuntur.* Omnes juſtitiæ, omnia genera ſanctitatis, omnes laudabilium rituũ modi in uno Chriſti pectore habitarunt, ac proinde omnes coronas omnemque gloriam in ſe habet. *In hac corona omnes coronæ ſunt.* Hinc ergo cum Petro Damiano Serm. de nativit. virginis facile eſt duo divinæ Scripturæ loca, quæ prima quidem facie pugnare videntur, ſibi invicem conciliare. Primus eſt Joannis 3. ubi Joannes Baptiſta dicit: *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum:* Alter vero locus eſt ſancti Pauli ad Epheſ. 4. ubi Apoſtolus contrarium dicere videtur: *Vni cuique veſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis. Quomodo non ad menſuram?* inquit Beatiſſimus ille Cardinalis, quomodo ſpiritus & gratia datur ad menſuram, & tamen etiam ſine menſura? at in promptu eſt reſponſio, ſcilicet ad menſuram datur omnibus hominibus, ſoli vero Chriſto ſine menſura; ad menſuram illi datur qui modi-

Serm. 70. in Cant.

Serm. 15.

Apoc. 19. v. 11.

Iſ.

Pſal. 1[illegible] v. 7.

Serm. [illegible] Nativ.

modici capax est: sine mensura illi qui capax est in infinitum: cum mensura datur ei qui in omnibus mensuram habet: sine mensura verò illi, qui nullam in rebus mensuram novit. *Solus ille non habet modum, qui habet totum,* dicebat Bernardus.

Apoc.19. v.11.

Is. 2. v.2. 16. Hic est mons ille præparatus in vertice montium, id est, supra omnium sanctorum altitudinem, ibi namque Christus incipit, ubi illi desinunt, seu finiunt, atque quod in ipsis eminentia fuit, in Christo est humilitas, prout Basilius ibidem, hisce verbis advertebat: *Itaque præcellens, & incomparabilis prærogativa Domini, juxta assumptam humanitatem supra omnes qui simul adjuncti, quibusdam virtutum ornamentis eminent, demonstrata est eminuisse.* Omnes montes, dicit Hieronymus in Isaiam ad Christi sublimitatem & eminentiam comparati omnem perdunt altitudinem, neque montes sed planities ac profundæ valles esse videntur: *Ad conversationem illius universa vita hominum comparata campi dicuntur & valles.* Eodem quoque modo Gregorius lib. 33. Moral. locum hunc intellexit: *Mons quippe est in vertice montium incarnatus Dominus transcendens celsitudinem Prophetarum* unde nec sponsa dilectum suum invenit, nisi postquam omnes civitatis custodes pertransisset: *Paululum cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea.* Non reperitur hic Christus in serie aliorum justorum, neque in aliquorum sanctorum ordine conspicitur, quantum libet eminentes sint, neque in præcipuorum Dei amicorum medio cognoscitur, omnes namque transcendit, atque infinito excedit intervallo. Ita hunc locum exponit sanctus Gregorius Papa lib. 27. Moral. *Bene autem subditur: Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: quia visionis eius mens avida, nisi Prophetarum æstimationem, nisi Patriarcharum celsitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram transcenderet, eum qui est super homines non inveniret.* Inter homines non invenitur is, qui est supra homines, ideoque necessum est, ut omnes transcendat terminos, omnesque rerum humanarum mensuras: *Transire est ergo vigiles, etiam eos, quos miratur anima, in eius comparatione postponere. Est tunc is, qui quærebatur, cernitur, si homo quid in, sed tamen extra mensuram hominum credatur.*

Psal. 16. v. 7.

Basil. in Is.

In Is.

Serm. de Nativ.

Lib. 33. Moral.

Cant. 3. v. 4.

Lib. 27. Moral.

17. Ecce tibi ergo malum fructibus plane onustam in sterilium & infœcundarum arborum medio in sylvis constitutam Cant. 2. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus inter filios, nam ut Origines Hom. in Cant. dixit: *Ad Christum saltus est, omne quod dixeris, & infructuosa sunt omnia, quæ non possunt dici ad eum comparata fructuosa? etiam ligna quæ videntur fructibus incurvari, ad collationem adventus eius infructuosa monstrata sunt.* Pone hunc Dominum omnis virtutis lux disparet, omnis puritatis candor nigrescit, omnis innocentiæ gemma vilescit, omne suum pretium perdit quod vis charitatis aurum, difformis redditur omnis sanctitas, omnis præeminentiæ gloria ingloria redditur. *Ad Christum*

Cant. 2. v. 2.

Orige. Hom. in Cant.

stum saltus est omne quod dixeris. Hic est sol, coram quo in Ecclesiæ firmamento omnes stellæ disparent: unde illa in Canticis cap. 1. dicebat: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Per solem Christus significatur*, dicit Gregorius Papa in Cant. *Ergo eam decoloravit, quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit. Sunt quippe nonnulli qui in hac nocte mundi velut stellæ hominibus fulgent, lumina ria proximis apparent, sed mox ut justitiæ Christi se comparant, quasi sine luce sunt, qui penè incomparabiliter prius hominibus lucebant*; adeò ut in comparatione virtutum Redemptoris, tepida sit etiam ipsius Abrahæ devotio, frigida Charitas Moysis, Zelus Eliæ remissus, impura Josephi castimonia, Jobi patientia infirma, dura Davidis teneritudo, denique *quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit.* Hæc causa est, cur Christus super pennas ventorum ambulare dicatur Psal. 103. *Qui ambulat super pennas ventorum*, nam uti interpretatur sanctus Gregorius Lib. 19. Moral. *Velocitate & sublimitate ventorum, in Scripturâ sacrâ solent animæ designari, &c. qui ambulat super pennas ventorum: id est qui transgreditur virtutes animarum.* Idque cum maiori etiam claritate Rex sanctus dixit Psalm. 44. dum inquit: *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quasi diceret, à Patre tuo quidem unctus es, verum incomparabiliter liberalius & copiosius præ alijs hominibus unctus es, ut per te omnes alij ungerentur. Tu fontem habuisti, illi stellas, & sicut Hieronymus in Psalm. 132. dixit: *Ideo unctus es ut cæteros ungeres. Tu unguenti habuisti fontem, illi stillas habuerunt.*

Cant. 1. v. 6. — Greg. in Cant. — Psal. 103. vers. 3. — Lib. 19. Moral. — Psal. 44. v. 8. — In Psal.

18. Et nihilominus tanta tamq; extraordinaria sanctitas ab Hebræis visa non fuit, imò tanta fuit illorum cœcitas, ut peccatorem appellarent eum, qui omnis innocentiæ fons est & origo: *Si non esset hic malefactor, tibi eum non tradidissemus.* ô blasphemia execranda: quid namque in Christo Domino nostro unquam notastis, quod commensuratum non esset legibus æternis? quid in illo deprehendistis quod non esset admirabile aut filio Dei indignum. Annon ipse Philippo dixit: *Qui videt me, videt & Patrem meum?* Sicut enim ex corpore videtur anima, sic in Christi humanitate, nec nō in moribus eius plus quam humanis & verè divinis Deus videbatur. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei qui est in sancto*, sunt Davidis Regis verba, Psalm. 7. quibus dicit: Quod viæ & ingressus Christi fuerint ipsiusmet Dei, uti exponit sanctus Basilius: *Ingressus Dei dispensationes illius dicit, sanctum verò filium, è semine David assumptum, vocat. Manifestata est, inquit, providentia tua & eximias dispensationes tuas cognoverunt universi.* In Christo omnes recognoscere poterant gressus ipsius Dei, nam modus procedendi Christi, omnino sanctus erat, planè purus, totus immaculatus atque divinus. *Viderunt ingressus tuos*, Atque ideò omnino credo, quod Redemptor noster à Tertulliano hoc nomine vocatus sit, *Effigies Dei*, eius namq;

Joan. 18. v. 30. — Psal. 67. v. 25. — Basil. in Psal.

vita

vita talis erat quæ Dei vitam ad vivum repræsentaret: à Chrysostomo *Iudicium Patris*, eo quod paternæ progeniei indolem, in omnibus operationibus externis insinuaret: Ab Ambrosio *Divinitatis interpres*, erant enim Domini nostri opera, veluti naturæ divinæ in homine absconditæ glossa seu interpretatio. Ab Augustino pictura deifica *humanis greßibus portabatur pictura deifica*. Beatissima enim humanitas illa, veluti quadrum quoddam, seu pictum erat perfectionis essentiæ divinæ simulachrum. Ab Eusebio Cæsariense *Dei fragrantia*, nam quocunque se reciperet, & semper & passim odorem spargebat divinitatis. A sapiente *speculum sine macula Dei maiestatis*, nam uti Tertullianus docet: *Nulla res speculum alterius rei adest, non coæqualis. Nemo se apud tonsorem pro homine mulum inspexit.* Nemo in speculo differentem se conspicit ab eo, qui revera est, hic quoq; Pater æternus semetipsũ in Christo veluti vivâ & verâ imagine suâ conspiciebat. Denique Tertullianus dixit: Christum se in omnibus veluti Patris exhibere vicarium: *Vicarium se Patris ostendit, per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in filio facta & verba Patris administrante.* Adhæc si Hieronymus Epist. ad Salvian. dicere potuit, Nebridium etiamnum parvulum imaginem Patris sui ad vivum retulisse, eundemque suâ indolere repræsentasse: *Nebridius pusio Patrem quærentibus exhibet, sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat, scintilla vigoris paterni lucet in filio, & similitudine morum, per speculum carnis erumpens, ingentes animos angusto in pectore versat.* Quanto id nos, de Redemptore nostro, maiori jure dicere possumus? Patrem videre desideran videat filium: *Qui videt me, videt & Patrem meum*, dicam enim & ego: *Christus pusio Patrem quærentibus exhibet.* Christus in carne nostrâ parvulus & modicus factus effigiem æterni Patris sui ad vivuum repræsentat. Nequaquam nunc dici posse contingit: *Ostende nobis Patrem & sufficit nobis: Cristus pusio Patrem quærentibus exhibet. Scintilla vigoris paterni lucet in filio, & tamen stultus populus meus me non cognovit.*

In Psal. | Joan. 14. v. 30. | Contra Herm. cap. 40. | s Psal. | Basil. Psal. | L. Advers. Prax. | Epist. ad Salvian.

PARS SECVNDA.

19. Verum, esto ad Scripturam præpositam stolidi sint, surdi ad verba & doctrinam traditam, ad opera denique visa cœci, quid obsecro nunc dicent, aut quam excusationẽ adferent, quo minus patratis miraculis non adhibuerint fidem? *Quod perspeximus, quod summa admiratione intuiti sumus*, legit OEcumenius, Quid post tot tantaq; à Christo patrata miracula, ultra desiderare poterat Hebræus ut videat? Quænam evidentiora divinitatis suæ testimonia exposcere? Quæ ad faciendum fidem efficaciora motiva? dicamus ergo cum sancto Augustino: *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnũ est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Quisquis ad hoc, ut credat, prodigia requirit, ingens profectò est ipse prodigium, sed prodigium cœcitatis & stupiditatis, dum inter tot rationes credendi, & universo mundo credente ipse non credit. Si te, ô perfide, Messiæ scandalizat mãsuetudo, cur te eiusdem

Quartum Punctum. | L. 22. de Civit. Dei cap. 17.

dem non allicit gloria? Si paupertatem eiusdem aspernaris, cur non appretiaris majestatem. Si ipsum vilipendis mendicum, cur illum nunc maioris non æstimas, dum se totius universi exhibet Dominum? si tibi displicet clemens & misericors, cur tibi non placet fortis & omnipotens? si illũ repudiasti humilem, cur non acceptasti eundem exaltatum & gloriosum? si ei credere detrectas quia patitur, cur non credis eidem quia dominatur? si te retrahit quia mortuus est, cur non accurris ad eundem quando jam resurrexit? *In carne & per carnem potenter & sapienter operatus*, inquit Bernardus, *ostendit quia ipse sit, quia potenter sed invisibiliter sæcula condidisset.* Ostendit Dominus se totius Patrem esse universi, dum absolutum suum in universo ostendit Dominium. Ipse præcepto suo coercuit elementa, ab ipso igitur quoque formata sunt elementa: Ipse in deserto panem multiplicavit, ergo etiam ipse quoque est, qui agros & sementem fœcunditate donavit. Ipse aquam in vinum convertit. Ipse ergo dulci quoque liquore vitis adimplet botros. Ipse effecit ut pisces allata moneta tributum expedirent Cæsari. Est ergo ipse idem qui metallorum in ipsis terræ fodinis author extitit: sic quoq; pedibus ipse super aquas ambulavit, aquas ergo maris per immensas ipse quoq; extendit & dispersit voragines. Ipse corporibus sanitatem contulit, in campo ergo Damasceno ipse quoque corpus humanũ fabricavit. Ipse mortuos evocavit è sepulchris, ijsq; vitam restituit, ergo & animas ex nihilo creavit. Candida luce ipse in Thaboris vertice vestitus fuit, lux ergo opus

Serm. in Cant.

quoq; manuum suarũ extitit. Post quadraginta dierum absolutum jejunium Angelos in ministerio suo habuit, ipsũ ergo Angeli in Creatorẽ quoq; recognoscũt & Dominũ. Ipse ad mortẽ suã terrã tremere fecit, etiã ab ipso quoq; terra in suo stabilita est centro & veluti mũdi totius fundamentũ reposita fuit. *Si credis vilia*, inquit, Maximus, *crede & mirifica, si de his quæ humilitatis sunt disputas, quæ alta sunt & cœlestia venerare.*

Hom. de Nat.

20. Joanni Angelus quidam apparuit: *Vidi alterum Angelum ascendentẽ ab ortu solis.* Per illũ autẽ Angelum Hugo Cardinalis Christum Dominũ nostrũ intellexit, qui *magni consilij Angelus* dicitur. *Alterum* autẽ vocat illum, id est, *valde à præmissis diversum*, locutus enim jam antè de alijs Angelis fuerat. At dispiciamus nonnihil, si ita videbimus quâ in re ille magni consilij Angelus ab alijs diversus extiterit. *Habentem signum Dei vivi.* Signo quodam notatus erat, quod ipsum Deum vivum esse designabat. Undè quisquis illum sub hoc signo considerabat, minus facere nequibat, quã ut verum Deum illum esse recognosceret. Verum quodnam obsecro signum fuit istud? certè nõ aliud inquit Hugo, præterquã operatio miraculorum. *Hæc est miraculorum operatio, quæ erat signum, quod æqualem habebat potentiam cum Patre.* Hoc erat signũ istud unde cognosci poterat Christum non purum hominem, sed hominem pariter esse & Deum. Hoc illum inter humanas infirmitates exhibebat mundo, non minus omnipotentẽ quam Pater esset, atq; ex eodẽ signo inter contemptus & injurias quas tolerabat à peccatoribus, sæculo & natura apparebat altior, atq; uti S. Maximus Episcopus dica-

dicebāt: *quatenus invisibilis eius divinitas,*
Hom 1. de *quæ latebat in homine, in opere non lateret.*
Epiph. Eratq; istud miraculorum signū tam ingens & efficax, ut violentiam, ut sic loquar, inferre meritò deberet Hebræis ad credendū, nisi stolidi omninò & insensati fuissent. *Compelle intrare* di-
Luc. 14. v. 23. cebat servo suo Pater ille familias, qui ad nuptias alios invitabat, *ut impleatur domus mea.* Hic Pater familias Deus est, servus ab eodē missus est Christus, at verò qua ratione cogit aut infert violentiā? an nō voluntaria est Christi sequela? an non suaviter ad Dei obsequium trahimur? an non illæsum atque intactum relinquit voluntatis nostræ arbitrium? quomodo ergo dicit: *Compelle intrare.* Respondet
Theoph. in Luc. 14. Theophylactus: Aspectus miraculorū certo quodā modo vim inferebat credendi, illa spectantibus: *virtus signorum magnam afferebat necessitatē ut omnes ferrētur ad fidē Christi,* cuius cernebāt adeò mirabilē & pdigiosam esse potentiam.

21. Magno cum acumine notat S. Ambrosius, Christum in sacris literis
In Ps. 68. aliquando vocari servum, subinde verò Dominū: servus quidem in Isaia: *Hæc*
Is. 49. v. 5. *dixit Dominus, formans me servum ex utero sibi*: Dominus autem vocatur & Patronus apud Michæā: *Et tu Bethlehē n Ephrata parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi*
Mich. c. 5. v. 2. *egredietur, qui sit Dominator in Israhel.* Idē servus nascitur & Dominus, ad laborandum scilicet & gubernandum: ad accipiendum leges atque ad dandum easdē, ut humilietur & ut magnificetur: *Attēde mysterium, ex utero Virginis idem & servus exivit & Dominus, servus ad operandum, Dominus ad imperandum.* Parvus venit pariter & magnus, servus & Dominus, obediens & præcipiens, subditus & liber, subjectus tempori & temporū Dominus. *Servus ad operandū, Dominus ad imperandū.* Simili ferè modo quo illū describit Taurinensis Episcopus sanctus Maximus: *Humilis quidem sed mira-* Hom. 4. de Epiph.
bilis venit, ut pariter in eo assumptæ carnis veritas & ineffabilis deitatis natura fulgeret. Atq; ideo dicit idem met Maximus, Prophetam bis illum appellare Dominum, Psal. 28, *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem.* Dominus est, in quantum Deus, sed & Dominus quoq; & in quantum homo, sua namq; sacratissima humanitate tanta nonunquā operabatur miracula, *Vt virtus de illo exiret, & sanaret omnes. Domino & Domino quid ait Dominum illum esse secundum Deum, Dominum & secundum hominem mystico sermone declarat.* Una illa & eadem caro ancilla erat & domina, ancilla ad patiendum, domina ad operandum miracula, serva ut se à mundo injurijs permitteret lacessiri, domina ut mundum secundum merita sua tractaret: serva ad sentiendum elementorum damna, domina ob eorundem admirationem: *Ser-* In Ps. 44.
vus ad operandū, Dominus ad imperandum. Hinc est quod S. Ambrosius glossando illa verba, Secundum literā septuaginta interpretum: *Homo est quis cognoscet eum?* dicunt Christum etiam secundum humanitatem operationes super humanas atque omninò divinas facere & ideo homo est & quis cognoscet eum? quis unquam cognoscere poterit virtutem & potentiam hominis illius qui est omnipotens? *Homo secundū carnem, sed ultra hominem secundum operationem. Servus ad operandum, Dominus ad imperandum.*

22. Et hoc est quod sponsa volebat,

quando dicebat se à beato sponso suo, per cancellos ex zelotypiâ conspectã fuisse. *En dilectus meus stat post parietē nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, nam ut exponit sanctus Gregorius, qui ex motu zelotypiæ aliquo usq; prospicit, is nec totus videtur, nec celatur totus, nec toto corpore manifestatur, nec totaliter absconditur, nec omninò discooperitur, nec cooperitur omnino: eodē modo divina natura in Christo erat, ut ita dicam, partim celata, partim revelata, in infirmitate celata, revelata in miraculis, in passionibus occulta, manifesta in prodigijs: *Prospiciens per cancellos, quia si miracula faciens nil pertulisset ut homo, plane eis apparuisset Deus: & rursum humana patiens, si nulla fecisset ut Deus, prorsus putaretur homo. Sed quia & divina fecit & humana pertulit, quasi per fenestras vel cancellos ad homines prospexit, ut Deus & appareret ex miraculis & lateret ex passionibus: servus ad operandum, Dominus ad imperandum.*

Cant. 2. v. 9.

Hom. 131. in Ezech.

23. Etiamnum in ipsâ cruce, quæ tanto fuit Hebræis scandalo, multorum nihilominus miraculorum operator monstratus est, unde si veluti malefactor apparuit servus tanquã innocens, tamen se videri fecit Dominum: pendebat quidem in cruce, verum elementa suo modo deplangebant illũ crucifixum: inter duos moriebatur latrones, sed cœlum lugubri se mox colore induit. Unde si vides illũ in cruce, cur non vides eundē de cruce regnum donantem, legis ipsum gustasse mortem, nec tamen legis ipsum latroni dedisse vitam? oculos tuos defixos habes in mulieres plāgētes, nõ verò in Angelos exultantes, sustines legere id quod dixit, nec ꝓgrederis ut similiter id legas quod fecit? *Et in ipsis injurijs*, dixit Ambrosius, *cognosce divinitatem. In cruce pendebat & elementa ei omnia deserviebant, sol refugit, dies occidit, offusæ & circumfusæ tenebræ, terra tremuit & non tremuit qui pependit. Quid aliud hæc quam oculis reverentiam signant? quia in cruce est vides, quia regnum Dei donat non vides? quia mortem gustavit legis, quia latronem quoque ad Paradisum invitavit non legis? mulieres flentes intueris ad tumulum, & non intueris Angelos exultantes: quid dixerit legis, quid fecerit non legis? omnia lege, omnia diligenter adverte, invenies sic demonstrasse se Christũ, ut Deus in homine cerneretur.* In summa totus Christus unguentum erat ad sanandũ: omnes infirmitates nostras, unde legitur, de eo quod *virtus de illo exibat & sanabat omnes. Curremus in odorem unguentorum tuorum*, quasi diceret: mirabiles illæ curationes & gratiæ sanitatum tam frequentes, quas passim populis conferebas per vim divini obtutus tui, per oris tui salivam, per vestis tui fimbriã, per manuum tuarum impositionē, per sermonis tui imperium, omnia inquã isthæc mirabilia nos semper insequi fecerunt pretiosissimorum unguentorũ tuorũ fragrantiam: si autē Hebræi nõ cucurrerint, id fuit, vel quia gratiæ mortui, aut quia in passionibus fœtētes & putridi fuerunt. *Ergo qui vitalē hanc sparsam ubiq; fragrantiã nõ sentit, & ob hoc non currit, aut mortuus est, aut putridus* dicit Bernardus: *Stultus populus me non cognovit.*

L. 2. de Fide cap. ...

Serm. ... in Cant.

24. Accedo ad ultimũ argumentũ, id est, ad carnē Domini nostri: *Quod manus nostræ contrectaverunt.* Esto enim ꝙ adversus Hebræos nihil præbent scripturæ, inutilis sit omnis doctrina Christi, inefficax censeatur eiusdem

Quintum Punctum.

dem exemplum, nihil convincant miracula, certè ad vindicandā Redēptori nostro divinitaté sola illi sufficiebat beata eius humanitas. Ah quæ cæcitas, aut durities est ista? seniculus quidam decrepitus ipsum in ulnas suas accepit adhuc infantulum, & ultro sibi exposcit accelerari mortem. Alius quidam in ventre matris adhuc reclusus pusio, illum sibi sentit vicinū, & subito exultat. Dum in puellæ cuiusdam reclinabat gremio, tres ipsum adorant Reges, atq; cœlesti ipsius effigie & corporis elegantiâ capti venerandas illius exosculantur fascias. Mulier quædam in flagitijs inveterata, postquā semel dūtaxat ipsius est dignata alloquio, magnaliū suorū mox efficitur deprædicatrix, meretrix quædam benedictis Domini nostri pedibus os suum admovet, atq; amore illius mox capta tenetur & incatenata. Quid de lictoribus satellitibus, cęteraq; gentium fæce dicam? qui stupore pleni revertebantur dicentes: *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo?* Quid de turbis dicā, quæ ipsum in desertum usq; à cœlesti eius vultu veluti adamante tracti prosequebantur, quid deniq; de discipulis, qui ei dicebant: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Propter verba vitæ æternæ*, dicit Gilibertus Abbas, *quæ de ore eius procedebant, quantum putas virtutis insigne in ipso exteriori renitebat habitu? quam manifesta eius, quæ intus erat, dabant indicia oculus, vox, vultus? deniq; gestus omnis quomodo divinam spirabat gratiam?* Attende dicit S. Augustinus cum diligentiâ, & mox ex ipsismet corporis gressibus videbis, hunc qui dē hominem, omni tamen homine superiorē esse. Hominē quidē, sed plus quam hominē, hominē, omnis tamen humanæ infirmitatis expertem, hominē quidem, sed Deū pariter esse & hominem. *Homo patet, & Deus latet, tu mihi ostendis hominem, aperi oculos, & vide Deum sublimem. Hominem audis*, dicit Ambrosius: *Sed supra hominem intellige.*

Serm. 6. in Cant.

Lib. de 5. Hæres.

De Instit. Virg. c. 14.

25. ô sancta & benedicta humanitas, consolatio mea & unica spes mea! mihi cum S. Ambrosio solatiū est singulare, intueri Dominū meū, carnis meę quidē infirmitatibus subjectū, sed ad corroborandam infirmitatē meam, factum quidem terræ potius maledictum, non alio tamen fine, quam ut ego à Deo essem benedictus in æternum: ad mortem usque humiliatum, ut ego ad thronum usq; gloriæ exaltarer: ancillæ filium, eâ tamen mēte, ut me filiū faceret Altissimi. *Grande remedium solatium habere de Christo, mihi enim prodest scire, quia propter me Christus suscepit meas infirmitates, mei corporis subijt passiones, pro me peccatum, hoc est, pro omni homine, pro me maledictum factus est, pro me, atque in me subditus atque subjectus, pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me Servus, pro me filius ancillæ, pro me diem judicij ignorans, pro me nesciens diem & horam. Grande remedium solatium habere de Christo. Anima illa sagittis charitatis vulnerata* dicebat: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher es:* quasi diceret, bis pulcher es, pulcher in naturâ divinâ, & pulcher in humanâ, pulcher in formâ Dei & pulcher in formâ hominis; pulcher in splendoribus sanctorum ante tempora genitus, & pulcher in tenebris peccatorum in plenitudine temporum formatus; pulcher in sinu Patris & pulcher in gremio matris, pulcher consubstantialis altissimo & pul-

L. 2. de Fide c. 3.

Cant. 1. vers. 16.

pulcher in abjectissimæ naturæ nostræ consortio: pulcher ut Dominus universi, & pulcher ut rerum omnium indigus terrenarum: pulcher ut omnibus creaturis dominans, & pulcher ut fabro obediens: pulcher in cœlo & pulcher in cruce. Verum loquatur hic Bernardus, qui devota sua eloquentis conceptum hunc nostrum melius exprimit: dicit ergo: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher es: in utraque Christi substantia dignum expreßit omni admiratione decorem, in altera natura, in altera gratia. Quoniam pulcher es Angelis tuis, Domine Iesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitæ æternæ.* Vera sunt hæc omnia, à proprijs meis tamen raptus sum emolumentis, meque bonum meum, duntaxat quàm maximè movet, & ideò quam pulcher mihi videris esse in ipsa quoque humilitate carnis meæ, atque in ipsa, ut ita dicam, æternæ pulchritudinis tuæ eclypsi? quàm fragrans mihi progerminas ô flos de radice Jesse? quàm jucundus mihi appares ô lumen sub mortis etiam umbra indeficiens? quam admirationem adfers ipsis quoque paradisi spiritibus in conceptione de Spiritu sancto facta, in Nativitate ex Virgine, in vitæ innocentia, in sanctitate doctrinæ, atque in miraculorum splendoribus? *Quam mihi decorus es Domine mi in ipsa tui huius positione decoris? etenim ubi te exinanisti, ubi naturalibus radijs lumen indeficiens exivisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit. Quam clara mihi oreris stella Iacob, quam lucidus flos de radice Iesse egrederis, quam jucundum lumen in tenebris visitasti me oriens ex alto? quam spectabilis & stupendus etiam virtutibus supernis in conceptu de spiritu, in ortu de Virgine, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum.*

Serm. 45. in Cant.

26. Sanctus Augustinus, de divinæ essentiæ altitudine loquens, hæc verba scribit: Capiat quisque quod potest, & qui non potest, nutriat cor, ut possit? *Sed unde nutriet* subdit sanctus doctor, *de lacte nutriat, ut ad cibum perveniat. A Christo per carnem nato non recedat, donec perveniat ad Christum ab uno Patre natum.* Qui divinitatis altitudinem assequi non valet, nutriat se instar parvuli infantis humanitatis lacte, ab hâc enim ad illam indubitatè perveniet: *Adhærete Christo secundum id quod pro nobis factus est, ut perveniatis ad eum secundum id quod potest.* Idem Augustinus: Quando verbum æternum ad huius terræ nostræ pervenit humile declivium, portavit secum ex mente sancti Ambrosij, cœlum & magnificentias quæ in cœlo sunt. *Inclinavit cœlos & descendit*, quasi diceret descendit ipse, verum & cœlum unà cum ipso descendit, ad nostras miserias venit, non tamen sine sua fœlicitate venit, accepit carnem nostram, non tamen perdidit suam naturam. *Inclinavit cœlos & descendit quo ostendatur nunquam divinitatis sua exors fuisse Dei filius, nec cum inter homines versaretur, quoniam*

Tract. 1. in Joan.

Tract. 2. in Joan.

In Apol. David. cap. 12.

niam & suscepit quod non erat, & non destitit tamen esse quod erat. Unde Petrus Chrysol. adorationem Magorum in fœlici tugurio Bethlehemitico factam considerans dicit sanctos illos Principes cœlum in terra vidisse: *Magus in terra cœlum videt, in cœlo terram, in Deo hominem, in homine Deum.* Atque sanctus Bernardus tandem concludit, quod in verbi æterni incarnatione, illa Prophetæ Isaiæ verba compleantur: *Posui verba mea in ore tuo & in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlum, & fundes terram.* Quæ verba à patre æterno Christo dicta sunt, quasi diceret: ego te in mundum carne humana indutum misi, ut cœlum in terra plantares, id est, ut mores cœlestes in humanitate terrena monstrares, atq; in hominis substantia naturam Dei relucere facias. Audite ipsissima sancti Doctoris verba serm. 25. in Cant. *Sanctus ille Emanuel in terris intulit magisterium disciplinæ cœlestis, dum superna illius Ierusalem, quæ est mater nostra, visibilis quædam imago, & species decoris eius per ipsum nobis & in ipso expressa innotuit.* Sacratissima illa caro pulchrum condebat in hac terra paradisum, eo ipso quo beatos reddebat illos, qui eandem intuebantur, conformiter ad illa infallibilis veritatis verba: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

Serm. 160.

Isa. 49. v. 2.

Ser. 25. in Cant.

27. Nunc ergo minus facere nequeo, quam ut ad te me convertam ô terra benedicta quæ à præsentia filii Dei in carne humana, sanctificata fuisti. O beata Palestinæ regio, quæ 33. annorum spatio, iucundissimo illius es fruita conspectu. Beatæ plateæ, & vici Iudeæ & Galileæ, quos raris sanctissimæ conversationis suæ exemplis pertransiit & honoravit. Beatæ maris Genesareth aquæ, in quo sæpius tempestates sedando, cœli elementorumque se monstravit Dominum. Super omnes tamen beatissima Ierosolymorum est civitas, in qua specialiter doctrinæ suæ dispersit fontes, in qua exemplorum suorum diffudit fragrantiam, maioremque miraculorum suorum copiam patravit, atque mundi salutem patiendo, moriendo, resurgendo operatus est. *Salve civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum altissimus. Salve civitas Regis magni, ex qua nova & iucunda mundo miracula nullis temporibus defuere ab initio. Salve Domina gentium, Princeps Provinciarum, Patriarcharum possessio, Prophetarum mater & Apostolorum. Salve terra promissionis, quæ olim fluens lac & mel suis duntaxat habitatoribus, nunc universo orbi remedia salutis vitæ porrigis alimenta.* Tu ô fortunata civitas, filium Dei carne humana vestitum vidisti, teneritudine plenum, mœnium tuorum deplangere ruinas, plenum zelo, transgressiones corrigere civium tuorum: plenum sapientia, explicantem tibi scripturas; plenum religione, tuum visitare templum; plenum blanditia, tuos delinire infantes; plenum affabilitate, cum tuis familiariter conversari publicanis; plenum humanitate, tua honorare convivia; plenum humilitate, tuos recusare honores; plenum amore, pro tuis rogare necessitatibus; plenum pietate, tuis condescendere infirmitatibus; plenũ fervore, tuis sese opponere ministris; plenum

Bern. in Cant.

plenum fortitudine tuas tolerare iniurias; plenum patientia ad testium tuorum accusationes non respondere; plenum modestia assistere coram iudicum tuorum tribunalibus; plenũ constantia, magistratuum tuorum iniustas acceptare sententias; plenum cõpassione, ad patrem pro crucifixoribus suis porrigere preces; plenum denique misericordia, crucis sustinere acerbissimam mortem.

28. Verum enim verò quousque infortunatam civitatem istam appellabo fœlicem, si visitationis suæ tempus non cognovit? si fœlicitatis suæ omnẽ perdidit occasionem? si iuxta egregia illa scripturarum documenta remansit ignorans? cœca iuxta doctrinæ lucem? tam raris sanctitatis exemplis vicina & tamen obstinata? prope miraculorum virtutem perfida, simul cum ipsa filii Dei in carne humana præsentia insensata? si solis carnis suæ oculis externum carnis vestimentum aspexit, nec ultro transivit ad considerandum, carne se induisse illum, qui carnis conditor erat. *Videbat eum planè carneis oculis*, dicit sanctus Augustinus *in carne conspicuum, non autem videbat, quod in carne verbum latebat, videbat hominem, non videbat Deum.* Insuper tamen etiam idem ille Augustinus dicit Hebræos aliqua ex parte excusatione dignos esse, eo quod nondum viderint lapillum istum de monte absc issum, in montem quendam excreuisse, neque adhuc totam terræ amplitudinem occupantem, veluti id omnes hodie intuentur Christiani: *Ignoscendum est Iudais, qui offenderunt in lapidem, qui nondum creverat, quales sunt illi, qui ipsum montem offenderunt? cœci Iudæi non viderunt humilem lapidem, quanta cœcitas est non videre montem.* Vos ergò auditores, nunc facite consequentiam, ponderate & pensate qualis futura esset nostra iniquitas, si nostris peccatis offenderemus Dominum illum, quem Deum confitemur, honoramus Redemptorem, exspectamus Iudicem, denique speramus remuneratorem.

Tract. in Ioan.

Tract. in Ioan.

CON-



CONCIO XII. In Feriam III. post Dominic. II. Quadragesimæ.

THEMA.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Matth. 23 v. 2.

ARGUMENTUM.

In Sacerdote quilibet defectus notabilior est & indecentior tum ob gradus quem tenet sublimitatem, tum propter damnum scandali quod aliis præbet.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Monstrum horribile est Sacerdos malus. num. 1.

Vitia Pharisæorum, ad Sacerdotes novæ legis transierunt, Hieron. lamentatio. *ib.*

Deplorandi casus fidelium, sed non in comparatione Sacerdotum. Synopsis concionis. ib.

Primum punctum. *Sacerdotum quanta sit dignitas. Sacerdotium est omnium bonorum quæ sunt in hominibus apex. Quanto in honore apud omnes nationes habiti fuerunt Sacerdotes. num.* 2.

Qui Sacerdotem dixit, augustiorem prorsusque divinum insinuat virum optimè Areopagita. *n.* 2.

Sacerdotes æquales sunt angelis imò omnipontis Dei æmuli; tanta est gradus sacerdotalis altitudo, ut omnes tam antiqui quam novi Testamenti dignitates eminenter contineat. n. 3.

Sacerdotes non dicuntur propriè homines, sed aliquid supra. Locus Exod. & Levit. adductus. *n.* 4.

Imperatum Moysi ut solveret calceamentum, ut sic pedibus suis sanctificaret terram. num. 5.

Sacerdotes soli comparantur.n.6.

Comparantur matri Dei.n.7.

Si reliquiæ tantum honorandæ, quanto magis Sacerdotum manus quæ toties Christum contrectant & elevant.n.8.

De potestate sacerdotũ circa culparũ remissionẽ. hic cõgesti multi *sancti* patres.*n.9.*

Humilis cõparatio Sacerdotũ cũ Regibus. Parallelæ inter ipsos. *Maior & mirabilior ipso regno Sacerdotum principatus.n.10.*

Angeli sacerdotes dicũtur in multis utriusq; paginæ libris, cõparatio *inter ipsos.n.11*

Tam sunt eminentes Sacerdotes ut Dii & Christi possunt nuncupari. Christi & Sanctorum testimonia.*n.12.13.*

Sacerdotes tantis debent correspondere honoribus, ne sit honor sublimis & vita deformis.n.14.

Eclipsis in sole multum apparet, macula in candidissima veste, sic minimus nævus in vita Sacerdotis. Debet esse omnium virtutum speculum. Omnes actiones eius debent esse voces ad virtutem incitantes.n.15.

Totus mundus erat depictus in veste summi Sacerdotis sicut & patrum magnalia, in fronte eius nomen Dei affixum.ib.

Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina eorum si peccant *ait Hieron.n.16*

Prohibebat De⁹ in 1. lege ne sacerdos mortuũ deplangeret etiam patrẽ & quare.n.17.

Acris invectiva contra Sacerdotes qui se ad res abiectas, viles & mundanas se subiiciunt, similiter contra sæculares qui Sacerdotibus tanquam servis & satellitibus uti non erubescunt.ib.

Baltasar sententiam recepit mortis, cum vasis Deo sacratis abuteretur à fortiori nobiles cum Sacerdotibus.ib.

Mula cui S. Ioannes Pontifex insederat, nunquam adigi potuit, ut Dominam qua antea utebatur, in tergum admitteret.ib.

Præcipiebat Deus, ut victima, quæ pro Sacerdote offerebatur, omnino cremaretur, & quare n.18.

Malè repræsentare servum parvus error, at Iovem ipsum, piaculo simile esse videtur. Docte *Lucianus.n 19.*

Gibbosus à sacerdotio arcebatur.ib.

Malum exemplum Sacerdotum quantam in populos exerceat stragem. Multa exempla *hic* producta.*n.20.* Secundũ Punctũ

Malitia Satanæ factũ est ut Deorũ gentilitatis scelera decantarẽtur ut vitiũ in virtutem evaderet doctè Naz. Aug. & Sen.*n.21*

Aliqui putaverunt filios Dei, qui in uxores assumpserunt filias hominum fuisse Angelos, & quare ut notat Thedoret.*n.22.*

Quare Christus voluit baptizari.n.23.

Calamitates populorum perveniunt ex dissolutione Sacerdotum.n.24.

Conqueritur Deus, quod persecutionem patiatur ab amicis & proximis.n.25.

Vos estis presbyteri in populo, & ex vobis pendet anima eorum.n.26.

1\. VAldè rationabiliter hoc mane à Redemptore nostro reprehensi sunt Scribæ & Pharisæi, eo quod sublimem illum locum occuparent indignè, quo ob millenas ineptias & vilitates digni prorſ⁹ nõ erant. An enim ab antiquâ poesi cõfingi potuit monstrum aliquod prodigiosius illo, in quo tam disparatæ atq; contrariæ partes simul unitæ conspiciuntur? videlicet dignitas gradus & vitæ indignitas; lux sacerdotii & sacrilegii obscuritas; mũdi magisteriũ & ignorantia legis: fama doctrinæ & morum infamia; cathedræ honor & decus & dedecus scandali. Tales erant mores inverecundorũ Ecclesiasticorum antiquæ legis pessimi, qui ad popularem sibi auram captan-

ptandam linguã habebant ad dicendũ promptam, manum verò ad operandum otiosam ac torpidam, hominũ, quos decipiunt, sectabantur applausũ, & laudem, nec tamen infallibilis sapientiæ Dei verebantur repudiũ aut reprobationem: prima quærebant loca in oculis mundi huius, in cõspectu autem cœli ultimũ tenebãt: de venerabili patris & magistri gloriabantur nomine, cum tamẽ proprias ob culpas omni magisterio & paternitate indigni essent: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.* Et utinã culpæ Mosaycæ legis sacerdotũ, in legis Christianæ sacerdotes veluti pessimũ & abominandum nõ essent derivatæ contagiũ neq; proindè adeò rationabilis esset illa S. Hieronymi querela: *Væ nobis miseris, ad quos Pharisæorũ vitia transierunt.* Non inficior miserabiles & deplorandos esse quorumlibet fidelium casus; at verò hi cum sacerdotum lapsibus, nequaquam in cõparationem venire queunt, quippe qui tum ob gradus sublimitatem & eminentiam, alios inconcinnius seducunt: tum ob exempli sui imitationem alios sævius damnificant.

Matt. 6.

Primum punctum.

Epist. 10.

2. Primò ergo dico Sacerdotes ob dignitatis & gradus celsitudinem aliis fidelibus duces esse. Nam uti S. Ignatius Martyr epist. 10. inquit: *Sacerdotiũ est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus apex.* Sacerdotiũ omnis magnificentiæ culmen est, cumulus omnium dignitatum, omnium graduum suprem⁹. Sicut enim sacerdotes maioribus, quæ inter nos tractari possint; destinati sunt negotiis, cuiusmodi est illud religionis & cultus divini, ita apud omnes hui⁹ mũdi nationes, in sum̃a semper veneratione fuerunt. Unde apud æthiopes Reges ex sacerdotibus creabantur, & deponebantur, apud Ægyptios maioris momenti cõtroversiæ decidebantur à sacerdotib⁹; apud Persas nullus Rex esse poterat, quin pariter sacerdos foret; apud Atheniẽses famosi illi Areopagi Magistrat⁹ sacerdotes erant, apud Gallos publicarũ & privatarum causarum ipsorũ civiũ cura ad sacerdotes spectabat, apud Romanos ordo sacerdotalis, quamlibet præcedebat dignitatem & officiũ, neq; sacerdotes unquã ꝑ qualicunq; etiam causa apud eosdẽ ad iuramenta astringebantur, utpote quorũ simplex dictũ quovis iuramento cẽsebatur sacratius. Hæc tamen omnia Dionysius Areopagita unico verbo edixit, dum inquit; ꝙ *qui sacerdotẽ dixit, augustiorem prorsusq; divinum insinuat virum,* quasi diceret, qui sacerdotem nominat, virũ quendam significat & innuit, mortalitatis transcendentem cõfinia, planeq; summi Dei moribus adornatũ. Etenim S. Paulin. Episco. Nolanus, per vim quasi ad sacerdotalẽ dignitatẽ raptus, quotiescunq; se ad arcana cœli penetralia admissum, adeoq; Deo vicinum cõsiderabat, semper inhorruit: *In arcanis & penetralibus Dei summi receptũ me video & insertũ, communicare cœlestia, ac Deo propius admotũ, in spiritu Christi & corpore & splendore versari, vix adhuc intellectũ sacra molis capio mentis angustiis, & onus muneris mei, cõscius infirmitatis horresco.* Ab eadẽ sacerdotii Maiestate terrefactus Petr. Blesensis, ne ad illam dignitatẽ qua se reputabat indignũ, exaltaretur magnam suã allegabat insufficientiam, *ideò*, inquit, *tanti Sacramenti Maiestate deterritus sufficientiam sanctitatis, quam ille gradus exigit, metiens*

Eccles. Hier. c. 2.

Epist. 6. ad Severum.

Ep. 23.

losus allego. Sacerdotium est omnium bonorum quæ sunt in hominibus apex.

3. Nunquam finiturus essem, ô venerabiles Dei Sacerdotes, si status vestri sigillatim enumerare vellem prærogativas, quibus hac nostra humanitate reddimini superiores, æquales Angelis, imò ipsiusmet omnipotentis Dei æmulatores. Hæc enim causa fuit,
Epist. 6. uti acutè notavit Ambrosius, cur Dominus Deus, Sacerdotes à residuo populo sequestrarit, dum præciperet, ut ipsi in montem ascenderent, populus autem deorsum remaneret in planitie: *Separavit Deus Sacerdotes à populo, cum præcepit Moysi, ut montem cum Sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret.* Sacerdos montem ascendat, populus verò inferius in planitie remaneat, ille ad cœli se conferat secreta, hi verò ad res terræ huius vulgares, illi vicini Deo, hi verò procul dissiti, *vides divisiones? vides in Sacerdotibus nihil plebæum requiri? nihil populare, nihil commune, cum studio atque usu, & moribus inconditæ multitudinis? quomodo enim observari potest à populo, qui nihil secretum habet à populo? quid in te miretur, si sua in te recognoscat.* Sacerdotibus cum reliqua plebe nihil interest, neq; alteri genti huius mundi annumerari debent, habent ipsi generationem & stirpem quandam præ cæteris sublimiorem, magisque honoratam, per quam à cæteris distincti cõspiciuntur, veluti cœli miracula, divinæque manus prodigia, à qua sacerdotalem potestatem, omni humano sermone superiorem, omnique cogitatione nostra maiorem receperunt. Et quis dignè cogitare, aut convenienter satis gradus illius altitudinem explicare poterit, qui Petri Blesensis iudicio puritate innocentiæ primatum cõtinet Abeli, fidei vivacitate Patriarchatum Abrahæ, Ecclesiæ regimine prælaturam Noe, abrenuntiatione terræ, rerumque terrenarum ordinem Melchisedech, maiestate officii dignitatem Aaronis, iurisdictione in populum authoritatem Moysis, perfectionis pulchritudine sanctitatem Samuelis, animas ligandi atque solvendi virtute, potestatem Petri, denique gratiarum amplitudine unctionem Christi: *Agnoscat unusquisque suæ vocationis honorem, habet enim primatum Abel, Patriarchatum Abrahæ, gubernationem Noe, ordinem Melchisedech, dignitatem Aaron, authoritatem Moysi, virtutem Samuelis, potestatem Petri, unctionem Christi. Sacerdotium est omnium bonorum quæ sunt in hominibus apex.* In capa Iob. Ep.

4. Mysticum prorsus unguentum erat, quo cum ex Dei ordinatione ungebatur Sacerdos, quando consecrabatur, & cultui dedicabatur divino. *Facies unguentum compositum opere unguentarii: Aaron & filios eius unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi,* Exo. v. 16. dixit Dominus Moysi inter omnia autem mysteria maius est, quod cum Deus ordinaret, ut oleo isto ungeretur Aaron & filii, simul quoque vetuit ne ex oleo isto caro humana ungi posset: caro hominis nõ ungatur ex eo. Quomodo enim Aaron una cum filiis suis oleo isto ungi poterant, si humana caro inde ungi non debebat, ex qua tamen Aaron, & omnes illius posteri L. 8 constabunt? pretioso isthoc unguento non debebat aliquis inungi aut deliniri homo, erat tamen illo ungendus Ep.

Sacerdos qui homo erat? At verò nisi ego errem, Spiritus sanctus illis verbis insinuare voluit Sacerdotem ob status sui altitudinem, & sublimitatem officii, ordinarium statum hominum longè excedere, & quasi plus aliquid quàm hominem esse, ad eum ferè modo, quo Nicolaus de Lyra dixit: *Sacerdotes quantum ad officium sunt supra homines, quia medii sunt inter Deum & populum*, & confirmatur hic conceptus per quandam Cyrilli Alexandrini animadversionem, qui notavit verba quæ Deus in suo Levitico dixit: *Nullus hominum erit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur*. Si enim nullus ibi futurus est homo, quomodo Sacerdos erit? is enim homo est, forsitan in tabernaculum intrans Sacerdos, humanitate se exuet, desinetque esse homo? *& non erit homo*, respondet Cyrillus, *sed tanquam Angelus Dei, cum ingredietur Pontifex intra velamen: sive unus cum Domino spiritus fiat, sive per resurrectionis gloriam in Angelorum ordinem transeat, non erit homo*: Sacerdos ministrando in tabernaculo, non erit homo, quia humanam conditionem transcendens, plus erit quàm homo: non erit homo, quia moribus & consuetudine infimæ illius humanitatis depositis, ad profitendos mores & cõsuetudines cœlestes se ingeret; non erit homo, quia Deo adhærens cum ipsomet Deo unus spiritus efficietur: non erit homo, nam ut dixit Atalaricus Rex apud Cassiodorum, Sacerdotum professio cœlestis est vita: *Magnū scelus est crimen admittere, quos nec conversationem decet habere sæcularem. Professio vestra vita cœlestis est.*

Lev. 16.

L. 8. variar. Ep. 2.

5. In illa verba quæ Deus ex ardenti rubo dixit ad Moysen, multæ adhibentur interpretationes, *Solve calceamenta de pedibus tuis*. Ad propositum tamen nostrum, fuit illa Diodori in Catena Lipomani scilicet, solve calceamentum ô Moyses ad hoc ut nudis pedibus terram tangere possis, atque ex tuo ipsa contactu sanctificata sit & benedicta, tu enim cum sis Sacerdos Dei summi per ipsum contactum gratiam adfers & benedictiones: *Benedictus es & benedicis & sanctificas locū super quem incesseris, cum sis Sacerdos & spiritu plenus*, quasi ipsomet Deo teste, Sacerdos gratiarum cœlestium apex sit, adeoque ubicunque pedem suum figit statuat benedictiones, quicquid tãgat sanctificet & consecret, ubicunque præsens sit, prosperitatem seminet & fœlicitatem: *Benedictus es & benedicis*.

Exod. 3. v. 5.

6. Atque hanc ob causam S. Chrysost. Sacerdotem comparavit soli, qui cœlesti suo lumine & calore, in hisce sublunaribus omne bonum producit, videlicet lætitiam in hominibus, cantũ in aviculis, in animalibus vigorem, metalla in mineris, in fructibus saporem, pulchritudinem in floribus, in plantis succum, in conchylibus margaritas, virtutem in planetis, pacem in elementis, in mundo vitam: haud aliter Sacerdos benedictionum divinarum, quarum plen⁹ est, abundantia, totum hoc universum benedictum reddit, reddens modo precibus, modo sacrificiis, nonnunquam etiam sola sua præsentia fœlices familias, prosperabundas soboles, civitates pacificas, corpora sana, animas quietas, securas divitias, denique omne negotium fortunatum.

L. 6. de Sacerd. c. 4.

tunatum: *Benedictus es & benedicis & sanctificas locum super quem incesseris.*

7. Et reverà valdè sacrum est ministerium vestrum, ô sacerdotes, admodum veneranda sunt vestra negotia, divina valdè sunt vestra commercia, vos verbis vestris quavis potentia efficacioribus, validioribusque, æternum Deum de cœlo in terram accersitis, eundemq; intra species sacramentales recluditis, obediente vobis tot vicibus magno illo Deo, qui unica duntaxat vice fortissimo olim obedivit Gedeoni: *Obediente Deo voci hominis.* Manus vestræ ad idem officium præstandum sunt destinatæ, quod ipsemet præstat pater æternus, sanctiores ipsis Cherubinis, qui quondam propitiatorium sustinebant, honoratiores glorioso illo curru, quem vidit Ezechiel, venerabiliores throno Sapphyrino, in quo antiquus dierum sedebat, ac denique Salomonis lecto, custodibus gladiatoribus bene cincto, mysteriis pluribus refertæ, atq; sacratissimo & intemerato utero MARIÆ simillimæ, quæ intra claustrum suum virginale verbū custodivit incarnatū. Exclamet ergò Augustinus, nec sine iusta causa, dicatq; *ô veneranda sacerdotū dignitas, in quorū manibus velut in utero virginis filius Dei incarnatur! ô sacrum & cœleste mysterium, quod per vos Pater & Filius & Spiritus sanctus operatur; uno eodemq; momento temporis idem Deus, qui præsidet in cœlis, in manibus vestris, est in Sacramento altaris. O verè nobilis sanctitudo manuum! ô fœlix exercitium! ô verè mundi gaudium!*

Concione 2. in Ps. 36.

8. Si præterea apud omnes gentes, tanta in æstimatione habentur sacræ reliquiæ illæ, quæ ab incarnati verbi Dei cōtactu sanctificatæ sunt, scilicet, præsepe, in quo natus est; domus, quā inhabitavit; crux, in qua mortuus est; sepulchrum, in quo iacuit; mons denique è quo in cœlum ascendit; & populus à longinquis valdè regionibus ad easdem reliquias videndas & adorandas peregrinentur; profectò omni veneratione & honore dignissimas manus vestras reputo, in quibus veluti in triumphali curru, quotidie Rex gloriæ portari videtur. Unde iterum cum S. Augustino dicam. *Mira potestas, fœlix exercitium, ubi tractat Sacerdos Dei filium! verè veneranda est Sacerdotum dignitas!* adhuc si tantoperè Ioseph Patriarcham honoravit Ægyptus, ut eum salvatorem terræ vocarit, eo quod eidem infœlicissimis caristiæ temporibus de pane providerit, vos certè illi estis, qui animas famelicas divino pane continuo nutritis & sustentatis, ne longis hisce & tædiosis diebus peregrinationis vitæ nostræ, in via deficiant, vobis mundus verum istud debet beneficium, quod videlicet Deum suum sibi semper habeat præsentem, & quod ipsum in templis Maiestati suæ divinæ consecratis habitantem, in omnibus necessitatibus requirere possit, à vobis recognoscunt homines proficisci gratias, atque favores, quos Deus illis de cœlo tam frequenter & munificè depluit, experiuntur enim illum vobis mediantibus versus se beneficum factum & liberalem, vos indies ipsi odoratissimū illud offertis holocaustum, ad cuius conspectum indignationem suam quantumvis iustissimam non deponere, aut benigno & clementi vos oculorum

Aug.

obtutu

obtutu non respicere nequit! adusque fusca & obscura mortis regna, vester appropinquat succursus, imò usque ad illos animarum divinæ iustitiæ obligatarum & debitricum horrédos carceres, nam suffragiorum vestrorum thesaurus, quamvis etiam maximam debitorum summam pactitionem plenè diluere potest. Liceat mihi ergò identidem tantos inter stupores & mirabilia cum Nazianzeno exclamare: *O Sacerdotes Dei incruenta sacrificia mittentes! ô illustres animarum custodes! ô magni Dei figmentum in manibus vestris gestantes! ô mundi fundamenta!* Epist. ad Episc.

9. Quid demum de potestate dicemus, quam habeant sacerdotes remittendi culpas, per quā quasvis animas, ut ita dicam, de inferno quasi extrahunt, easdemque cœlo important? universa huius mundi potentia, tametsi & millies multiplicata, unico duntaxat peccato veniali remittendo non sufficit, cum tamen novæ legis Sacerdotes, oris sui potentissimis verbis, in unico momento, quantumvis enormissimum deleant flagitium. Da mihi sceleratiorem, quem unquam aut usquam terra sustinuit, sit Cain aliquis fratris sui interfector, sit induratus quispiam Deoq; rebellis Pharao, sit Nabuchodonosor spoliator templi, sit Balthasar rerum sacrarum temerarius prophanator; aut Manasses idololatriæ fomentator & altor, sit Antiochus divini nominis blasphemator, aut Judas Magistri sui traditor, talis si sibi ipsi, per propriam voluntatem, & obstinationem non desit, aut obsit, verbo sacerdotali ab infœlicissimo culpæ statu poterit eximi, à vinculis Sathanæ exsolvi, reconciliari Deo, ac denique cœlo restitui. *Qui terram incolunt*, dicit Gregorius, *disponunt ea quæ sunt in cœlis.* Morantur in terris & cognoscuntur in cœlis, loquuntur in mundo, & tamen vox eorum auditur à Deo, causas decernunt ac definiunt sæculi præsentis, & decisiones ipsorum ratificantur & confirmantur in altero, in unico momento omnem populis largiuntur æternitatem, ipsosque in uno quasi puncto præsentes faciunt regno cœlorum, denique in uno instanti thesauros conferunt Paradisi. *Consummatus honor est hominem in terris positum cœlis imperitare*, dicit Cardinalis Petrus Damianus *Præpedit Petri sententia sententiam Salvatoris, quia non quod Christus hoc ligat Petrus, sed quod Petrus hoc ligat Christus. Iudicat Petrus & Petri iudicia confirmat omnipotens, & est in manu Petri manus altissimi*, Si pecora à leonibus vel ursis prius rapta, postea verò à Davide pastorculo liberata, ratione prædita fuissent aut discursu, quas non gratiarum actiones suo retulissent liberatori: Liberatores mortalium, sunt sacerdotes, à leonis infernalis faucibus, nec non ex mortis æternæ unguibus & articulis illos eximentes, id quod S. Chrysostomum in hæc verba prorumpere fecit *Per eos generati estis æterna generatione; Per ipsos estis regnum assecuti, per manus ipsorum fiunt omnia, per ipsos vobis portæ cœlestes aperiuntur. Ita si Christum diligis, si diligis regnum cœlorum, agnosce per quos id habueris.* Quantum ipsius Loth esse debuit gaudium tunc, quando à patruo suo Abraha è manu Regis Elamitarum extractus, in paucis horis dominium expertus & servitutem,

Ser. 26.

Epist. 1. ad Thes. c. 5.

vitutem, abundantiam & penuriam, pacem & bellum, aliasque cœcæ fortunæ prodigiosas vicissitudines, tandem in uno momento simul divitias, patriam, domum, amicos, libertatem, & vitam recuperavit. At verò nimis humilis est comparatio ista, ad demonstrandum magnum illud, quod à sacerdotibus recipimus, beneficium, quando à culpæ vinculis liberati, simul meritorum recuperamus divitias, patriam paradisi, Angelorum parentelam, amicitiam, nec non gratiæ libertatem & vitam gloriæ: *Sacerdotium est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus, apex.*

Hom. 5. de verbis Isaiæ.

10. Humilis ergò etiam erit comparatio ut S. Chrysost. tom. 5. de verbis Isaiæ videtur. Si sacerdotalem dignitatem comparemus regiæ: *Ne mihi narres purpuram, neq; diadema, neq; vestes aureas, umbra sunt isthæc omnia, vernisq; flosculis leviora.* Ne mihi ô mundi Reges, gradus vestri extollatis Maiestatem, dum enim sacerdotali comparatur magnificentiæ, aut disparet omninò, aut vix videtur, vos illum statum æstimatis amplum, qui intra terræ huius sit conclusus confinia: at verò regnum sacerdotum simul cum cœlo limites suos conterminat, seq; usque ad ipsas inferni portas extendit. Vos in curiis & foris leges promulgatis politicas: Sacerdotes in Ecclesiis leges divulgant æternas. Vos populis de pane aliisque corporis alimoniis ac necessitatibus prospicitis: Sacerdotes autem fideli populo de Eucharistia, sustentatione spiritus provident; thesauri vestri ex infimis hisce metallis ex montium fodinis eruti conflantur; Sacerdotum thesauri autem in divinæ gratiæ consistunt divitiis atq; indulgentiarum cimeliis. Vos in sublimibus considetis thronis, ut singulis provinciis iustitiam administrare possitis: Sacerdotes in suis sacris confessionalibus ad gubernandas consistunt conscientias. Vobis terrenarum rerum commissa est cura: Sacerdotib⁹ cura cœlestium. Vos corporibus superintenditis, illi animabus præficiuntur; vos humilium natalium familias nobilitate donatis, ipsi ex filiis perditionum filios Dei efficiunt; vos contra barbaros militiam ducitis, illi adversus Dæmones; arma vestra sensibilia sunt, sacerdotum verò spiritualia. Vos reos catenis constringitis & oneratis, ipsi peccatores excommunicationibus coercent. Vos subditorum vestrorum tributis honoramini, ipsis per eleemosynas & fidelium decimas defertur. Ad vos spectat libertatem impertiri servis, ad istos pertinet à servitute culpæ liberare peccatores: vos advenis confertis ius civicum, isti cœli cives ex terræ advenis constituunt; in manu vestra cõstituta est vita & mors populorum: Sacerdotes autem in manu sua vitam & mortem æternam habent Christianorum. *Maius est & mirabilius ipso regno Sacerdotum principatus.* Quam sunt in hac nostra miseriarum valle frequentes morbi? ipsi infirmos tangunt tantum & sanitati restituunt. Quam crebra terræ sterilitas aut annone caritas? at ipsi agris benedicunt, moxq; eosdem fœcundant, quam iniqua tempora & influentiæ malignæ? at ipsi tempestatibus præcipiunt, & hæ mox parent ipsis & obediunt. Quam infortunata subinde contrahuntur diversis

versis in familiis matrimonia? ipsi autem nuptiis assistunt, easdem fœlicitant. Quam potentes sunt adversus in firmitatem nostram furiæ infernales? sed hi exorcismis suis spiritus malignos coercent, iisdemq; vim inferunt. *Maius est & mirabilius ipso regno Sacerdotum principatus*, ipsi per aquam fideles introducunt in Ecclesiam, per oleum corroborant ad Martyrium, per panē viaticum dant ad gloriam, per verbum nutriunt ad vitam, per halitum spiritus pellunt & infestantia spectra, per salivam insipientiam fugant à cordibus, per manuum impositionem ministros consecrant altaris, per censuras in exilium exturbant, per claves cœlum aperiunt & claudunt pro suo arbitrio. *Maius est & mirabilius ipso regno Sacerdotum principatus.* Ipsi, ut inquit, Petrus Blesensis, nunc Pastores, nunc Iudices, nunc denique sunt intercessores, Pastores in Ecclesia, Iudices in cathedra, in altari intercessores, veluti Pastores sanè docent populos; uti iudices iustè causas definiunt, denique egenis tan-
Ep. 46. quam intercessores succurrunt. *Est Pastor, est Iudex, est Intercessor. Pastor in Ecclesia, Iudex in cathedra, Intercessor in Missa. Pastor ut sanè erudiat: Iudex ut iustè definiat, Intercessor ut piè subveniat. Maius est & mirabilius ipso regno Sacerdotum principatus.*

II. Verùm enim verò, quid de hominibus loquor, si Sacerdotes in magnificentia & ipsos quoque curiæ cœlestis magnates & principes longè ex-
Malach. cedant? Angeli vocati sunt per Mala-
cap. 2. v. 7. chiam. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, Angelus* dicit Hieron. in Malach. *Sacerdos Dei* Hier. in Malach.
verißimè dicitur, quia Dei & hominum sequester est, eiusque ad populum nuntiat voluntatem. Angelos vocavit eosdē Pau- 1. Cor. 11.
lus, quando mulieres hortabatur, ut v. 10.
non nisi velatæ templa ingrederentur, *propter Angelos Dei, propter Angelos*, dicit S. Thomas, *id est, propter Sacerdotes.* Angeli iterum nominantur ab Apostolo. Gal. 1. v. 8.
Si Angelus de cœlo evangelizaverit vobis. Ubi acutè notat Chrysost. *quod non temerè dixit Angelus de cœlo*, ad distinctionem videlicet eorum Angelorum, qui sunt hic in terris, *nam sanè dixit de cœlo, quoniam Sacerdotes quoque dicti sunt Angeli, ne quis existimaret de his Angelis nunc verba fieri, addita particula, de cœlo, supernas virtutes indicavit.* Angeli nominati
fuerunt à Rege sancto. *Panem Angelo-* Ps. 77.
rum manducavit homo, panem Angelo- v. 15.
rum, interpretatur Bonaventura, *scilicet Sacerdotum*, nec iniuria Sacerdotes Angeli dicuntur. Si namque Angelus throno Dei semper assistit, Sacerdos quoque quotidie coram Altari Dei sistitur, si Angelus regem gloriæ instar currus triumphalis defert, *Currus Dei multiplex millia lætantium*, Sacerdos & eundem in manu sua velut magnifica Maiestatis sede deportat. Si Angelus non habeat se gravantem carnem: Sacerdos per continentiæ votum in carne sine carne degit vitam, si Angelus prouti Raphael Archangelus dicebat cibo vescitur invisibili: *Ego cibo invisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, utor*: Sacerdos pane vescitur Angelorum, qui non nisi solis fidei oculis videri potest. Si Angelus uti cœlestis capellæ musicus, magni Dei sui laudes continuò decantat, Sacerdos in sacris

choris quotidie Psalmos, qui encomia continent altissimi, concinit. Si Angelus nonnunquam est iræ divinæ minister, peccatores fame, bellis, & ægritudinibus castigando. Sacerdos collata sibi ab eodem Deo authoritate excōmunicationum & interdicti fulminibus peccatores sæpè ferit. Si Angelus cœlos & elementa gubernat: Sacerdos Ecclesiam moderatur & plebem, si Angelus purgat, illuminat, & perficit: Sacerdos purgat per sacramenta, illuminat verbo, & perficit orationibus: si angelus orationes terræ Domino offert in thuribulis aureis: Sacerdos nostras offert supplicationes in calice benedictionis. Denique ut verbo dicam Sacerdotem semper veluti Angelo maiorem & digniorem repræsentatum esse video, nam Angelus Deo obedit, Sacerdos eidem imperat & præcipit. Ille coram throno Dei assistit, hic ad mensam eiusdem accumbens vescitur. Ille Deum portat in alis hic in manibus: Ille se inclinat coram illo veluti servus: hic illum exosculatur tanquam amicus. Hic in pedibus erectus cōsistit veluti minister, hic verò sedet veluti domesticus & familiaris. *Maius est & mirabilius ipso regno Sacerdotum principatus.*

Nollem esse adeò temerarius ut dignitatem Sacerdotalē, usq; ad ipsammet divinam dignitatem & eminentiam, extollerem, nisi scirem me ab omni temeritatis periculo absolutū forè & liberum, sequendo sacrarum litterarum ducatum, quæ pluribus in locis Sacerdotes Deos vocant. *Diis non* Exod. 22. v. 28. *detrahas & Principi populi tui non maledices* ait Moyses *Deos appellat ad quos sermo* *Dei factus est*: inquit Christus in Ioanne. *Ego dixi Dii estis*, ait David in Psalmis, *Sacerdotes intelligit.* Interpretatur Innocentius Papa, *qui per excellentiam ordinis & officii dignitatem Deorū nomine nuncupantur.* Innocentio Papæ consentit Cardinalis Damianus: *Dii & Christi reperiuntur Sacerdotes, propter accepti* Opusc. 6. c. 10. *ministerii Sacramentum.* Tandem hoc totum, gravissimum Magni Gregorii testimonium confirmat, Mauritio Imperatori scribens, dicit, nil magnum, L. 4 ep. quod ipse Sacerdotes honoret, ab ipsomet Deo, Angelorum & Deorum titulo honoratos. *Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos aut Deos ipse etiam appellat Deus.* Ubi S. Pontifex Magni Constantini pietatem mox subiungit, qui postquam memorialia aliqua, nonnullos adversus Sacerdotes, accusationes continentia accepisset, mox illa flammis iniecit, hæc memorabilia verba addens: *Vos Dii estis à vero Deo constituti, ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut nos iudicemus Deos.* Sacerdos antiquitus in fronte magnum Dei nomen gerebat, quomodo in Apocalypsi Apoc. 17. v. 5. Babylonia nomen suum in fronte pariter scriptum habebat, unde ab omnibus recognoscebatur. *Et in fronte eius nomen scriptum, Babylon magna.* Sacerdos ergò nomen Dei in fronte scriptum portat, quia ut dicit Gregorius Taumaturgus. *Deus est,* In c. 1. Apoc. *aliosque Deos efficit*, adeò ut parum fit id quod dixit Innocentius Tertius, id est, quod *Sacerdos inter Deum & hominem medius constitutus, citra Deum, sed ultra hominem, minor Deo, sed maior homine.*

mine. Quia Sacerdos, ob officii sui altitudinem, quam habet: talem videtur cum ipsomet Deo participare cõmunicationem, per quam ab humilitate conditionis humanæ exemptus, atq; ad participationẽ esse divini sublevatus sit, nam *Deus est aliosque Deos facit.*

13. Hic titulus adeò est magn⁹ & honorificus, ut ad instar solis disparere faciat aliarum prærogativarũ minores stellas, quibus Sacerdotes tum à sacris paginis, tum à sanctis patrib⁹ Christianitatis Magistris honorati sunt, quid enim referet, si vocẽtur principes huius sæculi cum Psalmista, custodes murorum Hierosolymæ cum Isaia, Ministri Dei cum Ioele, Medici animarũ cum Ieremia; amici altissimi cum Davide, sal & sol terræ cum Matthæo, domitores Dæmonum cum Marco, cives cœli cum Paulo, conservi Angelorum cum Ioanne, vicarii Redemptoris cum Chrysostomo, pars principalis membrorum Domini cum Gregorio, forma virtutum cum Chrysologo, Imperatores pietatis cum Nazianzeno, coadiutores Salvatoris cum Isidoro Pelusiota, oculi Ecclesiæ cum Anselmo, columnæ Christianismi cum Augustino, nobilitas terræ cum Hieronymo, norma vitæ cum Clemente Romano, filii cœli cum Cæsario, Magistri scientiarum Dei cum Dionysio, fundamentum mundi cum Prospero. Quid iuvabit alia Sacerdotibus mendicare encomia, si ore pleno Dii appellati sunt, id est, tam a tamque honorifica appellatione decorati, quæ merito vincat & opprimat omnes dicendi magnificentias, omnemque divinũ & incredibilem eloquentiæ modum in immensum excedat. Unde in tam magno subiecto, non potest maior adhiberi admirationis affectus, neq; proportionatæ laudes meli⁹ adduci, quam reverenti cum silentio dicendo: *Sacerdotium est omnium bonorum quæ sunt in hominibus apex.*

14. Hi ergò tam spectabiles Heroes, à residuo populo segregati, hi ab aliorum hominum massa mortali sic differentes, hi homines quidem, sed plus quam homines, hi qui præsentia sua benedicunt mundum, qui tanta authoritate pollent in cœlo & in terra, hi regia potestate sublimiores, hi gradu Angelico superiores, hi divinæ essentiæ æmulatores, quam non extraordinariam virtutem, aut sanctitatem consummatissimam habere debebunt, ut status sui celsitudini correspondeant, neque sint de genere illorum pessimorum Scribarum aut Pharisæorum, de quibus scriptũ est *dicunt & non faciunt?* ô quam deforme monstrum erit vita illorũ, si cum tanta dignitate à culpa adeò vituperabiliter fuerit maculata. *Quod sumus professione,* monebat valdè benè Ambrosius *actione potius quam nomine demonstremus: ut nomen congruat actioni, actio respõdeat nomini, ne sit nomen inane & crimen immane: ne sit honor sublimis & vita deformis, ne sit deifica professio, & illicita actio.* Si à turba es segregatus, atq; supra residuũ populum sublevat⁹, cur te ad vilissimos infimæ plebeculæ mores adeò vituperosè dimittis? Si plus es quam homo, cur bestialiter vivendo, te monstras homine inferiorem? si ex vi officii tui benedicere & sanctificare mundum debes, cur criminum tuorum enormitate L. de dignit. Sacerd. c. 3.

illum scandalizas? si plus quàm Rex es, cur passionibus tuis serviendo, plus quàm servum te exhibes? si Angelus es, cur continuis morum tuorum dissolutionibus Diabolo potius assimilaris? si Deus es, ubi sunt mores & gressus Dei? volebat olim Dominus, ut Sacerdos in fimbria vestis suæ, septuaginta duas campanulas affixas gestaret, ut ambulando ab omnibus illarum sonus audiretur. Hoc inquit S. Hieronymus specialiter intelligendũ esse de novæ legis Sacerdote, quia scientia legis Dei, adeò debet esse repletus, tantaque cœlestium notitia instructus, ut illam & ambulando spargat, & commonstret passibus, gestibus, oculorum obtutibus, moribus, habitu, & qualitate vitæ. Tantæ debet esse sanctitatis, ut loquatur sine sermone, atq; ut tota ei⁹ persona vox sit sonora, quæ erudiat populos & gentes instruat. *Tanta debet esse scientia & eruditio Pontificis, ut & gressus eius & motus, & universa vocalia sint, veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu, ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum.* Epist. ad Fab.

15. Reorderis ô Sacerdos illius, quod Poeta dicebat Satyricus.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat maior videtur.

Vitium in altitudine gradus conspicuum est sicut eclipsis in ipsa sphæra solis, quæ totius mundi oculos sibi attrahit, aut sicut nævus in formoso vultu, qui tanto plus displicet, quanto hæc est amabilior, aut veluti pomum aureum correptum çarie, quæ illud abominabile reddit & fastidiosum; aut sicut macula in elegantissima veste Attalica, nam iuxta pulchritudinem panni, maculæ illius accrescit deformitas, & turpitudo. Ideò Bernardus dicit. *Nugas in ore sæcularium quidem nugas esse, in ore autem Sacerdotum esse blasphemias*, unde istud Eugenio Papæ dabat monitum, scilicet, quod ex quo is os suum Evangelio consecrasset, si deinceps idem os panderet ad sæculi huius nugas proferendas, idem hoc esse quod sacrilegium committere: *Consecrasti os tuum Evangelio, talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est.* Adhæc si tantam S. Ambrosio à principio attulit admirationem consideratio minutiarum, quibuscum Deus Moysi particulatim & minutim vesté explicavit sacerdotalem, dum illi exponit materiam, formam, colorem, texturam, magnificentiam, ornamenta, gemmas pretiosas, aliasque omnes individuales conditiones quantumvis & minimas, hanc demum admirationem postea dimisit animadvertens vestitum illum significare Sacerdotis virtutem, quæ non solum universalis esse debebat, nihil unde perfici posset omittendo, verum & tam exquisita ornari debere sanctitate, ut ne minimam quidem particulam, quæ aliquid sive vitii, sive indecentiæ sapiat admitteret: *Neque enim mediocris virtus Sacerdotis est, cui cavendum non solum ne gravibus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem, ut sit promptus ad misericordiam, promissum non remordeat, compatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram depellat vel decoquat sit quidam lituus plebis excitandæ ad tranquillitatem.* Ubi notatu digna

L. 2. de consid.

Li. 10. c. 32.

digna sunt postrema hæc verba, quibus sanctus Doctor monet, ut Sacerdos sit quidam lituus, vel tuba sonora plebis excitandæ ad tranquillitatem, adeò ut quisquis illum conspicit modestum, ad modestiam quoque componatur & ipse, quisquis liberalem illum considerat totus fiat eleemosynarius: comparens in publico religiosus, & pius, omnia religione & pietate adimpleat: orando omnes reddat devotos: terræ huius fugiendo delitias, ad amorem rerum cœlestium omnes elevet: frugalitatem in mensa exercendo, omnes faciat temperantes; *sit quidam lituus plebis excitandæ ad tranquillitatem*; hoc est quod iam iam dicebamus, quando de campanulis ex vestis Sacerdotalis fimbria suspensis fiebat mentio: *Vt egressus eius & motus, & universa vocalia sint*, ut omnes actiones voces quædam sint, quæ vitæ exemplo incitent ad virtutem, atque ut factis potius, quàm verbis loquatur, vitâ magis, quam voce, plus luce virtutis, quàm sono vel accentibus oris, *Sit quidam lituus plebis excitandæ ad tranquillitatem.* Et ut paucis omnia dicam, non sine ingenti ratione Sapiens dixit, in veste Sacerdotali totum mundum intextum fuisse, effigiata quoque Patriarcharum magnalia, denique magnum Dei nomen in lamina quadam aurea insculptum gestasse. *In veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum & Patrum magnalia, in 4. ordinibus lapidum erant scripta, & magnificentia in diademate capitis illius.* Mundum vesti suæ intextum habebat, ut per hoc intelligeret curandum sibi esse, ut omnium divitiarum spiritualium, omniumque gratiarum pulchritudinem, omnium denique dotum & prærogativarum ornamentum ipse possideat. *Patrum quoque magnalia* portabat, hoc est, heroica patrum antiquorum facta, eo quod Sacerdos in propria sua persona per facta sua exprimere debeat, omnia illa bona, quæ unquam in Patriarchis, prædecessoribus suis notata sunt. Denique in fronte nomen Dei affixum gerebat, ut persuaderet sibi per vitæ puritatem & integritatem morum, exprimendos esse gressus divinos, ita ut solum à populo visus, eundem ad sanctitatis illius, quam omni ex parte spirabat, imitationem incitaret. *Sit quidam lituus plebis excitandæ ad tranquillitatem.*

Sap. 18. v. 24.

16. Quanto magis per dignitatem conspicui sumus, tanto in oculis Dei, qui unamquamque rem conspiciendo penetrat, neque quam par sit, aliter iudicat, culpabiliores erimus, si non simus quales esse debemus. Ordo ad quem evecti sumus, magis cōdemnat, si inordinatæ nos deiiciant & deprimant passiones. Magnum quod exercemus officium, sub damnationis reatu, extraordinariam à nobis sanctitatem exposcit. Ita Petrus Abbas Cellensis prudenter discurrebat: *Quanto dignitate, ordine & officio aliis sumus altiores, tanto in conspectu Dei sumus despectiores, si dignitati indigna conversatio contradicit, si ordini inordinata vita obloquitur, si officii nostri munditiam vitæ incontinentia impugnat.* Ideò S. Hieron. Sacerdotes periculi sui cum ingenti zelo commonebat dicens: *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina eorum si peccant, lætemur ad ascēsum, sed timeamus ad lapsum:* non

Ser. 95. in syn. ad sacerd.

In Ezech. 43.

non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Caveamus ergo ne gradus, in quo stamus, celsitudo, maioris nobis præcipitii sit causa, neque gratiarum, quas in Sacerdotibus videmus, copia, illos ingratiores reddat. Qui multum habet, multum quoque perdendi periculo subiectus est. Neque aliquis infœlicior esse potest eo, qui de magna fœlicitate præcipitatus est in miseriam. Ideòque omnes intelligunt id quod Salvianus Massiliensis presbyter: *Cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu.* Adæquet virtus sublimitatem gradus, atq; secundum eminentiam honoris, incrementum quoque cernatur sanctitatis. Sint mores divini, sicut divinum est ministerium, & quam cœleste est officium, tam quoque cœlestis sit & vita, atque ut dicit Eusebius Cæsariensis, si possibile sit puritatem assequantur eorum qui incolæ sunt Paradisi, à pondere carnis minimè gravati, vita ista mortali superiores evadant, existentes iam cœli atq; æternitatis Candidati. *Sacerdotes ab hac mortali vita seiuncti, ipsum duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione & animo in cœlo degentes, quasi quidam cœlites pro universo hominum genere sunt sacrati.*

L. 2. ad Eccl. cath.

L. 1. de mon. Evang. c. 9

Lib. de Monac.

17. Optarem Sacerdotes memores eius esse, quod notavit Philo Hebræus videlicet vetuisse Deum ne Sacerdos mortuum deplangeret, tametsi is proprius eius pater esset. O summe Deus quid præcipis? Anne iustius quid esse potest, quam ob iacturam genitoris sui in pias resolvi lachrymas? Annon id ipsum facere negligens, barbarus merito censeatur & impius? nunquid hic tantus affectus ab ipsamet natura radice cordibus nostris inditus est? Nunquid id illi quoque approbant, qui omnem humanitatis & urbanitatis exuere sensum? totum istud verum est, attamen volebat Deus Sacerdotem, adeò omnibus & singulis nudatum affectibus, atque ita in puro divino cultu occupatum, ne ullus in eo superesset affectus, ne quidem ad condolendum in morte suimet ipsius Patris. *Cum enim Sacerdos sit Deo dicatus, oportet eum ab omnibus cognationis suæ affectibus abdicari, postulat enim in eo viro lex perfectionem homine maiorem, quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam divinæ humanæque naturæ, si verum fateri licet, confinio.* Hinc ergò colligas velim, quod si Deus voluerit Sacerdotem ab omni affectu terreno tam procul remotum, ut illum omnium rerum usq; ad ipsosmet suos genitores voluerit esse immemorem, quid de illis dicendum sit Sacerdotibus, qui diu noctuque in huius sæculi occupantur negotiis? qui aliud nil cogitant aut somniant, quam de suis exaltandis domibus, ditandis parentelis, & familia nobilitanda, qui carnem istam, ipsiusmet Dei contactu honoratam, mille nefandis exercitiis contaminare student? Qui sitis cuiusdam inextinguibilis ardentibus flammis acti, continua anguntur cura de accumulandis thesauris, augendis opibus aut possessionibus dilatandis? qui ob vilissimum lucellum se eo usque demittunt, ut sordidis ministris usque ad abiectissimos Parasitos imò ad levissimas mulierculas usque sollicitè inserviant? qui con-

fisi

fisi de libertate, quam ipsis immunitas Ecclesiastica subministrat, licentiosæ nobilitatis dissolutionibus sese immiscere, atque iisdem manibus, quibus paulò ante incruentum cœlo obtulerunt sacrificium, enses tractare seu gladios, easdemque fortuito innocentium sanguine contaminare nō erubescunt? ô Sacerdos inconsiderate, audesne negotiationibus tam procul à tua professione remotis, tuam commaculare gloriam? manumque tuam ipsimet Deo portando destinatam ad turpia adeò extendere flagitia? illam manum ritibus adeò sacris, & venerandis ceremoniis à rebus terrenis sequestratam, cœloque & operibus cœlestibus consecratam? illam manum quæ sola sui extensione potens est remittere peccata, donare gratiam, & communicare Spiritum sanctum? illam manum quæ claves cœli portat, quæ mundum benedicere potest, omnemque graviter desperatum prosperando erigere? Tu qui Angelis maior es, tu divinitatis æmulus, tu familiæ Dei domesticus, tu incarnati verbi Camerarius, tu Commissarius thesaurorum altissimi, manum illam ad tam vilia ministeria adhibere ausis, quæ Sacramentorum Christi est dispensatrix, ministra gratiarum cœlestium, furiarum infernalium domitrix, thronus regius cui quotidie Dominus gloriæ insidet? Ah nobilissimi equites Christiani nolite nobilitatis vestræ candorem, tam notabili fœdare macula, ne sitis, obsecro, adeò ingrati & irreverentes in Christum illum, qui sanguinis & vitæ suæ pretio vos redemit, ut Sacerdotes ad latus vestrum permittatis incedere veluti satellites, sicarios, aut gladiatores armis & gladiis onustos, neque eosdem indignis adeò dedecentibusque actionibus aliquando occupetis, nolite altaris ministris uti, veluti ministris iniquitatis, neque sint vobis ii qui mediatores pacis esse debent rixarum fomentatores, quibus videlicet utamini ad vestras proficiendas vindictas, ad complenda vestra mala proposita, ad assequendas iniustas & irrationabiles prætensiones vestras. Recordemini venisse aliquando manum de cœlo, quæ coram impii Balthasaris oculis mortis sententiam exaravit, quando is extrema temeritate vasa sacra templi ausus est in usus adhibere profanos. Et vos ô huius sæculi nobiles non timebitis, nedum à sacris altaribus retrahitis Sacerdotes, qui sacra domus Domini vasa sunt, vobis perditio & ultima ruina vestra à divina iustitia annuntietur? vos quoque Dei Sacerdotes, si alium non habetis Magistrum, qui vos debiti & obligationis vestræ commoneat, id ipsum ad vestram confusionem ab ipsismet edoceamini iumentis. Quondam enim S. Ioannes Pontifex à mansueta quadam mula portatus fuerat, quam nobilis quidam, cuius coniugis usui mula isthæc fuerat destinata, eidem Pontifici mutuaverat, ô res mirabilis & verè prodigiosa, postquam absoluto itinere à Ioanne mula dicta Domino suo restituta fuisset, deinceps nemo mulam illam eousque adigere potuit, ut Dominam suam prouti consueverat,

in tergum admitteret: *Tanquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Iesu Christi vicarius.* Quanto ergò indecentius erit, ut manus Sacerdotalis, quæ non vicarium Christi duntaxat, verum Christum ipsummet quotidie portat, ministerio alicui minus honorifico adhibeatur.

18. Verum, ut unde digressus fueram iterum revertar, denuò cum Philone dico, *Sacerdos cum sit Deo dicatus, oportet eum ab omnibus affectibus abdicari.* Id quod Deus insinuare voluit, quando in Levitico præcepit, ut victima, quæ pro Sacerdote offerebatur, omninò cremaretur, & igne consumeretur, ad Dei honorem, cum tamen in aliis sacrificiis pro laicis oblatis, una victimæ pars cederet Deo, alia Pontifici, tertia denique ipsimet offerenti, *ut integritatem Sacerdotis demonstraret* inquit Theodoretus, *quia non aliquatenus, sed totum planè dedicaverit Deo universorum,* & ideò Sacerdos uti advertit Ambrosius erat ordinis Levitici, quod idem significat, quod *ipse meus. Denique sic appellatur Levita, ipse meus, magnum ergò munus eius, ut de eo Dominus dicat: ipse meus.* Hi erant Levitæ illi, qui iussi à Deo, ut fratres & parentes suos occiderent, id sine mora fecerunt, adeò omnis in parentelam suam affectus expertes erant, ut omninò erga Deum afficerentur, prouti idem notavit Ambrosius. *Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum quorum portio Deus est.* Si ergo Sacerdos totus est Dei, & contra Deus totus est Sacerdotis, facilis hinc est coniectura, quàm accurata & exquisita eius debe-

Quæst. in Levit.

L. 1. offic. c. 46.

L. 10. Epist. 31.

ant esse opera? quàm recti gressus? quàm regulatæ passiones? quam puri affectus? quàm benè gubernati sensus? quam ponderata verba? quàm casti obtutus? quàm rectæ intentiones? quàm honesta conversatio? quàm ardens zelus? quàm tenera compassio? quàm rigorosa pœnitentia? quàm gravis modestia? quàm moderata temperantia? denique quàm cœlestis vita.

19. Lucianus Sophista dicit, quod quando olim antiquæ recitabantur comœdiæ, designatus erat pro illis Magistratus quidam superintendens ipsis comicis, nunc res humanas, aliquando divinas repræsentantibus. Hic autem Magistratus veluti legem inviolabilem observat, consuetudinem illam publicæ fustigationis condemnandi comœdum illum, qui personam Dei alicuius repræsentat, si id non cum eo decore & convenienti honestate, uti par erat, fecisset: cum tamen aliâ ex parte eum impunitum relinqueret, qui personam aliquam vulgarem, veluti alicuius nuncii aut servi imbellè egisset: *Servum enim vel nuntium minus aptè repræsentare parvus error, at Iovem ipsum seu Herculem haud pro dignitate spectatoribus ostendere turpe ac piaculo simile esse videtur.* Vide ergò Sacerdos improvide, quàm hæc eadem Pragmatica, in ipso quoq; tribunali divino in usu est, nam ut dicitur. *Iudicium gravißimum iis qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Sacerdoti qui ipsam Dei personam refert, maius imminet supplicium quàm laico, & quantò maius est, quod quis gerit officium, tantò gravi-

Dial. Pisc.

Sap. 6.

ores pœnæ infligentur, si id non fiat eâ cum honestate & decore, quo par est. Atque ideò ab officio Sacerdotali olim repellebatur gibbosus, uti advertit S. Gregor. Papa Hom. 31. in Evang. *Per Moysen dicitur, ut qui gibbo premitur, nequaquam ad Sacerdotium promoveatur.* Sed cur ita? *quia qui gibbum portat, ima semper intuetur. A Sacerdotio ergò repellitur, quia quisquis satis terrenis intentus est, ipse sibi testis est, quod membrum summi Sacerdotis non est.*

Hom. 31. in Evang.

PARS SECUNDA.

Secundū Punctum.

20. Altera ratio ob quam Sacerdotem adeò vita prava dedeceat est pravum exemplum, quod cunctis exhibet sæcularibus, qui centum quasi oculis actiones nostras considerant, illarumq; subtilissimas instituunt Anatomias unde cōcilium Romanum sub Hilario Papa, dicit, quod *reatu maiori delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatū.* Vitium hominis privati ipsi soli damnosum est, commissum autem à Sacerdote, toti plebi damnū adfert, nam ut dixit Sapiens. *Qualis Rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Sic dum Isaias polluta haberet labia, totus quoque populus polluta pariter labia habebat. *Vir pollutus labiis ego sum, & in medio polluta labia habentis, ego habito.* Notatq; acutè Origenes, Seraphinū quidem labia Prophetæ mundasse, nō verò populi labia, credebat enim sufficere si sanctū esset caput, ad hoc ut membra quoq; sanctificarentur. *Seraphim mundavit labia Prophetæ, non mundavit labia populi,* sufficiebat enim Prophetā mundatum fuisse ad hoc ut totus purificaretur populus, nam *qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Et conformiter huic conceptui notavit Bernardus, quod postquam sponsa in cellaria Domini introducta fuisset. *Introduxit me Rex in cellaria sua*, subito subiunxerit, *exultabimus & lætabimur memores uberum tuorum,* anne notastis dicit Bernardus quod una sit tantum introducta, & tamen multi exultant? una duntaxat bonis cellariorū Christi fruitur, & tamen plures inde lætantur? *Sola introducta videor, sed soli non proderit, vestrum omnium est meus omnis profectus.* Profectus Prælati est utilitas populi, & id quod de cœlo ipse acquirit, cunctorum est lucrum, solus Dei thesauros ingreditur, nō tamen solus illis fruitur, solus bona cœlestia recipit, non tamen illa participat præterquam associatus: pari quoq; modo si sacerdos quippiam perdit, iactura nō est sua privata, sed omnium cōmunis, atq; si ipse peccator extiterit, peccatum istud velut irreparabile contagium omnem gentem inficiet, *vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis, ego habito.*

Ecclesiast. 10. v. 2.

Is. 6. v. 5.

Cant. 1. v. 4.

Ser. 23. in Cant.

21. Porrò grandis Satanæ astutia fuit, quod in gentilitate tot vitia, tantæq; Deorum suorum perpetratæ enormitates passim publicè divulgētur, adeò ut illa cantarent in Poëmatibus, in picturis exprimerent, repræsentarent in comœdiis, deniq; celebrarent in ludis, & cur putatis id factū? Nazianzenus orat. in S. Lumina respondet: *Deos vitiorū patronos effinxerunt, ut peccatum non modo crimine careat, sed præclarū etiam & divinum censeatur, ad ea scilicet, quæ pro Diis*

adorantur defensionis causa confugientes. Defendetur enim adulter per Iovis adulteria, per latrocinia Mercurii excusabitur latro, per sensum vindictæ, quæ fuit in Junone, vindicativus tegetur. Eadem quoque ratione D. Augustinus advertit; iuvenem illum lascivum apud Terentium de sua inhonestate gloriatum fuisse, quia in una parte domus suæ Jovis in honestatem depictam vidisset: *Cum in ea se iactet imitari Deum; at quem Deum inquit? qui templa cœli summi sonitu concutit, ego homuncio id non facerem? ego verò illud feci ac lubens.* An non mihi licet facere quod Jupiter fecit? omnium Deorum imitatus sum patrem, feci id quod ab eo antea factum fuerat, qui cœlum tonitrui sonitu concutit. *Atque ab hac tanta authoritate*, inquit Augustinus, *adhibet patrocinium turpitudini suæ.* *Quid aliud est vitia incendere*, inquit Seneca *quam auctores illis inscribere Deos? & dare morbo, exemplo divinitatis excusatam licentiam?* hoc est fovere peccata, facere Deos illorum authores, hoc est omni nequitiæ & ad quodvis crimen patrandum dissolutæ licentiæ frænum laxare, magnæ authoritatis pallio illas tegere. O venerabiles Sacerdotes vos terræ istius Dii estis, nolite ergò permittere ut exempli vestri authoritate culpæ omnium aliorum excusatæ habeantur: nolite efficere ut flagitiosis audacia & temeritas per vos crescat, vestrorum lapsuum scandalis illos ad manifesta perducendo præcipitia. Cavete ne tum per peccata vestra propria, tum per peccata populorum, quos per vestras exorbitantias ad transgrediendum impellitis, duplici titulo vos reddatis culpabiles, hoc enim *est dare morbo exemplo divinitatis excusatam licentiam.*

L. 2. de civit. c. 17.

De brevit. vitæ. c. 16.

22. Referunt sacræ paginæ Gen. 6. quod filii Dei videntes pulchritudinem filiarum hominum, illarum facti sint percupidi: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Valdè hic miratur Theodoretus quæst. 47. in Genesin, fuisse in mundo homines adeò stupidos & stolidos, qui per filios Dei Angelos Dei intelligere non dubitârint, quasi verò illi purissimi spiritus affectuum nostrorum tam vilium & abiectorum, ut meritò nos ipsos erubescere faciant, capaces fuissent: *Quidam nimis stupidi & stolidi existimarunt eos Angelos esse.* Verum undè putatis turpis hic error, tam à recta ratione alienus nasci potuit? *putantes*, respondet Theodoretus *suæ forsan intemperantiæ patrocinium habituros, si Angelos eiusdem criminis consortes esse tenerent:* Tales sunt reprobi huius mundi homines, qui Angelos impuros videre gaudent, ne impuritas illorum repræhendatur, vellent Sacerdotes fœdè inquinari, ut labes ipsorum tanto minus appareant, suum pessimum vivendi modum obtegunt, per dissolutam & indisciplinatam vitam Prælatorum. *Et dare morbo exemplo divinitatis excusatam licentiam*, volunt.

Gen. 6. v. 2.

Quæst. 47. in Gen.

23. Adeamus nonnihil deserta Iordanis ibi enim Christum Redemptorem nostrum inveniemus, qui per humilitatis excessum postulat ut à Ioanne

anne baptizetur, quia autem hic idipsum ex reverentia facere recusat, in hæc verba mysteriis refertissima eidem respondet: *Sine modo, sic enim decet implere omnem iustitiam.* Sed obsecro quid est quod dicat ibi implendam omnem iustitiam? aut quomodo Christus accipiendo baptismum prætendere poterat adimplere omne genus iustitiæ, hoc in loco iustitia idem est quod sanitas & rectitudo, adimplet ergò Christus omnem rectitudinem, id est, suam & aliorum hominum, suam quidem se humiliando, aliorum verò dando illis humilitatis exemplum, hanc subtilitatem penetravit S. P. Ambrosius lib. 2. in Lucam in expositione cuiusdam loci ex S. Matthæo. *Quæ est iustitia, nisi quod alterum facere velis prior, ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo*, adeoque ut dum Sacerdos operatur bonum, omne bonum operetur, facit namque bonum istud quod ad se pertinet, nec non & istud quod spectat ad subditos, non quia realiter illud operetur sed quia causa est ut ab aliis fiat, ideoque eodem in loco exclamat Ambrosius, *ô verè divinam in ipsa humilitate Domini prospicientiam! Quanto enim abiectior humilitas, tanto divinior providentia.* Audite ergò ô Sacerdotes, quod si vos iustitiam operati fueritis, omnem profectò operabimini iustitiam, facietis enim ut ex vestra imitatione, alii quoque iusti evadant, sicutècontra vobis aliena imputabitur iniquitas, ubi iniqui fueritis, iniquitas enim aliorum vestra reputabitur, utpotè suam à vobis trahens originem.

Matth. 3. v. 15.

Gen. 6. v. 2.

L. 2. in Matth.

Quæst. 47. in Gen.

24. Hoc optimè S. Gregorius Papa lib. 9. epist. 64. intellexit ubi Brunichildi Regi Franciæ scribens, dicit se magno cum cordis sui dolore intellexisse, qualiter in regno eius nonnulli Sacerdotes dissolutè, & sine timore Dei viverent, ac proindè necessarium esse, ut quàm celerrimè fieri possit isti malo inveniat medelam, sed cur tanta sollicitudine est opus? *Ne paucorum facinus, multorum possit esse perditio, nam causa sunt ruinæ populi, Sacerdotes mali*; quasi dicere vellet: Regnum suum in gravissimo video positum esse discrimine, video enim Sacerdotes in gravissimo scandalo, quia cum sint totius populi norma, existentes perversi & iniqui, omnes quoque alios ad iniquitatem pertrahunt, nam *causa sunt ruinæ populi, Sacerdotes mali.* Idem quoque Gregorius Sacerdotum peccatis desolationem attribuit, quam in diebus suis bella intulerunt barbarorum, quæ totam tunc inundarunt Italiam. *Quanto mundus gladio feriatur aspicitis, quibus quotidiè percussionibus populus intereat videtis, cuius hoc nisi nostro præcipuè peccato agitur? Ecce depopulatæ urbes, eversa castra, Ecclesiæ & Monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt, sed nos peccanti populo auctores mortis extitimus, qui esse debuimus duces ad vitam, ex nostro enim peccato populi turba prostrata est, quia nostra faciente negligentia ad vitam erudita non est*, nos sumus qui mundo ruinam hanc superinduxi-

L. 9. ep. 64.

Hom. 13. in Evang.

induximus, nostris enim iniquitatibus iniquos fecimus populos, unde à Deo castigari merentur, nostra negligentia illos fecit incautos ex somno nostro ipsi dormitare cœperunt, ex pessimo exemplo nostro hauserunt audaciam conculcandi leges Domini, adeò ut nobis quasi pœnæ ipsorum attribuantur, *ex nostro peccato populi turba prostrata est, quia nostra faciente negligentia ad vitam erudita non est.*

25. Atque hæc est persecutio illa, de qua Dominus lamentabatur dicens: *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt.* Mihi ab amicis illatum est bellum, non verò ab adversariis, ab intimis, non ab extraneis, à domesticis, non ab ignotis, & tamen quot se contra Christum & professionem Christianam erexerunt Pagani? quot hæretici puritatem doctrinæ Domini contaminare studuerunt? quot schismatici tentarunt vestem lacerare inconsutilem? quot vasalli infideles, contra crucem eius suum extulerunt vexillum? & tamen de solis amicis & proximis lamentatur, id est, de Sacerdotibus & Ecclesiasticis, quia ut inquit Bernardus in Cant. 1. *Profectò id expressius plangit, quod & sentit differentius*, atque huic planctui Christi, planctus coniungitur Ecclesiæ, dicentis: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, fratres mei & cognati mei, gravissimi inimici mei fuerunt, nam ut dicit Abulensis loquens de Abimelecho à domesticis suis trucidato, *miserrimum est ab eo occidi, à quo quis iuvandus est.* Valdè deplorandum est occidi à Sacerdote, qui vitam mihi dare debuerat, meque ab eo desolatum, à quo protegendus eram. *Omnes amici*, inquit Bernardus *& omnes inimici, omnes necessarii & omnes adversarii, omnes domestici & nulli pacifici, omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt. Ministri Christi sunt & serviunt Antichristo*, hi sunt qui tantam in Ecclesia stragem faciunt, quantam quotidiè cernimus, qui cum sint animarum Christi sanguine redemptarum custodes, pluris tamen miserabilem quandam faciunt præbendam, quam ipsasmet animas, quæ CHRISTI sunt thesaurus, qui cum positi sint instar Lucernæ super candelabrum vicem illuminandi, insipientiæ suæ tenebris, mundum hunc excœcarunt, liceat mihi loqui verbis sancti Bernardi, non enim quilibet modus ad tantam iniquitatem satis detestandam sufficit: *Amici tui Domine & proximi adversum te appropinquaverunt. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum tuum, non est iam dicatur, ut populus sit Sacerdos. Heu heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, quærere principatum. Arcem Syon occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem, misera eorum conversatio plebis tuæ miserabilis subversio est.*

26. Tandem concludam ô Sacerdotes, referendo id, cuius quondam

Marginalia: Ps. 57. v. 12. — In Cant. 1. — Qu. 13. in Iud. 9. — Serm. ... Pauli

Iudith. 8. v. 21. dam generosa illa Heroina Iudith meminit. *Vos estis presbyteri in populo, & ex vobis pendet anima illorum.* Vos estis capita & Prælati populi, ex vobis salus illorum dependet & vita, omnes mortalium oculi in nos diriguntur, atque omnes modum à nobis exspectant conversandi, rationemque vitæ instituendæ; Nos exemplaria sumus & prototypi, unde copiæ desumuntur, & transsumpta aut pulchrarum imaginum, si virtuosi simus: aut turpis abortus, si vitiosi: Nos plebis Christianæ nutrices sumus, quæ ex nobis bibit aut lac sanctæ conversationis aut scandali venenum. Nos sumus navis huius naucleri, quæ iuxta directionem nostram, aut ducitur ad naufragium, si ebrii simus, aut verò ad portum si sobrii simus & attenti. Nos forma sumus totius gregis Domini, ad cuius similitudinem unusquisque se figurat & componit. Nos mystici illius exercitus Capitanei sumus, semper gregariorum militum cohortes post nos ducentes, vel ad interitum & perditionem, si ignavi fuerimus & timidi, aut si generosi ad victorias. Nos excubitores seu speculatores sumus fortalitii huius, quod vel per nostram otiositatem & desidiam, ab inimico insidias sustinens, capietur, aut per nostram industriam, & diligentiam defensa, & bene custodita manebit. Faxit Deus, ô Sacerdotes, ut rationem dare possitis, non de animabus vestris duntaxat, verum etiam de aliis nobis recommendatis, liberet vos Deus ab hac stultitia Pharisaica, insania namque est persuadere sibi, posse se pectoribus humanis ictum solum dicendo imprimere, postea verò malè vivendo, uti diximus contradicere.

CON-



CONCIO XIII.

In Feriam IV. post Dominic. II. Quadragesimæ.

THEMA.

Nescitis quid petatis. Matth. 20. v. 22.

ARGUMENTUM.

Honor mundanus vanus est & pernitiosus, vanus quia monstrat quod non est, iactat se de eo quod non habet, id promittit quod non dat, pernitiosus autem quia nocet in bonis temporalibus & æternis.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Blandum nomen honos, mala servitus, exitus æger. n. 1.

Qui quærit honores mundanos, nescit quid quærat. In schola Christi *dignitates detestantur. ib.*

Porta cœli parva, ad illam magnis non patet accessus. ib.

Synopsis Concionis. ib.

Primum punctum. *Honor mundi pura vanitas, vanum quid sit. num. 2.*

Omnis caro fœnum & omnis gloria eius sicut flos agri Isaiæ *Oraculum* à S. Grego. productum. *ib.*

Gloria mundi comparata vanitati quæ in omnibus elementis reperitur. n. 2.

Damnatorum lamentabilia testimonia circa vanitates mundi. Illa specialiter verba, quid nobis *profuit, ponderata. n. 3.*

Valdè esset stultus qui gauderet vel tristaretur de thesauro invento vel amisso per somnum. ib.

Omnes mundi magnificentiæ ostensæ sunt

sunt & promissa inter dormiendum. *ibid.*

Somnium est iste thesaurus, evigilas & recessit. Scitè Ambr. *num.* 4.

Omnia imaginaria & nihil veri. optime Tertul. ibid.

Descriptio mundi vanitatum. *nu.* 5. 6.

Honorem à Deo aliquando datum in supplicium. Advertit Job. ibid.

Pridie quam Rei capite plecterentur, lautissima ipsis parabatur Cœna, ut auctor est Plinius. *num.* 7.

Omnia huius mundi scelera à vano saeculi honore architectata. *num.* 8.

Omnia bona spiritualia & tmeporalia contempta propter honorem. *ibid.*

Multa hic exempla, ex sacris literis & profanis. ibid.

Quanta saepe vanitas in ijs qui alios honorant, indignos honoribus cumulantes, & dignissimis illos denegantes. *n.* 9.

Simia vocari leo potest, fieri autem leo non potest. *n.* 10.

Fortuna est cœca, quae sine ullo respectu bona sua fortuito & bonis & malis elargitur; exempla producta. *n.* 11.

Idolum hoc, est aurum & argentum, nunquid quia lucet oculos habet ut videat? *num.* 11.

Quantas animi & corporis abjectiones committant ambitiosi ut honorem acquirant, quantis tormentis afficiuntur. *n.* 12.

Magna infamia, hominem gloriam aucupando fatigari, nec tamen fatigari ut illam mereatur. *ibid.*

Periti in arte nautica ad gubernaculum constituuntur. *n.* 13.

Cassiodorus propter merita probata evectus. *num.* 14.

Honores iniquè acquisiti maioratum non tribuunt, sed potius auferunt. *ibid*

Honor vanus est, quia promittit quod non dat. *n.* 15.

Fraudum mundi descriptio, sicut & inquietudinum quas causat. Producitur Sapiens. ibid.

Melius est cum parvo corpore sanitate potiri quàm cum Giganteo aerumnis confici. *num.* 16.

Magna persecutio evehi ad dignitates. Cant. locus. *num.* 17.

Idem verbum Hebraeum Chabel, quod significat honorare, etiam significat onerare. *ibid.*

Fœlicitas exilis quae tantis laboribus acquiritur. *n.* 18.

Hypocrisis mundanorum, qui in faciem tibi rident. & post tergum pessimè maledicunt. *ibid.*

Heliogabali *dementia qui maxima proposuit praemia, ijs qui maximam copiam telae aranearum colligeret.* *ibid.*

Honor mundanus non vanitate tantum, sed & damno spiritali & temporali plenissimus. *n.* 19. Secundum Punctum.

Per quot pericula, pervenitur ad grandius periculũ! August. exclamatio. *n.* 20.

Zambri statim ac obtinuit tyrannicè regiam dignitatem ingressus est palatium & succendit se cum domo regia. *n.* 21.

Ambitio destruit bonum spirituale. *n.* 22.

Iacob moriens licet prae caeteris filijs diligeret Ioseph, tamen non ipsi sed Iudae auguratus est regnum, & quare. *n.* 23.

Licet Deus comminetur superbis non inde commoventur. *n.* 24.

Diversimode servos suos Deus tentavit. *num.* 25.

Filium suum duntaxat seu tentatione permisit tentari scilicet promißione regnorum totius mundi & quare. ibid.

Moyses petit à Deo, mitte quem missurus es, quia timebat deficere in tanta honorum celsitudine. n. 26.

1. MAgna olim cũ Sapientia cecinit S. Paulinus ad Paulinianum:

Blandum nomen honos, mala servitus, exitus ager.

Nomen quidẽ blandũ est honor, sed valde damnosam infert servitutem, ac tandem æmulos suos ad deplorandum finem perducit. Atq; ad id probandũ sufficeret judiciũ illud quod hodie hac super re Dei incarnata decernit sapientia, dũ veluti judicij & mẽtis inopes habet discipulos, qui se stultè honorũ cupidos & ambitiosos demõstrant, quib⁹ ꝑinde asperè quidẽ, sed valde rationabiliter respondet: *Nescitis quid petatis.* Solemnis profectò stultitia est, tanta cum aviditate post umbrã vanam currere, quæ tamen nec sine magno tormento desideratur, nec absq; intolerabili labore reqritur, nec sine ingenti alteratione & litigio obtinetur, neque citra cõtinuũ periculũ possidetur, nec deniq; sine duro cordis angore admittitur. In schola Christi, Dilectissimi, dignitates declinantur, non quæruntur; magnificentiæ in detestatione sunt, nõ verò laudi ducuntur; odio habẽtur cathedræ, nõ desiderantur; neq; inter tot humilitatis, humilisq; de seipso sensus habendi præcepta ullus in corde ambitioni locus est. Neq; mirum Aud, si enim porta cœli parva est, ꝑfectò magnis seu proceris, ad illud non patebit accessus, si via vitæ angusta est, ab illa certè exclusos esset tumidos necesse est, si gloriæ regnũ parvulis tantũ præparatum est, ab huius sæculi gigantib⁹ obtineri nõ poterit. Optimè ergo Magister veritatis duobus illis discipulis, qui primatum inter alios collegas, non minori cum stultitia, q[uam] [illegible] n desiderio, sectabantur, dixit: *Nescitis quid petatis.* Id namq; petunt: ꝙ ex unà parte mera est vanitas, ex altera verò manifestum periculum. Quæ duo puncta præsentis discursus subiectum erunt à nobis explicandum.

2. Primò quidem, *Nescitis quid petatis,* quia expressam sectamini vanitatem, & verum somnium. Vanum enim dicitur, quod extrinsecus apparet id, quod revera non est secundum substantiã, aut ꝙ videtur possidere id quod verè non possidet; aut deniq; ꝙ offert aliquid, quod dare nequit. Talis prorsus est honor huius mundi; hic namq; videtur esse, quod non est, de eo se jactat, quod non habet offert; quod dare nequit. Primũ punctum.

Et primo quidẽ foris apparet id quod revera non est; quia mundi huius magnificẽtia & pompa sæcularis, chymæra quædam est ficta, imago somniata, certa quædam cordis phantasia, palliata quædam, fraudulentia; error denique aliquis larvatus. Audite verbũ Dei ab Isaia prædicatum, cui dictũ fuit ut instar tubæ vocem suam exaltaret, ut hac ratione audiretur ab omnibus. Sed quid est quod is nobis dicturus est? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos* Isa. 40. vers. 6.

flos agri. Clama ne cesses, ut omnes te audiant, & intelligant. Clama inquam, & vociferare ad illos, omnem ipsorum gloriam esse instar floris cuiusdã, mane ridentis, & vesperi languescentis. *Iniquorum quippe potentia* inquit Greg. *Fæni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria, dum nitet, cadit, dum apud se extolli tur, repentino intercepta fine terminatur.* Vide omnẽ gloriam esse instar floris, qui vix comparens disparet, vide visus, mox oculos fugit, atq; uno eodẽq; ferme tempore jucundè vestitus te allicit, teque fugat ad luctum compositus? *Quia carnalis gloria dum nitet, cadit.* Porro sapiens, ut Cardinalis Petrus Damianus advertit ut magnam illam vanitatem describat, totum verè mundum pervagatur, atq; ex omnibus elemẽtis, quod in illis maximè vanum est, decerpens, simulq; conjungens, inde accuratam quandam mundanæ magnificentiæ picturam delineavit. *Quoniã spes impij tanquam lanugo quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est, & tanquã memoria hospitis unius diei prætereuntis.* Annon advertitis qualiter Salomon lanuginẽ ab aëre capiat, spumã ab aquis, ab igne fumum, hospitis deniq; diei unius memoriam à terrâ? lanugo dispellitur ab aura, à procellis dissipatur spuma, fumus evanescit à ventis, tempus deniq; à mente diripit hospitis memoriã. *Qui tot momentaneorũ rerum exempla congessit* (Sunt verba Damiani) *non tam vile quid esse omnè mundanã gloriã, quam nihil esse signavit.* Et hunc quidẽ conceptum ante omnes alios magnus ille Papa Gregorius excogitavit, qui per totũ mundũ discurrens, aucupatur quidquid ibidẽ frivolarum vanarumq; rerum reperiri possit, omnesq; velut sæcularis gloriæ symbola honorisq; mundani effigiatas statuit imagines, dicitq; gloriam & honorẽ huius sæculi esse veluti levem quandam stipulã seu paleam quæ ventorum est lusus, fumũ quendam agitatum ab auris, Nebulam devoratam à Sole, Roris stillam à calore exsiccatam diurnno; Bullam deniq; aquis supernatantem, quolibet levissimo aquæ motu exspirantem: *Sic aurarum flatu stipula rapitur, sed casu concitoad ima revocatur, sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur, sic ab infimis nebula ascendendo se erigit sed exortus hanc solis radius acsi non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed divini luminis subito calore siccatur: Sic spumosæ aquarũ bullæ inchoantibus pluv.js excitatæ, ab infimis certatim prodeunt, sed eo velocius dirupta depereunt, quo inflata latius extenduntur: cumque excrescunt ut appareant, nascendo pereunt ne subsistant.*

Lib. 17. Moral.

Lib. 1. Ephes. 17.

Sap. 5. v. 1.

Gregor. Loco citato.

3. Digrediamur nonnihil, vt damnatos in inferno lustremus ibidemque horribilia ipsorum inaudiamus lamenta. Videamus quænam nobis de suis hic in mundo habitis magnificentiis, honoribus & dignitatibus daturi sint testimonia. Dicunt ergo Sapientis ore: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Quidcõtulerunt nobis pompæ nostra, nostra gloria divitiæ nostræ, magnificentia nostra?* Sap. 5. v. 8

nostra ? Quid contulerint quæritis? verum quæro ego quid est quod non contulerint ? Hæc effecerunt, ut ab omni plebe, dum plateas obibatis, digito monstraremini & ob vestri reverentiam ad terram usque se inclinarent omnes vobis obvij. Hæ modum suggesserunt experiendi & probandi quidquid vobis collibitum esset. Hæ arma subministrarunt, quibus ab omni vos contrario tueremini. Hæ vnica causa fuerunt, cur gesta & facta vestra scriberentur in libris, inciderentur in marmore, funderentur in ære, posteræ commendarentur famæ, denique cur nomen vestrum celebraretur in universo mundo. Hæ cunctas ferè gentes in vestra coëgerunt servitia. Hæ fecerunt ut omnes vos erectis respicerent supercilijs, vosque veluti Deos honorarent, & nunc dicitis *quid profuit nobis*? An vobis parum esse videtur, conscriptos vos habuisse numerosos exercitus? Famosissimas domuisse nationes? gloriosissimas retulisse victorias? vosne dicitis, *quid profuit nobis*? An non excelsis thronis excepti estis? An non purpura fuistis vestiti? An non auro & gemmis in capite redimiti fuistis? An non regia incoluistis palatia? An non vasallis imperastis? An non ab obsequijs vestris totus mundus extitit? & tamen dicitis: *Quid profuit nobis*? Vos vastissima possedistis dominia, fundos amplissimos, vestri fuerunt omnes terræ thesauri, vestræ civitates & patriæ status, vestrum omne id quod in hac mortali vitâ optimum quodque censeri potest: & tamen dicere audetis, *quid profuit nobis*? Verum audiamus, obsecro, ab ipsismet quæ sit ratio cur omnia prædicta illis modicum & veluti nihil visum fuerit. *Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, aut tanquam avis quæ transvolat in aëre, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, sic & nos continuò desivimus esse.* q. d. nihil omnia prædicta profuerunt nobis, quia velut umbra, vana fuerunt, quæ subitò disparet, velut cursor postarius velocissimè decurrens iter, sicut navis à ventis agitata, quæ in brevi quodam momento nunc videtur, mox verò visum fugit, velut avicula per aëra volans, velut sagitta in destinatum evibrata scopum, *Sic & nos nati continuò desivimus esse.* Nunquid videris qualiter ab omnibus mundi rebus illas præcisè acceperit, quæ maximè erant fragiles, maximè caducæ, fugitivæ, vanæ? Ex naturalibus umbram quæ mera erat privatio, ex artificialis cursum navis, ex humanis cursoris transitum, ex animalculis aviculæ cuiusdam volatum, ex militaribus sagittæ volantis sibilum. Et quid aliud damnati hoc discursu docent, præterquam idipsum quod innocentissimus totius mundi, Samuel Propheta videlicet, docebat; Sed quid magnus ille vir nos docuit? *Nolite declinare post vana quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.* 1. Reg. 12. v. 21. *Quidquid enim in hoc sæculo lætum*, inquit Gregor. *hunc locum exponens, delectabile,* In 2. Reg. *sublime*

sublime, aut prosperum cernitur, vanum est, quia difficile habetur, & citò amittitur. Fuit autem ingens Dei providentia, uti Nazianzenus arbitratur, quod omnes sæculi huius pompas adeò vanas esse voluerit, id namque ita à Deo ordinatum est, ne hi qui illis carent, desperent, aut inde efferantur & superbiant qui illis præfulgent, nam qui illas perdit, vanitatem perdit, & qui possidet, umbram possidet; *ne vel adversitas solatio vel prosperitas fræno careat.*

Orat. 7.

4. Atque quis ita insanus erit ut aliquando conqueratur se amisisse thesaurum, quem pridianâ nocte somniaverat? aut lætetur de eodem, non nisi per somnium acquisito? *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo monebat Psalmista*, in quem locum D. Augustinus dicit: Noli magnatis alicuius formdiare prosperitatem, nec eandem illi invideas, quod si enim illi invidebis; nil nisi somnium & phantasiam vanam invidebis illi *Noli expavescere divitias, & gloriam sæculi, quoniam caduca ista sunt & citius abeunt quam veniunt: Somnium est iste Thesaurus, evigilas & recessit.* Et hanc ipsam credo esse rationem, cur toties honores & gloriæ, in divinis litteris per somnium visæ fuerint. In somnio Joseph suam in Ægypto exaltationem vidit. In somnio Pharaoni septennis illa prosperitas & abundantia visa fuit. Per somnium repræsentata fuit Esther omnis eius fœlicitas. Per somnium Deus Gedeoni suas exhibuit victorias. Per somnium Nabuchodonosor quatuor illas adeò in mundo celebres vidit monarchias. In somnio Salomoni factæ sunt sapientiæ, divitiarum & gloriæ fœlicissimi regni sui promissiones. In Somnio Daniel conflictus & triumphos ætatis suæ principum vidit. In somnio Jeremias Oniæ Sacerdoti apparuit, eidemque gladium porrigens inimicorũ populi Dei internecionem futuram promisit. In somnio Regis Ægyptij Pincerna se in dignitatem & gradum suum pristinum restituendum vidit. Et cur, obsecro, omnes hæ mundi magnificentiæ in somnio conspiciendæ exhibentur? More suo solito generosè respondebit Ambrosius: *Quia omnis potentia sæculi somnium est non veritas.* Monstratur in somno, quidquid in mundo magnum est, qui præter somnium nihil est. *Somnium est iste thesaurus evigilas & recessit.*

Psal. 48. v. 17.

Aug. ibid.

L. de Joseph. cap. 6.

5. Estque hæc veritas adeò certa, ut Tertullianus quidquid in isto sæculo magnum, quidquid honorificum, quidquid gloriosum est, considerans, dicere ausus fuerit, id omne falsum, imò nihil esse. *Omnia imaginaria in sæculo & nihil veri.* Vanus est thronus excelsus & sublimis, quia ad nihil aliud servit quam ut maior sit inde ruina. Vana sunt encomia, & laudum præconia, quia fabulæ sunt, & mendacia. Vana fama, quia paucis post diebus omninò interit & obmutescit. Vanæ à plebe apprecatæ salutes, quæ pari

In Apol. log.

pari prorsus levitate & inconstantia, eodem quasi tempore in æquè magnas convertuntur contumelias. Vanus adulatorum genius, qui molliter palpando crudeliter vulnerat. Vanæ statuæ & memoriæ, quæ non minori cum probro & dedecore paulò post dejiciuntur, & destruuntur. Vanæ pariter Poëtarum & historicorum commendationes, quæ non syncerè recensentur, sed sordide venduntur. Vana servitus, quæ non est spontanea, sed numeratis denarijs divendita, adeòque infidelis & involuntaria. Vana domesticorum obsequia, quæ ex corde non egrediuntur, sed in speciem duntaxat, aut pro solitâ exhibentur consuetudine. Vana extraneorum admiratio, quæ in unico momento pertransit. Vana privatorum observantia, quæ modico tempore refrigeratur, & subitò languescit. Vanus vasallorum respectus, nam sub eiusmodi simulato honore, sæpè latet rebellio & perfidia. Vanus aulicismus, & frequens famulitij numerus, nam coacti sunt, & privati lucri cupiditate extorti. Vani amici, & fœdere nobiscum juncti, qui eousque nobis cohærent, donec perseverat quod inde sperant bonum ipsorum utile. Vanæ parentelæ, quæ in aliena sunt fundatæ virtute & robore. Vana bella, quæ excitantur ex ambitionis motivo, non verò ex zelo justitiæ. Vanæ victoriæ, in quibus tantum valent casus & fortuna. Vanæ divitiæ, inconstantes adeò & fugitivæ.. Vana diu protracta convivia & crapulæ, quæ infinitarum infirmitatum origo sunt & causa. Vani liquores nobiles, & generosa vina, è quorum usu tot committuntur impertinentia, & probrosa facinora. Vana vasa aurea & argentea, quæ sæpè mortalia propinant venena. Vana vestimenta, quæ ostentationi deserviunt, nostrarumque miseriarum futura sunt remedia. Vana purpura, sub quâ tam arduæ & difficiles foventur curæ. Vanum sceptrum, quod frequenter positum est in manu cuisdam quasi insensatæ statuæ, qui neque alias regere novit nec gubernare seipsum. Vana corona, quæ tempora cingit cerebri & rationis inania. *Omnia imaginaria & nihil veri.* Insaniunt ergo, quotquot res adeò frivolas & vanas, tantâ cum anxietate requirunt. *Nescitis quid petatis.*

6. Dixi secundò; honorem mundanum esse vanum, quia de eo se jactat quod non habet. Cùm enim magnates, alijque honorati huius sæculi viri, gloriando dicant, honorem esse præmium virtutis, hominemque validum & fortem, velut umbram sequi, hinc est, ut dum passim falsò ab omnibus laudantur, ipsi se verè laudabiles seu laude dignos arbitrentur, dumque favoris pennis feruntur in altum, humilitatis & tenuitatis suæ prorsus obliti, sibi persuadent,

suadent, se id promeruisse, quod nuquam meriti sunt, aut promerebuntur. Falsum vident populorum de ipsis conceptum, sicque se ipsos videre desinunt, aut si se videant, non tamen quales revera sunt, se vident, sed quales ab adulationis coloribus depinguntur, eumque inconsiderati plebeculæ clamores, ac stulti applausus, strepitum ac clamorem excitant, ut ijs quos concernunt, interioris auditus, aures adeò occludant, ut liberis conscientiæ monitis, sincerisque è notitiâ suiipsius profectis cautelis nullum omninò locum dare possint. Verum quidem est honorem meritò esse debere virtutis stipendium, operumque laudabilium præmium. Sed insuper quoque verum est, honorem frequentissimè minimè promerentibus seu dignis aut promitti à Dèo in supplicium; aut ex falsâ persuasione concedi ab hominibus; aut à fortunâ indulgeri per temeritatem; aut ab ambitiosis venari per arrogantiam.

7. Dixi honorem à DEO in supplicium & pœnam sæpè permittit, id quod sapientissimus Job innuere volebat dum ita inquit: *Vtinam impleatur venter eius, vt immittat in eam iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.* q. d. Si bonis huius mundi repletus fueris, eo ipso pariter scopus eris in quem ira Dei collimabit. Quod si cœlum magnificentias, & dignitates tibi depluerit, depluet simul & supplicia. Plutarchus in moralibus refert, fuisse morem apud antiquos, ut priusquam reus mortis damnatus, duceretur ad patibulum, eidem pridiè exequendi supplicij, cœna laudissima, ac veluti regia exhiberetur. Nolite ergo ô vani mundani de vestrâ fœlicitate, & prosperitatis amplitudine & magnificentiâ à Deo nobis concesâ vanè lætari, hoc namque indignationis divinæ evidens est signum, innuitque quod de numero infœlicium illorum hominum sitis, qui ad æternam condemnati sunt mortem. *Impleatur venter eius, ut immittat in eum iram suam.* Ut quis Deum sibi habeat inimicum, hoc tantum sufficit, si videlicet magnus in hac vitâ fuerit, & qui Deum in gloriâ huius sæculi concedendâ liberalem experitur, parcum eundem experietur in tribuendâ gloriâ cœlesti. Neque tamen dico, te inter honores mundanos servare non posse innocentiam, aut non posse inter dignitates & amplitudines custodire pietatem, firmâ namque adhuc memoriâ teneo Ludovicos Franciæ & Portugalliæ, Stephanos Hungariæ Hermenegildes Hispaniæ, Eduardos Angliæ; Casimiros Poloniæ, Leopoldos Austriæ, Amedeos Sabaudiæ, respectivè Reges, & Duces plurimosque alios, qui in supremâ mundi huius gloriâ, humiles, modesti prosperitate, in delitijs mortificati, in divitijs denique pauperes fuêre spiritu. Verum hoc solum probare laboro, ex eo quod Deus hominem magnificet, & honoribus extollat, non

Job. 20. v. 23.

Plutarch. in Moral.

non sequi subitò, quod virtuosus sit, siquidem sæcularis gloriâ, potius à Deo in supplicium sæpè permittitur quàm concedatur in præmium.

Lib. 3. de Spiritu sanct. c. 13. 8. Qui navigat mare, dicit Ambrosius Lib. 3. de Spiritu sancto cap. 13. potest haud dubiè eiusdem evadere procellas, atque à naufragijs liberari, ipsamque mortem, quæ à constitutis in mari ad unius modici ligni grossitiem duntaxat distat, per artem effugere, attamen nemo est, qui non videat securius esse non navigando, ab eiusmodi periculis procul abesse. *Qui mare navigat, frequenter evadit, tamen obnoxius est periculo quàm qui navigare noluerit.* Porrò dicere ausim, quod non sit scelus aliquod in mundo adeò enorme, aut tam atrox, ac barbara crudelitas, quæ à vano huius sæculi honore architectata non sit, eiusmodi namque sunt occultæ insidiæ, violentiæ manifestæ, ingeniosæ fraudes, traditamenta barbara, violentæ rapinæ, oppressiones indignæ, infames rebelliones, pietas contempta, violata religio, execranda periuria, crudeles occisiones, impijssimæ fatuitates. ò quam sapienter id advertit Jeremias Propheta, qui recenset Dominum septem regna, amplitudine & magnificentia sua spoliasse, & exuisse, ut inde magnificaret populum suum, illisque omnem sustulisse fœlicitatem, ut hos fœlices redderet, tandem verò concludit, eundem populum suum, quando factus est magnus, quando honoratus, quando gloriosus, quando denique terram illam jam possedit quæ fluit lacte & melle, subitò oblitum esse Dei, eidemque terga vertisse. *Dedisti eis terram hanc, & possiderunt eam, & non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulaverunt: omnia quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt.* Jerem. v. 22. & 23. Vides, inquit Hieronymus, quomodo populum Dei, pari passu magnificatio & mutatio invaserint, honor item proprius & Deo irrogata contumelia, rerum terrenarum prosperitas & oblivio cœlestium: *Statim inter possessionem & inobedientiam nihil fuit medium. Vbertas enim securitatem, securitas negligentiam, negligentia contemptum parit.* Hier. in Jerem. Propter honores mundanos, nullus est veritatis respectus, nam quadringenti Prophetæ, vix id animi habebant, ut regem Achab reprehendere auderent, sed ut eiusdem regiam aucuparentur gratiam, veritatem adulationibus suis absconderunt. Neque justitiæ ratio habetur; Herodes enim summâ cum iniquitate in multas partes secari jussit omnes quotquot in Bethlehem erant parvuli infantes, timens, ne fortè inter illos esset, qui coronam eius ab ipso ablaturus, suæque genti aut stirpi vindicaturus esset. Neque ullus fidelitati locus est. Seba enim servus Regis Israelis, periculosi contra dominum suum excicati tumultus author extitit, idq; non alia motus ratione, quàm propriæ magnificentiæ augendæ causa. Neque gratitudo attenditur; Saul namq; usq; ad mor-

ad mortem David Regem persequebatur, à quo tanta receperat beneficia eo quod æquis oculis non posset videre illum præ se à populo æstimari & honorari. Neque hospitio quidquam defertur; Ptolomæus namque Simoni & duobus filiis Machabæis mortem intulit, idque haud alia de causa ne illos suæ magnificentiæ adversarios haberet. Neque amicitiæ; Simon enim & Levi, totam civitatem Sichem sibi adeò firmiter confœderatam, posuerunt in ore gladii, ut de recepta se vindicarent honoris iniuria. Nec parentela movet; Athalia namque totam exterminavit stirpem regiam, ne regni haberet competitores. Neque fraternitas curæ est; siquidem Abimelech, dominandi cupidus, 70. fratres suos morti tradidit. Neque reverentia paterna æstimatur; Aristobulus enim Hircanum patrem suum occidit, sola motus impatientia, ne videlicet diu nimis sustinere illum cogeretur, donec illi in statu seu regno succederet. Neque religionis ullus respectus; nam Theophylus Ciliciæ presbyter ut in dignitatem archidiaconalem, qua iam ob demerita exutus fuerat, restitueretur, cum Dæmone pepigit, huic chyrographum manu sua signatum relinquens. Neque fidei; Jacobus enim ut in honoribus, à Rege Persiæ acceptis, se conservaret, consensit in idololatriam idolisque incensa obtulit. Neq; Ecclesiæ; quam Valentinus, Marcion, Aetius, Nestorius & mille alii deseruerunt ea solum de causa quia repulsam ab episcopatu, quem ardenter ambierant, passi fuissent. Neq; vitæ propriæ; sic namque Agrippina postquã ab Ariolis & divinatoribus intellexisset, se, postquam Nero filius suus, ad imperii fastigium assumptus esset, ab eodem occidendam fore, respondit: ***Interficiat dummodo imperet.*** Non denique propter honores habendos quicquam Deo defertur; nam Lucifer maioris excellentiæ cupidus, dominium altissimi recognoscere noluit, sed impiè se adversus Deum rebellis erexit. Concludo ergò honorem à Deo hominibus sæpè permitti, non veluti virtutis præmium, sed veluti potius pœnam & supplicium vitiorum, neque magnates terræ huius in culmine constitutos, ob merita ab ipsis reposita, sed potius in mulctam criminum commissorum, neque indultos honores benevolentiæ divinæ signa æstimandos sed potius censendos esse notam divinæ indignationis, & uti S. Greg. advertit, *quod sunt, iam non ad meritum sed ad pœnam sunt, qui in voluntate Dei non sunt.* L. 6. in L. 1. Reg.

9. Accedo propius ad ipsos homines, alios honoribus prosequentes, qui quam sint alios honorando stulti, quilibet à seipso facilè cognoscere potest. Qua enim ratione dici potest, quod honor, quem aliis deferunt, exhibeatur ob respectum, quem ad virtutem, & virtuosos habent, cum videant, se non rarò multos quoque flagitiosissimos homines prosecutos esse honoribus; exaltasse se eos, quos satius fuisset, semper humi prostratos mãsisse; commendasse se illos, qui ex mille capitibus vituperosi, omnique laude indignissimi erant, censebunturnè homines, honorando alios, illis virtutis dare testimonium, quando illud

dant, ob ignorantiam minimè merentibus? illud optimè merentibus dare per invidiam renuunt, illo per invidiam virtuosos privant, illud nonnisi amicis & propinquis dant, haud iis etiam omnibus, sed illis tantum à quibus suum sperant emolumentum? itane honorando, virtutem testantur homines, qui suos tantum exaltant fautores, ex ipsis quoque ipsarum iniquitatibus? & quoad valent, elevant illos, à quibus ad effrænes passiones suas sectādas, & complendas, iuvari queant? Homines qui adeò curto & modico præditi sunt intellectu, ac iudicio tam corrupto & perdito, ut facta æstimatione dignissima, æstimare nequeant, ècontra verò sæpè apprecientur illa, quæ contemptibilia sunt, ac indigna? Homines qui non ab honesti pulchritudine, sed à turpis lucri sorditie moveri se sinunt, neque dare norunt, nisi dantibus, aut vicem dati referentibus, neque benefacere sciunt, nisi iis, à quibus beneficia acceperunt & ipsi? Homines qui adeò varii sunt, & inconstantes, ut in eodem quasi momento gloriam conferant, eandemque mox pari levitate tollant, laudant, & vituperant, exaltant & deprimunt, amplexantur & repellunt, amant tenerè, & mox ad mortem usque oderunt? quot litteratorum occupant cathedras & litteras nesciunt? quot Reipublicæ temonem gubernant, inexperti & rudes? quot in ecclesiasticas intrusi dignitates, & prorsus tamen indigni? quot purpura vestiuntur & ostro, quibus satius esset vili amiciri sacco? quot sunt qui rationem reddunt populis, omni tamen ratione prorsus destituti? quot in senatibus loquuntur, & in conciliis, quibus utilius esset, in ipsis quoque privatis silere colloquiis? quot sunt qui mundum istum gubernant, neque tamen seipsos regere norunt? quot sunt qui in sublimi positi, aliis imperant, quibus satius esset si aliis ipsi obedirent? quot sunt qui ab omnibus sibi servitia exhiberi permittunt, cum præ cæteris animam maximè servilem habeant? Hoc ergo est hominum iudicium, qui hac in parte nullo gubernantur iudicio, qui tametsi honorem exhibeant, meritum tamen conferre nequeunt tametsi aliquod conferant officium non tamen habilitatem, tametsi ad cathedras promoveant, non tamen promovent ad acquirendam prudentiam aut intellectum.

10. Audite, obsecro, quid Gregor. Papa scripserit Theotistæ Mauritii Imperatoris sorori germanæ. Exaltaverat hæc ad sublissimos dignitatum gradus, nescio quos viles homunciones, id minimè promeritos, unde mox calamo manum admovet S. Doctor atque factum istud modo sequenti reprehendit: *Ecce serenißimus Dominus Imperator fieri simiam leonem iubet. Et quidem provisione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest.* q. d. tametsi Imperator homini ignavo & inerti, munus, V. g. conferat Capitanei, per eiusmodi quidem principis favorem, talis nominari Capitaneus poterit revera tamen Capitaneus non erit in æternum. *Vocari leo potest, fieri autem leo non potest*, imò per novæ illius dignitatis collationem, evidentius eius elucescet indignitas, ad eum ferè modum, quo staturæ parvæ, super altissimas collocatæ bases,

Epist. ad Theotistam.

bases, dicebat Plutarchus, tanto videbuntur esse minores, quanto columnæ, quibus innituntur, celsiores extiterint; aut sicut fumus dicit S. Greg. quo altius elevatur, & ascendit, tanto magis evanescit, & annihilatur: *Deficientes quemadmodum fumus deficient, fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit, sic videlicet fit, cum peccatoris vitam præsens fœlicitas comitatur, qui unde ostenditur ut altus sit, inde agitur ut non sit.* Et sæpè nonnemo aliquid esse videtur quam diu supra debitum ipsius aut ultra capacitatis suæ sphæram non honoratur, qui postea nimium sublimatus, perditur omninò & confunditur. Sic Cornelius Tacitus de Sergio Galba refert, quod quoadusq; privatus fuit, semper privato apparuerit maior esse, atque unanimi omnium consensu, cum nondum imperaret, imperio dignissimus est iudicatus; *Maior privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu, capax imperii, nisi imperasset.*

Loc. cit.

L. 1. Annal.

11. Quid demum dicemus de illis qui ad honorum fastigia casu fortuito sunt sublimati? qui illa non quærunt, sed potius apparet ipsos ab honoribus quæsitos fuisse? Non venantur honores, sed ultrò citròque in sinum ipsarum hi involant? Nec illos desiderant sed ab illis potius desiderantur? utique istud honoris genus vanissimum est, cum ignoretur, ex qua parte, aut quibus mediis advenerit, iam enim possidetur de facto, priusquam cognoscatur, videtur antequam, prævideatur; habetur priusquam desideratur. Ideò Romani ut habet Augustinus sicut fortunam veluti Deam quandam finxerunt, ita quoque cœca ab iisdem ficta, & picta fuit, cuius ratio est, quia *sine ullo examine meritorum fortuita accidit bonis & malis.* Donativa sua sine ullo meritorum respectu bonis impartitur & reis, congruis & ineptis, sapientibus & stultis. Per cœcum huius personatæ Deæ regimen, mille impertinentes vidimus casus, videlicet ad consulatum evectum lanionem: Pastorem ad imperium Romanum sublimatum, mercatorem mundi dominio honoratum, opificem ad regnum Ægyptium assumptum, Ludimoderatorem in Britanniæ moderatorem & Dominū evasisse, servum ad Orientis exaltatum Monarchiam, agricolam de ligone ad sceptrum transivisse Persiæ, ollarum figulum ad Siciliæ thronum raptum. Mulieres, Syriæ dominio præfectas, in sede Petri collocatos iuvenes. Honor gemma quædam est valde pretiosa inquit Cassiodorus cuius auro vinctæ pulchritudo valdè intenditur, cum tamen eiusdem, incrustatæ plumbo, per sordidi illius metalli nimiam propinquitatem, speciositas, valdè diminuatur; sic quoque honor in virtuoso mirabiliter elucet, cum tamen in homine vitioso omnem speciem & pulchritudinem deperdat. *Gemmarum divites venæ auri fulgore pretiantur, & gloriam pulchritudinis capiunt, quia nulla de genere vicinitate sordescunt, sic bona merita, splendidis dignitatibus sociata, alternis præconiis adiuvantur, & unius rei facies de addita sibi venustate pulchrescit.* Honor inquit Spiritus sanctus lucerna quædam est, quæ honorati mores apprime reddit conspicuas, hi enim, si boni sunt, honoris lumine magis enitescunt, si verò mali,

L. 4. de civit.

Lib. 4. variarum Epist. 40.

Proverb. 21. v. 4.

mali, ex supervenientelumine turpitudinem suam reduplicant. *Lucerna impiorum peccatum*, non tantum ideò, quia ut plurimum in illis honor cum peccato est coniunctus, siquidem ut diximus, sæpissimè Dei oblivionem menti inducit, sed & peccatum dicitur, id est defectus quidam, quia videlicet honor, homini impio attributus, extra proprium locum (hic enim est homo studiosus, meritorumque plenus) est constitutus, unde ambitiosi meritò memores esse deberent illius, quod Ioiada Pontifex summus fecit, quando Regem Ioas filium Ochoziæ coronavit, dicit enim sacer textus quod *posuit super eum diadema, & testimonium*, ubi Doctores per testimonium ipsam Dei legem intelligunt, adeò ut coronaturus Regem, vertici ipsius non solum imposuerit diadema, verum insuper quoque legem *diadema & testimonium*, ut innueret, honorem pari semper passu cum meritis debere procedere, cum dignitate sanctitatem, laudem cum rebus laude dignis. Recordetur denique quisquis sine merito sublimatum se novit; illius, quod dixit August. videlicet quod sicut idolum aliquod ab artifice fabricatum, à quo figuram humanam accepit non adeò oculis est præditum quibus videre possit quia ex auro factum sit, ita quisquis indignè ad honores evectus est non ideò mox intellectum acquirit, quo caret, sed manet qui fuit, adeò ut si ignorans nonnemo cathedram conscendit, ignorans quoque ex illa descendere cum confusione debeat. Et qui purpura vestitur, nec illam merito quoquam promeruit sub tali purpura stultitiam suam teget & insipientiam. *Certè aurum est, certè argentum est*, verè dicit Augustinus, idolum istud aurum est & argentum. *Nunquid quia luceet argentum, lucet aurum, ideò oculos habet, ut videat.* Insignia quandoque tibi collata sunt doctoralia non tamen te doctum inde reddiderunt. Virgam iustitiæ manibus tuis inseruerunt, nec tamen inde te sapientiorem effecerunt. Denique aureum te fecerunt, & argenteum, sed oculis orbum. *Omnia ista artifex facere potuit, sensum dare non potuit.*

4. Reg. 11. v. 12.

In Ps. 134.

12. Nunc præterea honorem in ambitiosis, aliisque qui ultrò in dignitates & gradus sese ingerunt, speculemur, & consideremus, Ecquid Audit. hominum genus non molitur, ut tandem aliquando suum assequatur intentum? Ecquid ambitiosi non tolerant, ut aliquando ad ambitionis suæ scopum pertingere valeant? An vel una nocte pacificè dormiunt? an bolum aliquem sine amaritudine ingerunt? num fortè hilaritatem absque zelotypiæ motu in aliis intueri valent? num encomia aliorum absque invidia inaudiunt? an fortè aliquem conspiciunt sublimatum nec desperant? nunquid viliter se ad cuivis inserviendum demittunt? nunquid ad quævis ignobilissima negotia semetipsos deiiciunt? nunquid ad intercessiones adulatorũ ad muliercularum servos, & similes hominum fœces recurrunt? nunquid magnos absque parsimonia profundunt thesauros? nunquid absque ullo commotionis sensu patriam, parentes, & omnes deserunt amicos? nunquid sæpè coguntur iniquitatem veluti virtutem

tutem laudare contradicente consci-entia? Nunquid contra rectæ rationis dictamen vituperant virtuosos? Hæc enim cathedra illa pestilentiæ inquit Aug. in Psal. August. de qua David hisce loquebatur verbis: *Beatus vir qui in cathedra pestilentiæ non sedit.* Pestis namque malum est universale, & contagiosum, quod passim omnes intoxicat & ferit. *Noluit regnum terrenum cum superbia quod ideò cathedra pestilentiæ rectè intelligitur, quia non ferè quisquam est qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia enim est morbus latè pervagatus, & omnes aut penè omnes involuit.*

13. Verum enim vero quænam isthæc insania, hominem scilicet gloriam aucupando fatigari, nec tamen fatigari illam merendo? Nescitis quid Hiero. ad Pamm. Hieronymus ad Pammachium scribat? *Minus est tenere sacerdotium quam mereri*, q. d. non tantum æstimandum est dignitatem à quopiam possideri, quam eundem ab aliquo promereri, nam & iniquus illam possidere potest, at qui mereri non potest nisi solus virtuosus. Et tamen inveniuntur homines adeò insani, qui omnibus viribus ad hoc laborant, ut magni evadant, neque tamen eundem animi valore lucrari desiderant, magnisque passibus insectantur illud, quod præmium est virtuosorum operum, neque tamen minimam cogitationem de operefaciendo sibi statuunt, quæ certè olim erat adeò rationabilis Gregorii Orat. 2. Nayianzeni querela dicentis: *Conspicio sapientes, unius diei momento exortos, ac manuum impositione theologos factos, quibus ad sapientiam comparandas, satis superque esse videtur solam voluntatem afferre.* Quodnam est istud virorum sapientum genus, quod unica nocte nascitur, sicut fungi? qui cum instar iumentorum sint stolidi, in unico tamen momento sola manuum impositione videntur Aristarchi? qui sibi stultè persuadent, ad sapientiæ acquisitionem, sufficere temerariam quandam, & subitaneam voluntatem, cum alii pro ea acquirenda sanguinem sudent, & vitam persæpe perdant & deterant. Laudo, inquit Nazianzenus, artem nauticam quæ peritum quendam nautam efformare volens, cui navis inter tempestatum procellas gubernanda securè committi queat, non illum temoni subitò admovent, sed manus illius prius remis agitandis admovent, ipsum aliquo usque ad proram statuunt, atque secundum directionem alterius rudentes tractandos committunt: *Sicque prioribus muneribus ipsi commissis, tandem cum post diuturnam navigationem, & observationem ventorum ad gubernacula constituit.* Sic quoque ars militaris, timidum & inexercitatum novitium, qui martialibus agitationibus, aut cruentorum conflictuum periculis nunquam astitit, non mox regendis adhibet exercitibus, sed veteranum huic muneri gerendo provocat militem, qui videlicet per ordinem omnes militiæ honoratos transierit gradus, qui ex milite Capitaneus, dein centurio, demum archistrategus seucampi magister, tandem verò exercituum Dux atque Imperator extiterit, longâque

experientia singula tam difficilis & arduæ disciplinæ capita didiceri. *Hic optimus ordo est, iisque qui subsunt imprimis conducibilis. Quam præclarè nobiscum ageretur si idem nostrarum rerum status esset.*

Cassiod. lib. 1. variarum Epist. 14. 14. Sic Theodoricus rex postquam Cassiodorum ad dignitatem extulisset patritiam, eidem scribit, se per hunc sibi collatum honorem, diuturnæ suæ servitutis & fidelitatis declarare voluisse merita, non enim ad dignitatem istam de repente evolârat, repentinis fortunæ præventus successibus, sed continuo virtutum incremento ad omnem magnificentiam sibi vadum aperuerat, viamque ad quemvis etiam assequendum honorem pararat, *ut honore magni nominis declarentur merita servitutis. Qui enim fragili fœlicitate provectus, fortunæ ludo ad apicem fascium repentinis successibus evolavit, sed ut crescere virtutes solent ad fastigium præconii conscendit gradibus dignitatum.* Non sic stolidus ille ac fatuus de quo Salvianus presbyter loquitur, dicitque, hunc ad dignitatis quoddam fastigium, ambitione suadente, evectum, sed quia eandem studiositate vitæ non promeruerat, inde factum esse, ut in fastigii illius celsitudine, plus videretur humilis & deiectus, atque inter honoris splendores manifestius personæ suæ cernuntur demerita, adeòque uno eodemq; tempore & maior effectus sit & minor, atque manifesto sanè prodigio auctus videretur & diminutus. *Sic esse cœpisti turpis opulentia, fide pauper, latior corpore, angustior mente, eodemque tempore, ut ita dixerim, in te maior, & in te minor novoque & pene inaudito genere crescens simul & decrescens.*

L. 1. ad Eccl. Cathol.

Ezech. 27. v. 11. Refertur apud Ezechielem in defensionem mœniũ Tyri civitatis, quæ famosissimum quoddam erat fortilitium, parvulos aliquos stetisse pygmæos: *Sed & pygmæi qui erant in turribus suis pharetras suas suspenderunt* quæ sunt ipsissima Ezechielis verba. Non quia defensores iam dicti, verè pygmæi fuissent, inquit Hieronymus Pradus, sed quia ob turrium eminentem altitudinem, tales videbantur esse, *quia præ altitudine turrium hominibus infra stantibus deficiente visu, non homines videbantur, sed pygmæi, id est, statura cubitalis.* Pradus in Ez. Audi istud quisquis es ambitiose, qui citra omnem considerationem, effræni impetu, huius mundi sectaris excellentias, & honores, non enim honores iam iniquè per te acquisiti, maioratum tibi tribuunt, sed potius auferunt, tantũque abest, ut eminere te præ reliquis faciant, ut potius in omnẽ tibi involent eminentiam, ut eam disperdant, infamant te, non verò honorant, deiiciunt, non elevant, nõ tibi esse aliquod tribuunt, sed potius annihilant, officium autem sine altitudine, titulus sine merito, nomen sine factis vanitas mera est. *Nomen sine actu,* inquit Salvianus, *& officio suo nihil est. Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, quam hominis titulus sine homine? Nescitis quid petatis.* L. 4. de provid.

15. Tandem honor vanus est, quia promittit quod non dat. Fœlicitatem, pacem, quietem, gaudium, animique promittit satisfactionem, nec tamen id præstat, imò contrarium prorsus facit, honor namque infinitarum fons

est

est miseriarum & amaritudinum. Annon audis Bernardum dicentem. *Si labores pensamus, non affectamus honores.* Si Romanos Imperatores interrogaveritis, qui tanti tamque honorati suo tempore videbantur in mundo; aut illos Græciæ sapientes, qui veluti divini homines ab omnibus observabantur; aut illos Persidis & Syriæ Principes, qui possidebant quidquid terræ huius pulchrum, aut bonum erat; si inquam illos qui modo in inferno degunt miserrimè, interrogaveritis, quid illis in pompis suis, in fastu suo, aut fœlicitate evenerit, utique verbis Sapientis nuper à nobis citatis respondebunt: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis?* Verum enimverò sufficit mihi, intelligere, magnificentiam vestram vobis nihil profuisse, aut contulisse, sed scire percuperem an eadem aliquod vobis attulerit nocumentum, an pacem turbârit, an fastigationem causârit? Audite ergò ipsos denuò loquentes: *Lassati sumus in via iniquitatis, vias difficiles ambulavimus.* En qualiter tandem veritatem ore proprio fateantur. Annon difficile vobis videtur esse semper stimulari ambitione, quæ nunquam satiatur? torqueri ab æmulatione, quæ semper irritat? Ab adulatione excæcari, quæ semper defraudat? molestari à cupiditate quæ nunquam quiescit? Tyrannicè infestari à crudelitate quæ ferocire non desinit? Annon insignis est pacis turbatio ab apertis semper impugnari inimicis, ab infidelibus amicis proditoriè tradi, odio haberi à domesticis, invisum esse extraneis, à vicinis timeri, vituperari à remotioribus, seduci à servis, violentias sustinere à vasallis, insidias pati à minoribus, à paribus invidiam, contemptum à maioribus? Denique novi lucri desiderium, timor acquisita perdendi, eventuum incertitudo, resolutionum ambiguitas, diffidentia consiliorum, mediorum defectus, periculum moræ, an non continuum hæc omnia sunt cordis tormentum? ut præter hæc sileam animi culpabilis anxietatem, remorsum cõscientiæ, timorem iudiciorum Dei, horrorem mortis, beneficiorum non recognitorum, spretarum monitionum, inspirationum denique divinarum contemptarum vivam memoriam. Verum nondum satis dixi quantum volebam. Nam ubinam, quæso, sunt illi, qui sic loquuntur? aut ex qua parte tam syncerè voces, tamque clara veritatis confessio dimanat? Ab inferno, sic enim Salomon inquit: *Talia dixerunt in inferno qui peccaverunt.* Ah quanta ergò pœna erit ista, quæ in medio pœnarum inferni, quæ tam sunt immensæ, etiam magna esse indicatur? plus torquentur miseri illi, à præteritæ vanitatis memoria, quam à præsentiũ tormentorum experientia, maiorem illis afflictionem hæc ficta infert fœlicitas, quàm verus ille inferni dolor. *Acutius torquentur, inquit doctus quidam interpres, Celada, ob præterita vanitatis incommoda, quam ob præsentia gehennæ tormenta.* Exclamat ergò meritò S. Bernardus dicatque: *O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibus places? Nihil acerbius cruciat nil molestius inquietat nil tam apud miseros mortales celebrius negotiis eius.* O quantum est istud malum, quod omnes torques & omnibus

Serm. 12. in Cant.

Sap. 5. v. 8.

In c. 7. Iudith.

L. 3. de consid.

omnibus placet? Scribebat quondam S. Bernardus ad Aquitaniæ Episcopos, multisq; rationibus efficacissimis Prælatum quendam culpabat, qui Legatus erat in Francia, quod cum ob senii gravitatem, uno pede cymbam teneret charontis, tamen conatum ipsum ab hoc gravi munere senilibus viribus suis, insupportabili exonerare satagentiũ nihilominus adeò iniquè tulisset, ut timeret, ne officio illo privatus quoque privaretur & vita: *Legatio sarcina gravis humeris præsertim senilibus quis nesciat? & tamen homini senißimo, gravior videtur pœna, reliquum id breve dierum suorum vivere sine hac pœnâ.* Pœna est, haud dubiè, inquit Bernardus, aliis imperare, & tamen sunt, qui pœnam æstiment, hâc pœnâ privari, cumque iam sint supra vires de facto onerati, maius onus iudicant esse onere isto exonerari, *gravior videtur pœna vivere sine pœnâ.*

Ep. 126.

16. S. P. Augustinus refert, Romanos adeò militiæ deditos fuisse, ut vix ab eadem abstinere potuerint; ratio autem huius suæ phræneseos erat, scilicet, quod pro imperii sui amplificatione, & augmento gloriæ bellarent. *Idonea verò causa ut magnum esset imperium, cur esse deberet inquietum?* Puerilis certè, ne dicam stulta isthæc est ratio, scilicet pro amplificando imperio inquietudinem augere, & pro comparando aliquo gloriæ incremento cumulare miserias. Annon satius est inquit Augustinus corpus habere parvum, sed sanum, quam ut staturam corporis gigantæam coneris assequi, infinitos tamen simul tolerando morbos, nec tamen post obtentum intentum sanari, sed potius eò maiores experiri miserias, quantò membra grandiora effecta fuerint? *Nonne in corporibus hominum satius est, modicam staturam cum sanitate habere, quam ad molem aliquam gigantæam, perpetuis afflictionibus pervenire, nec cum perveneris requiescere, sed quantò grandioribus membris, tantò maioribus agitari malis.* Non fœlicitas, sed miseria est, velle semper subiici miseriis, quia semper crescere desideras; atque innumeris laboribus mediantibus, in omnem horam pacem sectari, neque unquam tamen assequi. *Idonea verò causa ut magnum esset imperium, cur esse deberet inquietum?*

L. 10. de Civit. Dei c. 9.

17. Optarem, ut ambitiosi ad id se reflecterent, quod sancta illa anima in Canticis dicebat: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Sed quid mali ipsi intulerunt? *Posuerunt me custodem in vineis.* Hoccine autem est pugnare adversum te, te nimirum vinearum custodem destinare? facere te huius vel illius civitatis seu status gubernatorem, illius seu alterius Ecclesiæ Prælatum, aut talis concilii Superintendentem, hoccine est vim tibi aliquam inferre? aut pœnæ alicuius dare fastidium aut indicare bellum? Itane? ita profectò, respondet Benedictus Fernandius. *Tot spicula enim in meum contorserunt pectus, quot vota in meam electionem coniecerunt, non tam electores, quam peremptores,* id quod diu ante ipsum S. Bernardus serm. 30. in Cantica dixerat: *Ab illis ipsis inquit, fatetur se promotam à quibus & passam.* Non favorem, sed damnum accersistis mihi dum me eligeretis. Neque in statum me collocastis, in quo gauderem, sed in quo pate-

Cant. 1. v. 6.

In cap. 1 Gen.

Ser. 30. in Cant.

pateret, bellum acre fuit vestra electio, non pax; violentia, non suavis & humana receptio. Unde Hieronymus Oleaster optimè notat, idem prorsus nomen apud Hebræos significare honorare & onerare. *Ne cuncteris venire ad*
Nu. 22. v. 16. *me* (dicebat Rex Balac Balaamo pseudoprophetæ) *paratus sum honorare te.* Verbum hebræum Chabal significat honorare & onerare, nam qui te honorat, is opprimit te, qui exaltat, deiicit, qui te in dignitatem evehit, in litigiorum te coniicit pelagus. *In pace amaritudo mea amarissima* dicebat sapi-
Is. 38. v. 17. ens ille Rex. Ubi Pagninus inquit, *dum essem in pace amaritudo mihi amaritudo fuit.* q.d. Amaritudo quam inter regni dulcedines seu delitias persensi, vera amaritudo fuit, adeò ut in comparatione ad illam, quam in imperii pompis, & fastu experiebar, aliæ amaritudines minimè tales esse viderentur. Ipsissi-
Lib. de ligno vitæ c. 3. mam ergò veritatem S. Laurentius Justinianus dixit, scilicet quod *fallax suavitas in rebus temporalibus, infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor & periculosa inest iucunditas.*

18. Ecquæ demum fœlicitas est illa pro quâ obtinendâ tolerantur res adeò difficiles? Annon stultum est, se pascere ex eo, quod plebs coram te inclinet, & caput denudet, ex aurâ vulgi se nutrire, ex vilis turbæ applausu consecrari, gaudere à populo monstrarier digito, & dicier hic est, omne suum studium in mundi huius pompâ reponere, quæ mera tamen falsitas est & mendacium. Osculantur tibi dexteram tuam quam tibi detruncatam videre mallent. Bonum tibi imprecantur diem, qui clam in animo tibi infortunatissimum annum exoptant. Longam tibi augurantur vitam, neque tamen ad momentum videre te sustinent absque fastidio. Juxta te cum reverentiâ assistunt & respectu, quem procul abiecerunt à corde, linguâ suâ, quidquid facit approbant, & reprobant interiori cum iudicio, in faciem tibi rident, & post tergum pessimè maledicunt, omni horâ comitatum tuum sequuntur, cum tamen in remotissimum mundi exilium te pelli libentius viderent, commodi seu interesse tui se fingunt amicos, sunt autem ad exsugendum tibi sanguinem promptissimi, verba semper dulcia in ore ferunt, cum tamen quavis horâ, venenum contra te servent in corde. Cordialissimos se servitores appellant, sunt autem iurati inimici tui, & pro nugis & ineptiis ista tanta quis tolerabit fastidia? liceat hic mihi cum aliquo S. Bernardi zelo exclamare: *O patientia omni digna impatientiâ, non possum non irasci huic contentiosissimæ patientiæ.* Quid tibi proderit, si palatium incolas, in centum distinctum conclavia, quando uno eodemque tempore degere non nisi in unico tantum cubili, ibidemque septem tantum palmorum occupare spatium potes? Quid tibi conferet status dominii sine termino, si te etiam invito, per propriam modicitatem & exiguitatem tuam, ad strictissima determinatus es confinia? Quid tibi utilis erit mensa regia lautissima, infinitis ferculis & epulis onusta, si venter tuus non est capax plurium, quam capere possit ventriculus hominis, qui totius sit mundi miserrimus? Quid vasa pretiosa, lapidibusq;

pretiosis affabrè distincta iuvabunt, si pro naturali tuo appetitu restinguendo, simplex abundè sufficiat creta? si Diogenes dulcius, quàm tu, ex volâ manus suæ potavit? quid addent tibi multiplicata mirèque variegata vestiaria, nobili & peregrinâ supellectile plenissima, si ut te à temporum vindicet iniuriis, unica tibi sufficit tunica? Quid ingentes tibi adferent thesauri, & benè custoditæ divitiæ, quando in armariis illæ latent otiosæ, & inutiles, aut si oculis illas nunquam dignaris aspicere? Quid altus tibi famæ tuæ proderit clamor, & rumor, si hæc dependet ab æmulis qui illam sepeliunt, ab ingratis qui illam negligunt, à maledicis qui eandem opprimunt, à tempore quod illam in oblivionem vertit, à loco qui illam restringit, & captivam tenet. Pro hac ergò vanitate, sudatur, crepatur, defatigamur, morimur? *O patientia omni digna impatientia.* Ecce tibi quasi renovatam insani Heliogabali stultitiam & dementiam, qui ut scribit Lampridius in Heliogabalo maxima iis proposuit præmia, qui maximam per universam urbem collegissent telæ aranearũ copiam. Dicitq; idem Lampridius præsentatas sibi fuisse eiusmodi telas adusque decem mille libras evidens scilicet vastitatis & amplitudinis urbis Romanæ indicium. Et S. Hieronymus similiter, illas araneis comparat, quæ ut subtilissimas suas texant telas, hâc illâcque discurrunt, in gyrum frequenter se agunt, flectunt se, in quodvis latus reflectunt, denique ex propriis visceribus inutilissimum opus illud ordiuntur. *Et grandis quidem labor est, sed effectus nullus est. Sic est vita hominum, huc illucque discurrimus, possessiones quærimus, opes appetimus, procreamus filios, laboramus, in regna sustollimur, & omnia facimus & non intelligimus, quia aranea telam teximus.*

Lamprid. Heliog.

PARS SECUNDA.

19. Honor mundanus non tantum vanitatis sed & damnorum est plenissimus; ac proindè non solùm decipit, insuper & vulnerat, decipit per mendacium, vulnerat autem per mille quæ infert perniciosissima damna. Unde S. Basilius Episcopus Seleuciæ morem Romanorum ridebat, qui militibus, vitam suam in bello, pro civis alicuius defensione, in manifestum discrimen coniicientibus, frondeam coronam quernam in præmium dare solebant: *In omnibus præmium corona de frondibus, dedecoris argumentum donum ridicularium & fallacia appellationis. Corona cætera infructuosa pro fructu pœnas profert, ac totus ille conflictus propter umbram foliorum suscitatur.* Quid porrò aut quale illud est, pro quo nos quotquot sumus, & quoadusque vivimus, semper absque unius puncti morulâ, absque ullâ quiete vitam agimus, sudores fundimus & persæpe sanguinem ipsum, non dormimus, non quiescimus, firmi nunquam stamus, semper in molestiis, semper in tormentis, nec unquam in pace sumus? pro qua re hæc fiunt omnia? pro unicâ vanitate fragilissimâ, propter unicam viridem frondem, pro unica corona ridiculâ. *Totus ille conflictus propter umbram foliorum suscitatur.* Equidem licet honor istius sæculi, hominem

Secundũ punctum.

Orat. 15.

minem in cunctis rebus damnificet, in præsenti tamen mihi probasse sufficiat, ipsum esse ruinam nostram temporalem, & spiritualem seu æternam.

20. Et primò quidem est ruina nostra temporalis. Nam magnificentiæ vitæ huius, sunt veluti continuum periculum, atque uti Seneca libro de Tranquillitate animi aiebat, salutis nostræ præcipitium. *Quæ excelsa videntur prærupta sunt.* Quidquid altum est, præcipitium est, idque eò periculosius quò altius, ibi namque facilior est casus, & livor, seu vulnus gravius. Unde Plutarchus sapienter admodum dicebat: *Quod fortunatum esse occasio sit rerum asperarum.* Alexander Magnus postquam ex animi magnificentia, quæ excelso huic cordi propria erat, ingentique fortitudine, totam Persidem aliasque provincias sibi subiugasset in Abdolaminum incidit regii quidem sanguinis principem, sed qui ad eam redactus fuerat inopiam, ut modicum quendam fundum, propriis manibus, ad ærumnosam vitam suam sustentandam, excolere ac laborare cogeretur. Huic ergò maximus ille Monarcha compatiens, integrum regnum donare decrevit, ac postea eundem demum interrogavit dicens: *Libet scire inopiam qua patientia tuleris? tum ille utinam, inquit, eodem animo regnum pati possim*; q. d. plus me terret status amplus, quàm modicus, quem antea occabam, fundus, aut terræ pugillus; plus sceptrum, quàm ligo, aut vomer; imperii delitiæ quàm labores agriculturæ. *Habiliora sunt corpora pusilla*, inquit sapientissimus Seneca *quæ in arma sua contrahi possunt, quam quæ superfunduntur, & undique magnitudo sua vulneribus obiicit.* q. d. minora corpora facilius adaptantur, ac intra armaturam contrahuntur, atque retrò post scuta melius cõstringuntur, ac defenduntur, quàm quæ vastitate sua diffunduntur, & margines superant, omnique ex parte amplitudinem suam vulneribus accipiendis prostituunt. *Semper grandis potestas, maiori timori subiecta est* (monebat S. Chrysostomus, illudque monitum pulchra quadam similitudine demonstrat) *sicut enim rami arborum in excelso positarum, etiamsi levis aura flaverit, moventur, sic & sublimes homines, & levis nuncii fama conturbat. Humiles autem, sicut in convalle, plerumque in tranquillitate consistunt.* Ad idem quoque propositum servit quod refert Augustinus de quodam aulico qui magni Antonii vitam legens, ad Deum conversus, & quasi adversus semetipsum iratus, salutarique verecundia plenus, cuidam suo amico, qui fortè præsens erat hæc tanti ponderis verba edixit: *Dic, quæso te, omnibus hisce laboribus nostris quo ambimus pervenire*, quonam tandem post tot sudores perveniemus? quid prætendimus? Quo fine cõfligimus? poterimusne tandem in fine maioris alicuius Monarchæ nobis acquirere amicitiam, & favorem, quàm Imperatoris? verum esto, eò res nostras adigamus, ut is totus noster sit finis. Esto quoque, quod totius facti simus aulæ Domini, nostræ sint omnes imperii dignitates, *& ibi quid non est plenum periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum?* Quot lautissimis & sapidissimis conviviorum epulis miscentur venena? quot fella inter conversationum spar-

L. de tranquillit. anim.

De tranquill. vitæ, c. 8.

In Matth. 4.

L. 8. conf. c. 6.

guntur dulcedines? quot sub splendidâ purpurâ arduæ latent cogitationes & anxietates? quot in lectis aureis sentiuntur punctura? quot non agitantur suspiciones in magnatum penetralibus? quot miserabiles curæ per medias armatorum satellitum non penetrant custodias? quot sparguntur lachrymæ inter favorabiles fortunæ risus? Ergò *& ibi quid non plenum periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum?*

3. Reg. 16. v. 18. 21. Memini sacram scripturam referre de Zambri, quod vix in Israhelis regiam, quam tyrannicè occupaverat, intulerit pedem, & mox ignem attingens, combussit seipsum & totam domum regiam. O quot hodiè reperiuntur, qui dum aulam ingrediuntur, suum inibi inveniunt sepulchrum, dumque ipsi, honores captant, capiuntur à flammis. Psalmus septuagesimus secundus de Hebreæ reipublicæ ruinis hisce loquitur verbis: *Vineam de Ægypto transtulisti, &c. Singularis ferus depastus est eam.* Alii vertunt ex hebræo: *Fumus campi demolitus est eam*, ita prorsus accidit ô dilectissimi, fumus ad ruinam perduxit Rempublicam, hoc est ambitio & infœlix dignitatum cupido. Illas tam famosas 4. mundi Monarchias, quo veneno, ad miserabilem adeò, & deplorandum perductas creditis esse finem? veneno Ambitionis. Quâ peste extinctâ existimatis nominatissima illa Asiæ regna, tantâ eum prudentiâ, tamque ordinatis gubernata legibus uti viderentur æternitatem promittere? Ambitionis pestilentiâ. Respublica Romana pulchris adeò institutionibus gubernata, tam stupendo ordine recta, adeò prudentum Senatorum directione administrata, tàm validis legionibus defensa, tàm accuratis cautelis protecta, per quid incredibilem illam suam magnificentiam tàm irreperabili damno terminavit? certè per nihil aliud, quam per maledictam trium civium suorũ ambitionem. *Fumus campi demolitus est eam.* Ambitio in ipsos Magistratus iniustitiam introduxit, fraudes in contractus, in matrimonia infidelitatem, servis traditionem suggessit, rebellionem vasallis, crudelitatem principibus, simoniam Ecclesiasticis, sacrilegiũ inter sacerdotes, in Ecclesiam hæresim seminavit. *Fumus campi demolitus est eã.*

22. Ultimo tandem ambitio quoq; ruina est spiritualis populorum. Demonstravit id ipsum S. Bernardus, quãdo Eugenio discipulo suo, recens creato Pontifici, summo amoris zelo plenus hæc sequentia inter alia paternè transscripsit: *Exultavi fateor, sed cum tremore. Exultavi, sed in ipso exultationis meæ articulo, timor & tremor venerunt super me. Ego enim etsi nomen patris deposui, sed non timorem, sed non anxietatem, postremo nec affectum, nec viscera patris. Considero gradum, & casum vereor, considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi iacentis deorsum. Attendo celsitudinem & è vicino periculum reformido. Altiorem locum sortitus es, non tutiorem, sublimiorem non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste.* Ep. 27.

23. Valdè commodè hoc mihi loco incidit Jacob Patriarcha, de quo scriptura dicit, quod Joseph præ omnibus filiis dilexerit. *Israel diligebat Ioseph super* Gen. 37. v. 3.

omnes

omnes filios, & tamen in benedictionibus quib⁹ singulis filiis suis ultimo precatus est benè, non Josepho, sed Judæ auguratus est regnum. *Cur non honoravit præ cæteris, quem præ cæteris amavit?* In 1. Reg. L. interrogat hic sapiens quidā interpres Franciscus Mendoza in lib. 1. Reg. *Cur Iudam potius, quam Ioseph, regni honore insignivit?* Optimè scio, quid hac in re L. 4. de operibus Spir. San. c. 10. respondeat Rupertus Abbas videlicet quod in distribuendis officiis Patriarcha ad solam Dei voluntatem, non verò ad proprium affectum aspexerit. *Quia in dandis benedictionibus, non suam, sed Dei debuit facere voluntatem.* Quod ipsum si, pro ut par est, terræ huius magnates, in officiorū ac dignitatum collationibus observarent, profectò non illas in parentes transferrent, & propinquos, cæteris persæpè ineptiores, minusq; sufficientes. Non eas plus offerentibus indulgerent, sordidè easdē vendendo ditioribus, digniores verò magisq; meritos negligendo. Non illas donarent pro mercede iniquitatis, aut pro iniqui & infamis servitii stipēdio. Non illas ad vilium mulierculariū instantiam concederent, aut sordidorum hominū intuitu. Non illas darent eis, quos certo sciunt hisce beneficiis velut infami & vituperoso lucro captos, iustitiæ venditores fore futuros. Non illas cōsignarent lupis rapacibus, qui violentis beneficiorum extorsionibus satiari nunquam queunt. Non eas illis assignarent, quos sciunt intellectu & prudentiā destitutos, nec virib⁹ ad onus impositum portandū pollentes. Non deniq; illis providerent eos, qui cōmunes totius populi lachrymas sine lachrymis intueri possunt; qui parvi æstimant, si vidua & pupillus à iustitiā derelicti, & desolati remaneant; si potentiores magnis donariis excæcati suis legis severitatē infringant; si periclitetur respublica, eo ꝙ hæc facta illorum ratificet. *Non suam sed Dei voluntatē debuit facere.* Sed magis ad præsens propositum nostrū præfatus interpres respondet, ꝙ tametsi Jacob Joseph super omnes dilexerit filios, non tamen in illum transtulerit regnum, ne illi per hoc stimulū pariter ad malè faciendū adderet, atq; ad omnia scelera validū nimis incitamentum, *quia quem præ cæteris amabat, eundem à scelerū incitamento, quale est imperiū, remotiorem cupiebat.* q.d. Fili mi, nō argui defectū amoris, quo minus tibi imperū & maioratū impertiar, sed potius amoris affectū. Non te ad honorem eveho, ne te in ignominiam præcipitem agam. Nolo te inter fratres tuos maiorē esse, ne pariter peior evadas. Non te Regem creo, ne reum pariter cōstituam. Si subditis & vasallis nō imperaveris, neq; gubernaberis à passionibus; si privat⁹ vixeris, innocens quoq; vives; sine pompâ quidē, sed tamen etiā sine iniquitate; procul ab honoribus & procul à peccatis.

24. Gravissima, quibus ambitiosus irretitur pericula, David Propheta hisce describit verbis. *Ab increpatione* Ps. 75. v. 7. *tuâ dormitaverunt qui ascenderunt equos.* q. d. superbi huius sæculi (hi enim intelliguntur per illos, qui ascenderunt equos) cœli monita non audiunt, sed instar dormiturientium, sine attentione, & prudentiâ semper perseverant. *Sonet evangelica tuba,* inquit Ruf- In Ps. 75. finus, *minetur iudicium, minetur æternas pœnas, intentata tonitrua, adhuc dormiunt*

superbi, adhuc vitam veterem damnare nolunt neque in novam evigilare. Sonet & resonet generosus venerandi Evangelii lituus, rigorem inculcet iudicii, iudicis protestetur indignationem, intimet sententiæ severitatem, atrocitatem comminetur suppliciorum, multitudinem pœnarum enumeret, terreat per durationis longitudinem, nec tamen post hæc omnia superbi & ambitiosi evigilant, neque sonoram adeò tubæ vocem exaudiunt, sed ad vocem illam potentissimam, quam ipsi quoque surdastri audire possunt petra surdiores & duriores perseverant. *Ab increpatione tua dormierunt*, *quare hoc?* in-
In Ps. 75. quit August. in Psal. *nisi quia ascenderunt equos? id est extulerunt se in honoribus, in potentatibus, in incerto divitiarum. Tales sunt equi eorum quibus tanquam indomitis in æternum feruntur supplicium.* O ergò ambitionem pessimam, quæ sequaces tuos non ad fœlicitatem effers, sed ad perditionem transfers; quæ cordis desideria non satias sed concupiscentiæ flammas accendis; neque illis subministras pascua rationali ipsorum appetitui conformia, sed alimoniam bestiali sensualitatis inclinationi convenientem. Ipsos sedere quidem facis in altissimo throno, sed insuper ipsos iacere iubes in vilissimarum terrenarumque cogitationum turpissimo cœno, vestis illos purpura & ostro, verum quoque induis eos iniquitate & peccato. Attentos illos reddis ad suggestiones huius sæculi, surdos verò ad vocem magni Dei, exactos & alacres ad prosequendam propriam gloriam, somnolentos autẽm ad gloriam Redemptoris eiusdemque servitium, per pauca ipsos momenta ad cœlos usque extollis, ut ipsos æternum in inferni abyssos præcipites. *Ab increpatione tua dormierunt qui ascenderunt equos.* Audiant ergò gravissimum S. P. Augustini consilium qui dicit: *opus est, ut oculos fidei habeamus, & videamus, quia & exaltantur ad tempus, & plangunt in æternum, quia qui modo tonare volunt, postea fulminabuntur.*

25. Servos suos Deus variis semper modis probare, & diverso conflictuũ seu pugnarum genere tentare consuevit. Sic Abraham probavit per sacrificium filii, Joseph per fratrum persecutionem, Moysen per populi rebellionem, Job per facultatum suarum iacturam, David per Saulis rabiem, Tobiam per exilium, per martyrium denique Machabæos, unicam duntaxat persecutionem, inquit Hieronymus Oleaster, benedicto filio suo carne nostra amicto reservavit, fuitque facta à Dæmone propositio promissæ Monarchiæ, & dominii totius mundi huius. Hæc tentatio nulli Sancto, sed soli Sancto Sanctorum immissa fuit Matth. 4. *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Matt. v. 8. Sed cur ita Deus hoc ordinavit? quia videlicet videbat, neminem excepto unigenito filio suo, qui infinita præditus potentia, sufficientem fore, ut generosam & validam adeò tentationem vinceret. *Quia enim noverat neminem nisi Christum victorem evasurum, ex præsentata mundi Monarchia, eum solum voluit ea tentari.* O ingens verbum! omnes solidiores Ecclesiæ columnæ concutiuntur & tremunt, ad magnam,

quam honores inferunt violentiam, cuncti animosiores, & imperturbati athletæ perduntur, à fortis adeò & violentæ passionis conspectu, omnes audaciores, magisque experti naucleri ad furiosum & impetuosum sæcularis magnificentiæ ventum victos se dedunt, omnes fortissimæ optimèque communitæ naves, in hoc procelloso gloriæ mari periclitantur, omnia invictissima munitissimaq; fortilitia, expugnantur ab ambitionis potentissimis machinis; omnia subtiliora ingenioforaque stratagemata, ab astutissimi huius adversarii machinationibus eluduntur, solus is qui impeccabilis est, ab hoc certo & manifesto periculo ab omni peccato immunis redibit, solus candor lucis æternæ ab hoc turpi & fastidioso ludo illibatus manebit & purus: *Noverat nisi Christum Dominum victorem evasurum.*

26. Ecquam existimatis subesse causam quod Moyses tanto cum renisu & reluctatione detrectabat accipere oblatam sibi populi prælaturam ut tantâ cum instantiâ rogaret ab illâ per Deum liberari? *Obsecro Domine mitte quem missurus es.* q. d. liceat obsecro mihi vitam deinceps ducere privatam, & maioratum istum tribue cui voles, nam quod me attinet, illam horreo & fugio. Videbat inquit Origenes, bonus ille Moyses, in honoris luce, latentes passionis tenebras, in gradus sublimitate periculum casus; in populi primatu arrogantiam superbiæ, in vanitate fumi illius, cordis evanescentiam. Considerabat difficultatem curandi alios, absque suiipsius neglectu, facilem transitum qui fit à gloria ad vanam gloriam, propinquitatem altitudinis & in peius mutationis. *Bonum est*, concludit Origenes, & ego præsentem cum ipso sermonem, *non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt dignitates & principatus, sed imitari Moysen, & dicere, provide alium quem mittes. Neque enim ad principatum venit Ecclesia qui salvari vult.*

Matt. v. 8.

CON-



CONCIO XIV.

In Feriam V. post Dominic. II. Quadragesimæ.

THEMA.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpurâ & bysso. Lucæ 16. v. 19.

ARGUMENTUM.

Hoc sermone discurritur de 4. inferni proprietatibus: atque ostenditur, quod locus sit tormentorum, locus item mortis, locus separationis, ac deniq; locus æternitatis.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Magnus mundi liber ad homines in cognitione Dei imbuendos suffi[illegible]*it. n.* 1.

Ordo mundi mirabilis. n. 2.

Ordo divinæ providentiæ non clarè videtur, quia sæpè impii exaltantur & iusti affliguntur. n. 3.

Synopsis Concionis. ib.

Primum punctum. *Infernus est carcer, est thesaurus ignis æterni. Descriptio inferni. n.* 4 5. 6.

Congregabo super eos mala, &c. huius loci explicatio huc flexa sicut & factum Plittorii *Senatoris Reipub.* Thebeorum. *num.* 7.

Octo pœnæ ab Oratore Romano descriptæ, damnatis infligendæ. August. Censio. *num.* 8.

Maxima omnium pœnarum inferni, est conscientiæ remorsus, de quo Isaias, vermis eorum *non morietur, &c. num.* 9.

Locus Isaiæ 13. replebuntur domus eius Draconibus, *pœna damnatorum applicatur. n.* 10.

Secund. Punct. *Infernus locus est mortis* sepultus est in inferno. *n.* 11.

Descriptio angustiarum moribundi quæ tamen tandem terminantur cum vitâ; at damnato-

damnatorum angustiæ æternæ erunt. Infernus dicitur à Iob terra tenebrosa, deliquii & Agoniæ.n.12.

*Mors illa Inferni est fortis & debilis & quare.*n.13.

*Hæc mors est aliarum regina ex Iobi mente.*36.

*Omnes futurâ morte pallescunt quomodo igitur pro æternâ.*n.14.

Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem scilicet Inferni, qui producitur à peccato. Non times peccatum, time quo perducit peccatum, ait August.Ibid.

Tertium Punctum. *Infernus est locus separationis, elevans oculos,* vidit Lazarum à longè. *Perire à regno Dei, alienari à vitâ Dei tam gravis est pœna, ut ei nulla tormenta possint comparari.*n.15.

De hac æternâ à Deo separatione pulchra habet Petrus Damianus.n.16.

Ex separatione omnium caterva malorum. Dei comminatio 30. Deut.n.17.

*Millesii fundunt lacrymas pro separatione sancti Pauli, quid deberent facere peccatores in consideratione separationis æternæ à Deo?n.*18.

*Impudicus mulierem deperiens facit quicquid potest ut ei placeat; & hoc tantum, ne illa dicat faciem meam non videbis. Impudica hoc dicit & terret, dicit hoc Deus & non terret. Profundè August.n.*19.

Quartum Punctum. *Infernus est locus æternitatis.* Inter vos & nos magnum Chaos firmatum est &c. *Locus* Psalmi, *ponderatus* confortavit seras portarum *tuarum.n.*20.

Quam stulti sunt qui pro quatuor diebus satisfactionis perdunt beatam æternitatem. pulchra Aug.21.

*Cum misericordia Dei excedat Iustitiam, ex atrocitate pœnarum Inferni arguitur quanta sit peccati malitia.*Ib.

*Ideo sine fine pœnas luunt quia voluntatem habuerunt sine fine peccandi si naturam haberent sine fine vivendi.*ait S.Hier.Ib.

*Meritò malus punitur affectus etiam cui non succedit effectus.*Ib.

Peccatum est contra personam infinitam, Ideo pœnam infinitam meretur S. Thomas ib.

*Peccator postponit bonum infinitum finito & ideo infinitè punitur.*Chrys.ib.

*Quid ergo causæ est ut si credat Christianus quæ dixit Deus, non timeat quæ minatur Deus.*Salvianus ib.

Qui pavet cavet, qui negligit incidit. Ante supplicium cogitate de supplicio. Bernardi monitum.n.22.

1. NUllum prorsus dubium est, quin magnus ille mundi liber duntaxat, tametsi omnia alia præter illum deficerent, ad homines in supremi Creatoris, ejusdemque ineffabilis providentiæ cognitione, imbuendos, abundè satis sufficeret, nam uti sapientissimè Augustinus explicat, *Exceptis Propheticis vocibus, mundus ipse, ordinatissimâ suâ mutabilitate, & visibilium omnium pulcherrimâ specie quodammodo tacitus, & factum se esse, & nonnisi à Deo ineffabiliter, atq; invisibiliter magno, & ineffabiliter, atq; invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat.* Illi cœlestium sphærarum lucendissimi globi, tot opulentis carbunculorũ gemis distincti, qui homini luminosi baldachini instar deserviunt. Ille mundi oculus, qui gratiosis radiis suis, totum hoc universum exornat & inaurat; Pulcherrimus ille tot facularum, stellarum inquam, exercitus, qui veluti ordinata nocturni temporis acies, sub venustæ capitaneæ suæ Lunæ videli- L.11. de Civit. Dei c. 5.

cet ducatu castrametatur. Tot per aera volitantes alites, tot terram incolentia animalia, tot maria tranantes pisces, tot in terræ fodinis, recondita metalla, tot in campis viridantes herbæ, tot in hortis ridentes flosculi, tot ex arboribus suspensi fructus, tot aquarum gurgites agros fœcundantes, tot civitates plurimas locupletantia maria, tot in arenis scintillantes gemmæ, Denique ut præclarè inquit Basilius Magnus in Hexam: *Vniversa hæc mundi moles perinde est ac Liber litteris exaratus, passim contestans, & depradicans gloriam Dei, illiusque Augustissimam Majestatem, arcanam alioquin & invisibilem tibi intellectuali Creaturæ copiosè annuncians.*

2. At verò super omnia stupendus est ordo, quo summus ille Monarcha Deus, res omnes in suo loco componens, inter cunctas magni hujus corporis partes, mirabilem causat conjunctionem, ac sempiternæ confœderationis vinculum, Terra in humillimum reposita est locum, atque ingenti huic palatio, veluti gravius & corpulentius præ cæteris Elementum, fundamenti ac Basis loco deservit, huic secundum successionis suæ congruam seriem superstant, atque innituntur alia corpora simplicia, unumquodque in situ suo, secundum levitatem & gravitatem naturæ suæ propriam. Hæc autem omnia cingunt supremi illi cœlorum archigyri, veluti qui perpetuis revolutionibus, influentiis, ac splendoribus totum hoc universum vivificare habent. Idem ille ordo colligitur ex motu cœlorum, influxu stellarum, annorum decursu, Qualitatibus quatuor anni temporum, ætatum successionibus, proportionibus, partium, directione finium, quæ omnia manifestius in Dei cognitionem perducunt. S. Antonius Magnus, teste Athanasio, in vitâ ejus, in hoc libro studens citra aliarum scientiarum notitiam, tantam sibi, quâ polluit, adscivit scientiam: *nesciebat literas, sed sedebat in monte, & studebat in libro Creaturarum.*

3. Verum enim verò hic ordo, qui in rebus naturalibus adeò clarè se prodit, in politicâ tamen hominum, rerumque humanarum administratione absconditus omninò videtur, quippe cum mille videantur flagitiosi homines, perpetuâ quadam fortunâ ridente stipati, è contra verò mille homines justi infortunatorum casuum obstinatè & pertinaciter illis adhærescentium, tangantur miseriâ. Antiquum est hoc Lamentum, atque tale, quod multas Columnas firmissimas, quæ se sapientiæ sectari vestigia profitebantur, eousque etiam trepidare, & concuti fecit, ut nonnulli justissimum sapientissimi Monarchæ regimen & gubernationem reprehendere & culpare ausi sint. At verò quisquis caliginoso huic errori est implicitus, hodie mihi se iungat, atque intellectus sui gressibus per duo Evangelicæ historiæ hodiernæ loca discurrat, atque unâ ex parte divitem, ex parte verò alterâ pauperem consideret mendicum: Hinc purpurâ & bysso vestitum: Illinc vero repatiatum & seminudum Lazarum. Hinc ministrorum ferè integrum exercitum. Illinc extremam solitudinem; Hinc Harmonias

monias Musicas, illinc sermones injuriosos. Illinc odores suavissimos & suffitus, Hinc fœtantem saniem & plagas innumerabiles: Hinc hominem Canibus crudeliorem: Illinc Canes ipso homine humaniores; Nec tamen, quis quis talis est, hic se sistat, Sed vna mecum vlterius procedat, videatq; in flammis diuitem, pauperem in gloriâ; Divitem sitibundum, saturum verò pauperem; Divitem sollicitum, pauperem quietum; Divitem in Inferno sepultum, Angelicis autem manibus in sinum Abrahæ illatum pauperem; divitem in tormentis, pauperem in summis gaudiis. Quisquis enim hæc omnia cernet, ex hâc fortunæ alternantis vicissitudine edoctus, & miro utriusque eventu convictus, haud dubiè cum Prophetâ exclamabit: *Iustus es Domine & rectum judicium tuum*. Recta profectò tua, ô Domine, sunt Judicia, justaque gubernatio, tametsi brevi nostro ac limitato visui persæpe videantur abscondita. Verè huic impietatis monstro dignus à tuâ providentiâ præparatus est locus, digna habitatio infami isti humanæ naturæ abnegatori, dignus hoc molli Sardanapalo effœminatoque Epicuro locus, cujus Evangelista noster quatuor hodie adfert proprietates, quæ præsentis erunt puncta discursus, ex quibus prima est, quod sit Locus tormentorum, *Ne veniant in hunc locum tormentorum*. Secunda, quod sit Locus mortis: *sepultus est in inferno*: Tertio: quod sit locus separationis: *Elevans autem oculos vidit Abraham à longè*. Quarto denique, quod sit locus æternitatis: *Magnum Chaos inter nos firmatum est*.

4. Et Primo quidem est Tormentorum Locus: *Ne veniant in hunc locum tormentorum*. Hic namque est Carcer, destinatus ad satisfaciendum Divinæ Justitiæ, tantoperè in hoc mundo spretæ, & contemptæ, cui damnati omnes in explicabilibus illis arsuri incendiis, veluti æternum faciant sacrificium, in illatarum eidem injuriarum recompensam. Hic est ingens ille iræ Dei Thesaurus, inquit Tertullianus, cujus in hoc mundo veluti Caminos & fumaria videmus Vesuvios, Æthnas, & Vulcanos, qui favillas & cineres suos ad cœlum usque exhalant, & evomunt: *quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam ejus, tales flammarum ictus suscitant, ut proximæ urbes aut nullæ extent, aut idem sibi de die sperent?* Equidem prudenter admodum Tertullianus vastissima illa Inferni incendia, thesauros ignis appellavit, sicut enim principum thesauri quidquid in eorundem opibus pulchrum est, aut bonum, complectuntur, ita in profundissimis illis inferni specubus, quidquid in divinâ Justitiâ rigidius est, magisque severum, simul continetur. Infelicissima isthæc mansio, à Petro Cardinali Damiano descripta est in hunc modum sequentem: *Regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda, terra afflictionis, terra oblivionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis & Caliginis, terra maledictionis & mortis, in quâ nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illinc est Ignis, qui non succenditur, vermis qui non moritur, frigus horrendum,*

Primum Punctum.

1. de pœn.

Serm. 60.

Ibi fœtor intolerabilis exoritur; percutientes mallei resonant incessanter; offusæ tenebræ cumulatius condensantur; Illic confusio peccatorum, horribilis facies Dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis Multitudo, ibi fletus & stridor dentium, planctus & gemitus, & alternantia mala impios sine pietate discerpunt. Ad hujus miserabilis regionis Considerationem, à capite ad pedes usque totus contremisco, hæc enim fœcunda non est, nisi accersendis pœnis, præter amaritudines nihil producit, nil videt nisi tenebras, nihil audit præter planctus, nil olfacit aliud quàm fœtores, nihil sentit præterquam tormenta; *Ibi alternantia mala impios sine pietate discerpunt.* Exhorresco æternos hosce carceres, in quibus pœnæ multitudine sunt infinitæ, intensione acerbissimæ, varietate diversæ, atroces universalitate, continuatione perpetuæ, ac prorsus intolerabiles. Ibi pœnæ à tali Deo infliguntur, qui est ex unâ parte offensus, ex alterâ verò omnipotens, ex unâ parte exacerbatus, ex alterâ implacabilis, cujus Justitia tunc sola prævalens, pietatem omnino excludet, & misericordiam, toties à peccatoribus aut neglectam, aut nihili æstimatam. Ibi pœnæ erunt, quarum ministri Carnifices futuri sunt, hinc insuperabilis virtutis, illinc furoris & rabiei ardentis; rei capitales & juratissimi hostes, numero innumerabiles inventione ingeniosi, operando indefessi. Ibi pœnæ infligentur Creaturæ alicui abominatæ à Deo, reæ omnis supplicii, omnis succursus aut subsidii experti, atque ab omni sublevamine remotissimæ: *Ibi alternantia mala impios sine pietate discerpunt.* Transfigit animam meam, memoria duntaxat Loci illius, qui à Deo maximè est remotus, ab irâ tamen Dei semper visitatur, passionum plenissimus, Compassionis inanis, ad ingressum aperto ore dehiscens, ad exitum firmiter reclusus; Qui eum continet ignem, qui comburit, & non consumit. Vermem qui mordet, & non moritur, vires quæ vulnerant, nec tamen languent; ictus qui mortaliter feriunt, & non occidunt, dolorem qui præsens est, nec tollit timorem; Flammam quæ ardet, nec tamen resplendet; tenebras, quæ excœcant, & tamen videri sinunt, quicquid angustiat; socios, qui pœnarum sunt consortes, suo tamen consortio pœnas reduplicant; Pœnitentiam, quæ ex corde quidem nascitur, nec tamen acceptatur; Lachrymas, quæ ex oculis manent, nec quidquam impetrant: Clamores, qui resonant, nec tamen audiuntur: *Ibi alternantia mala impios sine pietate discerpunt.*

5. Ecquid à me, dilectissimi, expectatis ulterius? An ut in unum vobis fasciculum congeram & colligam, quidquid terribilium Deus intulit in primi pœnam peccati? quidquid Divina Justitia horroris mundo intulit, in tot quotidianorum scelerum supplicium? Quidquid terræ hujus Tyranni invenerunt barbariei adversus fidelium pietatem? Quidquid inhumanitatis, & inveteratæ populorum inimicitiæ induxerunt? Quidquid crudelitatis Diaboli ab Inferis in hanc lucem extulerunt? Ah, inquit Chrysost. Tametsi simul collegero quidquid Hom.

quid

quid mali fabricatum est, vel à naturâ vel ab arte, à voluntare vel casu, à cœlo, vel à terrâ, ab hominibus vel Dæmoniis, ab antiquis vel modernis: Tametsi ob oculos statuero Civitatum incendia, inundationes patriarum, pestilentias populorum, bella, ruinas provinciarum, naufragia marium, temporum anni intemperies, ægritudines corporum, Animi timores, amicorum insidiosas traditiones, persecutiones inimicorum, paupertatem in facultatibus, ignominiam honoris. Tametsi in unum congessero cunctas res difficiles & asperas, per lachrymosas ærumnas, omnes ad intimam compassionem moventes casus infortunatos, omnes denique funestas tragœdias. Tametsi inquam, dicit Chrysost. hæc omnia prædicta in comparationem pœnarum Inferni composueris, nil tamen videbuntur esse aliud, præterquam inanis apparens umbra, pictura ficta, atque imaginarium somnium. *Pone scil. ferrum, ignem, & bestias, & si quid his difficilius, attamen nec umbra sunt hæc ad illa tormenta.* Verum plus ultra progressus est S. Augustinus, existimans, quidquid in hac vitâ grave videri possit, nihil prorsus esse ad ignem inferni comparatum: *Quæ quisque gravia patitur in hac vitâ in comparatione æterni ignis non parva sunt, sed nulla sunt:* Et S. Hieron. inquit magnam fore fatuitatem, velle omnia, quæ unquam in mundo visa sunt supplicia, aut quæ in antiquis recensentur Historiis, cum inferni comparare supplicio: *Omnia enim mala, quæ veteribus Historiis continentur, aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut pestilentiâ, morbis, fame, bestiis, hostium vastitate hominibus acciderunt, his suppliciis non poterunt comparari.* Imò Isaias teste Hieron. damnatorum pœnas in spiritu conspiciens, illa se enunciare posse diffidit, utpote quæ multitudine, & atrocitate suâ sint inenarrabiles: *secretum meum mihi, secretum meum mihi, Væ mihi; Hoc est, non possum enarrare, quæ cerno,* inquit Hieron. *hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur. Væ mihi, quantus ordo pœnarum ante oculos versatur meos; Cerno præterita, quæ futura sunt.* ô me miserum; Quas ego pœnas video, adeò nimirum ingentes, ut omnem excedant dicendi facundiam, adeò atroces ut omnes humanæ æstimationis limites superent, adeò extraordinariæ, ut omnem intellectus humani vim vincant; *secretum meum mihi:* Cogor reclusum tenere in corde, quod exprimere nequeo linguâ, neque enunciare valeo, quod alii audire non sustinent. Tam enim ingens est istud supplicium, ut idem nostra nequeat attingere ingenii tenuitas. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*

Serm. 109. de tempore.

In Joel. 2.

In c. 2. Isa.

6. Hæc est infœlix illa mansio, cui justissimus Deus, qui adeo in hac vitâ est in puniendo parcus, supplicia sine mensurâ immittit: *Vtinam impleatur venter ejus, ut pluat super illum bellum suum:* dicit sapiens ille apud Job: quasi diceret, Impleatur licet flagitiosus omnibus hujus sæculi bonis, veniet enim tempus, quo indignatus Dominus ad instar densissimæ pluviæ, intolerabiles depluet ærumnas. Unde Paginus ex Litterâ Hebræâ vertit: *faciet pluere ægritudines malas.* Tot enim,

Job. 20. v. 23.

tantæque afflictiones erunt, ut meritò pluviæ alicui impetuosissimæ super impium exoneratæ assimilandæ sint; *faciet pluere ægritudines malas super eum.* Adeò in præsenti vitâ pius est Dominus, ut nunc nonnisi guttatim supplicia sua immittat, sic namque Ezechie-
Ezech. 20. v. 46. li Prophetæ suo dicebat: *stilla ad Africum, & Propheta ad saltum agri meridiani, & dices: ecce ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum, non extinguatur flamma succensionis.* Comminata est isthæc Prophetia Civitati Jerusalem quæ ad modum sylvæ cujusdam repræsentatur, cujus erumpentes flammæ & arbores virides pariter & siccas comburunt & devorant, id est omnes cives & incolas, divites & pauperes, donec in extremam redacta sit solitudinem. Vocaturque à Deo totum istud una stilla; *stilla ad Africum*, nam uti Hugo Cardinalis advertit: *signanter dicit stilla, quasi dicat, quidquid ostenderis & dixeris illi, non est nisi modica stilla comminationis meæ.* Totalis populi alicujus ruina, & exterminium appellatur iræ Dei minima quædam stilla. Hinc ergo justam
In Eze. 20. cum S. Hieron. facite consequentiam: *si tanta est stilla, quid de totis imbribus æstimamus? si una stilla tantam efficit stragem, quid integra efficiet pluvia? quando faciet pluere super eum ægritudines malas.* In hoc mundo magnus ille Dominus stillat tantum, ast in inferno pluet. Hic punit ad mensuram, ibi verò supplicia omnem mensuram transcendent; Hic paulatim, illic verò conjunctim & simul omnes pœnas effundet. *Pluere faciet super eum ægritudines malas.*

7. Et hoc est, quod Moyses dixit, Deut. 32. v. 23. quando nomine Dei comminabatur: *Congregabo super eos mala & sagittas meas complebo in eis.* quasi diceret, Industriè indagando conquiram omnia mala, quæ unquam infinita sapientia mea invenire possit, omnesque miserias, quas immensa mea excogitare possit Justitia, easq; simul junctas super infœlices illas animas exonerabo. *Congregabo super eos mala.* Hic reminiscor illius, quod Plitorius Reipublicæ Thebanorum senator fecit, qui de modo, Thebanorum statum reformandi, deliberans, utpote in quo infinitæ indies subnascebantur inordinationes, integram Instrumentorum ad torturam & supplicia inferenda spectantium struem congessit. Rotas videlicet, secures, ascias, Machæras, uncinos, seu ungulas ferreas, Novaculas &c. his que totus onustus coram senatoribus Collegis comparens, omnia tandem ad pedes eorundem ex humeris suis dejecit, per hoc iisdem significans, quod ut licentiosorum hominum insana libertas hactenus ex senatus dissimulatione animata, ulterius non excrescat, severitate opus sit & rigore, quam proinde per allata prædicta instrumenta, in malefactores exercere non negligant. Similiter ergo ecce tibi magnum illum Deum, qui ut mundi huius corrigat iniquitatem, refrœnetque temerariorum licentiam, pœnalibus ejusmodi instrumentis onustus comparare videtur, ut illa in reprobos Inferno clausos exoneret. *Congregabo super eos mala.* Abutuntur homines, nunc meâ clementiâ, loco illius ergo experientur

Deut. 32. v. 23. tur rigorem, & quando nunc nulla apud ipsos beneficiorum est ratio, deinceps supplicia inferenda degustare cogentur. *Congregabo super eos mala, Pluere faciam super eum ægritudines malas.* Sed quid innuitur per id quod sequitur; *sagittas meas complebo in eis?* Hoc videlicet significare vult, quod Deus adversus miseros illos captivos suppliciorum infinita tela vibrando, videbitur quasi totam suam pharetram sagittis exinaniisse, & evacuasse, quodque nostro intelligendi modo nullum aliud superfit supplicium, cui inferendo manum admovere possit, quia videlicet omnibus illis ad inimicorum suorum damnum ad perniciem usus fuisset. *Sagittas meas complebo in eis*; sic hunc Locum doctus quidam interpres modernus Jacobus
In Deut. 23. Bonfrerius explicat: *hoc est, tot plagas & calamitates immittam, ut videri possim pharetram meam exhausisse, & sagittarum nihil esse reliquum.*

L. 21. de civit. Dei c. 11. 8. S. Augustinus ex Oratore Romano octo suppliciorum genera adducit, quibus rei à Rebuspublicis puniri consueverant: octo genera pœnarum in Legibus esse scribit Tullius, *Damnum, vincula, verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, servitutem, mortem.* Omnibus autem hisce modis punitæ sunt, quotquot in inferno sunt, infœlicissimæ animæ. Primo enim patiuntur damnum immensum, postquam Dei claram amiserint visionem, hoc namque etiam in hac vitâ à Theologis pœna damni appellari solet; Id quod Goffridum S. Priscæ
L. 4. epist. 47. Cardinalem plangere fecit, ac dicere. *Heu quantum perdidit gaudium, tantum exceptura supplicium?* Præterea quæ, aut qualia sunt illa vincula veluti adamantina, quibus infortunati illi à Divinæ Justitiæ manu semper vincti & ligati retinentur. Verbera quoque non jam amplius ferula aut scutica, seu flagello impingentur, sed validissimis malleorum ictibus, conformiter scripturæ Proverb 19. ubi dicitur: Prov. 19. v. 29. *parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes corporibus insipientium.* Unde benè monebat S. Bernardus serm. 3. in qui habitat; ne veluti bestiæ insensati essemus, atque si non laqueos, saltem timeamus malleos: *ô Homo,* Serm 3. in Ps. qui habitat. *vel magis bestia, Laqueum non timebas; time vel malleum.* Neque ibidem Talionis deerit pœna, quæ est supplicii paritas, & æqualitas, atque ita Eusebius Emissenus dicit, fore, ut damnati, qui ignorarunt Deum, pariter ignorentur; Ignorarunt Deum, & ideo à Deo quoque ignorabuntur: *Vltra nescientur à Deo, quia Deum scire noluerunt.* Tanta erit ipsorum ignominia, ut annihilari percupient, ne per totam æternitatem vituperosi cogantur esse & infames. Si de exilio sermo sit, nescio an aliquid imaginari sibi quis possit dolorosum magis & afflictivum eo, quod sustinebitur in inferno. Si de servitute, ô quam erit illa vilis; Erunt enim misertimæ Animæ illæ Dæmonibus in æternum subjectæ, atque in horrendâ eorumdem societate tormentatæ. Unde S. August. dice- In Ps. 80. bat: *Si non times mitti quo, vide cum quo supplicium mortis ibidem erit, sed mortis æternæ;* Audite hac in re mentem S. Augustini qui dicit: *Nam si anima in pœnis* L. 7. de Civit. Dei cap. 12. *vivit æternis, mors illa potius æterna dicenda est*

dus est, quam vita. Nulla quippe maior & peior est mors quam ubi non moritur mors. Ergo congregabo super eos mala, non enim erit supplicium aliquod imaginabile, quod ibidem gravis Dei indignatio non usurpet.

9. Absit autem, ut dum de pœnis Inferni hic agitur, nulla de eâ pœnâ fiat mentio, quæ aliarum pœnarum longè maxima est, illa videlicet cum
Isa 66. v. 24. quâ Isaias prophetiæ suæ oracula terminavit, & clausit dicens: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Qui locus in brevi verborum periodo
Marc. 9. v. 43. 44. 46. 48. Marci 9. à sanctissimo Redemptore tribus omnino vicibus repetitus fuit, uti S. Augustinus Lib. 21. de Civitate Dei cap. 9. sapienter advertit: *Non enim piguit uno loco eadem verba ter dicere.* Si dextera manus tua scandalizet te, abscinde eam, dicit Dominus, & projice abs te, bonum enim tibi est, si unam tantum manum habens cœlum ingrediaris, quam si in infernum eas cum duabus. Postea mox Dominus subdit: *ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Item si pes tuus tibi pariter scandalo fuerit, ne sit tibi grave illum amputare & à te tollere, cum melius tibi sit, & expedientius si cœlum claudus ingrediaris quàm si rectis & integris membris intrares in infernum, repetitque mox eadem præcitata verba; *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Denique si oculus tuus in offensam Dei te rectà perducat, erue eum, minus namque malum tibi est, si cœlum cocles aut luscus ingrediaris, quàm si duos habens oculos præcipiteris in Infernum. Atque ibidem tertiâ vice prædictum adfert ex Isaiâ Locum: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Dicam ergo cum Augustino: *Quem non terreat ista repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens, ore divino?* Quis ab hac formidabilissimâ comminatione à Christo Redemptore nostro tot vicibus repetitâ, non terreatur, adeò, ut indelebiliter menti impressa remaneat? *Vermis eorum non moritur.* Hic est ille timor, & confusio, de quâ Ezechiel Propheta loquebatur, dicens. *Deducti sunt cum interfectis paventes, & in suâ fortitudine confusi.* In inferno enim miserabiles reprobi, plus vocem timebunt cordis, quam Dei ipsiusmet imperium, plus conscientiæ ferulam quàm Dæmonum flagellum, plus vermem synderesis, quàm vermes carnis, plus præteritæ culpæ memoriam, quàm præsentium pœnarum experientiam. *Habentes malæ conscientiæ pœnitudinem sempiternam*, inquit Hieronymus. Ez. 32. v. 30. In Ezech.

10. Hinc est quod Isaias Civitatem Babyloniæ, quæ reproborum, in flammis sepultam, significabat congregationem, describens, dixerit. *Requiescent ibi Bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus, habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ululæ in ædibus eius, & syrenes in delubris voluptatis.* Bestiæ autem quæ ibi habitare dicuntur, carnales & animales significant affectus. Dracones ibi commorantes falsam sapientiam & stultam sæculi politiam. Struthiones ibidem degentes, fictam apparentiam & simulationem significant Hypocritarum. Saltantes ibi pilosi, vanam adumbrant cordis lætitiam. In ululis quo- Isa. c. 13. v. 21.

quoque ibi nidificantibus invidię depictæ sunt & vindictæ. Syrenes ibi ridentes nihil aliud sunt quàm sensuum voluptates. At verò dicat aliquis, quomodo fieri potest ut in inferno inveniantur carnis delitiæ, jucunditates salationum, injuriarum vindictæ, virtutum fictiones, voluptates sensuum, & satietates reperiantur passionum? Huic respondebit Aelredus, qui dicit prædicta non fore ibidem in effectu, sed in corde damnatorum repræsentata, quia ob illa pœnas recipient æternas, sic enim loquitur: *Quia ad confusionem illorum, qui se his vitiis polluerunt, ipsa vitia eorum oculis ac memoriæ ingerentur, ut sicut in corpore pœna, ita & peccatum, pro quo puniuntur versetur in conscientia. Erit ergo in illa civitate damnata sicut pœna æterna, ita & peccatorum, quæ fecerunt, æterna memoria.* O pœna, quæ omnem pœnam vincit! Hi infœlicissimi homines, omnium, quicunque in hujus mortalis vitæ cursu, contra honorem Dei, contra amorem proximi, contra rectæ rationis dictamen, contra sanctitatem legis, contra Evangelii puritatem, contra obligationem Justitiæ, contra promissorum fidelitatem, contra professionis debitum, denique contra propriæ conscientiæ pœnitudinem sempiternam commiserunt probissimè recordabuntur. Manet igitur liquidò probatum, verè infernum Locum dici pœnarum: *Ne veniant in hunc Locum tormentorum.*

Aelred. ser. 20. in Isa.

Secũdum punctum.

II. Secundo Infernus Locus est mortis: *Sepultus est in Inferno:* Certè solum mortis nomen tale est, ut fortissimas mundi hujus columnas tremere faciat, reddatque timidos ac pusillanimes, eos, qui alias, quid timor esset, planè ignorarunt. Hic & animosissimi animos perdunt, neque cor aliquod invenies, adeò atrocitate, & audacia communitum, quod in se non sentiat ad solam mortis mentionem, omni se prorsus animi generositate destitui: Nollem autem vos existimare, quod dum de morte loquor, id ego de aliquo tali transitu intelligi velim, qui velocissimæ huic separationi, quæ in hac temporali vita nostra nobis omnibus accidit, sit similis, hæc namque mors comparata cum Inferni morte, à Davide umbra tantùm mortis appellatur. *Operuit nos umbra mortis,* nam uti S. Augustinus advertit ibidem. *Hæc mortalitas umbra mortis est, vera mors est damnatio cum Diabolo.* Vera mors est, quæ vita gratiæ privat, quæ à Deo animam separat, quæ illam per peccati putredinem corrumpit, ac perdit, quæ eandem conscientiæ vermibus admordet, denique quâ in inferno sepelitur. Si de hac morte nostra sermo sit, de ea, uti advertit S. Augustinus *vix scire valemus, quando fiat, aut revera existat;* Neque enim est, priusquam homo moriatur; mors enim ante mori esse nequit; neque postquam homo mortuus est, post mortem enim, mors jam amplius non est, sed præteriit: quando ergo ostendes mihi mortem jam planè formatam, atque in suo esse constitutam consistere? In morte autem inferni aliter sese res habet, neque enim homines ante illam mortem erunt mortui, neque post illam, verùm semper in morte erunt, ac conse-

Ps. 43. v. 20.

L. 13. de Civit. Dei ca. 11.

consequenter nunquam vivi, nec unquam mortui, sed morientes semper: *Ibi è contra non erunt homines ante mortem, atque post mortem, sed semper in morte, ac per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes Nunquam enim erit homini peius in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.* Impossibile est hominem in pejori statu consistere posse, quàm esse in morte, quæ nequaquam transit; in morte, quâ non moritur; in morte quadam, quæ vivit; denique in morte, quæ est sine morte. Hæc nostra mors tremenda quidem est, eo quod terminet vitam, simul tamen est & desiderabilis, quia vitæ hujus terminat ærumnas: cum tamen mors Inferni, miserias vitæ illius, quas ibi patitur, non terminet, sed semp ordiatur, ut illas postea æternaliter durare faciat, sicut ipsa quoque æternaliter durat: *Nunquam erit homini peius in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.*

12. Præsentes haud dubie persæpe astitistis agoniæ quorumdam è parentibus aut amicis vestris, ideoque similiter in extremo illo, atque horribili conflictu vidistis moribundum superato jam illius robore, prostratis viribus, dejectis sensibus, membris cadentibus, carne denique livore & pallore superinducta, ob dolorem, quem imminente morte patitur excessivum, fremere dentibus, ore ululare, anhelare pectore, corde palpitare, invertere oculos, corrugare frontem, labia concutere, gelidoque pallidiusculi & exsanguis vultus sui sudori innatare. Denique varias illas luctas ultimas, atque naturæ extremos conflictus vidistis, qui ex aridis etiam pumicibus lachrymas elicere possent. Verumtamen quantumvis misera sit illa moribundi facies, & constitutio, nihilominus acerbissimæ illæ angustiæ intra paucas horas terminantur, & quanto fuêre ferociores, tanto impugnatam vitæ arcem, velocius expugnarunt: sed quid futurum foret, si horrendum adeò cum morte certamen, & angustiæ, quæ interea sustinentur, integros continuarentur menses & annos? quid si toto humanæ vitæ tempore? O igitur potentissime Deus, quales erunt illæ damnatorum agoniæ quæ in totam duraturæ sunt æternitatem! Nam sicut August. dicebat: *miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia mors semper vivet, & finis semper incipiet & defectus deficere nesciet: & semper tolerabunt, & semper timebunt*, ut proinde Job Infernum haud immeritò terram deliquii appellaverit & agoniæ: *antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine*, ubi littera originalis legit: *Terram deliquij & agoniæ.* Terra ista talis erit, ut in illa agoniæ perpetuæ futuræ sint, & æterna deliquia. *Et quid gravius, immortalitate miserabili*, inquit Ambrosius? In hac vita nostra miseriæ nostræ mortem remedii loco habent, in inferno autem mors miserias nostras in vigore suo semper conservat. Hic vel infelicitates sunt magnæ, tunc autem subito finiuntur; aut si non cito finiuntur, certè sunt tolerabiles: Ibi verò infelicitates sunt intolerabiles & nunquam finiuntur; *Terram deliquij & agoniæ.* Ubi infortunati illi semper agoni-

L. de[...] tu & [...]

Job.c. 10.v.[...]

L. de fi[...] resurre[...]

gonizantes erunt, nunquam autem in pace; semper oppressi, & nunquam vel minimum sublevati; semper timidi & nunquam securi; semper moribundi, nunquam verò mortui, & uti S. Augustinus dicebat. *Infœliciter in æterna morte sine moriendi potestate durabunt.* InEnchir. c.111.

13. O mors acerba verè, & dolorosa, quæ semper occidis, nec unquam consumis; quæ cruentam tuam falcem nunquam retrahis, sed ictus omni hora reduplicando æternas adfers agonias; dilacerationes & contorsiones tuæ carent omni termino; & tua tormenta non habent metam, semper enim occidendo torques, & semper torquendo occidis! O mors! fortisne dicam, an debilis? sed verius utroque modo te vocavero: debilis es, nunquam enim eousque pertingis, ut ictum aliquem adeò mortalem infligas, qui odiosam detruncet vitam; fortis quoque dici mereris, quia semper vigorosè perseverans, obstinatum brachium tuum, in perpetua infœlicium animarum illarum exagitatione, extensum tenes; fortis ad vulnerandum; ad finiendum & consummandum debilis. O prodigiosa mors, quæ res adeo contrarias, veluti sunt novitas, & antiquitas, in te contines! tu namque modo quodam inenarrabili novella pariter es & antiqua. *Infœliciter in æterna morte sine moriendi potestate durabunt.* Hæc est illa mors, quæ à Johanne Apocal. 2. mors secunda vocata fuit, ad differentiam primæ, quæ veluti umbra, aut somnium quoddam est in comparatione mortis æternæ: *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, id est, ut explicat Apoc.2. v.11. Venerab. Beda; *Qui fideliter permanserit usque ad mortem carnis, mortem animæ non timebit æternam.* Hæc est mors illa de qua benedictus Redemptor noster loquebatur, quando dixit, *si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum*, hoc est, secundum quod exponit Cornelius à Lapide: Jo.8.v.51. *Nunquam moriemini morte animæ, sed semper vivetis, hic in Dei gratiâ, & in cœlo in Dei gloriâ.* Hæc est mors illa vocata à S. Job, cujuscunque alterius mortis Regina & Imperatrix: *Calcet super eum quasi rex interitus.* Cum enim reliquæ Job.18. v.14. mortes velut personæ privatæ veniant levibus & tolerabilibus sociatæ doloribus: Hæc instar Reginæ innumerabilibus irruet cincta miseriis. *Mors Regina ambulet super eum*, estque hæc expositio Pinedæ, *atque illius & omnium, quæ ad illum pertinent possessionem capiat per positionem pedum, liberamque illius habeat potestatem.* Hæc est illa mors, quæ teste Davide Rege, damnatos mortiferis venenis suis semper pascet; ut semper ad moriendum vivant, semper ad vivendum moriantur, & ubi Bernardus dicit: *semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem.* Hæc est mors Ser.de verb.Apost. illa, quæ uti existimat Susanna Matrona invictissima, mortis nomine sola digna est, quæ sola veræ mortis effectus possidet: *si hoc egero mors mihi est*, Daniel.13. v.22. ideoque ut ab utrâque morte liberetur, à Deo adjuta fuit, ut advertit Chrysost. *Nec deseruit ne moreretur, cui subvenit ne adulteraretur.* Hæc est mors Hom.de Susanna. illa, quæ ex mente sapientis, est instar fluminis cujusdam, quod trans littus suum semper discurrit, semper cur-

sum suum continuat, novos semper humores conducit, novasque semper adfert aquas: *Pro morte defluente deprecatus sum*; hoc sensu S. Gregorius Papa dixit: per hanc terribilem mortem, animam nunquam esse suum deperdere, sed bene esse amittere. *Anima illic posita bene esse perdidit, & esse non perdidit*. Hæc est mors, de quâ S. Ezechias Rex loquebatur: *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te*, siquidem non erit mors pretiosa sanctorum. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. Non erit suavis sanctorum somnus: *Obdormivit in Domino*. Non erit grata quies Electorum: *Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. Non erit Amicorum Dei secura pax: *Colligeris in pace ad patres tuos*. Non erit sequacium Christi desiderata libertas: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*. Non erit opulentum mercatorum cœli lucrum: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*. Non erit desideratus ad Paradisum peregrinatium transitus: *Transibo in locum Tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*. Non erit filiorum gratiæ fœlix nativitas: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos*, sed erit mors illa, quæ per totam æternitatem in Deum evomet blasphemias, injurias in Angelos, imprecationes in homines, sibiipsis exprobationes, & improperia; *Neque mors confitebitur tibi*.

Eccli. 51. v. 13.

L. 4. Dialog.

14. S. Pater Augustinus, dum ingentem, quam homines pro fugienda temporali morte adhibent sollicitudinem, attenta mente considerat, admiratur, & meritò, quod pro illa fugienda tam frequenter videantur, sive extraordinariæ ingenii ostentationes sive mirabilia animositatis specimina, sive stupendi rerum omnium contemptus, siue naturæ inexpectatæ inventiones, aut denique prodigiosa patientiæ Exempla. In præsenti autem nobis sufficiat considerare id, quod videmus quotidie, scil. contingat nonneminem gravi aliqua corripi infirmitate, videre tunc ut tota paveat, & tremat familia, omnes solliciti sint & cogitabundi, currant & discurrant omnes, uxor, filii, parentes, servi *omnes futura morte pallescunt, & omnes festinandum esse decernunt: omnis festinatio laudatur, omnis cunctatio vituperatur: Quare? pro Anima. Quid est pro Anima? Ne moriatur Homo*: quasi diceretur; cur tota infirmi domus graviter adeò angustiatur? cur adeò incõsolabiliter plangitur & ploratur? Nec quisquam est, qui non magnopere tremat, maximèque sollicitus existat? Ideò videlicet, quia de vita agitur hominis valdè nunc periclitantis, quia infirmitas ejus inusitata est, & vix aliàs visa patitur symptomata, mors inquam timetur, & ideò sic discurritur, suspiratur, ploratur. Itane? Adsit ergo nunc Augustinus, qui dignam ingenio, magnâque pietate suâ hinc eliciat consequentiam: *Si ergo curris tot milliaria pro hac vitâ, quomodo currere debes pro vita æterna? si festinas lucrari paucos dies, eosque incertos hujus vitæ, quomodò festinandum tibi est pro vita sempiternâ?* Estne possibile, quod adeò premat mortis illius periculum, quam fugere non possumus, nec tamen premat summum illius mortis discrimen, quam si volumus,

mus, facilè declinare valemus? Tanti æstimatur, quod pauculos lucreris dies, eosdemque incertos; nec tamen minimè curatur, quod illos æternitatis & gloriæ dies perdas? si tantoperè vivere placet, cur illam vitam non diligimus, quæ jubilo & lætitia plena est? Si umbram mortis ita veremur, cur veræ mortis pericula non magis metuimus? Hanc tam lachrymabi-
Jac. 1. v. 15. lem mortem S. Jacobus Apostolus à peccato generatam, turpissimumque, patris longè deformioris, partum esse dicit: *Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem.* Audite igi-
L. 50. Hom. 42. tur gravissimum hoc à S. Augustino traditum monumentum: *vel mortem time, si peccatum non times. Non times peccatum? time quo perducit peccatum.* Si peccatum non times, time saltem mortem æternam, à peccato causatam, si peccatum non times, turpissimum saltem peccati timeas partum. *Non times peccatum? time quo perducit peccatum.*

Tertium punctum. 15. Transeo ad tertiam Inferni proprietatem, quæ est, quod Infernus locus sit separationis; *Elevans autem oculos vidit Abraham à longè.* Hæc est illa separatio, quam Propheta Oseas, tantopere deplorabat, ut vix aliquam in tam amararum cogitationum medio recipere posset consola-
Oseæ 13. v. 14. tionem. *Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet.* Tametsi in Inferno non essent Dæmones, qui torquerent, nec flammæ, quæ comburerent, nec qui roderent vermes, nec quæ stringerent vincula, nec excæcantes tenebræ, nec tabefacientes fœtores; Imò tametsi Infernus locus esset admodùm amœnus, maximeque ab omni necessitate remotus, attamen hoc unicum, scil. à cœlesti curia exclusum & separatum esse, tam ingens est tormentum, ut omnem fidem superet, omnemque transcendat cogitationem: *Perire à Regno Dei*, ita S. Augustinus discurrit *exulare à civitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, patefecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, vt ei, nulla possint tormenta, quæ novimus comparari.* In Ps. 8. Quisnam explicare valebit ingentem illam humanitatis Christi pulchritudinem, à quâ velut potentissimo adamante Animæ attrahuntur Beatorum? Quis fortunatissimæ familiæ illius magnæ Matris, virginis inquam MARIÆ, gloriam, & Majestatem enarrare valebit, quæ dulcissimo suo vultu fortunati cœtus illius corda quasi incatenata tenebit? Quis describere audebit cœlestium Hierarchiarum triumphalem pompam, quæ dum immortali totius universi Regi aulicum quendam exhibent cultum & observantiam, venerandum illud Trisagium cum inenarrabili melodia concinunt, & repetunt? Quis unquã tam fœlicis erit facundiæ, qui promittere ausit se vivis verborum coloribus depicturum, superbas illas senatus Apostolici sedes, atque magnorum illorum terræ Judicum, plusquam regiam Majestatem? aut fortissimorum Martyrum sæculi hujus, mortisque triumphatorum relucentes purpuras? aut elegantissimas confessorum Domini,

Magistrorum inquam gentium, magnorumq; mundi luminũ, auro gemmisq; distinctas Attalicas vestes? Aut candidissimas stolas virginũ, quæ rosis liliisque pulchriores, pulchriores stellis, auro splendidiores, deniq; Angelis Domini erunt simillimæ? In hac nostra mortalitate possibile non est, dare plenam nobilissimorum cœtuũ illorum notitiam. Quis enim explicabit illa humanitatis, mutuæq; civilitatis officia, quæ omnem intellectum fugiunt? discursus illos adeò cõtinuos semperque charos? Honores illos tam varios, omnisque invidiæ expertes? Classes illas tam numerosas, tamq; benè ordinatas? Harmonias illas tã suaves, omniq; carẽtes fastidio? Illas mãsiones adeò diversas, & prorsus mirabiles? Triũphos illos æternos, & semper novos? En ergo hoc totum deperditur, quàm primũ in carceres infernales pes figitur, & insuper perditur omne id, quod nec scire, nec potui edicere, idq; sine ulla spe idipsum recuperandi in æternum. *Frustra pulsabunt fatuæ virgines* (ita loquitur Bernardus ser. 2. in: vidi Dominum) *in vanum clamabunt, ubi impletæ fuerint nuptiæ discumbentium, & janua clausa erit. Infœlix anima illa, cui à nuptiis illis contigerit excludi. Infœlix de quo clamabitur: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quoniam ipse inter fratres dividet.*

Ser. 2. in vidi Dominum.

16. Verùm enimverò, quousq; differo propius sermone accedere ad ultimum illud, atque inter omnia tormenta maximè tremendum supplicium, hoc est, ad duram & diram illam separationem, in cujus comparatione, quotquot sunt pœnæ, pœnæ nõ sunt, omnisq quantumvis magna infœlicitas, mox disparet, nec esse videtur? Hæc est separatio à Deo atq; speciosissimo illius vultu, quæ S. P. N. Cyrillũ Orat. de exitu animæ exclamare fecit: *ô temporis illius tribulationem! ô necessitatem! ô tempestatem à Deo dissociari!* ô tribulatio fera & truculenta, quæ in se recolligit, & simul continet, quotquot sunt malorum genera! ô furibunda tempestas, quæ in uno momento absorbet & devorat omne cujuscunque spei refrigerium! ô crudelis necessitas, quæ hominem tanto bono privat quantum bonum magnus ipse Deus est, qui summum & infinitum est bonum! ô miserabile divortium! quod ab immortali illo sponso separat, qui exultatio & Jubilus est Paradisi! ô lachrymabilis separatio, quæ spiritum à Deo dividit, unde mors illa nascitur, quæ semper vivit, & vita oritur, quæ semper, & usque in æternum moritur! ô ictus divinæ dexteræ lethalis, qua per omnem Dei omnipotentiam dari nequit plaga major! *ô temporis illius tribulationem, à Deo dissociari!* Cardinalis Petrus Damianus dicit, quod quando Deus Luciferum ob arrogantem illius superbiam præcipitavit, atque à suo Divino aspèctu procul abegit, tunc *desæviit omnipotentis indignatio, totaque divinitatis dextera percussus est inimicus, & in perditionis devolutus est abyssum.* Deus in hoc mundo uno duntaxat digito castigat, & tamen integra regna destruit, & provincias. Unde quondam Ægyptii dicebant: **Digitus Dei est hic.** Aut si nonnunquam etiam manum castigando

Orat. de exitu anima.

Serm. S. Nic. ele.

Deu v. 17

gando adhibeat, illa tamen leviter & obiter tangit. Sic Job in magnis suis ærumnis constitutus dicebat, se à manu Dei leviter solum tactum fuisse. *Manus Domini tetigit me.* At verò quando de pœna damni, & privatione visionis beatificæ Dei sermo est, profectò dicitur quod sua Divina Majestas totam suam adhibuerit omnipotentiam, usque fuerit omnipotentissimæ manus suæ fortitudine; Siquidem Deus ipsemet tametsi vellet, plagam majorem infligere non posset; quam eundem privando visione beatifica, sicut nequit dare munus præstantius, quàm donando seipsum: *Ergo desæviit tunc omnipotentis indignatio, totaque Divinitatis dexterâ percussus est inimicus; ô temporis illius tribulationem à Deo dissociari!*

17. Comminabatur aliquando Deus, fore, ut suam à populo præsentiam subtraheret, suamque faciem absconderet ab eis, quos usque ad tempus illud tantopere amaverat, atque secundum mensuram amoris illius, qui omnis prorsus expers est mensuræ, infinitis bonis locupletaverat. *Et irascetur furor meus in die illo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo.* Sed quid inde? *Invenient eum omnia mala & afflictiones.* Quanta ergo majori cum ratione de reprobis ad pœnas inferni condemnatis visione que suavissimæ faciei Divinæ orbatis dici poterit? Omnia haud dubiè mala super ejusmodi infœlicissimam animam depluent, postquam ab illo derelictus & separatus fuerit, qui omnia in se bona continet. Non erit plaga aliqua quæ illum non cruciet, dum à Deo separatus est, siquidem nullum sit gaudium, quod non experiatur, qui illi propinquus & vicinus adhæret. Expers visionis regis gloriæ meta erit omnis infortunii & miseriæ, si quidem solus serenissimi vultus Divini contuitus, eum qui illo fruitur, gloriosum reddit & fœlicem. *O temporis illius tribulationem à Deo dissociari!* Perdiderat S. Augustinus quondam amicum quendam longè sibi charissimum, uti refert & ô quibus inde non torquebatur doloribus? Quæ cor illius non transfigebant mœstæ cogitationes? Quas in afflicta mente non experiebatur spinas? *æstuabam, suspirabam, flebam, turbabar, nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam & cruentam animam meam, impatientem portari à me, & ubi eam ponerem non inveniebam. Non in amœnis nemoribus, non in ludis atque cantibus, nec in suaveolentibus locis, nec in conviviis apparatis, nec in voluptatibus cubilis, & lecti, non denique in libris atque carminibus requiescebat. Horrebant omnia, & ipsa lux, & quidquid non erat, quod ipse erat, improbum & odiosum erat.* Absque amico mihi lux obscura videbatur, delitiæ fastidia, cantus planctus, cibi venenum, jocus pœna, domus carcer, omnia mihi horrida videbantur, omnia displicentia, quia non inveniebam amicum, cujus sola societas gratũ & charũ mihi faciebat, quidquid grati reperibile est. *Horrebãt omnia, & ipsa lux, & quidquid non erat, quod ipse erat, improbũ & odiosum erat.* Nec tamẽ hic Augustinus ab hoc amico suo vitæ receperat beneficium, nec donũ sanctitatis, nec animi bona, nec fortunæ favo-

Deut. 31. v. 17.

L. 4. conf.

favonios neque mundi hujus, & earum quas hic continet creaturarum usum. Quomodo ergo comparari ad invicem possunt perdere amicum aliquem, quicunq; tandem ille sit, & perdere Deum? Et hinc quidem talem amicum, qui totus sit amor? qui nō vivit nisi amando, neq; alio delectatur prȩterquam amore? Amicum adeò liberalem, qui postquam omnia nobis donavit, tādem semetipsum pro munere nobis donat? Adeò constantem, ut nunquam mutetur, nec unquam fidem amicitiȩ detruncet, nisi à culpis nostris violentatus? Adeò tenerum, ut suas reputet, quas amicus suus patitur ærumnas? Adeò patientem ut millies offensus, offensam quoque millies remittat, & tametsi omnium minutissima recordetur, solius tamē obliviscatur ab amico receptæ injuriæ? Adeò fidelem, ut cœli potius interituri sint quàm regium ipsius verbum nō compleatur? Adeò denique gratiosum & amabilem, ut meritò dici possit cœli jubilus, flamma Seraphinorum, & Beatorum gaudium? Tantum ergo perditur, cum Deus amittitur; unde si amici alicujus jactura adeò deploretur, quanto erit decentius, ut illius defleatur jactura, qui in benevolentia & amore tantopere excedit? *ô dementiam*, dicebat Augustinus, *nescientem hominem diligere humaniter; ô stultum hominem immoderatè humana patientem!* Verùm incomparabiliter major est stultitia, inconsolabiliter non plangere tanti boni jacturam, quantum est summus ille Deus. *O temporis illius tribulationem dissociari à Deo!*

18. Quando Milesii intellexerunt, fore, ut Paulus Apostolus ab illis discederet, & quod faciem ejus non essent amplius visuri, maximos ob id ploratus & planctus dederunt: *Dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri.* At verò, quis Paulus est in comparatione ad Deum? Etenim si Milesii adeò inconsolabiliter defleverunt Pauli ab illis discessum, *dolentes quoniam faciem ejus amplius non essent visuri*, quibus ergo dignus non erit planctibus ipsiusmet Dei à nobis recessus, atque gratiosissimi sui aspectus privatio? ô quæ lachrymarum diluvia, pro tam ingentis, ac incomparabilis boni jacturâ sufficient? *à tantis excidisse bonis*, inquit valdè rationabiliter Chrysost. *tantum habet dolorem, tantam afflictionem, tantam angustiam, quantum nullum esse potest aliud flagellum. Amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei:* O servi traditores, qui nunquam amplius in gaudium Domini intrabitis! ô sponsæ adulteræ & infideles, quæ nunquam in æternum nuptiis Christi spōsi vestri gaudebitis! O filii cōtumaces & degeneres, qui semper ab hæreditate paterna exclusi eritis! ô operarii iniquitatis, qui per omnia sæcula pactâ non gaudebitis mercede! ô convivæ infœlices & inciviles, qui ob vestē nuptialem neglectam, nunquam Divinitatis mensæ accumbetis! ô stulti negotiatores, quia denarium ad negotiationem & usuram comparādam concessum in terram sepelistis, illud beatificæ visionis talentum auferetur

à vo-

à vobis. ô stolidæ gregis Christi oves, quia vocem Pastoris audire noluistis, ad gloriæ pascua nunquam introducemini! *Amplius non videbitis faciem meam vos omnes. O temporis illius tribulationem à Deo dissociari!* Non me terrent illi tenebrosi, & fœtentes carceres: id quod mihi terrorem incutit, est; quia intra carceres illos Deum non invenio. Non horreo ardentes & inextinguibiles illas fornacis infernalis flammas, sed quod horreo, est, quia intra flammas illas Deum non video. Non me crudelissimi illi omnisque pietatis expertes perturbant carnifices, sola mea perturbatio est quod inter carnifices illos, Deus locum non habeat. Horribiles quidem sunt spiritus illi, atque infœlix eorumdem societas, sed totum istud nihil foret, modò ibi Deus præsens esset. Horrendi ibi audiuntur mugitus & ululatus, execrandæ ibi resonant blasphemiæ & maledictiones, sed fiat tantùm ut ibi sit Deus, totumque suavissima erit Harmonia. Tandem nec pœnas aliunde exhorresco, nisi quia à pœnis consortium Dei exclusum erit. *Amplius faciem meam non videbitis. O temporis illius tribulationem!*

19. Utinam à vobis id hodie obtinerem dilectissimi, quod aliquando à suis auditoribus S. Augustinus obtinuit, qui tractans præsentem, quam præ manibus habemus materiam sequenti ferè modo disseruit: Statuamus quod Deus ore suo proprio cuipiam dicat: Si tibi peccare libet, pecca prout id tua tibi suggeret libido sine aliqua ullius resistentia: Exequere quidquid in mentem venerit, aut ab accensis tibi suggestum fuerit cupiditatibus. Quidquid in terra amaveris, id tuum esto. Quemcunque cholera tua perditum voluerit, esto perditus, rape quidquid libuerit, occide quem volueris, cōdemna, quem damnatum esse desideras, in manibus tuis esto, quidquid tuus petierit appetitus; ne unus quidem tibi resistentiam facito, nemo te corrigito, nemo tibi contrariator, omnia terrena in domo tua abundét, idq; in sempiternum. Unicum tamen mihi vēdico, quod nolo tuum esse, estq; visio, sive intuit⁹ faciei meæ. *Faciem meam tamen nunquam videbis.* Dicitque S. Augustinus, populum ad hanc vocem, mox horrendum cœpisse plangere, & clamare, nec aliter exhorrescere, quam si cœli fulmine tactus vel læsus fuisset. *Fratres mei unde ingemuistis, nisi quia jam natus est timor castus, permanens in sæculum sæculi? quare percussum est cor vestrum; si diceret Deus: faciem meam nunquam videtis? Ecce omni terrena ista fœlicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deseris, quid vis amplius? fleret quidem & gemeret timor castus & diceret: imò tollantur omnia, & faciem tuam videam, timor castus exclamaret de Psalmo, ostende faciem tuam, & salvi erimus: timor castus exclamaret: de Psalmo, & diceret: Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo ejus omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem ejus.* Hosce bonos fideles plāgere fecit timor castus, & hæc valde terribilia verba: *Verumtamen faciem meam nunquam videbis.* Omnia ego perdere possum dicit timor castus: *Ne faciem*

In Ps. 127.

ciem Dei perdam. Nolo quamcunq; demum mundanam fœlicitatem nisi me de facie divina clarè visa fœlicem reddere possit, omne detestor bonũ creatum, q alicui, quoad consecutionem beatæ visionis Dei impedimento esse potest. *Tibi dixit cor meum exquisivit te facies mea, faciem tuam requiram.* Huc adsis peccator, & sapientissimum Augustini discursum vel semel audi. *Si quis amore fœmina captus aliter se vestiat, quàm ipsa velit, & illi dicat: nolo te habere tale biretum, non habet. Amo te in lacerna per hyemem, eligit tremere quàm displicere.* Sed quid hæc tandem in fine tibi facere poterit, si non obedieris? An fortè te in carcerem conjiciet, aut catenis onerabit? An fortè torturæ te subjiciet? aut in exilium mittet? Nihil horum est, quod ab illa timere valeas. Sed quid ergo? *Quod ibi timetur est faciem meam non videbis.* Hoc solum timetur: Non videbis faciem meam. Concludit ergo S. Augustinus more suo solito, & valde solidè: *Impudica hoc dicit, & terret? dicit hoc Deus & non terret?* ô ingens perversitas! ô stoliditas intolerabilis, me impudicæ alicujus fœminæ terrent comminationes, nec tamen minæ cœli me terrefaciunt, magisque fœtentis cujusdam scorti præsentiam perdere timeo, quàm aspectum facici Omnipotentis Dei! Ah ne quæso tam parum summum illud bonum placeat, quod infinitum est desiderabile: Ne tibi vilis videatur merces illa, quæ omne pretium superat. Ah consulamus tandem aliquando consiliis nostris de aliquali securitate, atque ad acquirendam beatam Dei visionem, quodvis bonum creatum perdere nequaquam gravemur.

PARS SECUNDA.

20. Quarta inferni proprietas est, quod sit locus æternitatis: *inter nos & vos magnum chaos firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Portæ cœli semel & semper clausæ erunt, atque immobilibus munitæ vectibus nunquam amplius aperientur, conformiter illis Davidis verbis: *Confortavit seras portarum tuarum*, Quæ S. Augustinus sic exponit: *Clausis portis & confirmatis seris nunquam exiet amicus, nunquam intrare poterit inimicus.* Servire hoc loco potest, quod damnati à Propheta descripti fuerint, velut totidem oves, quarum ipsa mors pastor sit futura: *Sicut oves in inferno positi sunt mors depascet eos. Benè sicut oves*, inquit Petrus Blesensis; sicut enim ovium lana detondetur, & hæc de novo crescit, ut iterum tondeatur, ita quoque damnati tormenta constituta erunt, semper enim de novo crescent, neque unquam finiri poterunt. *Sicut lana ovium tonsa permittitur crescere, ut iterum tondeatur, sic moriendo vives, & non desines mori.*

Vita erit his sine fine mori, & mors utique pœnis,
Et durante suas pascere carne cruces.

Cecinit quondam S. Paulinus Nolanus Episcopus, in panegyrico de S. Celso puero. Sicut oves, dicit S. Bernardus, quia usque ad vivam carnem tonsi, atque divitiarum temporalium lana spoliati, atque in strictissimis hujus

Quartum Punctum
Ser. 168. de tempore.
Ps. 48.
Ep. 91.
In paneg. de S. Celso puero.
Serm. 1. de triplici custodia.

hujus pœnosi carceris angustiis nudi collocati erunt. *Quam benè sicut oves? Quia detecto vellere mundialium divitiarum durè pressèque detonsi sempiternis nudi deputabuntur incendiis.* Verum, quid est quod dicitur: ipsas à morte pascendas: *Mors depascet eos?* Respondet Bernardus, id ideò dici, quia alio cibo non nutrientur, quam cibo mortis, & ideò semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem: *Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem.* Qui dicit pascere, innuit vitam, pascimur enim ut vivamus; At verò si cibus qui pascit, mors est, pasci non erit vivere, sed mori. Respondebit item S. Augustinus: fore ibi vitam, & non fore ibi vitam; erit vita ibidem, quia semper durabunt; & non erit ibi vita, quia morientur semper, adeò, ut habituri sint mortem ad patiendum, nec tamen eandem ad passiones finiendas habebunt. *Ut mors eis adsit ad supplicium, & desit ad finem.* Si in hac vita, dicit idem Augustinus, nimis acerbus sit dolor, sensum superat & occidit; econtra verò, si sensus fortis sit, & vigorosus, dolor ab eodem victus & extinctus est, salusque corporis salua erit. Non tamen sic est in inferno, nec enim dolor sensum vincit, ita, ut occidat illum, nec sensus dolorem superat adeò, ut illum finiat, sed dolor semper est residuus ad cruciandum, & sensus quoque manet, ut cruciëtur: *Hic quando contingit ille conflictus, aut dolor vincit, & sensum mors adimit; aut Natura perdurans vincit, & dolorem sanitas tollit; ibi autem & dolor manet ut affligat; & natura perdurat ut sentiat, quia utrumque ideò non deficit, ne pœna deficiat.*

L. 19 de Civit. Dei c. 28.

21. Vellem hoc loco nonnihil alloqui eos, qui non dubitant pro momentaneo gaudio, aut pro quatriduana gloria, salutem æternam summo committere discrimini. Huc ergo adsis ô perverse, nunc enim tecum mihi res erit. Anne unquam vitæ Divinæ mensurasti longitudinem? numerastine aliquando æternitatis dies? annè temporum illorum, quæ omni meta carent aliquam æstimationem habuisti? Intellexistine aliquando quid significet semper, aut quid nunquam significet? Si id intelligis, cur breve adeò delitiarum momentum, tam longo & indeterminato fastidiorum spatio anteponis? Aut si id non intelligis, sicuti certum est, te id non intelligere, cur non formidas pœnis tanta duratione subjici, quanta nequit intelligi? Si Deum per pœnas æternas peccatum punire credis, cur peccas? Aut si credens id, quod credere oportet, nihilominus peccas, cur exiguum judicium tuum & intellectum modicum sic inverecundè perdis, ut per unicum momentum gaudere velis peccando, ut puniaris in æternum? Puerili more discurrimus, inquit Augustinus, quando per multitudinem dierum, per longitudinem temporum, per sæculorum durationem æternitatem explicamus, & tamen omnia alia dicimus, quàm æternitatem. Hæ nostræ mensuræ pueriles, & risu dignæ sunt iis, qui recto pollent rationis judicio: *Quidquid vis dicis de æternitate. Ideò quidquid vis dicis, quia quidquid dixeris, minus dicis.* Si dixero æternitatem tot in se annorum

In Ps. 90.

norum cõtinere milliones, quot sunt Maris Oceani guttulæ, minus erit: Quidquid dixeris, minus dicis. Si de novo omnes illas guttulas sumpsero, easdemq; per mille millionum milliones iterum multiplicavero, subdens totidem fore æternitatis annos, denuo parum erit: *quidquid dixeris, minus dicis!* Adjunge prædictis, quot annos excogitare nosti, multiplica sæcula, quantumcunq; intelligere potes, auge numerum, quantum tuus capere potest intellectus, nihil enim dices: *Quid appendis cum infinito quantumcunq; finitum?* inquit Augustinus, *decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt.* O miseri ergo, infortunatique illi Dei inimici, qui pro exiguo oblectamento, pœnas dare debebunt, si ita dici possit, tempore infinito! O infœlices, qui à tam brevi delectatiunculà ad tam longum transeunt tormentum! *Quid profuit illis inanis gloria,* inquit Bernardus, *brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ divitiæ, magna familia, & mala concupiscentiæ? de tanta lætitia, quanta tristitia? post tantillam voluptatem, quàm gravis miseria?*

In Pſ. 90.

Ad fratres de monte Dei.

Pſ. 76. v. 8.

22. Dices fortasse cum Rege sancto Psalm. 76. *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?*

Tantæne animis cœlestibus iræ?

Si culpa adeo brevis est, quomodo pœna adeò est longa? Item si Deus quoad iræ affectum adeò mensuratus est, quomodo in vindicanda injuria omnem adeò mensuram transgredietur? Adhæc si misericordia adeò est ingens, prout Divinæ scripturæ idipsum passim deprædicant, quâ ratione Justitia tam magna esse poterit? Respondebit tibi Augustinus. Hinc colligi, quam ingens peccati sit malitia, ut potè quæ dignè castigari nequit, præterquam pœna æterna: *Nunquam esset illorum æterna miseria, nisi esset magna malitia.* Respondebit quoque Petrus Blesensis Epist. 60. Quod cum locus inferni omni merito viam præcludat, omnem quoq; civis satisfactioni aditum prohibeat, *cum locus ille viam præcludat ad meritum, compensationis etiam beneficium non admittit.* Respondebit Emissenus. *Quod cum damnatus nullum ex se habeat remedium, neq; dignus sit illud aliunde recipiendi, hinc supplicium ejus futurum sit sine termino.* Respondebit iterum August. in Rebuspublicis quoq; terrenis, latrocinium quod exiguo tẽpore committitur, aut carcere totius vitæ, seu perpetuo, aut etiã vitæ ipsiusmet ademptione puniri. Respondebit Hieronymus, quod Deus, quia affectum intuetur cordis, secundum affectus mẽsuram peccatum puniat, unde cum iniquus voluntatem habeat peccandi sine mensura, ideò quoque sine mensura castigatur. *Ideo sine fine pœnas luunt, quia voluntatem habuerunt sine fine peccandi; si naturam haberent sine fine vivendi.* Atq; Hieronymo consentit August. libro 16. de civit. Dei cap. 4. ubi dicit: *Merito malis punitur affectus, etiam cui non succedit effectus.* Respondebit S. Thomas de Aquino: Quod cum peccatum commissum sit contra personam infinitam, mereretur quidem pœnam infinitam, cujus cum creatura ob suam limitationem capax non sit intensio pœnæ in extensionem commute-

L. 9. de vit. Dei c. 13.

Epist.

L. 21. de civit.

L. 16. de civit.

mute-

mutetur. Respôdebit Chrysost. quod homo bonum infinitum limitato cuidam bono postposuerit, ideoque conveniens, ut nec pœna limitata sit, saltem quoad durationem. Verum ut ut sit, & quæcunque tandem veritatis illius sit ratio, certum saltem est, articulum esse fidei pœnas infernales æternas esse. Unde velim nos cum S. Augustino, hâc in re sequentem facere consequentiam, serm. 50. de tempore: *si curis tantis æstuant homines ad evadendas temporales & transitorias tribulationes, quid est cogitandum, ut homo evadat manentes, & sine fine durantes?* Pro tribulationibus transitoriis declinandis tanta adhibetur cura, & nulla adhibebitur pro evadendis æternis? Pro magnis ærumnis evadendis non se movet homo, & totus in motu erit pro evitandis minimis, seu modicis? Præsentis vitæ mala timeantur, ac si nunquam finem suum habitura essent, nec tamen timebuntur mala vitæ futuræ, perinde velut si aliquando fine aliquo terminanda forent. Unde dubitari haud immerito potest, dicit Salvianus lib. 3. ad Eccl. Cath. an qui sunt ejusmodi verè credant; siquidem si crederent, utique timerent, dum autem omnis se timoris exhibent expertes, se quoque sine fide esse evidenter demonstrant. *Quid ergo causæ est? ut si quisquam Christianus futura credit, futura non timeat? Quid ergò causa est? ut si credit, quæ dixit Deus, non timeat quæ minatur Deus?* quasi diceret intelligi nequit dilectissimi, quâ ratione hæc duo simul stare possint credere & non timere, credere id quod dicit Deus, nec tamen timere, quod minatur Deus.

L. 3. ad Ec. Cath.

In scripturis cunctis divitibus, avaris crudelibus, vindicativis, luxuriosis, alienorum raptoribus, templorum prophanatoribus, contemptoribus Religionis, derisoribus virtutis, aliisque in peccato pertinacibus comminatus est infernus. Quod, si credant homines, cur vitam ducentes peccaminosam, vivunt veluti si non crederent? Qua ratione probè scientes Deum adeò rigidè castigaturū, adeò in Dei servitio negligentes esse queunt? cur ab humana conversatione non sequestrantur? cur non secedunt in Eremos? cur in Monasteriis non recluduntur? Quomodo inter adeò magna, adeò certa denique vicina adeò pericula ridere & lætari possunt? *Hæc Fratres mei*: dicit S. Bernardus serm. ad Clericos cap. 4. *qui pavet cavet, nam qui negligit incidit.* Qui in corde suo timorem habet ad infernum non vadit, qui non timet, directè in eundem se præcipitat. Sola temeritas & audacia est, quæ tam populosum & numerosum reddidit inferni incolatum: Timor è contra & respectus secura ad cœlum pertingendi est via: *Qui pavet cavet, qui negligit incidit.* Agedum ergo ô Christiani, memineritis quanti æstimanda à vobis sit æterna salus vestra: Neque enim illud S. Gregorii monitum à corde vestro recedat: *Nolite misericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia dissimulare.* Ad lachrymas recurrite, ad pœnitentiam, ad confessionem peccatorum, deniq; super omnia *ante supplicium cogitate de supplicio.*

Serm. ad Cler. ca. 4.

***



CONCIO XV.
In Feriam VI. post Dom. II. Quadr.

THEMA.

Auferetur à vobis regnum & dabitur genti facienti fructum ejus. Matthæi 21. v. 43.

ARGVMENTVM.

Adducuntur quinque nascentis ecclesiæ mirabilia, quæ sunt videlicet: quod filii ejus condemnati fuerint & innocentes, victi & victoriosi, destructi & multiplicati, diffamati & gloriosi, tribulati & gaudentes.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Regnum Dei translatum à synagoga ad Ecclesiam. Descriptio Ecclesiæ charismatum quibus à Christo in desponsatione decorata. n. 1.

Licet Ecclesiæ filij à malis hominibus malè tractentur, ipsa tamen nunquam conculcatur aut opprimitur, imò gloriosior ex martyriis evadit. ib.

Synopsis concionis. ib.

Primum punctum. *Ecclesia passa est ab Hebræis, Gentilibus & Hæreticis & quidem diversimode.* n. 2.

Descriptio tormentorum quibus affecti sunt Christiani. Inter omnes urbes horum Roma testis. Ecclesia Catholica Ecclesia martyrum. disertè Epiphanius n. 2.

Omnia illa tormenta contra agnos immaculatos insumpta qui in propria conscientia confisi non tam trahebantur ad supplicia quam ipsi ultrò se offerebant. n. 3.

Anima quæ meretur templum Dei appellari, vel Ecclesia tunditur fluctibus, sed non subruitur. S. Amb. n. 4.

Satis advertimus longè acrius impugnari spirituales viros ipsius Ecclesiæ quàm carnales. ib.

Quantum hodie discrepet quoad mores status Ecclesiæ ab eo qui erat in primitiva Ecclesia. Vnde meritò exclamat Ambros. filia Babylonis misera *n. 5.*

Filij Ecclesiæ, victi simul fuerunt & victores. Arcturo comparatur Ecclesia, & quare. n. 6. Secundum punctum.

Verba Psalmi, Sæpe expugnaverunt me &c. *huc flexa.* à S. August. n. 7.

Ecclesia

Ecclesia nascens fuit ut arca Noë in medio diluviorum.ib.

Verba Salomonis,& quartum non intelligo viam navis in mari, *Ecclesiæ in persecutionum medio* à D. Amb. applicata.n.8.

Lunæ comparatur Ecclesia videtur enim deficere & non deficit ait Ambr.ib.

Verba Haiæ 8. congregamini populi & vincimini, *contra persecutores Ecclesiæ versa*.n.9.

Nunquam impiorum crudelitas in nomen Christianorum exarsit, ut non statim divina vindicta secuta sit, exemplis diversis ostenditur.n.10.& 11.

Locus Cant. Invenerunt me vigiles &c.cum pertransissem eos inveni, nec dimittam *Ecclesiæ applicatus* n.12.

Tertium Punctum. *Quanto filij Ecclesiæ destructi fuerunt tanto magis fuerunt multiplicati*.n.13.

Comparatur Ecclesia viti amputatæ, item semini quod in terra moritur ib.

Innumera martyriorum genera durantibus tribus primis sæculis, qua non obstante laniena, in dies crescebat Christianorum numerus.n.14.

Verba Dan.8.& prosternetur veritas in terra & faciet & prosperabitur, *Ecclesiæ applicata*; *Auctoritates patrum huc congestæ. Ipse Cantic. sponsus excitat ventos id est persecutiones. surge Aquilo* &c.n.15.

Omnes gentes cognoverunt fidem Christi, unde meritò Hieronymus, hæc verba, in populo gravi &c. *Christianis perseverantibus applicat*.n.16.

Quartum Punctum. *Fuerunt filij Ecclesiæ diffamati & tamen gloriosi*.n.17.

Omnes ærumnæ & calamitates Reip. Christianis imputabantur.ib.

Miraculum grande, quod deijcit Christianos, hoc ipsum illos efficit gloriosos.n.18.

Verba Iob, ad dexteram orientis calamitates meæ &c. *& Davidis locus* bonum mihi Domine quia humiliasti me.*optimè* à Bern.*explicata*.ib.

Quantus honos delatus sanctis, eorũ reliquiis, imò suppliciorũ instrumentis.n.18.19.

Quintum Punctum. *Ecclesiæ filij tribulati quidem fuerunt, sed semper læti*.

Illa scripturæ loca, Vinum non habent. Tristitia vestra vertetur in gaudium, & Renuit consolari anima mea *optimè* à S.Bernardo *conciliata*. *Sicut & illa* D. Pauli libenter gloriabor in infirmitatibus meis.n.20.

Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi, *locus hic optimè à Greg.explicatus* n.21.22.

Beati cum maledixerint vobis homines. *Quis ergo se non maledici desiderat ut mereatur Christi voce laudari?* Scitè Hiero.n.23.

Hæc duo loca. Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & Momentaneum hoc & leve nostræ tribulationis. *Conciliantur*.n.24.

Epilogus continet exhortationem ad fortiter dimicadũ, ut victoriã reportemus.n.25.

REgnum Dei, haud absq; justissima ꝓvidentia, à synagoga Hebræorũ ad Christianorũ Ecclesiam trãslatum, verè est quoddam cœlestiũ favorũ aggregatũ, atq; universale omnium gratiarum altissimi depositum. Nam in sui antiquitate omnem transcendit memoriam, in duratione metam, in amplitudine terminum, in subditorum multitudine numerum, taxam in divitiis, in legib. deniq; non habet sibi similem, neq; in prosperitate parem. Hæc est illa Ecclesia, cui æternus Deus ex omnib. thesauris suis liberale cõtulit donativum; quippe q̃ ab ipso ꝓ capitali

pitali unde negotiabitur accepit gratiam; Sacramenta, uti fragilitatis suæ quoddam fulcrum; scripturas, in angustiarum suarũ veluti solatium; pro cibo famis suæ, carnem suam; Angelos, tanquam salutis suæ custodes; cœlos, ut necessitatum suarum ministros; pro laborum suorum præmio, gloriã; divinitatẽ, sicut beatitudinis suæ objectũ. Ipsa adeò est nobilis, ut ab ipsomet Deo Verbi sui sit dignata nuptiis; adeò pulchra, ut gratia & venustate sua, cum ipsomet paradiso concertet; Tãtæ Majestatis, ut amicta sit sole, calceata lunâ, ac stellis prefulgidis, veluti diademate, redimita; Ipsa instituta à legislatore quodam adeò sapienti, ut omnes possideat divinæ sapiẽtiæ thesauros; atq; super fundamẽta immortalia fundata, ideoq; ab omnib. portarum infernalium insultibus secura, divinis est educata moribus, nec non cœlestis doctrinæ enutrita pascuis. Ipsa sub uno cõstituta capite, obediens existit, sed spontanea; preceptis gubernata sed libera; in varias dispersa provincias, & tamen una; in plures divisa gradus, sed consona; fœcunda in filiis, sed casta; dilecta spõsa, sed virgo; opulenta & locuples meritis, sed spiritu pauper & inops; semper inter arma, sed tamẽ & inter palmas semper. Porrò tametsi illius fortunatissime matris partus, una cum glorioso hærede pessimè ab hominibus tractari videatur, omnino enim ita est, ut dicitur in Evãgelio, *alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt*, ipsa tamen nunquam cõculcatur aut opprimitur; imò novo & inaudito quodã cum stupore, ex mundi hujus contrarietatibus & oppositionibus, prosperos successus eliciens, è persecutionib. resurgit validior, ex plagis fortior, fœcundior ex martyriis, ex ignominiis gloriosior. Nec quicq̃ dubito dilectissimi, quin nobile adeò subjectum placere vobis debeat, aut quin in pectorib. vestris, admiratio incrementum acceptura sit in mille millia, ubi nimirum ꝓdigiosas ecclesiæ perceperitis victorias, meque bene intellexeritis, qui vobis præsenti discursu monstraturus sum, Ecclesiæ nascentis filios punitos quidem fuisse, sed innocentes; victos & tamen victores; destructos & multiplicatos; diffamatos & gloriosos; denique tribulatos, semper autẽ fuisse gaudẽtes.

2. Atq; ut à capite exordiar, ostendo primo quãtâ filii ecclesiæ castigati sint cum innocentiâ: *Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidaverũt.* Quis est qui nesciat cruẽtum illud bellum, quod ecclesiæ in suis principiis movit, sive perfidus Hebræus, sive cæcus Gẽtilis, aut Hæretic⁹ superbus? Hebræus quidem ob antiquarũ cæremoniarũ conservationem: Gentilis verò ex zelo superstitionis paternæ. Deniq; pro suscepti erroris defensione Hæreticus: Hebræus ob felicitatem fideliũ invidus; Gentilis ob dolorum ac idololatriæ destructionem cõmotus; Hæreticus deniq; propter sacrorum doctorũ oppositiones furiosus: Hebræus ex scripturis convictus, sed plenus obstinatione; Gentilis autem rationibus superatus, sed plenus ignorantia; deniq; Hæreticus à fide rejectus sed plenus superbia: Hebræus excæcatus ab umbris; Gentilis deceptus à dęmonibus; Hæreticus gubernatus à carne & sensibus.

Primum Punctum.

Quis

Quis autem pœnas & tormenta ab hisce capitalissimis ecclesiæ inimicis contra fideles excogitata explicabit? urbē duntaxat ingrediamur Romanā, nec n. possibile est, aliquousque in eâ vertere oculos, quin plurima imania crudelissimę hujus carnificinę, occurrāt exēpla. Ibi namq; honoratissimos conspiciemus Athletas ex omni ætate, ex omni sexu, ex omni deniq; cōditione, à ferocissimis tyrānis variis modis pessimè tractatos; gladiis nimirum & securib. occisos, cōdemnatos ad exilia, fame consumptos, vivos sepultos in carceribus, longissimis exanimatos vigiliis, in aquis suffocatos, ardētes in flammis, sagittis confossos, novaculis excarnificatos, ferreis carminatos pectinibꝰ, in equuleis suspensos, excoriatos vivos, plumbatis contusos, laceratos ungulis, in fumo cōtabescentes, à feris discerptos, plumbo liquefacto potatos, oppressos lapidibus, laminis igneis cōtectos, pcipitatos à domuum culminibus, ab indomitis laceratos equis, oleo & melle unctos, ac demum vesparum expositos puncturis, ferarū spoliis vestitos, ut hinc veluti æstro cæcitatis canib. cederent in prædam. Pice oblinitis telis involutos, & vivos combustos, ut spectaculis nocturnis servirēt pro lumine, in lectum vitreis stratum fragmētis expositos, super pavimentū acutis ferris transfixum ambulantes, nudisq; pedib. vivos calcare carbones jussos, transfixos sub ungulis subulis aut perlongis spinis aut acubus, ęneis accensisq; tauris inclusos, & in olei ferventis lebetem expositos &c. profecto

Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centū,
Omnia pœnarū percurrere nomina possim.

Novit hoc tuus ille Tyberis ô Roma, qui Martyrum sanguine millies auctꝰ, mare Thyrrenū cruētis ac roseis aquis suis sæpe tinxit: Norunt id tuæ plateæ & compita, thermæ tuæ, tēpla tua, tua illa amphiteatra, quę inexorabilis crudelitatis & feritatis suæ testes extiterūt. Sciūt idipsum illæ tuę cancellarię, & fora tua, in quib. tot iniquę leges, atque cum ratione pugnantia decreta, contra Christianū nomen emanantia, sunt divulgata. Deniq; idē norunt illę tuæ pstantissimę reliquiæ, antiquę illius Majestatis tuæ, atq; collapsæ magnificentiæ rudera, q̄ non minus sanguine, q̄ calce coagmentātur, nec minus ossibus quàm lapidib. strata, nec minꝰ cadaveribus, q̄ statuis & simulachris exornata sunt. Id q́ movit Epiphanium, ut optimè diceret; Ecclesiā Dei aliud non esse q̄ conventum patiētium, aut cœtum psecutionib. exagitatorum, aut agmen aliq́ Martyrum: *Ecclesia Catholica, ecclesia Martyrū.* Id q́ etiam, uti Augustino videtur in speculo, ex Genesis capite nono, tanto prius tempore in scripturis pdictum erat, ut manifestè constaret, singulari cœli promissione, non autem aliquo fortunæ casu, totam mundi rabiem, adversus ecclesiam ejusdemq; filios conjurasse: *Hoc etiam prænunciatum quod Pagani prius oppugnaturi essent ecclesiam, nomenque Christianum quantum valerent persecuturi, ut si fieri posset omninò de terra deleretur.*

L. 1. cōtra Hæreses.

Aug. spec. ex Genes. c. 9.

3. Verum enimverò cōtra quos moti sunt adeò pcellosæ tempestatis impetus? p quib. reis tam nova & exquisita accelerata sunt supplicia? Quos q̄rebant aulæ istæ adeò sollicitæ & zelotypæ? adversus q̄ crimina formatæ & pmulgatæ sunt leges tam rigorosæ? cō-

tra quos edebantur illa severa Imperatorum edicta, Magistratuum inhumanę leges, ferę executiones carnificum, nobilium intolerabiles contemptus, probrosi insultus plebis, sacerdotum ardentes zeli, universalis totius mundi conjuratio? Cōtra agnos immaculatos, qui in ꝓpria conscientia confisi, inermes ad macellū currebāt & nudi: adversus pudicissimas virgunculas, q̄ ne perderent castitatem, vitam pdere minimè curabant: contra venerandos Pōtifices, qui ꝓ amati gregis custodia, & tutela, luporum rapacium rabiei dabantur in p̄dam: cōtra honoratissimos equites Equestris ordinis viros, q. ab hoc infami mundo conviciis & cōtumeliis affecti, ultro citroq; ꝓdibāt, ne videlicet, honore nominis & ꝓfessionis Christianæ exuerentur: contra generosos milites, qui facillimè se defendere valentes, in aciem tamen gladii ultro se impelli sinebāt ut juratam Deo religionem conservarent: contra graves & honestas matronas, q̄ tametsi alias delicatæ & imbelles, ꝓ Dei tamen honore tuendo bellicosæ fiebāt, suiq; sexus & naturæ egregiæ triumphatrices; contra teneros & vix in huj⁹ mundi lucē editos infantes, q tametsi aliud innocentiæ suę testimonium nō habuissent, sola tamen eorundem ætas ipsos insontes ac inculpatos declarare debuisset.

4. At verò quid facies ô cæca crudelitas? si hi Dei servi sunt rei, ubi sunt culpæ reatus ipsorum? si verò sunt insontes, cur illos veluti sontes plectis? si culpabiles sunt, qua ratione tā sunt Deo chari? si a. innocentes, cur tanto illos mundus prosequitur odio? si culpabiles sunt, unde ergo tanta illis cōfidentia & securitas? si a. innocentes, cur non est corā oculis tuis conspicua ipsorum innocentia? si culpæ obnoxii sunt, cur à tuis moveri nequeunt promissis? si v. omnis culpæ expertes sunt, ut quid illorum frustra tētare niteris constantiā? Verum nolite mirari inq̄t S. Ambrosius: Hæc n. est Ecclesia illa, q̄ designata fuit per terram Bethel, q̄ domum Dei significat, mariq; orientali vicina erat, ut ab undis marinis continuo ac incessanter collideretur. L. 2. de Abr. c. 2. *Etenim anima q̄ meretur templum Dei appellari, vel Ecclesia, tunditur fluctibus, sed nō subruitur, cæditur, sed nō labefactatur.* Ordinarium hoc est, virtutem pſecutionib. quassari, & odio haberi justitiam, sive id fiat quia De⁹ ita vult ob lucrum majoris meriti; sive quia impii ægrè sufferunt, virtutem vitiorum suorum turpitudinem magis reddere conspicuam; sive deniq; ob odium à Dæmonib. adversus sanctitatem & justitiam conceptum, quia p illam se ab antiqua mundi possessione exturbari vident: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis* dicit Psalmista. Ps. 90. Quod Bernardus de Dæmonib. intelligit, è quibus mille, sinistræ Dei insidiantur, ad q̄ reprobati hœdi consistunt, dexteræ v. decem millia, ad quā justi constituti sunt: *q̄ videlicet abundantiore, & veluti, copiosiore manu, dextris insistere partibus, dexterū latus appetere, consuevissent. Quod quidem, si magnum illud Ecclesiæ corpus considerare libet, facilè satis advertimus lōgè acrius impugnari spirituales viros ipsius Ecclesiæ, quàm carnales.* Ser. 7. in qui hab. tat. Sic apud Ezechielem urbem Jerosolymam in latere quodam descriptā invenietis, sed pariter descriptum reperietis, inimicorum validum exercitum, urbem illā forti obsidione pre-

prementē; quando n. homines à Christo Magistro suo edocti, supernæ Jerusalem mores & ritus induunt, mox cōtra eosdē tota sese mundi erigit potestas, omnesq; inferni furiæ; id ꝙ in eundem locum notavit S. Gregori⁹ Papa ubi dicit: *In qua n. jā pacis visio describitur, necesse est ut tentationum bella nuntientur.* Etenim quid sancti aliud faciebant, quā ꝙ se ad mundi, sęculariumq; cōsuetudinum destructionē seu abolitionem armarent? Quid ergo mirū est, ꝙ mundus adversus tam capitales inimicos armetur? *cur ergo eum non singulariter hostis impetat, à quo se impeti singulariter spectat?* inquit idem Gregor. li. 6. Epist. 53. Nolite ergo mirari quod nocentissimus mundus, tantam innocentissimorum hominum stragem fecerit, nam *alium ceciderunt, alium occiderunt, & alium lapidaverunt.*

Ho. 16. in Eze.

L. 6. Ep. 53.

5. Occurrit hic mihi, nec tamen sine magno dolore & compassione erga miserabilem ætatem nostram, primus Ecclesiæ status, atque nascentis Christianismi verè aurea ætas, quando sanguinis Christi adhuc recens effusi vicinæque passionis Redemptoris nostri tam mirabiles videbantur effectus. Recordor rarorum atque insignium exemplorum, nec non memorabilium generosorumq; facinorum, q̄ in illis dieb. tam amplum spectatoribus obstupescendi, scriptorib. laudandi, posteris imitandi post se reliquerunt exemplum. In mētem mihi redit unio illa animorum strictissima, quæ in tanta nationum, ætatum graduum, officiorumque varietate, unum cor, unamq; tantum animam singulis inseruit; Illa quoque tam ardens charitas, quæ tam suavi ac dulci fratris nomini locum tot annis dedit; Illa tam rara liberalitas, q̄ singulas singulorum substantias, nulli jam amplius sigillatim proprias, sed omnibus fecit esse communes, atq; meum & tuum sordidum ac frigidum illud verbum, à mundo prorsus ꝓscripsit: devotio illa adeò tenera; qua ad vigilandum in sacris templis integras noctes, ad psallendum continuò, ad perpetuas laudes Deo reddendas, ad quotidie de mensa cœlesti cōmunicandum permovebantur. In memoriam revoco illas adeò liberales eleemosynas, tam humanam omniq; benevolentia conspicuā hospitalitatē, adeò honestā cōversationem, discursus illos adeò graves, amictum modestū, illos tā synceros contractus, matrimonia tā fidelia, tā reformatas familias, p̄laturas tā humiliter administratas, magistratus illos tā incorruptos, adeò pios sacerdotes, observantiā adeò religiosam, adeò inviolatam vitæ disciplinam, atque fœlicissimum, quē inde sibi primitiva adscivit Ecclesia, statū; sed dum hæc omnia recolens refero, lachrymæ meritò ex oculis omniū me auscultantium eliciendæ essent, quando nēpe nos ab illorum fœlicissimorū temporū virtute ac sanctitate adeò remotos cōspicimus, manib. nostris tangim⁹, nos tā turpiter à priscis illis Christianis degeneres factos esse, *filia Babylonis misera*, (ita alloqui possemus Ecclesiā tot modis deterioratam, atq; ab antiqua perfectione elongatam) *misera utiq;*, dicit S. Ambrosius, *quia Babylonis filia est, quæ Dei filia esse desinit*, misera profectò ac deploranda, non n. jam amplius est pia illa Jerusalem, sed confusa Babylonia, non

L. 2. de pœnit. c. 11.

jam factos Christi mores exprimit, sed degeneres Antichristi noviter introductas invẽtiones exhibet, in palpabilib. dissolutæ ac licentiosæ vitæ tenebris excæcata, atq; à primorum illorũ venerabilium institutorũ cœlesti vita remotissima existit, contra q̃ proinde mundi hujus barbaries, ideò tam crudeliter sese erigit, ut videlicet, magno nomini atq; altissimæ magistri sui doctrinæ quoq; renuntiet. Neq; tamen adeò profundũ sepulta aut abscondita fuit veritas, ut eãdem vel ipsimet etiã tyranni non viderent, aut ipsos quoq; Christianos sæpè innocẽtes non recognoscerent, ac declararent; uti à Trajano Imperatore factum est, qui publico edicto decrevit, ne in fideles ulterior fieret deinceps inquisitio, sed in eos tantum, qui citra inquisitionem denuntiarentur, suppliciis animadverteretur, id quod in Tertulliano haud immeritò risum, justo tamẽ zelo permixtum, excitavit, ubi dicit: *ô sententiam necessitate confusam, negat inquirendos ut innocentes, mandat puniri ut nocentes: parcit & sævit, dissimulat & animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? si damnas cur non & inquiris? cur non & absolvis si non inquiris?*

In Apolog.

Secũdum Punctum.

6. Transeo ad alterum punctum, ostensurus filios Ecclesiæ victos simul fuisse & victores. Superati profectò erant, quia falsorum testium depositionib⁹, malevolorum accusationibus, querelis sacerdotum, magistratuum decretis, sententiis Tyrannorũ omninò oppressi jacebant. Superati, quia à majori hominum parte, absq; ulla sui resistentia persecutionib. infestabantur. Superati erant, quia modo recensitis suppliciis pessimè excruciati, cedebant, cadebantq;. Et profectò, quomodo hi fideles absq; armorũ virib⁹, absq; auxiliis sociorum seu societatũ, absq; pecuniarum p̃sidio, principum destituti favore, omni quoq; magnatum fulcro carentes, deniq; absq; ullo multitudinis numero promittere sibi potuissent vincere hujus mũdi victores, aut Reipublicæ Romanæ in suam perniciẽ armatæ infernales superare furias? Quẽdam videlicet Neronem, aut Domitianũ aliquem, aut Diocletianum aut Trajanũ, vel Antonium, vel Severum, aut tot alios ejusmodi? & tamen his nequicquam obstantib. affirmo audacter, ejusmodi ad mortẽ usq; afflictos, & infestatos fideles, adversus suos persecutores, victores extitisse & triumphatores, quippe qui superarãt ipsam Tyrannorum prætensionem, q̃ ad hoc connitebatur, ut illos nimirum ad fidem abnegãdam quovis tandem modo perducerent, ipsi verò in ejus cõfessione veluti columnæ firmissimę solidi semper perstiterũt. Cum igitur verissimum sit id, q᷑ Arnobius docet: *vicit, qui quod contendit, obtinuit*, superest Ecclesiam q̃ fidẽ generosè defendit, vicisse, non verò Tyrannum, qui illam vanè impugnavit; vicisse martyrem, q inter tormentorum cruciatus semper stetit immobilis; nõ verò carnificem, qui illum torquendo est defatigatus; vicisse fidelem Christi nomen semper in ore ferentem, non verò gentilem, q omnium virium suarum fortitudine, nomen Christi nisus est sepelire: *vicit, qui quod contendit, obtinuit*, adeò ut caderet quidem quoad corpora, in cordib. verò constantes & imperturbati

L. 8. con tragen.

subsi-

subsisterent; vitam quidem perdebāt carnis, sed fidei vitam non item; confracta quidem & dilaniata erant illorum membra, virtutē verò intactam conservabant & inviolatam, terrenæ ipsorū facultates confiscabantur, gratiæ verò meritorumq; divitiæ accrescebant, pscribebantur ex solo patrio, econtra verò honorificè recipiebātur in paradiso: ab hominibus hic in terra injuriati, à Deo autem in cœlestibus benedicti: *proprium est ecclesiæ* (verba
L. 6. de Trin. sunt Hilarii) *ut tunc vivat cū caditur, tunc intelligat cum arguitur; tunc obtineat cum deseritur.* Unde ex mente S. Gregorii
L. 9. Moral. lib. 9. Moralium ecclesia pulcherrimæ illi constellationi assimilatur, q̄ ab Astrologis Arcturus nominatur atque à
Job 9. v. 9. Jobo in potētiæ Dei adfertur testimonium. *Qui facit Arcturum.* Hæc enim cōstellatio tametsi semper in cœlo versetur, nunquam tamen occidit: *Arcturus semper versatur & nūquam mergitur: quia & sancta ecclesia persecutiones iniquorū sine cessatione tolerat; sed etiam usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus n. dum versatur erigitur, quia tunc sancta ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardetius pro veritate fatigatur.* Atq; hæc est illa nobilissima victoria, de qua sanct⁹
In Epist. 32. Paulinus in Epistola 32. loquebatur dicens: *vincamur corpore, ut vincamus salute; memineris nos esse ejus membra, qui vicit cum judicatus est, qui cadendo superavit, & cadendo in mortem, resurrexit in gloriā,* oportet ut nos vinci sinamus, adhoc ut vincere possimus, & victi simus corpore, ut vincamus salute, veluti Christi capitis nostri digna membra, qui victus vicit, & cum perdidisse videretur victoriam, triumphans comparuit victor gloriosus.

7. An non auditis, dilectissimi, Ecclesiam in semetipsa lætabundam, in hæc regis sancti verba prorumpētem; Ps. 128. v. 1.
Sæpè expugnaverūt me à juvētute mea; etenim non potuerunt mihi? Notate duo hęc contraria *expugnaverunt & non potuerūt.* Expugnaverunt, & nihil fecerunt: facilè etenim illis fuit linguas Martyribus evellere, veruntamen ad blasphemandum illas expedire, nequaquam potuerūt. Potuerunt ipsi ipsis suas detrūcare man⁹, efficere tamen ut easdē ad porrigendum Idolo incensum extenderēt, minimè potuerunt; cor ipsis è pectore evellere, nec tamen Christū è pectore potuerūt eruncare. Ecce tibi
in promptu S. Augustini in hunc locū Aug. ibi.
egregiam expositionem: *expugnaverunt & non potuerunt, dicat Israël, & consoletur se ecclesia de præteritis: expugnaverunt & nō potuerunt. Quid est non potuerunt? Non illis consensi ad malum. Quid mihi facere potuerunt, qui expugnaverunt? exferuerunt manum, oppresserunt, valuerūt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fænum,* virtutem meam atque constantiam magis fecerunt inclarescere, adeò ut totus mundus admiratione plenus, ad contemplandam fidei meæ claritatem, & confessionis meæ gloriam sese cōverteret. *Expugnaverunt & non potuerunt.* Nascens ecclesia, inquit magnus ille
Basilius, fuit veluti arca à Noë ex Dei Epist. 123.
præcepto ædificata, quæ à diluvio quasi devoranda videretur, ab eodem diluvio tanto altius in altum evehebatur: *ejus concussio, ipsius erectio est.* Nam ita quoq; Ecclesia inter tormētorum inundationes omnibus truculentissimis insultibus prævaluit, atque de cunctis fluctuum procellis & tempe-

 stati-

statibus nobilissimam retulit victoriam; *Ejus concussio, ipsius erectio est, expugnaverunt & non potuerunt.*

8. Digna profectò Salomone admiratio erat, quando eidem via navis, in medio mari inscrutabilis videbatur cum dicit: *Tria sunt inscrutabilia mihi & quartum non intelligo, viam navis in mari.* Hęc a. secundum opinionem Ambrosii Ecclesiam significat in persecutionum medio, quæ tanti stuporis est, ut humani intellectus capacitatē omninò superare videatur: *viā navis in mari, q. in tempore miro modo persecutionis comprehendi omnino nō potest, quemadmodum vivida per interitū & dives per damna reddatur.* Maximum profectò mundi est miraculum, videre quomodo Ecclesia per mortem vivida reddatur, dives p dispendia, perq; ruinas gloriosa: *vivida per interitum & dives per damna.* Ideoq; à Scriptura divina rationabiliter, uti idem advertit Ambrosius lunę cōparatur: *pulchra ut Luna*, de qua Sapiens scribit: *à Lunà signum diei festi, luminare crescens mirabiliter in consummatione.* Quæ verba Glossa ordinaria velut de Ecclesia dicta intelligit, *quæ in persecutione videtur minui, sed in parte clarescit; crescit enim mirabiliter in consummatione.* Et S. Ambrosius dicit: *Videtur sicut Luna deficere, & non deficit, obumbrari enim potest, deficere non potest. Quia aliquorum quidem persecutionibus minuitur, ut Martyrum confessionibus impleatur, & effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis, majus devotionis suæ & fidei toto orbe lumen diffundat. Expugnaverunt & non potuerunt.* Multum fecerunt, & nihil fecerunt, nunquam enim obtinere poterant, quod volebant, semper victi fuerunt, ut tamen interea gloriosi apparerent victores.

Prover. 30. v. 18. & 19.

L. de Salom. c. 3.

Eccl. 43. v. 7.

L. 4. Hexam. c. 4.

9. Etenim si fortè adeò simplex es, ut occultas hasce Ecclesiæ victorias non videas, lætare nihilominus; Deus n. ad majorem Ecclesiæ suæ magnificentiam & exultationem voluit victorias illas quoq; visibiles esse & manifestas, dum cunctos p[er]secutores nostros ad miserabiles & infœlicissimos pduxit fines: *ubi sunt* (loquar cum Gregorio) *superbi illi Martyrum persecutores? ubi illi qui contra conditorem suum, cervicem cordis erexerant, & de hujus mundi gloria mortifera tumebant; ecce jam mors Martyrū floret in fide vivētium, & illi qui contra eosdem crudelitate sua gloriati sunt, nequaquam ad memoriam nostram veniūt, nec in numero mortuorum.* Ubi sunt iniqui illi Principes, tanti Christi nominisque Christiani inimici? ubi Hebræus superbus, qui omne tentavit consilium, ut novellum illud nascentis Ecclesię germē omninò deleret atq; opprimeret? ubi Hæreticus & mundi hujus politicus, adeò humilitati Evāgelii, & Christianæ legis modestiæ adversantes & contrarii? *Congregamini populi, & vincimini; confortamini & vincimini; accingite vos & vincimini, inite consilium, & dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet,* quasi diceret, congregamini quantumcunque & quotiescunq; libuerit, ô populi, nā certissimè vincemini, solemnissimos instituite apparatus, neq; tamen juvabant: confortamini quantum id facere nostis, & tamen nostri eritis triumphi. Nullum consilium vestrum, nulla deliberatio, nulla inquisitio bonum habere poterit exitum, quia Deū habemus defensorem nostrum: *quia nobiscum*

Hom. In Evā.

Isa. 8.

nobiscum Dominus: At verò Basilius ex le-
In cap. 8. Is. ctione septuaginta dicit multo brevi⁹: *Audite populi universæ terræ; si iterum prævalueritis, iterũ vincemini.* Quod hic Basilius dicit, nos dicere possumus in tempore persecutionis, nimirum: quotiescũq; nos aggressi fueritis, toties manuum nostrarum præda fietis, atq; secundum persecutionum vestrarum mẽsuram, nostræ quoq; multiplicabuntur victoriæ: *gentiles n. subinde, dum Christi Ecclesiã oppugnant, pessum iere.* Et sicut ex plurib. in ignem conjectis lignis, ignis pariter flamma in immensum excrescit, ita quoq; lux virtutis nostræ, palmarumque nostrarum gloria ex vestris augebitur ac multiplicabitur luctis: *quẽadmodum n. accessione incensæ, ac flagrantis materiæ flãma in majus effunditur, sic semper cõtingit, ut qui toto nisu studuere demoliri Ecclesiam, violenta impressione tentationum, eam ad augustiorẽ, ampliorem gloriã, ac potestatem extulerint.* Atq; omnes hæ Ecclesiæ victoriæ, benedicti sponsi sui protectioni ac tutelæ attribui debent: *quia nobiscũ Dominus.* Nam ideo S. Am-
L. 6. Hexa. c. 8. brosius eandem Ecclesiam introducit apud Isaiam sic loquentem: *Ego civitas munita, ego civitas obsessa, munita per Christum, obsessa per Diabolum; sed non debet obsidionem vereri, cui Christus adiutor est.* Ego sum, inquit Ecclesia civitas fortificata, & persecutionib. infestata, fortificata per Christum, per Sathanam infestata, per veritatem munita, infestata per vanitatem, fortificata p fidem, infestata per superstitionem; secura nihilominus mihi est victoria, dum Deum exercituum ac victoriarum, à partib. meis habeo, qui tandem postq. in eo, q egregii milites sui, de generositate atq; fidelitate sua, dederunt, specimina; satis sibi complacuit: per nova supplicia atque immissas extraordinarias ærumnas, rationabilem injuriarum sibi & Ecclesiæ suæ factarum, sumit vindictam.

10. O quam indubitatum id est, q S. Cyprianus scriptum post se reliquit scilicet. *Nunquam impiorum crudelitas in nomen Christianorum exarsit, ut non statim divinitus vindicta comitetur!* In Phrygiã si placet abite, ibi namq; urbem Hierapolim ob mortem cuidam Christi discipulo, sancto Philippo scilicet Apostolo illatam, repentino quodam ac furibundo terræ motu funditus eversam invenietis. Concedatis in Græciam, ibidemq; ædi[fi]ciorum urbis Constantinopolitanę majorem partem, ob iniquissimum exilium, quo suummet Pastorem Joannem Chrysostomum proscribere ausi fuerunt, subitò in terram reperietis corruisse: eandem quoque Constantinopolim, aliâ quâdam vice, horribili lapidum grandine à cœlo miraculosè lapsa, sepultam quasi invenietis, tunc scilicet, quando ex eâdem urbe pulsis Catholicis, Hæretici Ariani ibidem introducti fuerũt. Aut in Germaniam iter facite, eandemque ab Attila Dei flagello deprehendetis desolatam, idq; præcipuè, quando antiquæ religioni terga vertêre, atque novorum errorum virus pestiferum statuerunt admittere: vel migrate in Hispanias, easdemque ab incendiis, à prædis, & ab intestinis perturbationibus in ruinam actas deplorabitis, idq; qa pfido Priscilliano inibi locum cesserant. Aut in Orientem vos recipite, illumq; cõspicietis inundatum barbaris, atq; honore impii quem tot añorũ cẽturiis possederat, cernetis tũc pcisè exutum

exutum, quando omni pietate relicta, hæreseos se morbo infici permiserũt. percurrite Franciam, quam si quodam ærumnarum mari absorptam adverteritis, id ipsi infortunium vel ideò evenire scitote, quòd duarum pernitiosissimarum mundi pestium, Pelagii scilicet & Vigilantii facta sit receptaculũ. Deniq; tui, ô Roma, Impatores, quos habuêre fines, aut vitæ exitus? an non omnes, vel quasi omnes morte extincti sunt violenta? legite, si placet, Antiquitatum Annales, hi namq; illos vobis exhibebunt, aut veluti suimetipsius barbaros carnifices, aut fame consumptos, aut enectos laqueo, aut fastidiosa morborum tabe evanidos, aut ad miserabilem condemnatos servitutem, aut intoxicatos à domesticis, aut ab amicis traditos, aut inimicis in prædam factos, aut à proprij exercitus militibus in mille frusta cõscissos, aut Cœli fulmine pcussos, aut in fœtidis stagnis aut lacunis suffocatos, aut deniq; in immundis cloacis sepultos; quæ omnia si rite consideretis, utique verba illa sancti Cypriani meritò repetere placebit: *nunquam impiorum crudelitas in nomen Christianum exarsit, ut non statim divinitus vindicta comitetur.*

11. A Gentilibus nunc ad Hæreticos mecũ transite, & haud differẽtem horum reperietis fortunã. In Italia octo Ostrogothorũ Reges, Arriani omnes regnarunt, qui omnes morte quoque violenta fuêre extincti. Tredecim Visigothorũ Reges absq; ullo religionis respectu, novis faverũt hæresibus, atq; uno duntaxat excepto, omnes cæteri vitam infœlicissimè clauserunt. Sex Lõgobardorum reges Arrii partes secuti sunt, soloq; excepto Rotario, cultro omnes trucidati sũt: His, si placet, adjũgatur infœlix majoris partis Hæreticorũ finis, qui mille brutissimorũ errorum fœdis spurcitiebus ecclesiam Dei conta ninare sunt ausi. Arrius, viscera sua per ventris secessum, vivens amisit; Blasphema Nestorii lingua, à vermib. devorata fuit; Apollinaris totus rabidus mortuus est; à canib. dilaceratus est Lucianus; Pelagius desperatus moriebatur: Montanus & Priscilla vitam suam clauserunt suspendio. Manes, à quo Manichæi derivati sunt, vivus excoriatus est à Rege Persiæ: Ebiõ, sub balnei cujusdam ruinâ sepultus remansit. Photius, Græcani schismatis author, ad perpetuos damnatus carceres, fame aliisq; incõmodis gravissimis est mortuus. Lutherus, postquam vesperi largè cœnasset, manè suffocatus invẽtus est. Oecolampadius strangulatus est à Diabolo; Eundem quoq; finem Carolstadius habuit. De Hebræis nõ occurrit quid dicam, cum illos patriâ suâ videamus extorres, ab omnib. gentib. abominatos, & veluti totius terræ fæces æstimatos; sine Principe, absq; Magistratibus, sine Sacerdotibus, sine Religione, sine tẽplo, sine sacrificiis, sine scriptura, sine lege, imò sine Deo. Nũquid dixi vobis, ecclesiam fortunatam illam fuisse navim, *quæ etsi undarum fluctib. vexatur, nunquam tamen potest sustinere naufragium, quia scilicet vivida p interitũ, & dives per damna reddatur?* 3. Regum 9. legitur Salomonẽ civitatem quãdam ædificasse in solitudine, quam civitatẽ palmarũ vocavit, quia, ut dicit Glossa, situs ille, palmarum arborib. refertissimus erat. Verùm jure meritissimo ecclesia 3. Reg. v. 18.

clesia Dei, palmarũ civitas dici potest, utpote q̃ tantarum victoriarum tamque nobilium triumphorum est opulentissima; de qua, proinde David di-
Ps 45. v. 6. cit ipsam nullo accidente cõtrario sibi obvio movendam fore, quia Deus in medio erat illius: *Deus in medio eius, non*
In Ps. 45. *commovebitur*, & veluti S. Basilius dicebat, *quoniam Deus in medio suæ civitatis est, eam stabilitate donavit.*

12. Nunquid jam advertitis, dilectissimi, quàm id verum sit, ꝙ Ecclesia in sacris Canticis dicebat, ꝙ aliquamdiu benedictum sponsum suum inter armorum furias, castrorũ acies, p̃das inimicorum ac vulnera, custodes illos, qui civitatem circumeunt, sollicitè q̃sierit, per quos custodes, sæculi hujus intelliguntur Principes? Canticorum 5. *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem, tulerunt pallium meum, & vulnerave rũt me.* Postea verò q̃ transivisset pericula, dilectum invenit, eundemq; in domum suam introduxit atq; in pace possedit: *paululum cum pertransissem eos, inveni quẽ diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domũ*
Ser. 13. in Cant. *meam.* Videte inquit Gilibertus Abbas qualiter Christ⁹ ex campo in domum declinarit, ex mari in portum, ex periculis in æternitatem? an non post tot martyriorũ ꝓcellas, post tot oppressionum angustias, post tot jacturarum dispendia videtur evidẽter Ecclesiam suo frui dilecto, cum summa pace & securitate, veluti in domo propria? *iam introducta est de campo in domum, de pelago in portum, & post tot desudata martyrum ꝓ Christi fide, certamina, postquam tot fregit persecutorum violentias, & hæreticorum refellit versutias; postquam non est amplius Christi in cruce scandalum, sed gaudium, & facti sumus mundo huic, non theatrum contumeliæ; sed triumphus gloriæ, post tot enavigata pericula; nonne tibi videtur quasi de campo quodam pugnæ & laboris in pacis & quietis introduxisse cubiculum dilectum suum Ecclesia Christi?*

13. Ad tertium Ecclesiæ prodigium tractandũ transeo, estq; hoc videlicet, ꝙ quanto filii ejus destructi fuerunt, tanto magis fuerint multiplicati; *aliũ ceciderunt, alium occiderunt, aliũ lapidaverunt*, ac proinde judicio S. Ambrosii verificantur regii Prophetæ verba scilicet *Domini est terra & plenitudo eius: orbis terrarum & universi qui habitant in eo.* Atq; quis unquam dubitabit, quin totus hic mundus Domini sit, aut quin ipse omnium gentiũ absolutus sit moderator & patronus? Verùm dicere voluit Psalmista, ꝙ mundus, qui titulo creationis totus Deo subditus est, Domini ex novo quodam respectu receptæ fidei, ac sub legem novam ultrò susceptæ voluntariæ subjectionis, nec nõ venerabilis nominis Christi à nobis recogniti, eidem Domino de novo subject⁹ sit. At verò qua ratione nova isthæc subjectio facta est, aut quomodo Deus in hunc mundum novũ sibi acquisivit dominiũ? *quia ipse super maria fundavit eũ, & super flumina præparavit eũ.* Per maria & flumina, inquit S. Ambrosius, persecutiones significantur, quibus mediantibus, Ecclesia ad hanc redacta est amplitudinem. *In tribulationib. fundatur Ecclesia, in tempestatib. & ꝓcellis in sollicitudinibus & in mœrore, in reb. adversis & in fluminibus ꝑparatur.* Id ꝙ rationabiliter Chrysostomũ exclamare fecit, *O miraculum? servi vincti, Dominus cruci-*

Tertium Punctum.
Ps. 23. v. 1.
In Ps. 48.
Ho. 6. ad pop. Antioch.

crucifixus,& prædicatio quotidie crescit, & per q̄ putabatur opera prohiberi, per hæc accensa est! Verba illa Ecclesiastici 3. *tempus nascendi, tempus moriendi,* S. Hieronym. de Ecclesia exposuit: Eo namq; tempore, quo Ecclesia gētilismum parturiebat, Synagoga filios suos perdidit: *quod ex eo tempore, quo ex sterili natus est gētilis populus, filios amiserit synagoga.* Nos a. ad propositum ita explicemus eadem: *Tēpus pariendi, tempus moriēdi*: tempus moriēdi Ecclesiæ revera tempus pariēdi extitit, mors n. unius, aliorum centenorum fidelium est partus. Idq; est quod alibi dixit, scilicet *quod patiēdo magis quàm faciendo contumeliā, Christi fundata est Ecclesia. Persecutionib. crevit, martyriis coronata est.* Ad instar vinearum, inquit S. Justinus, q̄ dum putatur, ipsa fæcundior & uberior redditur: ut n. vineæ, putatione ad ubertatem ꝓvocantur, ita Ecclesia persecutionib. crescit. Sicut semen, inquit sanctus Leo, quod moriendo multiplicatur; uti ipse quoque Salvator testatur *si mortuū fuerit, multū fructum affert: non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dū grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Id quod à Tertulliano magistro suo didicerat, qui ante hunc discipulum suum hæc verba habet. *Plures efficimur, quoties à vobis metimur, sanguis martyrum, semen est Christianorū.* Aut veluti ligna sylvarum dicit Theodoretus, quæ præcisa & truncata, suas multiplicant propagines: *sicut lignatoribus sylvam cadentibus, multò plures pullulant propagines, quàm sint rami, qui inciduntur; ita nunc quoque piis quampluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant.* Tanquam arbores, dicit Chrysostomus, quæ ab aquis humectatæ valdè quoad ramos & frondes luxuriantur, atque mirabiliter crescunt. *Sicut plantæ irrigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret*; *cruor ille cæsorum corporum*, dicit Theodoretus *irrigatio quædam erat in Ecclesia emergentibus plantis*; Invicta unius morientis fortitudo, exemplo suo mille lucrabatur alios. *Qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo*, inquit Leo. Unde os illud Chrysostomi aureum meritò istud ingens vocabat miraculum. *O miraculum! servi vincti, Dominus crucifixus, & prædicatio quotidie crescit.*

Eccles. 3. v. 2.
Hier. in Mich. 5.
Epist. 62. ad Theoph.
Dialo. cū Tryphone.
Ser. 1. de SS. Petro & Paulo.
In Apol.
L. 9. de Legibus.
Ser. in venti. Maxim.
Loco citato.
Loco citato.

14. Et profectò, si oculos nostros in tria illa prima nascentis Christianismi sæcula convertamus, videbimus evidenter, hoc esse ex iis, quæ Christus operatus est miraculis, maximū. Quot illis temporibus, quibus omnes ferè gentes, Ecclesiæ inimicabantur, occisi fuerūt? Quantus in omnib. terræ partibus sparsus fuit humanus sanguis? Quæ Christianorum laniena non est visa Alexandriæ, Nicomediæ, Romæ? Adrianus unico duntaxat die, occidit Romæ decem millia; Nicomediæ Diocletianus in nocte nati Salvatoris carnificinam viginti milliū instituit. Novendecim millia intra paucula horas in minutas secatæ sunt partes in Franciā, quādo Sequana fluvius totus sanguine & cruore occisorum martyrū, tinctus est rubedine. Quid de Negra Ægypti civitate dicam, in qua major pars propter fidem martyrizata est? Quid de Edessa Syriæ loquar, ubi sub Valente imperatore, cuncti fideles, in ingenti

ingenti quodam templo congregati, igne combusti sunt? Quid de Nerone referam, qui omnes quotquot Romæ erant, Christianos, erant autem iidem innumerabiles, trucidavit? Quid de Trajano qui in cunctis mundi partib. tale macellum seu lanienam instituit, ut Plinius secundus Bythiniæ gubernator, sorti illorum cõpatiens, Imperatori scripserit, ꝙ omni quoque die, mille homines insontes morerentur & sine culpa? Quid de Antonino, qui truculentissimam stragem Episcoporum, Sacerdotum, imò & infantium instituit, ut verentes fideles, ne ꝑ tantã tamq; inauditam inhumanitatem res Christiana eò redigeretur, ut Christi nomen sepeliretur aut eradicaretur, se receperint ad conscribendũ varias, in fidei Christianæ defensionem apologias? Annõ Diocletianus etiam Christianos veluti regiæ suæ, seu palatii incensi reos, incẽdiariosq; insimulans, infinitos capite trũcari fecit? nunquid Syriam, Mauritaniam, Thebaidẽ, Ægyptum, Palæsthinam, & Phœniciam martyrib. implevit? an non omnes Ecclesias nostras in terram prostravit? an non omnes quotquot adhuc in vivis superstites remanserant, omnib. quos obibant magistratib. & officiis exuit? nunquid Maximianus sub gravissimis pœnis Christianos civitates incolere vetuit? nunquid ipsis conventus instituere prohibuit? an nõ aliis mille passionis modis eosdem afflixit? Tandem referente Sozomeno, tantum fuit, adversus Christianum nomen, Paganorum odium, ut ipsæ quoq; mulieres, ex ostiis & fenestris bullientẽ in Christianos aquam effunderent, aut gravi eos saxorũ imbre furibundi onerarẽt.

15. Verum enimvero, ecce mox renovata quæ quondam Deus in Ægypto patravit mirabilia, ubi quo plus filii Israël opprimebantur, tantò magis crescebant. Exodi 1. *Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* Unde S. Chrysostomus Homilia 7. de laudibus Pauli, notat, Gentiles animis suis cecidisse, videntesq; nullum è consiliis suis ad impediendã Evangelii ꝓpagationem satis efficax, perterritos atq; perplexos dixisse. *Quid faciemus hominibus istis? per quæ enim eos opprimere volumus, per ea ipsa provehimus,* inquit Chrysostomus. De persecutione Antiochi *ad literam* verba illa Danielis intelliguntur, mysticè autem de persecutione qua mundus insectatur Ecclesiam: *Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium, & prosternetur veritas in terra, & faciet & prosperabitur.* Doctissimus Maldonatus hic advertit, ꝙ cum ultima illa verba, *prosperabitur* in litera Hebræâ, generis sint fœminini, nõ de Antiocho, sed de veritate intelligi possint. *Prosternetur veritas in terra & ꝓsperabitur.* Ita quoq; tunc veritas Evangelii, nec non fides Ecclesiæ majorem prosperitatem, fœlicioresq; successus experietur, quando magis se oppugnatam cernebat, majoresq; senserat angustias. *Veritas ꝓsternetur & prosperabitur.* Aut uti benè sanctus Prosper lib o 2. de vocatione gentium dixit: *Fremebant gentes, irascebantur populi, sæviebant reges & potestates, contradicebant superstitiones, & totius mundi reluctabantur errores; sed de resistentibus, furentibus, persequentib. populum suum Christus augebat, & per vincula, ac supplicia, mortesq; sanctorũ roborabatur fides, vincebat charitas, perq; universum mundum Dominici agri multi-*

Exo. 1. v. 12.

Act. 4. v. 16.

Hom. 7. de laudib. Pauli.

Dan. 8. v. 12.

L. 2. de vocatione gentium.

plicabatur ubertas. An non auditis huj⁹ Ecclesiæ sponsum, psecutionum ventos provocantem, & dicentem *surge Aquilo, & veni Auster, persla hortum meũ, & fluent aromata illius?* Fœliciter ergo & grati adveniant furiosi venti, & tempestates horrendæ; totamque contra pulcherrimæ Ecclesiæ meæ hortum fortitudinem experiantur. Fiet enim, ut cum æstimarint se ipsum totaliter destruxisse, & devastasse, tunc magis florid⁹ existat, suam passim per omnia Paradisi loca spargens fragrantiã. *Sciẽs Dominus*, inquit Cassiodorus, *qui est Spõsus & Redemptor Ecclesiæ, ipsam Ecclesiã persecutionib. multiplicandam, ipsam quodammodo iubet venire persecutionem.* At v. Gilibertus Abbas dicit, sponsum ideò advocare Aquilonem, ut hic sit occasio, ut veniat Auster; Aquilo enim, qui est ventus furiosus & frigidus, adversitatem: Auster vero qui est ventus gratus & tepidus prosperitatem significat: *ergo surgat Aquilo, sæviat quantum libet, dummodo occasionẽ & vim quasi pbeat flatibus Austri, fortè ubi abũdaverit Aquilo, superabũdabit & Auster.* Philosophus sectione 26. pblematum dicit, Austrum solitum esse adferre Aquilonem, nõ v. econtra Aquilonem consuevisse adportare Austrum: At v. in Ecclesia Dei, ingens illud pdigium continuò fit, ut videlicet Aquilo contrarietatis, fœlicitatis Austrum adferat. *Vbi abundaverit Aquilo, superabũdabit & Auster. Veritas prosternetur & psperabitur.* Idq; est quod Sanctus Pater Augustinus cõfirmat dicens: primos Christi fideles, pro salute temporali defendendâ minimè pugnasse, imò nec repugnasse, ad hoc ut salutem consequi possent æternam: Hancq; cogitationẽ effecisse, ut Ecclesia brevissimo tempore in immensum excresceret: *Civitas Christi adversus impios persecutores suos pro temporali salute non pugnavit, sed potius ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur & multiplicabantur.*

Cant. 4. v. 16. — In Psalmos. — Serm. 38. in Cant. — Sectione 6. problẽ. — L. 21. de civitate Dei.

16. Atq; hæc erat illa exultatio, quã sanctus Hieronymus sentiebat dum Christianismi progressus, iucunda cũ admiratione considerans sic diceret: Nunc in ipsius quoq; Romæ medio gentilitas solitudinẽ patitur, in illa inquam urbe, quæ olim mater omnium errorum, cunctarumq; receptaculum erat supstitionum. Illi quondam Paganismi dij, nunc cum noctuis & cuculis sub tecti fastigio reconditi manent. In militũ vexillis, insignia crucis depicta cernũtur; atq; ipsæ Regum purpuræ, nec non gemmis pretiossimis distincta regum diademata, ipsius Redemptoris decorantur & honorantur patibulo. Jam Serapides Ægyptius, Christianus effectus est, atq; in urbe Gazæ reclusus Jupiter, deplangitur, quod de die in diem tam diu differat templi sui ruinam. Ab Indiâ, Perside, Æthiopiâ turmas quotidie recipimus monachorum. Pharetram suam Armenus deposuit, eandemq; cum suavi Christi jugo permutauit. Hunni Psalterium canere norunt. Frigora Scythiæ fidei nunc fervent calore. Flavi splendidiq; Gothorum exercitus tentoria Ecclesiæ circumferunt. Ita sanctus Hieronymus loquitur: At verò magnam pfecto nos quoq; occasioné habemus, cum sancti hujus Doctoris gratâ exultatione, nostros quoq; iubilos coniungendi, dicendo: Jam sponsa

Ep. 6. ad Lætam.

sponsa Dei, maris nostri confinibus est egressa, ad usq; ingẽtes Oceani penetravit voragines atq; Calpen & Abylam extremos Hispaniæ & Mauritaniæ montes præternavigans, velut solis æmula totam intrepida pervadit mũdi amplitudinem. Iam Caryges Indiæ populi, post assumptam Evangelij humilitatem, naturaliter sibi inditum deposuêre superbiæ fastum. Iam barbaræ illæ Occidentis gentes, quæ ad instar ferarum, dispersæ per silvas erant, vinculo Religionis unitæ, ad civilitatem morum atque amicabilem redactæ sunt mutuam communionẽ. Peruani, qui semper in acie stabant, nunc Christianæ pacis fruuntur fructibus, & postq̃ à nobis fidei recepe rint thesauros, iam ex aurifodinis suis, aurum nobis sine ulla cunctatione liberaliter ministrant. Brasilia, q̃ homines ad devorandum venari consueverat, in schola Christi edocta, parata est pro fratre suo vitam ꝓdigere, atq; Baptismalis innocentiæ stolam, quâcum animam à peccati nuditate cõtexit, ad tegenda corporis membra, ne incivilitas & indecentia appareat, apprehẽdit. Moluccæ Oceani Orientalis, juxta Indiam Insulæ, quæ præter varia terræ aromata alias nesciebant divitias, nunc, postquam bonus Christi odor ad illorum cõpita pervenit, famosum, divitiarum gratiæ, bonorumq; cœlestium quas amplè possident, per totum mundum, habẽt rumorem. Chinenses, qui peregrinis omnib. portas claudebant, illas nunc Christo apertas patulasq; fecêre, plenoq; ore confitentur Mandarinorum suorum sapientiam, dum cum ꝓfundissimis Evangelii mysteriis cõparatur, meram esse ignorantiam. Vidimus nunc ad pedes Vicarii Christi bellicosi Japonis legatos, qui post sepultos suos Pegodos seu Idola sua, crucem Domini ejus loco erexit, quique inter gelidos & algentes fluvios suos, à charitate Domini calefactus, tot martyrum rubicundas, vernantesq; ꝓduxit rosas, quibus modo Dei sponsa põposè coronata, cernitur. Non jam amplius homines Coccincinæ admirantur elephantes; nec tanq̃ novum quid suspiciunt, ꝙ illa maximę molis animalia, magistris & gubernatorib. suis pareant, id ꝙ modo admiramur, est, ꝙ Magnates superbi & fastuosi legis nostræ ꝑdicationi obedire promittant. Potiori ergo cum ratione modo dicere possumus, ꝙ de suis temporibus dixit Hieronymus: *Nũc paßionem Christi & Resurrectionem, cunctarum gentium & literæ, & voces sonant, & totius mũdi una vox Christus est*: aut cum Davide dicere possumus: *Annuntiavi justitiã tuam in Ecclesia magna. Quid est, ꝙ addit magna?* interrogat Ambrosius *nisi quia fuit ante non magna? quæ est magna, nisi de totius orbis partibus congregata?* & in alio quodam loco, inquit sanctus, de hac Ecclesiâ magnâ fit mentio videlicet in Psalmo 34. *Confitebor tibi in Ecclesiâ magnâ, in populo gravi laudabo te.* Ibi est Ecclesia magna, ubi est populus gravis, popul⁹ qui fidem Domino suo servat illibatam, nec se à proposito suo leviter dimoveri sinit. *Gravis populus, qui fidẽ Deo suo servet, & qui non aliqua levitate mutetur neq; nutet & fluctuet. Ibi ergo Ecclesia magna, ubi populus gravis.*

Epist. 3. ad Heliod.

Ps. 39. v. 10.

Ib. 76.

Ps. 34. v 18.

17. Quarto. Fuerunt partus seu filii nascentis Ecclesiæ diffamati ac inhonorati, & tamen gloriosi. Inhonorati inquam, quia fundator illius inter la- Quartu Punctu

trones veluti latronum caput & vertex occisus fuit; magistri ejus piscatores fuerunt, lex ejus phrænesis existimata fuit ac Maniæ species: sequaces & discipuli ejus vocabantur ab aliis canes, carnis humanę devoratores, incestuosi, gens reipublicæ inutilis, venefici, infantũ occisores, legis inimici, inimici Dei, inimici bonorum morũ, boni cõmunis, imò ipsiusmet naturæ jurati hostes, & veluti tales, instar pestis, horrori erant, exuebantur iis quæ exercebant officiis, excludebantur è magistratibus, ad artis militaris non admittebentur exercitium, omnes societatem & conversationem illorum detrectabant, illorum tanq̃ gentis infamis non recipiebantur testimonia, ipsis omnis attribuebatur ærumna, quâ uspiam in imperio Romano premebantur. Quòd si fortè classis naufragaretur in mari, sive Nilus non inundaret in Ægypto, sive exercitus succumberet in prælio, sive provinciæ in rebellionem sese erigerent, sive seditionem cierent legiones, sive pestilentia sæviret aut incendium, sive sterilescerent campi, sive Princeps infirmaretur, & cætera. Hoc totum, & quicquid hujusmodi exoriri poterat, æstimabatur unius introducti Christianismi effectus.

At verò hi in mundo tantopere cõtempti & contumelias passi, tandem eo cumulati sunt honore, ut Regi Davidi & nimium honorati viderentur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Imò tam magnifica, adeoq; gloriosa nunc est Ecclesia, ut Cardinalis Petrus Damiani sermone primo de Dedicatione Ecclesiæ, fateatur, qvis pconia ipsâ in immensum esse ac nimis humilia, neque se illam dignè commendare posse: *De Ecclesia nobis est sermo, licet non sit sermo in lingua nostra. Quid est maius in terris, quid in cælis sublimius illâ, quam acceptauit altissimus? quæ vulneravit cor sponsi sui? Hæc est illa quæ posita est in superbiam sæculorum, cujus gloria à mari usq; ad mare, cui Reges & Principes famulantur, quam circumdat cælestium legionũ multitudo, & in quâ fons sapientiæ repositus est.* Hæc est illa ecclesia, de quâ scripsit Isaias: *Ego ante te ibo & gloriosos terræ humiliabo, dorsa Regum vertam,* quasi diceret, quotquot sunt in terris gloriosi, hos ita humiliabo & commutabo, vt servi tui fiant, qui tui antea persecutores extitêre. *Nonne reges terræ vides,* inquit Augustinus, *qui antea persequebantur Christianos, nunc integros esse Christianos? Nonne vides eos, qui humiliabant Ecclesiam humiles intrare Ecclesiam? Nonne ipsos habere defensores, quos ante habebat persecutores?* Quot Imperatores pro huius Ecclesiæ defensione integros compararunt exercitus? Quot Principes vltro citroq; se illi æternum fecêre tributarios? Quot Magnates thesauris illam locupletarunt & dominiis?

18. Porrò id quod maximè est considerationi dignum, est hoc, videlicet, quod ipsismet deiectionibus mediantibus, fideles assecuti sint magnificentiam, & quia fuerant ita humiliati, ideò sic facti sint gloriosi. Hæc n. est ratio, cur benedictus Redemptor noster, duob. illis discipulis, primũ in regno ejus locum ambientibus, calicem obtulerit passionis, ac si diceret: si dignitatis quæritis fastigia, hæc eò via vos perducit, & si ascendere desideratis, hi sunt veri ad ascensum gradus, & uti S. Bernardus advertit, *ad gradũ sunt redu-*

Serm. de Dedicat. I.

Is. 45. v. 1. & 2.

Tract. de Hæresibus.

Ser. 33. in Cant.

reducti, per quem fuerat ascendendum. Cōfirmatq; hoc Bernardi dictum illa sancti Gregorii Magni Papæ authoritas, Hom. 27. in Evang. in qua sic loquitur? *Ad viam illos veritas revocat, per quam ad celsitudinem venirent; ac si dicatur, iā vos delectat locus celsitudinis, sed prius via exerceat laboris: Per calicem n. pervenitur ad Maiestatē.* Et hæ sunt scalæ illæ purpureæ, ut videtur Giliberto Ser. 18. in Cant. Abbati, quibus mediantib. concedatur ascensus ad thronum Salomonis; *ascensus ejus purpureus, nā humilitas suscepta p Christo regiam pfert dignitatem. Hos si tu dedignaris gradus, respice quia purpurei sunt.* Respice quia Christi humilitas coronis est plena; cōsidera q illa purpuras contineat & sceptra; Christi fideles ad instar Israëlitarum repræsentati sunt in rubo ardente, qui in medio quidem flammarum consistebat, nec tamen vel minimum à flammis læde- L. 1. de vita Moysis. batur. Ideò de eisdem Philo dixit: *Hæc vestra infirmitas est potentia, q̄ punget vulnerabitq; plurimos. Qui delere cupiunt, vos inviti servabunt: & cum maximè vastari videbimini, tunc maximè enitebit gloria vestra.* Persecutionis flammæ Ecclesiam non devastarunt, sed exornarunt, & quantò plus à malevolis oppressa fuit, tantò magis fuit exaltata à Deo. Hic est ventus ille, qui surgit ad dexteram Job 30. v. 12. Orientis, ut patiens ille Job dixit: *Ad dexterā Orientis calamitates meæ illicò sur-* Ser. 38. in Cant. *rexerunt*; nam uti S. Bernardus interpretatur: Hic tribulationis ventus, nihil sinistri habet, sed omnia in eo dextera sunt & prospera: *iure ventum illum dexterū vocavit, qui nihil ei quivit sinistrū inferre, quin etiam coronæ gloriæ viro iusto cōportavit augmentū, quando virtus pbata enituit, & quādo provocata excrevit.* Et ô q̄ mihi videor audire quemlibet ex primis illis Ecclesiæ ducibus, illa Regii Davidis verba replicantem! *Bonū mihi quia humiliasti me,* quasi diceret: Hæc, Ps. 118. v. 71. quâ me probasti humilitas non solum me non dejecit, sed in summam potius sustulit altitudinem. *Vnde proiectus, inde provectus,* uti loquitur S. Bernardus: Epist. 72. Bona mihi profectò humiliatio fuit, quando me nunc ex tanta humilitate transivisse conspicio ad tantam gloriam. Fœlices mihi certè fuerunt omnes ignominiæ & contumeliæ, siquidem laudes mihi pepererunt & toti mundi præconia. *Vnde piectus, inde provectus. Illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati* (sunt verba Gregorii) *ad quantum culmen gloriæ sunt producti? sic eos à Deo decebat erigi, qui se pro eo consenserant humiliari.*

19. Considerate, obsecro, nonnihil, an aliquis eorum, qui tantâ cum aviditate honores sunt insectati, unq̄ adeò honoratus fuerit, quomodo sublimati sunt illi, qui tanto cum horrore honores fugerunt; Ad horum humillimorū servorum Dei honorem, nunc videmus templa & Basilicas regiâ magnificentiâ erectas, in majorem illorū magnificentiam encomia, & panegyrici, omnesq; Librariæ gestis eorum refertæ conspiciuntur. Ad ipsorum memoriam statuæ funduntur æneæ, inciduntur marmora, colores temperantur. Pro reliquiarum, quæ de exuvijs eorundem supersunt, custodiâ, pretiosissima adhibentur metalla, quæ ex aliquâ Orientis aurifodina erui possent, pretiosissimæq; quas in aliquo Orientis mari piscari licet, margaritæ. Chrysostomus de se affirmat,

quod nisi ad residētiam inEcclesia sua obligatus esset, iam dudum Romam, ut catenas quib. Paul⁹ in carcere vinctus fuerat, oscularetur, se contulisset. Gregorius Papa Imperatrici Constantinopolitanæ, caput sancti Pauli instantissimè sollicitāti & exposcenti absolutè respondit, nolle se Romam tàm ingenti spoliare thesauro, in gratiam tamen illius curaturum se, vt nonnihil de catenâ quacum in carcere vinctus fuerat, limaretur, atq; hoc modicum eidem pro donatiuo mitteretur. Cyprianus laudandis catenis & compedibus, qui martyrum strinxerant pedes, nunquam exsatiari poterat. Ad hæc an non Ciuitates, Regna, & Prouinciæ inter se certant, utrum eorum sibi in Patronos & Protectores vendicare liceat? nunquid illorum in casibus desperatis subsidium exposcūt & succursus? an non in nominis illorum inuocatione plus illi confidunt, quam in aliâ quacunque ad manum tutelâ præsente? Nihil hic dicā de prodigijs, quæ tempore & hora martyrij ipsorū patrata fuerunt, quādo videlicet persæpè Deus, naturales creaturarum actiones suspendit, ne ipsi per illas minimum lædi possint. Circa Luciam flammas extinxit, mamillas Agathæ restituit, Margaritæ vulnera recepta curando sanavit, rotæ Catharinæ præparatę machinam diffringit, aquas Christinę consolidat: Carbones ardētes Tiburtio vernantes facit videri rosas, aperit cœlum Stephano, Vincētio carcerem illuminat, Theodoro, per angeli cujusdam exhibitam visionem tormenta suavia reddit, & dulcia. Fornacem infrigidat Polycarpo, Teclæ serpentes mansuefacit & cicurat. Quid insuper de Paulo & Syla dicam, quibus carcer apertus ruptaque miraculosè fuêre vincula? Quid de Ioanne, qui ex ardentis olei dolio non solum illæsus, sed insuper fortior & vegetior egreditur? Quid de Petro plusquam semel per manum angelicam è carceribus erepto? Quot famelici Leones ad sanctorum martyrum pedes mansueti accesserunt & venerabundi? Fateantur id Tecla & Daria virgines, Eustachius & Theopista cōsortes, Vitus, Modestus & Crescentia sodales. Redeamus ergo ad propositum, & cum Sancto Gregorio repetamus: *Ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sunt perducti.*

PARS SECUNDA.

20. Ultimum quod in Ecclesiæ fidelibus videtur prodigium, est, ꝙ tribulati quidem fuerint, semper tamen læti: *Alium ceciderunt, alium occiderunt & alium lapidaverunt.* An non grande vobis videatur miraculum, quempiam ridere posse inter tormenta, inter persecutiones lætari, plaudere inter maximas ærumnas? Profectò, hoc tantum est, ne dicam plus, quàm aquam in vinum convertere. Homines mundani, qui Dei servos adeò ab omnibus tribulatos maleq; tractatos vident, dicere solent hæc verba: *vinum non habent,* ô misellos istos, vinum cōsolationum gaudiorumq; mundanorum ipsis defecit, aquas tantum habent laborum & afflictionum! Esto, sit ita, inquit Bernardus, At verò negare mihi non poteris, quin habentes Christum Ecclesiæ sponsum, pariter quoq; habeāt eum qui tristitiæ aquā in vinū lætitiæ con-

Quintum Punctum.

Ser. de verbis post.

convertere possit cõformiter magnæ isti promissioni: *Tristitia vestra convertetur in gaudiũ.* Defecerat vinum illi qui
Pf 76. v. 3. Psalmo dicebat: *Renuit consolari anima mea.* Verum hic nonnihil sistite, mox n. aquam in vinum conversam clarè perspicietis, prouti acutè notavit Bernardus, dicens: *Nunquid non illi vinum defecerat, qui dicebat: Renuit consolari anima mea? sed aquam vinum factam gustasse visus est, cum subiunxit: Memor fui Dei, & delectatus sum. Quid n. faciet in p̃sentia, qui in solâ memoriâ delectatur?* An non & Apostoli probarunt aquam factam vinum, quando publicè cæsi & fustigati hilares nihilominus revertebantur & læti? *Sic & Apostoli, planè vinum aquã factam gustaverant, quando ibant gaudentes à conspectu cõcilij, quoniam digni habiti fuissent p̃ nomine JESU contumeliam pati. Quomodo non vinum ex aqua gaudium de cõtumelia? nimirum jam implebatur p̃missio veritatis, q̃ ad eos facta erat hoc modo: Tristitia vestra convertetur in gaudium, hoc est, aqua vestra vertetur in vinum.* Unde Paulus
2. Corinth. 12. v. 9. dicebat: *Libenter gloriabor in infirmitatib. meis,* quasi diceret cum lętitiâ, & jubilo cordis mei in meis gloriabor angustiis & necessitatib⁹. Cur ita ô Doctor gentium? *ut inhabitet in me virtus Christi.* In tribulationib. ac persecutionib. cõstitutus, virtutem Christi intra me habebo. Sed quid virtus illa Dei in te efficiat, putas? aquam mutabit in vinũ, mihi ex tribulatione consolationem reddet, ex ignominia auxiliũ & mortem pretiosam. Cõcludamus ergo per consequentiam quam facit S. Bernar-
Ser. 25. in Cant. dus. *Optima infirmitas, quæ Christi virtute compensatur: Quis dabit mihi non solum infirmari, sed & destitui, & deficere penitus à meipso, ut Domini virtutũ virtute stabiliar?* Atq; ita Hieronymus dixit patientissimum Jobum, in eã, q̃ omnium bonorũ passus fuerat, jacturâ, nullũ sensisse detrimẽtum, siquidem in ipsa jacturâ majus experiebatur lucrum quippe ipsum Deum in pectore suo reclusum quasi habebat: *ille inimico turbine ademptis omnibus, non sensit aliq. damnum, qui lucrum in damnis invenit, qui Dominum pectoris finibus portabat inclusum.* Meritò ergo Paulus dixit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Epi. tributa ad amicum ægrotum.

21. Hæc est illa promissio, q̃ sapiens ille apud Jobum Ecclesiæ faciebat, Job. 5. v. 23.
quando dicebat: *Bestia terræ pacificæ erũt tibi.* Et quales existimatis vos esse hasce bestias? Non aliæ q̃ Imperatores Romani, bestiæ profectò sylvestres, siquidem ne unciam quidem habuerũt sensus humani; bestiæ, qui mores habuerunt verè ferinos & bestiales, atq; remotissimos à ratione q̃ alias possidebãt; bestiæ sanguinis humani sitientissimæ, nec non cupidissimæ carniũ humanarum lanienæ; bestię, q̃ tantâ cum cœcitate & ignorãtiâ singularis virtutis in ipsis Christi fidelib. non tantum non viderunt excellentiã, verum eandem quoq; veluti vitium aut defectũ ad mortem usque persecuti sunt. Qua ratione ergo dicitur tam immanes bestias Ecclesiæ Dei fore propitias, si illã pessimè tractarunt, uti jam sufficienter ostensum est? *Notandum,* respondet Gregorius, *quod non ait pacatæ, sed pacificæ: videlicet non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt.* Nota non dici *pacatæ,* sed *pacificæ,* non enim habent, sed faciunt pacem, inferunt malum, & bonum tamen L. 6. mor.

men causant; spoliant sed locupletant; opprimunt, sed sublevant; damnificant, sed & quoq; fœlicitant; diffamãt, sed honorant; in ruinam agunt, sed & salutem quoq; operantur: *Non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt.*

22. Olim Hæretici Domum sancti Hieronymi omninò destruxerant, uti ipsemet amicorum suorum cuidam transcripsit, verùm audite obsecro, quomodo vir Dei de hac jacturâ suâ loquatur: *Nostra domus, secũdum carnales opes Hæreticorũ persecutionib. penitus eversa, Christo propitio spiritualibus divitiis plena est,* quasi diceret. Nunquam magis abundavi, q̃ in præsenti dum ab Hæreticis depdatus existo, tametsi n. domum meam à divitiis temporalib. exinanierint, thesauris tamen cœlestibus eandem econtra repleverunt, unde mihi non pœnam attulerunt, sed gaudium: *Bestiæ agri pacificæ erunt tibi, non quia pacẽ habent, sed quia pacem faciunt.* Jacob Patriarcha à Laban socero suo fugiebat, ab eodem pessimè tractat⁹, erat enim Laban iste huic magno Dei servo crudelissima certè bestia: verum *bestiæ agri pacificæ erunt tibi*, nam uti advertit S. Ambrosi⁹ effecit, ut Jacob ad matrem suam reverteretur Rebeccam, q̃ idem significat quod patientia, nec non ad Isaac patrem suum, qui risum significat, adeoq; ingens illa Labani persecutio ipsum ad risum, non ad planct⁹, ad lætitiam non verò ad mœrorem p-duxit: *ubi patientia, ibi lætitia: Bestiæ agri pacificæ erunt tibi; non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt.* Adhæc si Daniel Propheta ex mente S. Ambrosii, tanta fuit dignus admiratione, eo quod in medio leonum cõsistens, non tantum sine formidine ibi fuerit, sed & cum tantâ ibi securitate pstitit, ut in eorundem psentia cibos sumere ausus fuerit: neq; dubito quin famelici illi leones, exemplo Danielis manducantis, provocati fuerint, ad ea se præda cibandos, q̃ coram oculis suis habebãt: *Quam insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expavit leones? fremebant bestiæ & ille epulabatur.* At longè tamen admirabiliores censeo martyres, qui tametsi tot leonib. à quot infestabantur persecutoribus, circa latera stipati essent, cum tantâ nihilominus pace & cordis tranquillitate vivebant: *Fremebant bestiæ, & ille epulabatur. Non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt.*

In Epist. ad Apron.

L. 1. de offic. c. 39.

13. Noli timere ô Christiane, quando homines persecutionem patiuntur propter Christum, tunc enim vel maximè invenitur Christus, utpote ad subveniẽdum, omnesq; quas ob amorem illius patimur amaritudines, indulcorandas, obstrictus quasi & obligatus. Ecce tibi hac in re manifestum S. Joannis Evangelistæ exemplum, qui ab impio Imperatore Trajano, in Pathmos Insulam, velut in exilium missus, dũ ejectus & sequestratus esset ab hominibus. Angelorum mox conversationem invenit: *Et Angelorum sacramenta pulsus ab hominum conversatione cognovit,* inquit Hieronymus; & sanctus Augustinus libro de pastoribus cuidam Hæretico dicebat: Ne minimum quidem me turbat, q adversus personam meam totus armeris, tuamq; maleficentiam diabolico prorsus stylo contra me evomas, neq; n. ignoro, quod à *te reprobatur à Christo pbatur. Maledicent illi, & tu benedices*: ipsi fidem nostram repro-

Ep. de perfecto.

Lib. de pastorib.

Psal. 108. v. 28.

reprobabunt, tu approbabis; quidquid nos pro pietatis & innocentiæ conservatione facimus, reprehendent ipsi; tu verò idem laudabis; Id porrò cum hac differentia, dicit Augustinus in Psalmum 108. q. *maledictio eorum vana est, Deus autem cum benedicit, facit quod dicit.* Maledictio persecutoris vana erit, neque enim intentum suum obtinebũt, propter illam enim ne quidem capillus de capitis vertice decidet: Benedictio autem Domini, omnis semp boni ferax & fertilis erit, nã cum Deus benedicit, facit id quod dicit. Meritò Dominus discipulis suis dicit: *Beati cũ maledixerint vobis homines*, siquidem hominum maledictio cum Dei benedictione conjuncta semper est, atq; unita. *Quis ergo se non maledici desideret, ut mereatur Christi voce laudari*, inquit S. Hieronymus, *& cœlesti copiosáq; mercede munerari? utinam ob Domini mei nomen atq; justitiam, cuncta infidelium turba me persequetur ac tribulet! utinam in opprobriũ meum solidus hic mundus exurgat, tantum ut ego merear à Christo laudari, & eius pollicitationis sperare mercedem! Grata tentatio est, cuius præmium à Christo speratur in cœlo, nec maledictio gravis est, quæ divinâ laude mutatur.*

In Ps. 108.

Epist. de ferend. opprob.

24. Nequeo unquam meminisse jubili illius, quem in corde suo sanctus Domini Apostolus Andreas experiebatur, jamjam crucifigendus, quin profunda semper rapiar admiratione: *O bona crux, quæ decorem à Domini membris suscepisti, diu desiderata, sollicitè quæsita, & aliquando concupiscenti animo præparata.* Quis unquam avarus tanto cum gaudio, desideratum assequitur thesaurum, quanto Andreas suam amplectitur crucem? O quis ambitiosus unquam visus est tantâ cum alacritate regium conscendere thronum, sicut Andreas conscendit præparatum sibi patibulum? *O bona crux!* Hæc profectò est vox quædam hominis omninò immutati, atque ex statu fragilis naturæ, ad gratiæ statum omnino translati. Sic enim sanctus Bernardus discurrit dicens: *alterati hominis vox ista est, & qui de bonis naturæ, ad gratiæ bona surrexerit: ut non solùm glorietur in spe, sed & in tribulationibus: non modo enim patienter, sed & libenter; verùm & ardenter, ad tormenta sicut ad ornamenta, ad pœnas sicut ad delitias properabat.* Hæc erat rara illa lætitia, nec usquam in mundo visa, de qua Dei servi per verba Psalmistæ loquuntur: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti; annis quibus vidimus mala.* Lætamur de eo tempore, quo à barbaris persecutionem passi & angustiati sumus. Hoc lætitiæ genus, dicit sanctus Bernardus, cœli ab Ecclesiæ filiis edocti sunt. Neque enim in cœlo hic gaudendi modus sentiri potest, siquidem hæc sit quidam jubilus in medio ipsiusmet tristitiæ, quæ tamen tristitia à cœlo semper exulat. Unde cum in cœlo semper gaudeant, profectò illud exultationis genus habere nequeunt, quod ex lætitiæ carentia subnascitur: sicut neque gaudium illud quod oritur ex fastidio. *Hoc genus lætitiæ cœli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios. Hoc nemo unquam lætatur, quo nunquam non lætatur.* Atque idem fortassis Angelus turbam martyrum Joanni commonstrans, dixit: *Hi sunt qui venerunt de magnâ tribulatione*, cum tamen Paulus aperto ore, o-

Ser. de triplici genere bonorum.

Ps. 89. v. 15.

Ser. 68. in Cant.

mninò contrarium dicat ac vocet *Momentaneum & leve tribulationis.* Tribulatio aliqua censetur magna, aut ratione durationis, aut ratione intensionis: ratione primi, dicit Paulus, quod sit momentanea: ratione secundi levem quoque esse affirmat. Ergone Apostolus contrarius erit Angelo? Hoc genus lætitiæ in cœlo esse nequit respondet Paulus, sinat proinde Angelus me de eo loqui, qui illius optimâ præditus sum experientia; dico ergo, quod supposita ea, qua tribulatio justorum semper condita est dulcedine, merito illa momentanea censeri debet ac prorsus levis.

25. Atque hæ sunt, dilectissimi, Ecclesiæ & Christianismi gloriæ, quæ dummodo digna nobilissimi illius corporis membra simus, à nobis velut opulentissimo thesauro pares æstimari atque appretiari debent. Primi illi Heroes absq; ullius alieni ducatu exempli, illud tam stupendum illius reddidere specimen, si ergo nos post insignem illam magnorum prædecessorum nostrorum lucem, eandem insequi neglexerimus, inexcusabiliter abjecti & vecordis animi condemnabimur. Eritque vituperium nostrum tanto majus, quanto minus à nobis requiritur, ut cum aliis quam cum inimicis ordinariis exiguarumque virium confligamus. Illi feros tot tamq; rabidarum persecutionum sustinuere insultus ac impetus, nobis hoc solum superest ut vilem passionum nostrarum velitationem vincamus, cui profectò omni cum sollicitudine & vigilantia oportet attendere, ne in tam leve prælium commissi, cum æterno nominis nostri opprobrio perdamus victoriam.

***

CONCIO XVI.

Pro Dominica III. Quadragesimæ.

THEMA.

Erat IESVS *ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum.*
Luc. 11. v. 24.

ARGVMENTVM.

Dæmon peccatores conatur reddere mutos, ut eosdem Confessionis privet beneficio, utpote quæ adeò potens & efficax, ut quinque valde stupendas operetur mutationes;

nes; Mutat namque peccatorem, mutat peccatum, mutat Deum, mutat Cœlum, mutat denique Infernum.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Maxima miseriarum est hominem mutum esse & loqui non posse vel ideò maximè, quia talis destitutus est beneficio Confessionis. num. 1.

An quis sæpius, aut gravius peccet tacendo, an verò loquendo? *problematicè disputatur.* num. 2.

Tacere ea quæ in Confessione *dicenda erant, omnibus loquacitatis defectibus in malitia prævalet.* ibid.

Synopsis eorum, de quibus præsenti Concione discurritur. n. 3.

Confessio Sacramentalis *mirabiliter mutat peccatorem.* n. 3.

Mira profectò mutatio, qua homo pronunciando tantum hoc verbum, Peccavi; *aut unico ex imo pectore ducto suspirio ex peccatore fit justus, & modicis lachrymis inferni extinguit incendia.* num. 4. & 5.

O quantum tres syllabæ valent Pec-ca-vi! S. Ambr. num. 4. & 5.

Ponderatur graviter illud Psal. 95. Cõfessio & Pulchritudo in conspectu ejus. num. 5.

Post confessionem homo ipse est, & tamen ipse non est. Vetus quidem videtur domiciliũ, sed novus est inquilin⁹. n. 5.

Post Confessionem homo de terra fit Cœlum: *Et ad hoc intentum explicatur illud Psal.* 123. Adjutorium nostrum in nomine Domini qui fecit Cœlum & terram. num. 6.

2. *Confessio valde mutat peccatum quod enim ante pernitiosum erat reddit utile, pulchrum quòd antea difforme, honorificum quod prius probrosum fuerat.* num. 7.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam peccatum, inquit Augustinus. ibid.

Peccati malitia & noxium venenum graphicè depingitur num. 7.

Peccatum quod ante Confessionem *nigram reddebat animam, per* Confessionem *eandem ita facit formosam, ut ipse quoq;* Cœli Rex *eandem vehementer diligat ac concupiscat;* Deoq; *singulare quoddam festum seu gaudium pariat* num. 8. 9. & 10.

Confessio *peccatorum est sacrificium Deo acceptissimum.* num. 10.

Peccati fœtor per Confessionem in pretiosum transit Balsami *odorem.* num. 10.

Confessio potest peccatum piceum in lacteum candorem transferre inquit S. Hieronymus num. 11.

Confessio peccatum mutat in pretiosum aurum. num. 12.

Lachrymæ Pœnitentis peccata baptizant, inquit Petrus Chrysologus. num. 12.

Variè exponuntur mirabiles quas Confessio circa peccatum facit mutationes. n. 13.

3. *Confessio transmutat quodammodo Deum ex Iudice in Patrem, ex inimico in sposum, ex iracundo in benevolum.* num. 14.

Confessio Deo vim infert. ibid.

Verba in Confessione prolata sunt quasi totidem vincula quibus Jesus *illaqueatur, & alligatur verbum Patris.* num. 14.

Tametsi Deus pœnitere nequeat, neque n. homo est, ut agat pœnitentiam, Confessio tamen peccati ad pœnitentiam illum inducit. num. 15.

Peccatum quod stylo ferreo in ungue adamantino scribit transgressio, delet Confessio. num. 16.

Si nos in Cōfeßione peccatorum recordamur, Deus illorum obliviſcitur. num. 17.

Confeßio ſapientiam æterni Iudicis (ut ita citra temeritatem loquar) infatuat. num. 18.

Peccator per Confeßionem velut munus quoddam Deo acceptißimum, integritatem ſuperni Iudicis quaſi corrumpit. num. 19.

Confeßio potentiam & fortitudinem ſupremi Iudicis veluti enervat. num. 26.

4. *Confeßio mutat Paradiſum cœleſtem, nam portæ Cœli, quæ peccatori firmißime clauduntur, aperiuntur confitenti.* num. 21.

Sic Latro in Cruce confeſſus Paradiſum ſibi aperuit. num. 22.

Confeßio ſemper cum Dei magnificentia coniuncta eſt. num. 23.

Confeßio eſt Oſtiaria Paradiſi. num. 23.

Si fuerint peccata ut coccinum, *qui eſt Liurea, ſive Color gentilitius Inferni,* quaſi nix dealbabuntur, *induentq; Liuream, ſive colorem cœlo proprium, poſtquam confeſſa fuerint.* num. 24.

5. *Confeßio deniq; valde mirabiliter mutat infernum; Nam ſi vel ipſi damnati in Inferno dicere poſſent contrito corde Peccavi,* audeo dicere ignis ille inextinguibilis tamen extingueretur, inquit Galfridus. num. 25.

Si nolumus experiri terribilem Iudicis ſententiam, præveniamus faciem ejus in Confeſſione. num. 26.

Peccando deſcendit peccator in Infernum: confitendo autem peccator quaſi per ſcalam ex Inferno aſcendit in Cœlum. num. 27.

1. SI omne bonum noſtrū in ſyncera Cōfeſſione collocatū eſt, uti divinarum ſcripturarum nos oracula docent, certè facile eſt unicuiq; intelligere, quanta ſit ejus miſeria, quiſquis ad inſtar miſerabilis & infœlicis hominis illius, cujus in hodierno Evangelio fit mentio, ab humani generis inimico mutus factus eſt, & taciturnus. Neſcio profectò, an in hac noſtra laborioſiſſima vita, inter tot miſerias, evenire hominib. poſſet miſeria major, quàm ſi loquendi facultate & uſu priventur. In tali eventu n. ſimul & ſemel ab ipſis mille commoditates valdè proficuæ, totidemq; valdè neceſſaria tollerētur ſubſidia, quib. à brutorum animalium cōſortio ac ſimilitudine ſequeſtrati, ad gradum alias elevantur ab illo ſupernorum ſpirituū parum diverſum. Sic quoq; in mundo mutua ceſſarent cōmercia in populis, inter amicos cōverſatio, Civilitas & morum comitas in Rebuſpublicis, interirent negotiationes mercatorib⁹, ſcholis ſcientiæ, correctiones tranſgreſſoribus, miſeris ſolatium, Pſalmodiæ templis; Et quod hæc omnia ſuperat, incomparabile illud, tā frequētium, quotidianorumq; lapſuū noſtrorum, ſurriperetur remedium, noſtrarum ſcilicet culparum Confeſſio. Unde Stoicus ille Romanus multum aberraſſe videtur, quando dixit, ſilentium nulli, econtra verò pluribus noxiam fuiſſe atq; damnoſam loquacitatem.

Nam tacuiſſe nocet nulli, nocet eſſe locutum.

2. Mihi profectò haud adeò facilè foret quæſtionem illam decernere, an videlicet majora, plura, & graviora ſint taciturnitatis, an verò locutionis incōmoda & peccata? Si n. loquendo nomen Dei per ſæpè blaſphematur, tacendo quoq; Dei laus ſæpiſſimè negligitur: Si locutione injuria nonnunquam afficitur proximus; certè taciturnitate nequaquam inſtruitur qui ſimplex eſt aut indoctus. Quod ſi ſermone verba

otioſa

otiosa proferuntur: sub silentio perniciosæ p sæpè cogitationes econtra foventur. Si qui loquitur perjurus frequenter efficitur: A tacente itidem veritas nonnunquam sepelitur aut abscondi tur: Garrulitate inimicitiæ non rarò excitantur: at verò obmutescentia excitatæ inimicitiæ nunquam extinguuntur: Per verba, dogmata sparguntur perversa. Sed nec verbum Dei silentio seminatur: Loquẽdo frater sæpè affligitur, non id inficior; sed nec tacendo miseri unquam consolabuntur: Verbis nõnunquam musicas modulamur lascivas, sed nec per silentium Deo debitæ laudes in sacris choris cantando persolvuntur: loquendo frequenter proximum deridemus, tacendo eundem nõ rarò cõtemnimus: sermone prava sæpè suggerũtur cõsilia, silentio consilia quoq; negliguntur salutaria: Garrulitas levitatem indicat animi, Taciturnitas econtra p sæpe superbiam arguit & arrogantiam. Imò ut verum fateat, inter alias taciturnitatis imperfectiones unicum duntaxat est vitium, quod gravitate & malitia sui omnia quæ loquacitate committuntur peccata, magna ex parte exæquet, videlicet propria coram Deo nõ cõfiteri sed subticere peccata; sicut ecõtra ingenua eorundem confessio, unicum est & singulare cujuscunque spiritualis morbi remedium. Verùm enimverò esto interea ô Domine benedictus per omnia quippe qui tua quotidie renovas miracula, idemque quod hodie in uno quopiam operatus es corporaliter, quotidie spiritualiter in multis reiteras. *Erat* Jesus *ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* ut proinde haud immeritò videatur mihi, quod, si unquã alias, profectò hodie quàm maximè, S. Prophetæ exhortationem auscultare cõveniat, dicentis *Annuntiate inter gentes studia ejus*; aut verò uti Theodoretus legit: *Annuntiate mutationes ejus*. q. d. Satagite, ut toti mundo mirabiles illæ mutationes innotescant, quas mediante peccati confessione Deus Opt. Max. molitur; Hæc namq; mirabili cũ Metamorphosi immutat peccatorem; mutat peccatum peccatoris partũ; mutat peccatoris judicem Deum; mutat peccatoribus firmiter occlusum Cœlum; Mutat deniq; Infernum, utpote peccatorum supplicium. Peccatorẽ mutat, siquidẽ sanctum illum efficit; peccatum mutat, & utile facit; Deum mutat, & reddit propitium; Cœlum mutat, quia pandit & aperit; Deniq; mutat Infernum quia eundem claudit. Ps. 9. v. 11.

3. Primo ergo Confessio ipsum peccatorem mutat *Annuntiate mutationes ejus.* Sicut n. B. Theodoretus dixit; *Revera mutatio fuit rerum omnium maxima. Qui quondam inimici erant, amici sunt; Lõginqui, proximi; servi filii; qui in ignorantia erant in cognitione sunt; qui in tenebris, in luce; in spe vitæ, qui mortui erant; pauperes, hæredes regni Cœlorum; Et hæ salvatoris artes sunt decoræ* q. d. videant universi stupendas illas, quas confessio circa peccatoris personam facit, metamorphoses, dum eum ex scelerato sanctum, ex inimico Dei filium, vicinum ex remoto, ex insipiente sapientem, vivum ex mortuo, locupletem ex paupere, Cœli civem ex exule, ex pœnarum æternarum reo, æternæ mercedis stipendiarium meritissimum reddit: *Annunciate inter gẽtes mutationes illius.* Unde S. Au- In Ps. 9.

gust.

In Ps. 99. gust. quoq; stupendæ mutationis huj⁹ quemlibet peccatorem hisce verbis monebat: *Damna quod es, ut merearis esse quod non es.* At verò, quid putas ô peccator requiritur, ut violatam cœli amicitiã, filiationem Dei deperditam, deletam altissimi similitudinem, regiam & rectam gloriæ cõsequendæ viam virtute Christiana, sepultas, & mortuam gratiæ vitam recuperare valeas? Nil aliud ꝑfectò, nisi ut tui ipsius judex factus, adversus vitã tuam pravam ꝑteritam sententiam pronunties, atq; condemnes quod es, ut id mox esse merearis quod non es: *Damna quod es ut merearis esse quod non es. Vive remediis, qui moriturus fueras aliquando peccatis*, dicit os illud S. Chrysost. serm. de Cõfess. Chrysostomi aureum. Verum enim vero, quam sunt potẽtissima isthæc remedia? Discamus idipsum à Ninivitis qui confitendo duntaxat culpam, à veneno quoq; liberati sunt culpæ: *Ninivitæ confitẽtur ut vivant, Sodomitæ obdurantur ut pereant.* Ergo concludit Chrysostomus: *Confitemini Domino quoniam bonus: peccatorem bonus absolvit, iustus condemnat: Qui confitendo bonum sentire noluerit, iustum sentiet reticendo. Annuntiate in populis mutationes eius.*

4. Porrò ingens profectò miraculum est, quod unico duntaxat verbo Paradysus, ut ita dicam, incantetur; quod ad extinguenda æterna Inferni incẽdia pauculæ lachrymæ sufficiant: quod immenso mundi hujus Monarchæ cor aliquod contritũ vim inferat: quod unica pectoris tunsio ad cœlum usq; personet; quod quatuor dolorosi singultus Angelorum attonitas faciãt Hierarchias; Deniq; quod immortalis Deus victum se dedat mortalis cujusdam hominis viribus. Miraculum est, quod Deus non obliviscatur ejus, qui sui iam pridem oblitus fuerat; quod fugientem se nõ declinet; quod se exhorrescenti terga non vertat, non se vindicet de offensa adeò gravi, injuria affectus non confundat, aut non spernat contemptus: quod adeò benevolè suas furibus restituat divitias, cœlum exulibus, ingratis gratiam, amicitiam traditoribus, sacrilegis præsentiam, amorem deniq; suum odio se prosequentibus. Miraculorum deniq; omnium maximum est quod peccator adeò repente mutatus, è propriis semetipsum rapiat manibus, quod à propriæ voluntatis vinculis mentem suam eximat, seipsum à propria tyrannide liberet: quod suorummet gestorum judex factus malè præteritam accuset vitam, & justam adversus cordis sui temeritatem pronuntiet sententiam, universamque non criminum tantum, verum etiam internarum intentionum, & cogitationum severè condemnet seriem. Tandem quod stuporem vel maximè auget, est, quod semetipsum condemnans absolutus, accusando excusatus evadat, seque reum agnoscens, faciat innocentem. *Revela Domino viam tuam, & ipse faciet*, dixit quondam sapientissimus Rex ille. *Quid faciet?* (interrogat Origenes) *sine dubio sanum te faciet.* Ps. 36. Ut tu innocentem te constituas, aliud à te non poscitur, quam ut dicas, quod David ajebat, cum illi à Nathan Propheta suus annuntiaretur error & lapsus, scilicet *Peccavi.* Mox enim cum S. Ambrosio subjungam: *Quantum tres syllabæ valent*, quippe quæ feras in homines, ini-

iniquos in sanctos; Infernititiones in Cœlorum mutare possunt monilia. En tibi hic abnegationem illam, quam Redemptor noster edocet, dicens: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Quid autem sit abnegare seipsum, dicet tibi S. Hieronymus: *Toties abnegamus nos, quoties priora vitia calcantes desinimus esse quod fuimus, & incipimus esse quod non fuimus.* Idem quoque hisce verbis Magnus explicabit Gregorius: *Semetipsum abnegat, qui mutatur ad meliora, & incipit esse quod non erat, & desinit esse quod erat. Quantum tres syllabæ valent?*

Luc. 9. v. 23.

Hom. 10. in Evangelia.

5. Quale foret prodigium, si mulier aliqua sola parvæ staturæ suæ detestatione, integrum mox palmum excresceret? aut deformem capitis sui horrescendo calvitiem, flavos mox in unico instanti, veluti auri fila, faceret subnasci capillos? aut rugosæ frontis suæ vituperando sulcos & rugas, pellem subitò extendi, sulcosque planari conspiceret? aut fuscum faciei suæ fastidiendo colorem, genas sibi candidas redderet, & rubicundas? aut senectuti suæ maledicendo, ad primævum floridæ ætatis suæ ver rediret? Et tamen quod in hoc nostro corpore assequi est impossibile; Confessio confestim operatur in Anima; Hæc namque avaros teloniarios, in liberales transformat Eleemosynarios, publicanos in Apostolos, meretrices denique in virgines. Sed qua id ratione præstat? *Damna quod es, ut merearis esse quod non es.* Nam ut à peccato exeas, aliud non requiritur, quam simplex, nuda, & syncera peccati Confessio, & ut culpabilem te agnoscas, ad hoc ut ab omni culpa immunis fias. *Quantum tres syllabæ valent?* An non audistis quod regius David dicit: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus?* Conjuncta semper est, inquit Augustinus, cum confessione pulchritudo, neque unam seorsim ab altera possibile est obtineri. *Pulchritudinem amas? vis esse pulcher? confitere: fœdus eras, confitere, ut sis justus. Amamus pulchritudinem? prius eligamus confessionem ut sequatur pulchritudo.* Et quidem, ut subdit Bernardus, pulchritudo adeò rara, ut ab ipsiusmet quoque Dei oculis, non solum videri, sed & in summa admiratione haberi possit, ideoque dicit: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius; cujus speciosa erat forma, præ filiis hominum; eius inquam, in quem desiderant Angeli prospicere. Audis cui places? ama unde placeas; Ama Confessionem, si affectas decorem.* Confirmat idipsum S. Hieronymus, eam quam culpæ confessio animæ pœnitenti adfert, ratam pulchritudinem considerans, dum inquit: *Qui sua confessus fuerit peccata, & dixerit: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, fœditates vulnerum in sanitatis decorem commutat. Quantum ergò tres syllabæ valent?* Pulchrum te reddes, si tantum dixeris, fœdus ego sum & turpis: culpam duntaxat confitendo, inculpatus evades, cordis tui duntaxat manifestando deformitatem, formosum illud aspectuque jucundum constitues. *Damna quod es ut merearis esse quod non es.* Hoc est, quod Rex sanctus postquam peccatum suum confessus

Ps. 95.

Epist. 113.

Epist. ad Rustic.

Psal. 50. fuisset, à Deo exposcebat, dicens: *Tibi soli peccavi & malum coram te feci. Cor mundum crea in me Deus.* Creatio, 1 q. Q. 61. A. 3. inquit Theologus, non fit ex re aliqua præexistente; sed secundum totam substantiam, & esse suum. *Creatio est productio rei secundum totam substantiam suam, nullo præsupposito,* dicit Doctor Angelicus. Petit ergo David cor novum sibi creari, veluti intelligens, sibique promittens, posse mediante Confessione formari sibi cor novum, & animam novam, adeoque pulchram, atque ab omni macula puram, ut non tam à prioribus sordibus & deformitatibus purificata, quàm de novo creata videri possit: *Tam purus ab omni labe per Confessionem* Bened. Fern. in Gen. *fidelis existit, ut non tam prioribus mundatum sordibus, quam de novo creatum cor habere videatur,* uti doctus quidam interpres exponit. Vetus Adam exuitur per Confessionem, novus induitur. Moritur cor maculatum, nascitur immaculatum, liceat proinde hic mihi cum S. Zenone presbytero Serm. 3. ad Neo. exclamare: *O Liberatoris nostri profunda providentia! O præstantia singularis! O dulcis sententia! O damnatio necessaria! Homo iugulatur, ut vivat. Ipse est, & tamen ipse non est. Vetus quidem videtur domicilium, sed novus est inquilinus.* Ipse est, & non est ipse. Est ipse, quia ipse Judex est, qui damnavit seipsum; nec tamen est ipse, quia à pronunciata adversum se condemnatione, liberum se deprehendit. Est ipse, quia ob culpam suam supplicio dignum se confitetur; nec tamen est ipse, quia Confessione mediante, mercede, non verò supplicio, dignum se reddidit. Est ipse, quia revera est sceleratus ille, ille iniquus ille Dei inimicus. Non verò est ipse, quia postquam se jam talem fuisse confessus est, nec Deus chariorem amicum, neque Ecclesia innocentiorem habet filium. *Ipse est, & tamen ipse non est,* nam ut dicit Hom. in Ev. sanctus Gregorius: *Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per malitiam.* Singularis quidam S. Paulini Episcopi amicus, Aper nomine ad Deum se converterat, seque à mundi hujus vanitate separans ad Religionis portum receperat; Huic ergò S. Episcopus prædictus scribens, ita loquitur: *Vbi nunc tu ille es aliquando terribilis, vel* Paulin. Epist. *pro tribunalibus Advocatus, vel in tribunalibus Iudex? quis donet mihi ut in conspectu tuo colloquioque requiescam, videns te, non te?* q. d. O quanta mihi hæc foret consolatio, si coram te constitutus, *viderem te, iam non te!* Non iam deinceps advocatus es, ut per humanarum æquitatem legum alios defendas, sed per salutarem divinæ legis contextum, defensor factus es atque patronus. Non jam pro tribunali sedes, ut in reum mortis decernas sententiam, verum tuam tibimetipsi in conscientiæ tuæ tribunali pronuntiasti sententiam, teque morte judicasti dignum, ac proinde non jam scelerati à te pœnarum deinceps expavescant comminationes, quippe qui in id tantum incumbis, ut per suppliciorum æternorum comminatorias cordis tui perterreatur præsumptio atq; temeritas. Pro tuis sudoribus, & in vigiliis protractis insomnibus noctibus, non jam salarium desideras, aut sportulas, sed ejus te mercedis cupido incessit.

incessit, quæ fidelibus promissa est, ac constantibus Domini discipulis. *Videns te non te. Ipse est & tamen ipse non est.*

Lib. 2. de Pœnit. Prædicta omnia confirmat quod S. Ambrosius cuidam scribit accidisse juveni, qui licentiosè aliquamdiu in patria sua vixerat, inhonestis lascivæ cujusdam mulieris implicitus amoribus. Qui mox ut è domo & patria sua egressus fuisset, omnem pariter inhonestatem deseruit, seque virtutibus integrè mancipavit. Post longum autem emensum iter ad natale solum reversus compositus omnino ac emendatus, atque lascivæ eidem fœminæ, cujus antea fruitus fuerat amoribus, obviam factus, illam vel non noverat amplius, aut saltem se illam non nosse fingebat; Cumque ipsa læta prorsus, eidem blandè diceret: *Ego sum illa*; ipse majori cum prudentia, magisque religiosè respondit: *sed ego non sum ille*. q. d. Tu quidem ea ipsa es, quæ fuisti, sed ego jam non amplius sum ille. Tu quidem es ipsa quia in antiquo peccato tuo sordidè etiamnum sepulta jaces: Ego verò nũc deinceps nõ sum ille: quia per sinceram confessionem, vivumq; pœnitentiæ dolorem à culpis me præteritis expedivi, factus jam omninò alter homo. *Annuntiate inter gentes mutationes eius.*

6. Sanctissimum Israelis Monarcham nonnihil inquiramus, unicum duntaxat divinæ suæ citharæ modulum audituri harmonicum, unde haud dubiè, extremè consolandos ac demulcendos nos fore confido,

Ps. 123. v. 8. dicit ergo regius ille David Psalm. 123. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*, q. d. Nos qui adeò fragiles sumus, ex altera verò parte tantis sumus circumdati periculis ferisque insultibus, totam nostram fiduciam in Dei nominis præsidio repositam habeamus. Sed cur subdit: *Qui fecit cœlum & terram?* Notate, dictiunculam illam (Et) non semper particulam copulativam existere, sed etiam persæpè affirmandi vim habere. Sic Thren. 4. dicitur: *Sed & lamiæ nudaverunt mammas suas.* ubi dicendo, *sed & lamiæ* vult dicere, *sed etiam lamiæ.* *Et hoc rursus fecistis*, inquit Malachias, *operiebatis lachrymis altare Domini*, q. d. Hoc etiam fecistis, hoc quoque prioribus delictis vestris adjecistis. Nunc ergo cum Propheta dicit: *Adiutorium nostrũ in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*; hic ejus est sensus. Auxilium nostrum in Deo omninò repositum consistit, qui terram quoque potens est transformare in cœlum. Hic modus explicandi est S. Hieronymi, qui hunc locum modo jam dicto explicans, dicit: *Multi de terra cœlum fiunt. Paulus Apostolus terra erat: Confessus est, & cœlum factus est.* O quot sunt, qui prius terra erant, hoc est, terreni, viles, immundi, à cœlo remoti, oculis divinis indigni, suppliciis Inferni deputati; qui postquam peccata sua sunt confessi cœli facti sunt, id est, gratia splendidi, virtutibus compti & ornati, fortitudine stabiles, fervore veloces, digna prorsus Dei habitacula! Sed obsecro qua arte ingens illa mutatio facta est? Nulla profectò alia arte quam solius Cõfessionis: *Qui fecit cœlum & terram. Confessus est & cœlum factus est.* De Deo dicitur, quod habitet in cœlis, tametsi nihilominus immensitate

Thren. 4. v. 3.

Malach. 2. v. 13.

sitate sua omnia pervadat ac penetret; Dicitur autem habitare in cœlis quia plus ibi, quam in cæteris creaturis Divinæ suæ Majestatis attributa relucent. Audite ergo nunc qua ratione Deus in iis, qui confitentur iniquitates suas, habitare dicatur; siquidem confessio (uti diximus) eosdem in tot veluti cœlos transmutet. Ezechieli cap. 3. prædicatio præcipitur; Propheta autem sermone jam completo inquit; *Audivi post me vocem commotionis magnæ.* Quid est hoc, inquit Gregorius: *nisi quod post sermonem prædicationis, qui fit ad corda audientium, lamenta pœnitentium sequuntur?* At verò qua ratione vocem illam, qua peccatores infœlicem ac malam sortem suam lamentantur, suasque culpas confitentur, appellat *vocem commotionis magnæ?* Hanc certè appellationem, vox illa non ideò tantum sortitur, quod peccatores verbi divini virtute vehementer fuerint commoti; sed etiam, quod vox illa, qua malè transactam confessi sunt vitam, tantæ est potentiæ, tamque mirabilis efficaciæ; ut ipsam quoque terram alteret, atque in cœlum transmutet. *Audivi vocem commotionis magnæ.* Sed quid authores vocis illius dicebant? *Benedicta gloria Domini de loco suo,* ubi Greg. *Corda pœnitentium fiunt jam Domino locus suus, quæ prius in peccato posita, fuerant locus alienus.* Cum adhuc terra essent, remotus à Deo, atque alienus locus erant, postquam autem terra per confessionem cœlum facta est, jam proprius Dei locus, dignumque Divinitatis habitaculum facta sunt. *Confessus est & cœlum factus est.*

Ezech. 3.

Hom. 20. in Ezech.

Psal. 146.

Concludo hocce punctum regii Davidis verbis: *Laudate Dominũ quia bonum est psalmus, Deo nostro sit iucunda, decoraq; laudatio.* q. d. Canticum cantate Deo, sit autem canticum istud pulchrum ac Dei magnificẽtia per omnia dignum. Sed quo tendent hi nostri cantandi conatus? subdit David; *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, & numerat multitudinem stellarum.* S. Hieronymus hũc locum commentaturus, dicit; *Hoc dicitur de his, qui agunt Pœnitentiam*; Et postea subjungit; *sed quæ consequentia: Alligat contritiones eorum, & numerat multitudinem stellarum?* Respondetque mirum in modum S. hic Doctor, quod Deus primo sanet contritos corde, vulnerumque plagas curet; deinde verò eosdem jam sanatos, non tanquam vulneratos numeret, sed sicut stellas, quippe qui inde in stellas sint transformati: *scilicet quando sanat contritos corde, illos qui ante contriti fuerant, & postea sanati, vertit in stellas. Qui numerat multitudinem stellarum, non numerat vulneratos, sed eos numerat, qui iam in stellas conversi sunt.* Pœnitentes non jam inter vulneratos amplius numerati sunt, sed inter stellas, utpote in totidem stellas transformati. Non jam terra sunt, sed cœlum; non peccatores, sed justi; non perditionis filii, sed Filii Dei. *Vide admirabilem vim Pœnitentiæ, quæ homines reformat in stellas,* dicit literatus quidam interpres; adeoque terræ hujus peccatores, cœlum fiunt, locus alienus fit Domus Dei, carbonesq; inferni in stellas transformantur Paradisi. *Confessus est, & cœlum factus est. Annuntiate inter gentes mutationes eius.*

S. Hier. in Psal.

Fern. in Gen.

7. SECUNDA Mutatio, quam facit Con-

Punctum Secundum.

Confessio, contingit circa ipsum peccatum, hoc enim Confessio ex pernicioso utile reddit, formosum ex deformi, atque ex vituperoso honorificum. Atque hoc est quod S. Augustinus dicebat in illum Apostoli locum : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonū; etiam peccatum*, subjungit dictus Pater. O magna profecto Propositio, videlicet, ipsummet quoque peccatum eò redigi posse, ut alteri utile sit, atque proficuum! Peccatum nimirum, quod pestis quædam est omnes contaminans delitias; Venenum quod universum inficit gaudium; Incēdium quoddam omnem devastans atque in cineres redigens voluptatem; Jactura ad extremam usq; redigens miseriam; Infamia quædam omnem dehonestās gloriam, omnemque coinquinans splendorem; universalis quædam ærumna, quæ in cūctis nos bonis lædit, ut proinde haud immeritò vocatum sit à S. Ambrosio, *Damnum sine gratia*. Et tamen hoc idem *cooperatur in bonū?* Peccatum inquam in cujus societate nullus unquam fuit, qui ad miserabilem infœlicissimumque finem se perductum esse non viderit, nullus qui rigidas ob id Divinæ Justitiæ pœnas non persenserit; nullus qui se ob id suimetipsius carnificem non sit expertus; nullus qui ob id non habuerit timorem sine spe, sine solatio dolores, vulnera sine remedio; nam ut dicit S. P. Augustinus. *Esse vitium & non nocere non potest*; Et tamen de illo quis dicere ausit quod *cooperetur in bonum?* Nunquid verum estô Christiane, in peccati consortio fore ut vitæ hujus usura tibi nociva futura sit, obscura ipsamet cœli lux, servitus Elemētorum horum rebellis: infirma corporis istius sanitas; horum tantorum beneficiorum utilitas perniciosa? An non abominabile hoc monstrum, discordiarum zizaniis omnes etiā strictissimas inficit amicitias? suis dissensionibus omnes conjunctissimas, maximeq; cōcordes perturbat fraternitates? suo amaritudinum felle, omnes sapidissimas intoxicat epulas? omnes harmonicos concentus suavissimos, suis mœstissimis lamentis interrumpit? disperdit & corrumpit omnia vitæ hujus meliora commercia? Nunquid peccatum est quod sapientissimorum infatuat prudentiam, obscurat hominum etiam justissimorum rationem, pientissimorum quorumcunque viscera saxorum instar indurat, remittit virorum cordatissimorum vigorem; robustiorum quorumvis vincit, ligat, & captivat fortitudinem? Nonne cum peccato splendida illa tua palatia veræ cavernæ sunt, istæ tuæ purpuræ, mendicorū sunt scruta & petiæ, Mensæ venena, lecti catastæ, facinora lapsus, intentiones tuæ mera præcipitia, cogitationes tuæ spinæ sunt dolentissimæ? Denique an non verissimum est illud spiritus sancti oraculum, quód videlicet *qui seminant iniquitatem, metunt mala?* Et tamen adhuc dicetur, quod *etiam peccatum cooperetur in bonum?* Eheu quid dicam? Nec cōtra infernalis illius furiæ damna defendunt quātumvis munita propugnacula, neque instructissimæ prospiciunt loricæ, neque custodiunt maximè sollicitæ vigiliæ, neq; exercitus tametsi numerosissimi protegunt, nec quicquam valent acutissimè excogitata

Margin notes: ad Rom. 8. — Lib. de Elia & Jejunio cap. 13. — Lib. 12. de Civit. Dei. — Prov. 22.

gitata stratagemata, neque machinæ etiam penitissimè intellectæ aliquid efficiunt; nam uti monebat Chrysostomus *ubi est peccatum, ibi potentia alicuius, aut virium demõstratio nulla esse potest.* *Cooperatur in bonum* Peccatum? quod Chrysostomus ait verum quẽdam Infernum esse, qué peccator in pectore suo circumfert, in quo Dæmones torquentes, inordinatæ sunt passiones; Incendia adurentia carnales sunt cõcupiscentiæ; Mentis ignorantiæ, sunt excæcantes ibidem diffusæ tenebræ; carceres obfirmãtes, sunt rebellis corporis mẽbra; vincula constringentia, inveteratæ sunt cõsuetudines; vermes rodentes, conscientiæ sunt remorsus; immensum q̃ à beatis separat Chaos, Dei est oblivio; Pœnarũ æternitas, est inde propriis viribus egrediendi impossibilitas. De hoc ergo peccato, q̃ horrendum adeò & abominabile esse depinximus, dici adhuc poterit, quod *cooperetur in bonum?* Certè si id verum est, (verissimum autem esse jam monstraturus sum) benè monet Psalmista; *Annuntiate in populis mutationes eius.* Dei Potentiam omnes deprædicent; laudem illi & benedictionẽ dent singuli, eandemque quoadusq; possunt, exaltent & magnificent, quia modum adinvenit ex ipsomet etiam peccato eliciendi utilitatem; *Omnia cooperantur in bonum; etiam peccatum: Quia nos de medicamento vulnus fecimus* (est discursus Petri Damiani,) *fecit Deus de vulnere medicamentum; ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namq; virtutum dona retorquemus in usum vitiorum, ille vitiorũ mala assumit in artem virtutum.* Nos malitia nostra virtutes in peccata convertimus, persæpè namq; ex humilitate superbimus, dum nos humiles esse gloriamur; aut ex zelo crudeliter sævim⁹, dum in defectus p̃ximorum nostrorum citra compassionem invehimur; aut in temeritatis barathrum per excessivam spem nostram corruimus, dũ nos à Deo sine præviis meritis præmiandos esse confidimus: Eleemosynam largiendo haud rarò Hypocritæ sum⁹, dum ex illa popularem auram & applausum sectamur. Dicit ergò Deus: vos per malitiam vestram ex virtutib. peccata facitis, ego verò per misericordiam meam ex peccatis eliciã virtutem: vos per medicinam vulnus fecistis, ego per vulnera iterum medebor: *Nos de medicamento vulnus fecimus, facit Deus de vulnere medicamentum.* At verò qua ratione cœlestis illa Alchimia perficitur? Unico duntaxat verbo, *Peccavi. Quantum ergo tres syllabæ valent?* si ipsum quoque peccatum, per illas utile reddi potest, & proficuum?

Orat. de Paralyt.

Serm. 2. de S. Vitale.

8. *Nigra sum, sed formosa, ideo dilexit me Rex;* Imò ideò pulchra sum & formosa, quia nigram me esse confiteor. *Ipsa est,* inquit Bernardus, *cui plus dimissum est.* Et tametsi Synagoga antiqua illi exprobraret peccata, præcipuè verò Idololatriam, ob quam peculiariter nigra appellatur; attamen *quod æmula improperat ad convitium, hoc sibi ipsa inflectit ad commodum.* Ea namque peccata, quæ ego confessa sum ingenuè, quando dixi: *Nigra sum,* in conspectu Dei mei pulchram me effecerunt, atque infiniti cujusdam lucri mihi occasio fuerunt: *Inde mansuetior ad correptionem, inde patientior ad laborem, inde ardentior ad amorem, inde sagacior ad cautelam,*

Cā.

Serm. in Cā.

tam, inde humilior pro conscientia, inde acceptior pro verecundia, inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarum actionem devotior ac sollicitior. *Quantum tres syllabæ valent?* O quantis thesauris locupletatur Ecclesia, dicendo tantum *Peccavi*; aut dicendo: *Nigra sum!* Quot lucris ex jacturis suis ditatur? Quot sibi pulchritudines ex veteri deformitate adsciscit? tales profectò, quæ ipsum quoque cœlorum Regem in amorem rapuêre. *Ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum.* Peccatum peccatorem à Deo separaverat, quid ergo remedii ut pro accessu novo ad Deum, nova peccatori via aperiatur? aut qua ratione fiet, ut Deus ad peccatorem denuò revertatur? En hanc tibi regius Propheta David adfert dicens: *Iustitia ante eum ambulabit & ponet in viâ gressus suos.* q. d. Justitia præcedit ante Deum, quippe qui post illam in viam se recipiet, ut ad nos veniat. *Iustitia illa est, quæ est in Confessione peccatorum*, inquit August. *Iustus enim debet esse in se ut puniat se. Ipsa prima est hominis Iustitia, ut sentias te malum, & faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis Iustitia, ipsa fit via Deo, ut veniat ad te Deus, & ponat in via gressus suos. Antequam confitereris peccata tua, præcluseras viam Deo, non erat, qua ad te veniret. Confitere vitam, & aperis viam.* O prodigium ingens! Committis peccatum & Deum expellis; Confiteris idem peccatum & Deus revertitur: Idem illud peccatum, quod commissum inimicum te constituit, hoc confessum, benevolum & dilectissimum te facit amicum: Idem quod per præsumptionem te à sua

Ps. 84. v. 14

Aug. in Ps. 84.

præsentia elongaverat, per Confessionem in Cameram suam te introducit. *Nigra sum, ideò introduxit me Rex in cubiculum suum. Confitere vitam & aperis viam.*

9. Porrò quis unquam sibi persuadere posset, rem adeò perniciosam, velut est peccatum, tanto bono servire posse, quantum est amor & benevolentia Dei? *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* ubi S. August. quærit quænam sit cogitatio illa, quæ confitebitur Deo? & respondet: Talis cogitatio est illa, quæ condemnat vitam præteritam, & cui id quod erat displicet, ut id sit quod non erat. *Quæ est cogitatio quæ confitebitur? quæ damnat vitam priorem, cui displicet quod erat, ut sit quod non erat; ipsa prima cogitatio.* At verò quænam sunt illæ reliquiæ cogitationis, quæ diem festum Deo exhibebunt? Sunt idemmet peccatum jam confessum, sed in memoria firmiter conservatum, ut te aliquando peccatorem fuisse memineris: *Sed quia sic debes recedere à peccatis, prima cogitatione confessus Deo, ut non tibi recedat à memoria, quia peccator fuisti; per hoc, quod peccator fuisti, solemnia celebras Deo.* Mirabile profectò per omnem modum, atque supra omnem cogitatum humanum obstupescendum est, quod Deus, qui in semetipso infinitè beatus existit, in illa tamen sua beatitudine crescat, ut ita dicam, dum peccatorem coram se videt, ore & mente suâ peccatum ferentem, in ore quidem per Confessionem, in mente verò per reminiscentiam. *Per hoc quod*

Ps. 75.
S. Aug. in Ps. 75.

peccator

peccator fuisti, solemnia celebratis Deo.

10. Equidem quod si in iis solemnitatibus quæ Domino fiebant, inter alios ritus eidem quoque offerebantur sacrificia, certe illa peccatorum confessio huic fini apprime servire poterit, utpote quæ sacrificium quoddam est, Divinæ Majestati suæ valdè acceptabile, quod vel ex eo intelligere potes, quod Propheta

Osee.14. Oseas scripsit, dicens: *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum & dicetis ei, omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* *Tollite verba*, dicit Hieron. (Hieron. in Oseam.) *Hoc est, tollite vobiscum delictorum Confessionem.* Accedite ad Deum, Confessionem in ore habentes., hoc namque holocaustum quoddam erit valdè gratum Domino: *reddemus vitulos labiorum nostrorum*, adeoque festum exhibebitis Domino: *Reliquiæ cogitationis diem festum agent Deo; per hoc quod peccator fuisti, solemnia celebras Deo.* Verum sistamus hic nonnihil; Quotiescunque sacrificium aliquod olim Deo erat acceptum, dicebatur, Deus delectabiliter bonum illius persensisse odorem: *odoratusque est Dominus suavitatem odoris*; (Gen. 8.) cum igitur peccata nostra econtra ob fœtorem & spurcitiem suam pessimè oleant, quomodo Deo acceptum facere possunt sacrificium? Verùm est, inquit Chrysost. fœtent, priusquam (Lib. 6 in Marcum.) per confessionem manifestata sunt; at verò jam à nobis confessa, mox suavissimi odoris fiunt unguentum: *Vide quanta sit clementia Salvatoris: Peccata nostra mali odores sunt; putredo sunt: tamen si agamus Pœnitentiam propter peccata, si plæremus peccata nostra putrida, unguentum efficiuntur.* Huc optimè servit id, quod in Historiis legimus Romanis, videlicet, quòd Vitellius Imperator, transiturus campum quendam, in quo paucis ante diebus, magna quidem inimicorum cæsorum strages facta fuerat, monitus fuisset, fore ut ibi deterrimum & putidissimum olfacturus esset tot insepultorum cadaverum fœtorem, sapiens hic Princeps, prudentissimè responderit dicens: *Nunquam victi victoribus male olent.* Similiter ergo dicendum est, peccata cum syncero cordis dolore confessa, in naribus Domini nequaquam fœtent; sunt enim velut superati & victi inimici; Atque hæc fortasse erat ratio, cur ipse tanta cum voluptate cum famosioribus conversaretur peccatoribus, cum Zachæo videlicet, cum Matthæo, cum M. Magdalena, cur domos illorum subintraret, atque cum ipsis frequenter manducaret. Annostis quare? Quia *nunquam victi victoribus malè olent.* Peccata ipsorum erant ejusmodi, quæ per confessionem facta fuerant odorifera. *Peccata nostra mali odores sunt, putredo sunt, sed si agamus Pœnitentiam propter peccata, unguentum efficiuntur.* Videte igitur, an non Gregorius, Romanus ille Pontifex, nomine Davidis, meritò dixerit, se culpam suam confessum fuisse, moxque subjunxerit: *amplius lava me ab iniquitate mea, prosit mihi Domine, quod peccavi*, nam uti diximus *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; etiam peccatum*, Et uti idem

Gre-

Gregorius dixit : *Vnde iniquitatis stimulos passi sunt, inde pietatis lucra mercantur.* Ex detrimentis & jacturis suis ipsi lucrati sunt, elevati ex præcipitiis, ex paupertate locupletati, singularem ex infamia traxerunt reputationem, honorantur ex probris, ex spurcitiebus exornantur. *O quantum tres syllabæ valent!*

Chrysost. in vidi Dominũ. 11. Considerans S. Joannes Chrysost. humilem Regis Davidis confessionem in Psalmo 50. tanta cum reverentia factam, præ admiratione attonitus, ita inquit : *Vidisti cor contritum? vidisti submissam animam? vidisti ut etiam lapsus sanctorum sunt egregij?* Peccatum Nazaræorum faciem super Carbones denigrarat; *denigrata est facies eorum super carbones*, verum accedat confessio, hæc namque modum novit quo eandem super nivem reddere candidam possit, ut dicere possint *& super nivem dealbabor : Tu Domine* (ita loquitur Hieron.) Hieron. in Ps. 50. *potens es peccatum piceum in lacteum candorem transferre; fuliginosumque hebenum in crystalli fulgorem convertere.* O potentissime Deus, tu in virtute tua ipsum quoque peccatum ex nigro candidum, pulchrum ex deformi, ex abominabili amabile reddidisti! *Vides ut etiam lapsus sanctorum sunt egregij.*

12. Philisthæi, uti in lib. 1. Regum legimus, duas ingentes patiebantur tribulationes, quarum una erat murium, à quibus omnes agrorum segetes depascebantur; altera verò ex certis quibusdam fastidiosissimis oriebatur plagis, quæ in parte quadam corporis secretiori, quam honestas specificare vetat, subnascebatur; Consilium ergò inierunt, ut mures quosdam ex auro solido fingi, atque in eodem pretioso metallo, vulnera seu plagas suas effigiari curarent, atque utrumque Deo Hebræorum, muneris loco offerrent, aut donarent. Per hæc autem munera, inquit sanctus Gregorius, peccata repræsentantur, per veram Pœnitentiam & synceram Confessionem transmutata velut in aurum : Greg. in lib. 1. Reg. *Quia ad pretium æternæ salutis, peccatorum turpitudines offeruntur; flendo deaurantur, cum per sanctæ conversationis pulchritudinem radiat, quod in appetitu mundanæ delectationis, peccatorum fœtore sordebat.* Ecce tibi ergo peccata aurea! Ecce peccata resplendentia! Ecce Dei offensas, eidem Deo in sacrificium oblatas. *Hæc Laus* Celada in Jud. *Pœnitentiæ*, dicit doctus quidam Author, *& lachrymarum elogium, ut admirabili metamorphosi, delicta vertat in sanctitatem; vides ut etiam lapsus sanctorum sunt egregij.*

Atque ob id fortasse sanctus Petrus Chrysologus dixit, lachrymas pœnitentis cujusdam, peccatum suum confitentis, quendam talis peccati baptismum existere : *Lachrymæ peccata baptizant.* Non dicit quod lachrymæ peccatores baptizent, sed peccata; Nam sicut dum quis sacri baptismatis undis tingitur, simul quoddam infinitarum gratiarum, donorumque spiritualium aggregatum, nec non Angelicam recipit pulchritudinem; ita quoque peccata, dum lachrymis lota sunt, quendam recipere videntur splendorem, gratiam,

ac venustatem, eandemque talem, ut munus esse dignum queant, quod Deo Opt. Max. dignè offerri possit, nam *cum peccatum admittitur, peccatum quidem est, ploratum verò atque expiatum, virtus est. Peccatum ab homine admissum, titulus aeterna condemnationis: ipsum verò lachrymis ablutum, & Confessione expiatum, titulus est salutis aeternæ.* vide, & considera, an majorem hac mutationem invenire possis. *Annunciate ergo in populis mutationes ejus.*

Fern. in Gen.

13. O peccatum, quid ego de te dicam? Tu majus es ex omnibus mundi malis, & verum malum; verùm nescio quàm concinnè ab ingeniosis pœnitentiæ manibus, cunctorum malorum antidotum factum es & præservativum. Tu infamia, & vituperium es generis nostri, neque enim negare idipsum possum, verum à pœnitentia sublimatum te, maximorum sanctorum, qui in Paradiso sunt, honorem & gloriam factum esse video. Tu infœlix es ærumna, atque fatum malitia sua irreparabile, quod in omnibus animi & corporis bonis damnificas; verum te à pœnitentiæ thesauris locupletatum, contemplamur thesauris sempiternis abundantissimum. Tu cordium humanorum turpissimus livor, atque deformis es macula: at verò à pœnitentia reformatū, atque exornatum, in conspectu Dei & hominum cōsideramus gratiosum & pulchrum. Tu gravissimum jugum, atque sarcina es insupportabilis, quæ infelices Adæ filios aggravas & deprimis: verùm per pœnitentiam alleviatum, animarum prædestinatarum nobile factum es ornamentum, pretiosumque monile. Tu gravissimum in cœlo contractum es debitum, adeò ut nec universus mundus eas habeat divitias, quibus illud exsolvi possit: Pœnitentia autē inexhaustis divitiis suis, Deo, pro tam gravi ære alieno, satisfaciendi modum adinvenit. Atque prædicta prodigia omnia, pœnitentia sola præteritorum errorum memoria, atq; eorundem ingenua coram Deo confessione operatur. O gloriosas igitur ruinas, quæ tantorum remediorum causæ fuistis! O honorificentissimas verecundias, quæ ad tam sublimis gloriæ gradum peccatores perducitis! O opulentissima dispendia, quæ tam pretiosis peccatorē thesauris cumulatis! O charas summèque amabiles animæ turpitudines, è quibus venustas enascitur, quæ ipsum quoque Paradisum amoribus accendit! O admodum fortunata naufragia, quæ tam fœlici ac beato fine claudimini! O vulnera millies beata, unde tam perfecta nascitur salus! *Annuntiate in populis mutationes eius.*

14. Plus ultra confessio progreditur, quippe quæ certo quodam modo, in ipsummet Deum manus suas mittit, eundemque ex Judice, in Patrem; ex inimico, in sponsum; ex iracundo, in blandum ac benevolum transmutat. Dicebat quondam Dominus: *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Ubi S. Ambrosius, per regnum cœlorum, Christū redemptorē nostrum intelligit. Dicit ergo, Christū hanc, de qua loquimur, perpeti violētiam. Sed à quo obsecro? A nobis. Sed quomodo? Per peccati nostri confessionem, veramq; de eodem Pœnitentiam:

Matt. v. 11.

Ambr. in Luc. tiam: *Regnum cœlorum, nonnisi Christus est Dominus. Vim facimus ergo Domino, non compellendo, sed flendo, non provocando injuriis, sed lachrymis exorando.* Facere Deo violentiam, nihil est aliud, quàm præteritas rememorari culpas, easdemq; plangere & confiteri: *vim facimus Domino, non compellēdo, sed flendo.* Atq; ideò sponsæ labia vocantur vincula ad ligādum, aut ad stringendum funes: *sicut vitta coccinea labia tua.* q.d. Tu cum loqueris, non tam loqueris, quam ligas; & verba tua, non verba sunt, sed vincula; unde dum audio te, verè ligor à te, mihiq; violentiam infers. Ita hunc
Serm 24. in Cant. locum explicat Gilibertus Abbas, dicens: *Fœlix anima quæ novit dulcium verborum nectere retia, quib.* JESUM *illaqueet, & alliget verbum Patris.* O beata & fœlix anima, quę verba invenire novit adeò potentia, ut omnipotentem ligent, ut violentiam eidem inferant, eundemque quasi in manibus suis, & facultate sua contineant!

1. Reg. 15. 15. Propheta Samuel quondam Sauli Regi dicebat, Deum pœnitentia nequaquam duci, aut sapientissima sua proposita retractare non posse: *Porrò triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neq; enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Porrò pœnitudo rei alicujus, aut ab animi levitate, aut ab ignorantia, aut certè ab imprudentia nascitur; Nequit autem Deus ex levitate, seu mobilitate animi pœnitentia corripi, immutabilis enim est: Nec ex ignorantia, cum sit omniscius; neque per imprudentiam, id enim semper facit quod melius est. Est ergò pœnitudo soli homini propria, non verò Deo communis; *Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Quæ tametsi ita se habeāt, video nihilominus, quod confessio peccati, Deum pœnitere faciat. Accedite Jeremiam, & mox id clarè videbitis: *Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaveram, ut facerem ei*: adeò ut pœnitentia hominis, Dei quoq; pœnitentiam subinferat; & mutatio, quam circa se peccator statuit, eadē quoq;, ut is qui immutabilis est, mutetur, altereturq; ætern⁹, efficit. Id quod Hieronymū Oleastrū meritò exclamare fecit. *Mira Dei dignatio: quem quæso non pœniteat peccatorum, cum Deum videat pœnitere pœnarum?* Quis suas nō retractet iniquitates, cum Deum videat suas retractare comminationes? Quis suas nō revocet pessimas vias, cum Deum videat, fulminatas jam suas revocare sententias? Pœniteat igitur homo, quando eum pœnitere conspicit, qui pœnitentiā facere nequit, eundemq; ad impossibile quasi conari cōsiderat, utpote à peccati confessione violentatus: *vim facimus Deo non compellendo, sed flendo.* Optimi doctrinæ istius testes, Ninivitæ esse possunt, qui dolorosa peccati sui confessione, flagellum è manu Dei violenter eripuerunt, quo castigandi erāt; atq; si ita loqui fas est, vanum reddidere Prophetę cujusdam promulgatum oraculum, quo dicebatur: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Ecquis unquā adeò potens extitit, qui uno eodemq; tempore facere potest Prophetam aliquem divinum levem fieri & inconstantem, Prophetiā evanidam, mutariq; eum qui natura sua imutabilis existit? Nihil aliud quā culpæ syncera confessio.

Jerem. 18. v. 8.

Oleast. in Jerem.

hæc namq; Deo vim infert, violentatque omnipotentem. *Mutavit Deus sententiam, quia vidit opera commutata*, inquit Hieron. in Joan. Nam uti idem Doctor alibi notat: *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Annunciate* ergo *in populis mutationes eius.*

Hieron. in Joan. Hieron. lib. 2. in Luc.

16. Deus peccatum nostrum, characteribus indelebilibus in adamante conscripsit: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamãtino.* Quod idẽ est, ac si diceret: firmissima Deus memoria peccatum retinet, ut illud puniat in tempore suo. Scripturæ terræ hujus persæpe adulterantur & abolẽtur; aut quædam illis superadduntur, quæ prius inibi scripta non erant; Et utinam Deus faxit, id verum non esse, aut non cernerentur hodie in litigiosis processibus, per mali cuiusdam notarii improbitatem, oppressi pupilli & viduæ, nec domus aut integræ in extremam ruinam redactæ familiæ! At verò haud ita erit apud Deum, nam Cancellariæ cœlestis protocolli, nec nõ divini tribunalis processus inalterabiles erunt, utpote Adamanti incisi: *Scriptum est in ungue adamantino.* Unicũ duntaxat est, quod consilia in Codicibus divinis prolixè exarata, litura perstringere valet ppetua, estq; sola peccatorum confessio, nam uti S. Bernardus advertit: *Quod ibi scribit transgressio, hic delet confessio.* Confessio namq; modũ invenit, in ipsa Dei fora seu cõsistoria penetrandi, ibidemque ad libitum suum sententias concinnandi, efficiẽdique; ut ejus, quod Deus in libris suis in æternum conservaturus esse videbatur, prorsus non recordetur, nam *quod ibi scribit trãsgressio, hic delet confessio. Vim facimus Domino non compellendo sed flendo.*

Jerem. 17. v. 1.

De interiori domo cap. 27.

17. *Præter David, & Ezechiam, & Iosiã, omnes peccatum cõmiserunt*, inquit sapiẽs. Non sum nescius equidem communẽ huj⁹ loci expositionẽ esse, solos hosce tres Reges, peccatum Idololatriæ non commisisse; cui tamẽ obstat, quia nec alii duo Reges, Asa videlicet & Josaphat, in hoc peccati genere deliquerunt. Quomodo ergo Rex David, seriẽ ingreditur eorum, qui nõ peccarunt, cum is adulterium commiserit, ac demum homicida fact⁹ sit? Quodsi autẽ jam adductus vobis nõ sufficiat locus; ut evidentiùs, ac sine controversia veritas elucescat, en tibi eundẽ sapientẽ, cum de David Rege loqueretur, de eo clarè attestantem, q; æternum Deum, in cunctis suis honoraverit, ac glorificaverit operibus: *In omni opere dedit cõfessionem sancto & excelso, in verbo gloriæ.* Sed & huic loco nonnemo opponat: qua id ratione verum esse poterit, q; David, in cũctis operib. suis æternum Deũ glorificaverit? an ergo sacri scriptores obliti sunt eorum, quæ aliàs revera commisit? aut certè oblitus eorũ fortasse Deus fuit, qui scripturas Hagiographis dictavit ad calamum? S. Joan. Chrysostomus ingẽti cũ fiducia ad id affirmativè respondet. Sed quid est, q; memoriam Dei, quæ evanescere aut labi nequit, cũ res omnes sibi semp pſentissimas habeat, debilẽ adeò reddidit? Quid est q; illum peccatorum nostrorum oblivisci facit, cum nulli⁹ alterius rei aliàs obliviscatur? Aliud profectò nihil, q̃ eorundem peccatorum cõfessio. *Si nos recordemur, Deus obliviscî-*

Ecclesiast. 49. v. 5.

Eccl. 47.

Hom. in Epist. Hebr.

livisitur, neq; proinde eadem chartis suis inserit, dicitque Davidem divinæ Majestati suæ in cunctis gloriam retulisse, nam quod ibi scribit transgressio, hic delet Confessio. Quantum tres syllabæ valent? quæ videlicet efficiunt, ut illum fallat memoria, qui infinita memoria pollet, imò illum, qui, cùm res omnes sibi immediatè præsentissimas habeat, memoria non indiget. *Si nos recordamur, Deus obliviscitur.*

Quis autem pulchrior textus in cõfirmationem illius inveniri posset, illo Isaiæ Prophetæ: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non sum, tu autem memor esto?* q. d. Memoria tua memoriã mihi meã surripit adeò, ut si tu recorderis, ego obliviscar. *Audi qua cõditione*, dicit Gregorius Papa, *iniquitatũ tuarũ se esse immemorẽ dicat, videlicet, si tu memor fueris.* Adeoque David Rex, in Regum iñocentum serie reponitur, quia peccatum ejus, litura quadam è libris Dei deletum fuit, idemq; ille Deus peccati illius memoriam totaliter amisit. Si a. pergatis qrendo, quãndo David mirabile istud operatus fuerit? respõdebo: tunc videlicet id effecit, quãdò à Propheta monitus, dixit: *Peccavi.* Nathan subjungẽte: *Dominus quoq; transtulit peccatum tuũ.* q. d. Sustulit à te Deus peccatum tuum, atq; ideò innocens permansisti, puti eras priusquã peccares. *Translatũ est* (est Glossa Petri Blesensis) *peccatũ, & ablatum quod dividebat inter David & Deum, & sublato eo, David idem qui prius.* David sanctus effectus fuit, quãdo à peccatis liberatus fuit, quando illud confessus est & deplanxit: *Quod agnoscis, ego ignoscam, quod recordaris in publicum, ego obliviscar in æternum. Annunciate in populis mutationes ejus.*

Isaiæ 43.

In Psal. 3. pœnit.

Serm. de S. Martino.

18. Super ea porrò peccata, quæ in mundo committuntur, Christo potestas competit judiciaria. Sic namq; S. Petrus dixit, à Christo sibi præceptum fuisse, ut hanc prædicaret veritatem: *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum.* Bonus autem & æquus Judex, tribus instructus esse debet proprietatibus, sine quibus justè judicare nequit, sapientiã videlicet, integritate & fortitudine. Veruntamen vos obsecro, attendite; peccati namque confessio (omnis absit verbo huic temeritas) sua Deum exuere videtur sapientia, integritate, & fortitudine. De sapientia quidem S. Isidorus dixit: *Ante pba, & sic iudica: omnia primũ quære, ut cũ Iustitia definias.* q. d. Oportet Judicem centoculum esse, ut culpæ substantiam, gravitatem, causas, fines, occasiones, omnesq; alias circumstãtias bene considerare possit: at verò cõfessio efficit, ne Deus ullam ex hisce circumstantiis attẽdat, imò ne ipsammet quidem culpam videat; sic n. Rex sanctus postquam suam cõfessus esset culpã, dicit: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Sed cur id petis? si Deus judex est, cur nõ vis, ut is peccatũ tuum videat? utiq; respondebit David, quia ego & vidi & accusavi illud: *Peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi.* Hæc est S. Gregorii animadversio, dicentis: *Ideò oculos ab eius peccato avertit, quia ipse illud sine cessatione animadvertit.* Non videt Deus peccatum, quia peccator videt illud: *Quasi sit cæcus Deus ad confessa, & publicata peccata,* dicit bonus quidam scriptor. Et Petrus Blesensis adjungit: *Si peccatum tu aperias, ego operio; si agnoscas,*

Act. 10. v. 42.

Lib. 2. Synon. cap. 16.

Psal. 50. v. 11.

In Ps. 3. pœnit.

Celada in Jud.

In Cap. 1. Job.

scas, ignosco; si accusas, excuso; si iudicas & condemnas te, non iudico nec condemno. In summa, hunc Dei procedēdi modum,
Isaiæ. 43. Isaias docet, & velut uno verbo explicat, quando dicit: *Dic tu peccata tua, ut iustificeris.* q. d. Confitere peccata tua, sic enim in cœlesti curia velut innocens habeberis & justus, hoc enim solum sufficit, ad hoc ut Deus causas tuas adeò minutim non examinet.

19. Secundo dixi in Judice requiri integritatem, qua se muneribus corrumpi minimè permittat. Unde S. Isidorus hoc judicib. monitum dabat: *Sperne munus, ne per munera iustitia corrūpatur. Munera semper veritatem pvaricantur.* Habent enim munera tātam vim, ut spiritus sanctus dixerit, omnem per illa tolli difficultatem, latamq; omnibus agendis sterni viam:
Prov. 18. v. 16. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes spatium ei facit.* Munera potentissima sunt incantatio, quia homines veluti effascinatos & mente captos reddunt. Et verò, quis unq̄ crederet, permissurum Deum, ut per scelerum nostrorum cōfessionem, veluti gratissimum, quod à nobis recipere posset, donum, & munus, fascinaretur aut incantaretur?
Psal. 146. v. 7. *Præcinite Domino in Confessione*, dicebat Rex sanctus; ubi secundum Græcam phrasin sic legi potest: *Incantate Deum in Confessione.* q. d. Honorarium istud cōfessionis illi offerte, hoc enim adeò illi gratum erit & acceptum, ut, veluti incantatus & effascinatus videatur, & obtineri ab illo possit, quicquid desiderare possetis in corde: Cōfessio vestra, est veluti venusta quædam tunica, quam Deo donamus, tantoque apud Deum in pretio, ut in festivis duntaxat, jucundissimisque solemniis, ac pompis, illa se ornet ac vestiat: *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem, & decorem induisti.* Ps. 103. v. 1. *Induit confessionem, non suam sed tuam,* dicit Gilibertus Abbas, *Hoc se ornatum pallio reputat, hoc à te mutuatur, hoc illi pallium trade; quod affectuosè accipit, quasi pignus amoris, & reconciliationis signum.* Quod si tu lite quadam magni momenti onustus, ac pressus, securus esses, infallibiliter fore, ut exhibita judici pretiosa quadam veste, aut pallio, veluti honorario quodam munere, gratiam tibi ac favorem illius conciliare possis, ô q̄ hilaris futurus esses, ac quiet⁹? Et ecce nos, per solam peccatorum confessionem, infallibiliter de divina æterni judicis gratia, ac favore, certi & securi sumus, hanc enim tanti æstimat, ut ob illam, juris sive justitiæ apices, & puncta subtilia considerare omittens, in partem nostram totus omninò cedat.

20. Quod si deniq; Judex, potentia ac fortitudine prædit⁹ esse debeat, ut vel sic potentum elationi, ac superbiæ, sese opponere valeat, ꝑfectò est, cur vehemēter gaudeatis, & lætemini; siquidem Deus noster, per confessionem, timidus, ut ita dicam, & impotens efficitur. Revocate in memoriam vobis Achab Regem, qui cum infinitis sceleribus suis, iram provocasset divinam, vix confessus fuit, & mox Deum omni exarmavit potentia, adeò ut Eliæ diceret; *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* 3 Reg. v. 29. in Epitaph. Fabiolæ. *O fœlix pœnitentia,* (exclamat ibidem S. Hieronymus) *quæ ad se Dei trahit oculos, & furentem sententiam Dei, confessio*

confesso errore mutavit. O fortunata Pœnitentia, quæ iram Dei in benevolentiam convertit, atq; confitendo errorem, furibundam judicis revocat sententiam! *Annuntiate in populis mutationes eius.* Dignè celebrentur omnes hæ miraculosę, quas confessio efficit, mutationes, nam vim infert ei qui omnipotens existit: unico tantum verbo, quod de ore pœnitentis egreditur, totius universi Dominum ligat, vincit, ac captivat: ad pœnitudinem cordis, inducit eum, qui ob naturalem suam immutabilitatem, pœnitere nequit; delet peccata, quæ ungui adamant no inscripta seu potius insculpta fuerant; Memoriam impedit illius, qui cuncta creata, coram oculis suis immediatè præsentia habet; ac denique tametsi Deus judex sapiens, integer, & fortis existat, modum tamen invenit, eundem adeò ad commodum suum inflectendi, ut deinceps, prout sibi visum fuerit, in cunctis procedat.

PARS SECUNDA.

21. *Annuntiate in populis mutationes eius.* Confessio insuper, ipsum quoque Paradisum commutat; Eratque hæc quarta à nobis proposita mutatio. Tāetsi enim beata illa civitas, omnibus obfirmata & clausa sit peccatoribus, confessio tamen peccati eandem aperit, eòque pro lubitu suo introducit, quosvis etiam sceleratiores mūdi hu- Ps. 65. v. 13. jus peccatores. *Introibo in domum tuam,* dicebat Propheta. q. d. quantumvis firmiter, ac strictè occlusæ sint fores domus Dei, ego tamen mihi certò, ac confidenter, me illic intraturum promitto. Itane ô David? Sed qua ratione eo intrare poteris, si domus illa, & fores illius, integro Cherubinorum agmine cincta est, qui gladios igneos manu sua tenentes, procul abinde arcent omnes, qui mansione illa indigni sunt? Et quomodo tantum tibi, in re adeò difficili, & ardua, viribusque humanis insuperabili, promittere audes? Sed advertatis, velim, quod mox ibidem subjungit: *Reddam tibi vota mea. Introibo in domum tuam in holocaustis.* q. d. Hæc mihi fiducia, ex sacrificio quodam subnascitur, quòd distinxerunt, aut diviserunt labia mea, quodq; Majestati tuæ oblatum esse volui. *Quæ est distinctio in votis?* inquit Augustinus, *hæc* in Ps. 65. *est distinctio, ut te accuses, illum laudes: te intelligas creaturam, illum Creatorem, te tenebras, illum illuminatorem. Redde vota distincta, confitere te mutabilem, illum incommutabilem: cōfitere te sine illo nihil esse, ipsum autem sine te perfectum esse: te indigere illo, illum tui non indigere.* Quantumvis domus Dei tibi ob peccata tua reclusa sit, eo tamē patulum tibi aditum promittes, dummodo sacrificiū istud bipartitum Deo obtuleris, cujus una pars in eo consistit, quòd teipsum accuses, altera verò in eo, quod Dominum Deum tuum laudes, ac superexaltes: *Introibo in domū tuam in holocaustis, reddā tibi vota, quæ distinxerunt labia mea.* Clariùs idipsum Propheta alibi edixit, id est, Psal. 99. dicens: *Introite portas eius* Ps. 99. v. 4. *in confessione.* Sed qua ratione fiet istud? Quomodo portas illas æternales, nostris sceleribus tam rationabiliter occlusas, aperiemus? Quomodo portas illas justitiæ, nos adeò injusti penetrabimus? *Introite portas eius in confessione.* Tu quidem cœlum non mereris, verum est, modus autem idipsum

Psum promerendi, est, fateri, quod revera non merearis; Ratio eo perveniendi, ubi nullus appellere potest peccator est confiteri peccatum: Reddam tibi vota, quæ distinxerunt labia mea. An non S. Augustinum audistis, id clarè dicentem, dũ de Adamo, à Paradisi domo exule, ita loquitur: *Adam si se humiliter acc[u]sasset, non exulasset.* Serm. 19. de sanctis.

22. Considerate insuper, qua ratione fœlicissimus ille latro, qui in societate Christi, in cruce mortuus fuit, cœlum rapuerit, unde mille titulis excludend⁹ videbatur. Quo igitur modo hic eo penetravit? offerendo bipartitum istud sacrificium: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic v. nihil mali gessit.* Ecce exactam sacrificii distinctionem: *Hæc est distinctio, ut te accuses, illum laudes. Introite ergo portas eius in Confessione.* Portas illas, quæ alteri latroni, occasione peccati sui, obfirmabantur, nunquam in æternum deinceps aperiendæ, hic confessione mediante aperuit. Advertit hoc acutè valde S. Augustinus dicens: *vides quanta res sit confessio. Confessus est & Paradisum aperuit: confessus est, & tanta fiducia robur accepit, ut de latrocinio regnum exposceret.* At verò, ô Deus, an nõ magnum erit dedecus, videre latronem quendam, inter cæteros cœli cives, obtinuisse primatum? Imò honor potiùs erit, habere Deum, qui ipsos quoq; latrones cœlo dignos efficere possit: *Non confundens Paradisum, sed honorans. Honor enim est Paradisi, talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere possit delitiis, & possessione Paradisi.* Serm. 23. & 49. de div.

De porta cœlorum intelligi potest illud Psalmi: *Hæc porta Domini, & iusti intrabunt per eam.* Nemo isthuc pedem inferet, quin sanctus sit, quia nihil coinquinatum intrabit in eam. Sed qua ratione igitur eo intrãt latrones: Quomodo illuc adulteri ingrediuntur? Qua fiducia David dicere audet: *Aperite mihi portas iustitiæ?* Respondebit S. P. Augustin⁹; illuc latrones quidem etiã ingredi; haud aliter tamen, quoniam sicut bon⁹ latro illuc est ingressus, mediante nimirũ confessione, q̃ ipsimet cœlo vim infert & violentiã. Hinc latro dixit: *Nos quidẽ iustè, nam digna factis recipimus. Exclusit iniquitatẽ, accusavit eã & caruit ea.* Portas justorũ nũc introire valeo, quippe, qui per confessionẽ ex injusto factus sum justus. *Aperite mihi portas Iustitiæ: Confessus est, & Paradisum aperuit.* Hoc ergo faciam⁹, dilectissimi, quod Propheta nos docuit, ut mãsionẽ Paradisi ingrediamur: *Tollite hostias, & introite in atria eius.* Sed q̃d boni adferemus, ut in illas beatas sedes recipiamur? Quænam munera? aut qualia sacrificia? Tauros fortè? aut Capreolos? aut alia ejus generis pecora? *Qui offerũt hostias, intrant in atria,* inquit Augustinus, nemo illuc ingredietur, quin aliquid secũ illud ferat. Quodnam ergo istud erit sacrificium? Haud aliud ꝑfectò, q̃ illud confessionis: *videte ne sit hostia, de qua iam dudũ dixit: Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Confessio hostia est Deo. O ergo gentes, si vultis intrare in ostia, tollite hostias! Cum humili corde intra in domum Dei, & cum hostia intrasti.* Psal. 117. v. 19. in Psal.

23. Magno certè cum mysterio Propheta dicebat, confessionem, cum Dei magnificentia semp conjunctam esse: *Cõfessio, & magnificentia opus eius.* Magnificen- Psal. 110.

ficentia, est virtus Principū ꝓpria, qui magnificum quid; & personis ipsorum ꝓportionatū munus donare possunt. Atq; ideo Deus, magnam hanc virtutē nō exercet, nisi dum is semetipsum in mun⁹ alicui impertit, cum omnia cætera dona, nullā cum magno hoc donatore proportionem habeant. *Cōfessio ergo & magnificentia eius.* Quando vestra ꝑvenit cōfessio, mox Dei gratia subsequitur, & consequenter cōmensurata gloria. *Quid magnificētiùs*, inquit Augustinus, *quam iustificare impium? hæc est magnificentia Domini, iustificatio peccatoris. Et hæc est magnificentia Domini, quoniā cui plurimū dimittitur, plurimū diligit. Hæc est magnificentia Domini, quoniam ubi abundavit peccatū, superabūdavit & gratia.*

in P. S. 111.

Sed qua ratione, hanc Dei magnificētiam assequimur, qua filii Dei, Christi fratres, nec non cœli cohæredes efficimur? Quid faciendo, in album civium supernæ Jerusalē adscriptus ero? Quo modo soci⁹ fiam sanctorum, & domesticus domus Domini? unica id efficiet confessio: *Confessio & magnificentia opus eius. Opus homini ꝑvenire istam magnificentiam Dei; ut cū fuerit peccata cōfessus iustificari mereatur.* Unde Gotfridus Cardinalis S. Priscæ, meritò dixit: Pœnitentiam ostiariam esse cœlorum. *Pœnitētia more fidelis ostiariæ, ostiū Paradisi, peccatorib. clausum, quando vult, aperit, & quos pœnitētes agnoscit, recipit intra.* Adhæc licet ipsamet veritate teste, ostium cœli respectu peccatoris, sit sicut foramen acus, respectu molis ingentis alicujus cameli, nihilominus, inquit S. Paulin⁹, facilius ꝑ illud humiliata pertrāsit iniquitas, q̄ superba justitia: *Per quam facilius ingreditur humiliata iniquitas, quā superba iustitia.* Igitur *Confessio & magnificentia opus eius*; Igitur *confitere vitam & aperis viam.*

Serm. 2 de Nat.

Epist. 10.

Dominus noster dicit, ꝙ ex quo S. Joannes Baptista, in hoc mundo visus est, mox quoq; Regnū cœlorum vim pati pariter cœperit. *A diebus Ioannis Baptistæ, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ratio a. hujus illatæ violentiæ est, quod S. Joannes pœnitētiam ꝑdicavit, fructum ejusdem hominibus proponendo, qui est aperire cœlum. *Pœnitentiā agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* unde S. Matthæus dicit ab hac ꝑdicatione, universam Judæam commotam esse, nec non & omnes illos, qui juxta Jordanis habitabant fluenta: *Baptizabantur ab eo in Iordane, cōfitentes peccata sua.* En vim, quam cœlo inferebant; eandemq; non aliis illatam armis, q̄ armatura cōfessionis, *confitentes peccata sua.* Nam uti B. Petrus Damiani advertit: *Inter Pœnitentiam, & regnum cœlorum, nihil est medium.* Atqui, dicit S. Gregorius, *Quis cœlo violentiam irroget?* Cœlum justorū est habitatio, unde cum peccator eo ingreditur, videtur locum occupare alienū, adeoq; violenter eundem acquirere, atq; per vim possidere. *Regnum cœlorum, locus iustorum: cum v. quis, vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracūdia accensus, vel crudelitate impius, post culpā ad Pœnitentiam redit, & vitam æternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienū.* Sicq; violentiam infert, quia in domum ingreditur alienā, facitq; suum, quod suum non est; atq; velut proprium possidet, ꝙ alienū est: *Recogitemus ergo fratres charissimi, mala q̄ fecimus,* subjungit S. Gregorius, *& nosmetipsos assiduis lamentis atteramus. hæreditatem justorū, quam non tenuimus per vitam, rapiamus ꝑ pœnitentiam.*

Matth. 11. v. 12.

Serm. 5.

Hom. 20. in Evang.

Xx Unde

Unde Petr. Cardinalis Damianus, B. Bonifacii fœlicissimam sortem considerãs, qui prius adulter fuerat, postea v. Martyr effectus est. Maximũ, inquit, mundi ꝑdigium quoddam ego video, vilissimam scil. Tartari stipulam quandam Paradisi factam esse Cedrum, & inferni titionem, in scintillantem cœli stellam transformatam esse: *Stipula Tartari, cedrus facta est Paradisi, atq; ut ita fatear, torris inferni, factus est splendidissimum sydus cœli.*

Isaiæ. 1. v. 9. 24. Isaias propheta, peccatores pri⁹ Confessionem peccatorum suorũ docuit, dicens: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & arguite me, dicit Dominus.* Male actam vitam vestram dimittite, recognoscite, & confiteamini peccata vestra, vosq; Sodoma & Gomorrha flagitiosiores æstimate, & si hæc suadens, malè vobis consului, illius mihi imꝑperandi, liberam facultatẽ habetote. Sed quod si hæc omnia, ô Domine, q̃cunq; tantopere inculcasti nobis, ad arbitrium tuum adimpleuerim⁹, quid inde erit nobis? *si fuerint peccata vestra, ut Coccinum, quasi nix dealbabuntur*, q. d. Si peccata vestra rubicunda fuerint, & coloris sanguinei, veluti supplicio dignissima, ego eadem albescere faciam, instar nivis, id est, efficiã, vt gloriæ & beatitudinis sint materia; color albus enim, est Liueria, seu color gentilitius cœlestis. Hinc Angeli in resurrectione, mulieribus, & Apostolis in ascensione, in vestibus albis, & candidis, apparuerunt. Rubeus color autem econtra, est Liveria Infernalis, quæ supplicium significat & pœnam. Peccata ergo dealbare, quæ rubea antea erant, idem est, quod facere illa materiam præmiorum, quæ suppliciorum antea ꝓvocativa erant. Est subtilis hic Cardinalis Caietani conceptus. *Per colorem coccineum peccati, merita vindictæ significantur; per albedinem verò nivis, & lanæ, significatur gloria: nam quia diligentibus Deum cooperantur bona omnia, etiam ipsa peccata, ideò peccata q̃ merebantur vindictam, reddũtur per divinæ gratiæ largitatem, materia gloriæ.* O ingens revera ꝓdigium, peccatum conversum esse in monetam, ad comparandam gloriam! Videbatur antea, in argentariis, seu Trapezis cœlestib. nullam aliam monetam valere p̃ter solam justitiã, neq; alios per Dei manus contrectari denarios, juxta illud *Iustitia plena est dextera tua*: nunc a. video, monetam peccati quoq; usualem esse, neq; peccatorib. in cœlo, commercia abnui; nec tamen aliud peccatum, ad ea commercia valet, quam quod in confessione sufficienter explicatum, adeoque pretiosum factum est, ut gloriæ comparandæ servire dignè possit; nam *peccata, per Dei largitatem redduntur materia gloriæ. Annuntiate in populis mutationes eius.*

25. Ultima, quam confessio efficit, mutatio, est ipsiusmet inferni. Toties Dominus in Evangelio repetiit, quod in inferno futurus sit *fletus, & stridor dentium. Ibi ergo erit fletus ex dolore, stridor ex rancore*, dicit Galfridus, atq; subdit, Tametsi id revera ita sit, quoddam tamen superesse videtur remedium, quo mediante existimarem, omnes illas infœlices animas, una cum universis male- Matth. v. 12. Galfr. apud T[…] mann[…]

ledi-

lledictis eorundem spiritibus ab infernalib. eximi ac liberari posse vinculis. Ecquodnam a. est illud adeò potens remedium? Hoc videlicet; si cum vera cõtritione cordis, dicere vel semel, cũ Rege Davide, possent: *Peccavi*: aut cum sancto latrone: *Et nos quidem digna factis recipimus*: *Si dicere possent, nos quidem iustè, nã digna factis recipimus, audeo dicere, ignis ille inextinguibilis, tamen extingueretur. Quantum tres syllabæ valent?* O quantum inquam valent, q̃ vincula etiam adamantina solvendi vim habent, si valẽt æterna illa extinguere incẽdia, si illos per totam cõdemnatam æternitatem captivos liberare possunt? S. Job Deo quondam dicebat: *Noli me condemnare, indica mihi, cur me ita iudices?* videtur autem, nimis excessiva illa confidentia, nisi potius temeritas appellanda sit, velle, ut ita dicam, ipsimet Deo insultare, atq; ab eodẽ regiminis sui rationes exposcere; Et tamen dicit: *Dicam Deo, noli me condemnare, indica mihi; cur me ita iudices?* q.d. audacter; nec presso, sed aperto ore dicam, ꝙ sentio; Non n. mihi videtur, Deus ea me ratione & modo tractare, qui ab aliquo, qui De[9] est expectari possit. Veruntamen, notastis ne ipsum paulò antè dixisse: *Dimittã adversum me eloquium meũ, loquar in amaritudine animæ meæ?* Sed si tibi ipsi loqui vis, cur postea ad Deum te vertens, cum illo sermocinaris? Si illum discursum tuum, contra temetipsum inflectis, cur cõtra ipsum met judicem te vertis? *Dicã Deo: Et dimittam adversum me eloquium meum.* S. Gregorius Magn[9] optimè respondet, quod Job locutur[9] ad semetipsum conversus, ad Deum vertatur, atq; dum ipse confitetur, sumq; detestatur peccatum, flagellum

Job. 10. v. 1.

Lib. 10. Moral.

è manu Dei eripit, atq; indignationis suæ flammam extinguit: *Qui peccatorẽ se in amaritudine animæ asserit, quid Deo aliud, quam ne condemnetur dicit? quia amaritudo præsentis pœnitentiæ, extinguit supplicia sequentis iræ.* In hujus figuram legimus, Azariam, cum tribus sociis suis, in fornace Babylonica, peccata sua hisce verbis confessos: *Peccavimus, iniquè egimus*; Hanc autem confessionem, flumen quoddã fuisse abundantissimum, ꝙ cũctos fornacis ardores, & flammas, q̃ quadraginta novem cubitis, ad cœlum usq; ascẽdebant, prorsus extinxit: *Qui cum Azariæ erãt*, inquit Cyrillus Hierosolymitanus, *quales effuderunt fontes? quot vasa aquæ, quadraginta novem ulnarum flammam extinguere potuerunt? sed ubi ascendit flamma, ibi fluvium effudit fides, & illi dixerunt pro remedio malorum: iustus es Domine, in omnibus, quæ fecisti, peccavimus, iniquè egimus. Et Pœnitentia dissolvit flammas.* Videtis qualiter confessio, ingens quoddam flumen extiterit, quod fornacis Babylonicæ ardores extinxit; eademque haud dubiè fornacis infernalis extinguet ardores?

Dan. 3. v. 29.

Catech. 3.

26. Regii Davidis sequamur consilium, & omnia nobis fœlicissimè evenient. Quid ergo dicit David? *Præveniamus faciem ejus in Confessione.* Quid est prævenire Deum? Deus veniet, decreturus singulis sentẽtiam s[?]ã; Prius ergo nos sentẽtiam adversus nos ipsos pronũtiemus, sic enim Dei contra nos præveniemus sententiam. Ita docet S. Augustinus dicẽs: *Quid est præveniamus? nos confitendo damnemus, quod fecimus, ut ille ꝙ coronet, non quod damnet inveniat.* Et alibi eundem locum explicans, dicit: *Præveniamus eũ, ne ipse nos præveniat. Post*

Ps. 94. v. 2.

in Ps. 94.

Aug. in Ps. 34.

confessionem, non afferet ultionem, si & tu post confessionem, non repetas iniquitatem. Præveni antequam præveniaris. Si tu peccati tui Index extiteris, promitto tibi, q Deus nõ erit; imo tibi in judicio tuo assistet. Hæc erat quondã Tertulliani exhortatio: *Pœnitentia de periculi timore, Dominum honoret, & in peccatore ipso pronuntians, pro indignatione, Dei fungatur munere, & temporali afflictatione, æterna supplicia, non dicã, frustretur, sed expungat.* Adeo ut confessio, indignationis Diuinæ vicaria, atq; in locũ, seu permutationẽ pœnarum infernaliũ, substituta esse videatur. Miser ille in Evangelio, debebat decem millia talenta, quæ ad sex æstimantur milliones. Hũc Dominus, rerum gestarum rationem ab illo poscens, & infidelem deprehẽdens, carceri mancipare statuerat. Sed qua ratione à carcere liber evasit? *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Confitetur peccatum, moxq; eidem remittitur debitum: *Omnia dimisi tibi, quoniam rogasti me:* vide, inquit Chrysostomus, quanta hic cum facilitate, à tam ingenti liberetur ære alieno? Debitum, peccatum significat; Debitor, hominem; Dominus, seu Paterfamilias, Deum; Carcer Infernum. Quò ergo consilio homo peccator, à pœnis, peccatis suis debitis, se liberat? Confitendo solummodo: *in confessione debiti, inuenit debiti solutionem.* O magna à pœnis se liberandi facilitas, fateri se reum, non negare debitum, debitam protestari inpossibilitatem, implorare Dei clementiam! *In confessione debiti, invenit debiti solutionem.* Unde optimè inquit Ambrosius, confessionem compendium quoddam esse pœnarum; hę enim æternæ esse debebant, & unico solum durant momento; vehementissimæ, & vix sentiuntur; sine consolatione, & tamen gratiæ mitigantur dulcedine. *Confessio est pœnarum compendiũ.* *Nõ vis ut ille puniat:* dictum est Augustini, *tu puni; puniendũ est, aut à te, aut ab illo: tu agnosce, ut ille ignoscat.* Recordemini memorialis illius, q Pacianus Episcopus Barchinonensis dabat; videlicet; Si aliquam tibi peccati tui confessio, creare videatur molestiam, infernum in mente semper habere memento, cujus flammæ per confessionem extinctæ sunt: *Si de cruciatu exomologesis retractatis, gehennam recordamini, quam exomologesis extinguit.*

Lib. de Pœnit. cap. 9.

Matth. 18. v. 26. 29.

De Pœn. & Conf.

27. S. Augustinus dicebat, & optimè quidem, peccatorẽ absq; confessione, in profundo illo Inferni jacere barathro, de quo Sapiens loquebatur, dicens: *Peccator, cum in profundum malorum venerit, cõtemnet. Clausit sup eũ puteus os suum.* At cur pfundus ille puteus, os suum sup peccatorem clausit? quia os peccatoris pariter clausit. *Clausit os suũ, quia clausit os illius, perdidit confessionẽ verè mortuus est, & amissa confessione non erit ei locus misericordiæ. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? ut ergo sit ille liberator, tu esto accusator.* O mi Christiane, ut ab hac profunda abysso egrediaris, alia tibi non superest scala, quàm illa confessionis! Hæc scala, à bono Rege David fabricata fuit, prouti in Regum libris legimus: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob.* Litera Hebræa ita legit: *Dixit vir, cui constituta est scala.* atq; per hanc scalam S. Hieronymus, Confessionem intelligit: *Constituta est ei scala, ob id scilicet,*

in Psal. Prov. 18. v. 3.

2. Reg. 23. v. 1.

quod

quod confessus est, & dixit: Peccaui Domino. Scala quidem fuit David confeßio illa, & scala similiter est omnibus qui ritè confitentur. Peccando descendit peccator in Infernum, ut confitendo ascendat in Cœlum. Videre ergo qualiter nūc affatim probatum existat, quod confessio infernum prorsus immutet, quia flammas extinguit, peccatori ante confessionem factam, debitas. *Annuntiate inter gentes mutationes eius.*

Serm. de Confess. peccatorum.

28. Concludo ergo cum S. Joanne Chrysostomo, & dico: *vive remediis, qui mortuus es peccatis. Confeßio reddat quod peccatū detraxit.* Per peccatum es mortuus, potenti autem confessionis antidoto curari poteris. Cur igitur stas otiosus? Cur ad salutis tuæ remedium non accurris? Cur vitam tuam in securitatem reponere non cogitas? *Confeßio reddat, quod peccatum detraxit.* Non est tibi ob id opus, longis te onerare peregrinationibus; nec magnis tibi opus est sumptibus; nec longos tolerare labores; non longum perdere tempus. Ah si salus tibi æterna, aliquousq; cordi est, audi, amabo, illud Augustini monitum, sic loquentis: *Nunquid cōsilij corrigendi aut mutandæ vitæ malæ in bonū, non est locus? non est tempus? nonne si vis, hodie fit? Quid empturus es, ut facias? Quæ emplastra quæsiturus es? Ad quos Indos navigaturus? Quam navim præparaturus? Ecce cū loquor, muta cor, & factum est; quod tam sæpè, & tamdiu clamatur, ut fiat, & quod æternam parturit pœnam, si non fiat.* Ex corde contrito & humiliato, unicum illud in os ingere verbum, *Peccavi,* sufficietque hoc ipsum, ut securitati tuæ melius consulas, sufficit inquam, ut in majores cœli sanctos, peccatores convertat; ut culpas tuas præteritas, magni faciat esse materiam lucri; ut Deū benevolum reddat & clementem; ut portas cœli aperiat: denique ut flammas inferni extinguibiles reddat.

CONCIO XVII.

In Feriam II. post Dom. III. Quadr.

THEMA.

Multæ viduæ erant in Israel, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptha Sidoniæ ad mulierem viduam.

Luc. 4. v. 25.

ARGUMENTUM.

Eleemosynarius fœneratur Deo; sunt autem usuræ, quas apud Deum lucratur, valdè differentes ab usuris hujus mun-

mundi; scilicet quoad capitale; quoad lucrum; quoad solutionis accelerationem; ac denique, quoad benevolentiam solventis. Econtra verò ab eo, qui Eleemosynarius non est, Deus divitias concessas tollit.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Punctum Primum.

Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis Proverb. 19. Num. 1.

Dona & gratiæ cœlestes, sunt veluti Pensiones, & ideo illis solum dantur, qui apud Deum, veluti divinum usurarium, aliquod, vel modicum, Reverentiæ, aut pietatis capitale reposuerint. ibid.

Synopsis eorum, quæ hac concione tractantur. ibid.

Deus dat nobis pensionem, vel usuram de capitali quodam suo, non vero nostro. nu. 2.

Cum pauperi facis Eleemosynam, non das illam Deo de tuo sed de suo. ibid. & n. 3.

Deus operatur omnia in nobis num. 3. *Et tamen præmiat illa velut si purè nostra essent.* ibid.

Solvitur contradictio, quæ prima facie inesse videtur verbis illis sapientis: Honora Dominum de tua substantia, & redde ei debitum tuum. n. 4.

Deus donum verè suum, velut nostrum reputat, ut remunerare poßit. ibid.

Omnis justitia, & sanctitas. & opera nostra, non tam nostra, quam sua sunt. n. 5. *ubi benè ponderatur illud Psal* 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

Idem ostenditur ex illo Cant. 5. veniat dilectus meus, in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. num. 6.

Quisquis de virtute aliqua, aut alio dono gloriatur, non de suo, sed de eo, quod Dei est, gloriatur, ubi ponderatur locus Cant. 1. Lectulus noster floridus. *Quibus sponsus mox subdit:* Ego flos campi. num. 7.

Punctum Secundum.

In mundo centum, non pariunt ad usuram, nisi quatuor tantum aut quinque ad summum. Eleemosyna autem Deo donata, ex uno parit centum, imò mille, ad usuram. n. 8.

Tu Deo plumbum donas, ipse aurum reddit. n. 9.

Tu pecuniam erogas, & acquiris justitiam; ac Deum tibi concilias amicum, imò & ministrum. ibid.

Christus non intrat per portas ad animam, nisi unctæ illæ fuerint oleo misericordiæ. Christus enim idem est quod unctus. ibid.

Magna vis & efficacia Eleemosynæ, quæ flagitiis & criminibus, quantumvis enormibus, veniam & misericordiam obtinet. n. 10. *imò cogit Deum, ut ea remittat.* ibid.

Eleemosyna est ars lucrativa omnium, quæ in cœlo, vel in terra sunt. n. 11.

Ponderantur verba illa Ecclesiastici 18. Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso. num. 12.

Eleemosynarius sigillum Dei secum defert, ut prætendere & obtinere poßit, quicquid desiderat, etiam ipsummet Deum. num. 12.

Eleemosynarius sigillo Dei munitus est, veluti iustus, imò prædestinatus ad vitam æternam. ibid.

Eleemosynarius saccum pecuniæ secum semper defert, ut comparare sibi poßit, quicquid desiderat. ibid.

Usura,

Punctum Tertium. *Usura, quam parit Eleemosyna, incunctanter, & sine mora datur; neque post hanc vitam differtur, ut multi existimant.* n. 13.

Planè nullus in cœlis simul, & in terra beatus; at legem hanc sola violat misericordia ibid.

O avare, esto dives in misericordia, si semper vis esse dives! num. 14.

Eleemosyna pietatis est promptuarium, & commune locupletum ærarium ibid.

Dare Eleemosynam, nihil est aliud, quam recipere. ubi ponderatur locus Ecclesiastici 14. Da, & accipe, & justifica animam tuam. num. 15.

Eleemosynarius, vendendo comparat, recondit erogando, dum amittit, acquirit. num. 16.

Egregia magnorum Eleemosynariorum series recensetur n. 17.

Punctum Quartū. *Usura mundi, ab Eleemosynæ usura, in hoc differt, quod hæc retribuatur à Deo, ingenti cum civilitate & benevolentia.* n. 18.

Deus Eleemosynariis in die Iudicij, non iudex; sed debitor; non accusator, sed laudator; amabilis, non verò terribilis apparebit. ibid. & n. 19.

Sola Eleemosyna iræ Dei resistit num. 19.

Beatissima virgo MARIA, *licet sanctitatis fuerit prodigium, per Eleemosynam, in prece pauperis, spem suam reposuit.* Amb. lib. 2. de virg. *ut hinc Eleemosynæ virtutem & excellentiam recognoscas.* n. 20.

Punctum Quintū. *Tametsi variis ex causis contingat depauperari hominem, & bonis fortunæ omnino exui, nulla tamen est certior illius, & universalior causa, quam neglectus Eleemosynæ.* n. 21.

Contractus donationis bonorum, ex quatuor causis, revocatur & irritatur. ibid.

Bonis temporalibus exueris primo, quia Christo, in paupere necessitatem patienti, per Eleemosynam non succurris. num. 22.

Secundo; quia non imples eam conditionem, sub qua tibi Deus bona illa donavit, videlicet: ut pauperi & egeno subvenias. n. 23.

Tertio: quia per bona temporalia, tibi à Deo concessa, eidem Deo donatori iniurius es. n. 24. & 25.

Quartò. Quia bonis tibi liberaliter datis, non levem iacturam intulisti. num. 26.

1. Viduæ illius exemplum, cujus hodie incarnata meminit sapientia, dictum confirmat sapientis, qui dicit: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis & vicissitudinem suam reddet ei.* Siquidem extremæ illius Caristiæ tēpore, qua universa patria premebatur modico farinæ pugillo, & quatuor circiter olei guttulis, largam adeo, ac copiosam alimoniæ sibi promeruit annonam, ut facta quasi videatur divini penu, seu promptuarij dispensatrix, aut proma conda. *Qui farinæ brevis* (inquit S. Ambrosius) *oleiq; mensuram, indeficienti affluentium copiarum ubertate compenset.* Eritque hoc eodem exemplo, perfidorum quoque acincredulorum Nazarenorum satisfactum petitioni, qui lamentabantur, Dominum in patria sua, nullum operatum fuisse miraculum, cum tamen tot patrasset inter exteros; ipsorum namque id culpa factum fuerat, quia videlicet, ne vel minimo reverentiæ tributo, aut aliqua humanitatis, ac benevolentiæ pia demonstratione, aliqua sibi redemptoris beneficia promereri, aut comparare studebant. Denique eodem exemplo edocemur nos omnes,

Lib. de viduis.

omnes, videlicet non esse omnes gratiæ altissimi, tametsi is alias adeò erga nos sit liberalis accipiendæ dignos, & idoneos, sed illos duntaxat, qui cœlesti huic ac divino usurario, aliquod, vel modicum, usuræ ab eodem percipiendæ, capitale præbuerint: *ostenditur exemplo*, repetit S. Ambrosius, *non omnium esse, divina mereri miracula potestatis, sed eorum, quibus religiosæ devotionis studia suffragantur.* Atq; ô utinam ego hodie, huius fœlicissimi inter Deum & hominem commercij, utilitates, & commoda vobis exponere possem, dum hic ex minima summa, in huius tamen providi, atque solliciti Collybistæ, seu fœneratoris manu reposita, immensas recipit usuras, quæ modico tempore, in inęstimabiles excrescũt divitias! Id quod S. Paulinum Nolanum Episcopum, meritò in hunc
Epist.12. modum exclamare fecit: *O beatum commercium, in quo nec usuras exigens criminis arguitur, nec solvens maligno gravatur! O fœlix negotiatio, in qua creditor est opportunè importunus, & debitori plus, quã debeat, debetur!* Veruntamen prolixius hac de re hodie agere constitui. Quatuor namque, si tamen ita vobis quoque placet, hac in re notabo differentias, quæ inter usuras, quæ cum Deo tractantur; & eos, quæ inter homines intercedunt, reperiuntur; è quibus prima est, quoad capitale. Secunda, quoad lucrum. Tertia, in solutionis velocitate; ultima deniq; in benevolentia, & comitate solventis.

2. Primo ergo *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi*, cum maxima tamen differentia capitalis, hoc enim in hac usura cum Deo, non est nostrum, sed Dei. Et res est maximopere miranda, quomodo Deo complaceat, de iis bonis usuras pendere, quæ ipsemet homini liberaliter concessit, ac quorum absolutum nihilominus semper retinet dominium. *Quid habes quod non accepisti?* inquit Paulinus; *& ideo, non ut de proprio restricti sumus, sed ut de credito fœneremur. Immensa Dei bonitas, de ipsis muneribus suis, vult sibi munera fieri.* Tu cum pauperi largiris Eleemosynam, non quod tuum est, das Deo, sed quod suũ est, reddis. Ipse tibi fundos donavit, & prædia, unde tuam colliges substantiam; Sol suus, aurum tibi, aliaque in fodinis gignit metalla; Stellæ suæ, benignas in agros tuos emanari faciunt influentias: Ipse sementem tuam, sua virtute vivificat; terram tuam, sua pluvia fœcundat; maturefacit fructus tuos suo calore; frigore suo, grani tui profundius inserit, atque stabilit radices; rore suo, nascentia recreat, & refrigerat germina: spicas virentes suis ventis concutiens, vigorem iis ministrat & vitam; tuas providentia sua onerat & locupletat vineas, tuaq; oliveta; laborem terræ, ejusdemque requiem, ordinatissima temporum alternat vicissitudine.

3. Sed quid de rebus, quæ extra te sunt, loquor? quando tu, quantus quantus es, ô homo quantum potes, quantum vis, suavissimi & optimi huius Domini donum es; nec quicquam rerum possides, quod immensi illius affectus divini, effectus non sit: Quod si enim operaris, ipse te prævenit; si te moves, ipse te præmovet; si evigilas, ipse te excitat; si resurgis, ipse te sublevat; si per viam præceptorum Dei curris,

ris, ipse te portat; si fatigaris, ipse vires tuas restaurat; si bona cogitas, ea tibi ipse inspirat; si te resolvis, ipse te illuminat, confligētem corroborat, coronat vincentem, perseverantem deniq; associat. Gratia Dei est, si in peccatum nō cecidisti, aut lapsus pœnituisti, aut aliquem ad virtutem habuisti affectū, aut vitium abhorruisti, si ꝑ beneficiis acceptis gratus, aut mādatis obediēs, fidelis in servitiis, in adversitatib. fortis, temperans in delitijs, ad fastidia magnanim⁹ extitisti. Verbis id S. Augustini enunciemus: *Omnis vita, & magna, & parva: omnis potentia, & magna, & parva: omnis virtus, & magna, & parva: omnis intellectus, & magnus, & parvus: omnis trāquillitas, & magna, & parva: omnis copia, & magna, & parva: omnis sensus, & magnus & parvus: omne lumē. & magnum, & parvum: omnis sanitas, & magna, & parva: omnis mensura, & magna, & parva: omnis pax, & magna, & parva: omnis pulchritudo, & magna, & parva: omnis modus, omnis species, omnis ordo, & magnus, & parvus, à Domino Deo sunt.* Cū igitur nos, unâ cum omnibus rebus nostris, Dei quoddam beneficium sim⁹, quid Deo dabimus, quod ipsius Dei non sit? *omnia enim opera nostra, operatus est nobis*, inquit Propheta Isaias. Si ergo Dei sunt omnia, ubi nos inveniemus, quod immensæ Majestati ejus, qui rerū omniū absolutissimus est Dominus, offeramus. Si Gaufridus, juvenis nobilissimus, ad Deum cōvertebatur, maioriq; quàm ordinaria animi generositate, à mundi honoribus, ad contemptum Christi; à commoditatibus carnis, ad incommoda spiritus; à divitiarum ꝓsperitate, ad infœlicitatē paupertatis; ab amplo Palatio, ad angustæ cellæ co-

Lib. de Nat. boni c. 12.

Isaiæ 26. v. 12.

arctationem transierat, unde à S. Bernardo hisce verbis meritò commēdatur: *Vilescit gloria præsens, inventutis flos conculcatur, non reputatur generositas, sapientia mundi, stultitia iudicatur, non acquiescitur carni, & sanguini, parentum & charorum renuntiatur affectibus, favores, honores, & dignitates reputātur ut stercora, ut Christus lucrifiat.* Ingentia quidem, haud dubiè, hæc sunt prodigia; at verò prodigia, non à te, sed à Deo perpetrata, facinora isthæc verè fuēre extraordinaria; sed manus Domini, non verò tua, fecit hęc omnia: Mutationes profectò sunt rarò aliàs visæ, sed mutationes ab altissimi potentia, nō verò à vestris profectæ viribus; unde Bernardus prudenter admodum subjungit: *Laudarem vos, si vobis hæc accidisse, ex vobis, agnoscerem: Cæterum digitus Dei est iste, & mutatio dexteræ excelsi.* Et tamen hi ce omnibus non obstantibus, Deus adeò nobiscū comis est, & munificus, ut ultrò citroque sibi de suo, veluti si nostrum esset; usuras dare collibeat. O *rem mirandam*, exclamat Chrysostom⁹, *Largitur ille, & debitor mihi obstringitur!* O immensæ charitatis Dei miraculum! Quod suum est, ipse à me recipit, idemq;, veluti si meum sit, solvit. Ipse est, qui vincit, & tamen victoriæ palmam mihi tribuit; Ipse omnia opera nostra operatur, & me, velut si illa ego operatus essem, non verò ille, remunerat.

Epist. 109.

Hom. 4. Epist. ad Philipp.

4. Salvianus Massiliensis presbyter, magno cum acumine notavit, locum illum Sapientis, quo is Eleemosynam persuadere conatur: *Honora Dominum de tua substantia, & redde ei debitum tuum.* Duo illa, prima facie adversari sibi mutuò videntur; honor scilicet & de-

bitum. Honor n. ſpontaneus eſt, debitum a. neceſſarium; Qui honorat, non debet, & qui debet non honorat. Honor comitas eſt, & urbanitas ultronea, debitum autem involuntaria eſt obligatio; Qui debitum ſolvit, obligatione exonerat obligatum; In honorem ex affectu ferimur, ad debitum per legem conſtringimur. Verũ optimè Salvianus reſpõdet, Sapientem hac ratione loqui, ut videlicet Eleemoſynæ neceſſitatem cõmonſtret, utpote, q̃ donum pariter eſt, & debitum, q. d. Tu quiſquis es, vel ruſticus es; vel homo civilis & urbanus: ſi ruſticus, porrige Eleemoſynam, veluti debitum: ſi a. urbanus es, impertire illam, velut donũ. Si amas, dona; ſi verò non diligas, redde. Si liberalis es & munificus, ultrò ꝑſenta; ſi ſordidus ſolve debitum, ſi devotus es, illam veluti tuum offer, ſi indevotus, da uti non tuum. *Prius ait, honora Dominũ de tua ſubſtantia, deinde, redde, inquit, debitum. Hoc eſt dicere: ſi devotus es, da quaſi tuum: ſi indevotus, da quaſi non tuum. Bene ita q; poſuit, & dandi voluntatẽ, & ſolvendi neceſſitatem. Da ſi vis; redde, ſi nõ vis.* Dixerat a. paulo ante Salvian⁹, clementiſſimũ Dominum, ideo id, ꝙ ſuũ eſt realiter, tanq̃ noſtrũ recognoſcere, ut illam dare nobis poſſet remunerationem, q̃ nobis donare deſiderat, & q̃ dare deberet, ſi id, ꝙ nunc damus de ſuo, noſtrum revera eſſet. *Quã pius, & indulgens Dominus Deus noſter; cũ totum ſuum ſit, ꝙ ab eo accepimus, noſtrũ eſſe dicit, ut demus; ideò ſcilicet noſtram appellans proprietatẽ poſſeſſionis, ut maior ſit merces operantis!* Date ergo, dicit Deus, quia tametſi ego à vobis accipiam id, ꝙ meum eſt, illud tamen non aliter accepturus ſum, q̃ ſi veſtrũ eſſet, ut tanq̃ de re veſtra me obligatum eſſe cenſeam: *O rem mirandam! largitur ille, & debitor mihi obſtringitur!*

5. David Rex Pſ. 44. dicebat, ſtatuiſ- Pſal. 44.
ſe ſe facinora ſua recenſere, ſuorumq; v. 1.
operum texere catalogum: *Eructavit cor meum, verbum bonũ; dico ego opera mea Regi.* Regi meo, ac Deo meo, narrabo, q̃ pro ipſius ego ſervitio ꝑſtiti. *Dico ego iuſtificationes meas*, legunt Symmachus, & Aquila. q. d. Edicam id, ꝙ in conſpectu cœli, juſtum me & innocẽtem cõſtituit. Hoc inq̃ diſcurſus mei materia erit, & argumentũ ſermonis mei. Agedum ergo ordiatur nunc cœleſtis hic orator, quicquid ſibi dicere ꝓpoſuit. Sic ergo inquit: *Speciosus forma p̃ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis; ſpecie tuæ, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna.* Verum chem, quid eſt ꝙ audimus? ſtatuerat David ſua nobis recẽſere opera, & iis omiſſis ea refert, q̃ ſunt verbi æterni. Quodnam ſermonis ꝓpoſiti thema eſt? *Dico ego opa mea.* Sed q̃ eſt mox ſequentis ſeries diſcurſus? *Speciosus forma præ filiis hominum.* Aliud ergo eſt, ꝙ Propheta ꝓpoſuerat, & aliud ꝙ revera referebat; de ſemetipſo, & ſuis operib. loqui cõſtituerat, & mox de Chriſto, ejuſq; operib. ſermonẽ orditur. Reſponſio eſt Joannis Lo-
rini: *Davidẽ innuere velle, ſibi eſſe omnẽ Iu-* in Pſal. 44.
ſtitiam, à Rege illo, cuius virtutes deſcribit. q. d. de Chriſti operib. loquor, cum mea
refero; nam uti dicit Auguſtinus: *Quiſ-* Lib. 9.
quis tibi enumerat vera merita ſua, quid tibi Conf.
enumerat, niſi munera tua? Aut ſicut Ber- cap. 3.
nardus dicit: *Totum ꝙ es, illi debes, à quo* Lib. de
totum habes. Sic Propheta opera ſua di- quadr.
cit, cum illa, q̃ ſunt Dei, recenſet; quic- debito.
quid enim operat⁹ à Deo habet. Sicut Pſal. 70.
alia quadam vice idẽ Propheta canta- v. 16.
bat:

bat: *Memorabor iustitiæ tuæ solius*. Verum qua ratione loqui nunc vis, de justitia tua, & tamẽ dicis: *Dico ego opera mea Regi, dico ego iustificationes meas*, mea namq; justitia Dei justitia est, utpote qui potius illi⁹ author existit, q̃ egomet ipse. *O solius*, inquit Augustin⁹, *quid est solius? ubi meum prorsus non agnosco*. Quid ergo tibi de hac Dei excessiva benevolentia videtur? qui usuram de capitali, quod suum est, solvit, haud aliter, quã si nostrum esset; Et sicut S. Basilius dixit: *Licet q̃ sua sunt, accipiat, tamen perinde, ac si à te beneficio affectus fuisset integra persolvit. O beatum commercium! ô fœlix negotiatio!*

Cant. 5. v. 1. 6. Optimè idipsum anima illa benedicta noverat, q̃ dum dilectum suũ invitaret in domum suam, nec non in hortum suũ, inquit: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorũ suorũ*. Videtur ipsam potius dicere debuisse: *Veniat in hortũ meum*, inquit Philo Episcop⁹ Carpathius, *ut comedat fructus pomorum meorũ*. Nequaquam, dicit beata sponsa; ego dilectum meum, ad domũ quidem meam invito, sed quoniam domus mea, nõ mea, sed dilecti est: fructus quoq; horti mei, illi⁹ sunt, nõ mei, ideò potius dico: *Veniat in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum*. Tu si in mũdo amicum quempiã in domum tuam recipias, solitus es dicere: Domin⁹ in domum suam ingrediatur, quippe cuj⁹ ipse est Dominus, & non ego; verum hoc totũ cæremoniæ causa dictum est, & veluti certus quidã civilitatis ac urbanitatis hic est terminus. At v. non sic sponsa sancta, quicquid n. illa dicit, ex vero corde, atq; animi ꝓnuntiat synceritate, nihil n. in domo sua habet, quin una cum ipsamet domo, spõsi sui Christi sit. Unde dicere potest: Tua est ô Domine, anima mea; tuæ intentiones meæ, si rectæ sint; tuus est affectus meus, modò pur⁹ sit; tua volũtas mea, dũmodo bene sit regulata; tu⁹ ille meus intellect⁹, dummodo in tuæ cõtemplatione magnificentiæ occupetur; tua memoria mea, si tuorum nõ sit immemor beneficiorũ; tua deniq; manuum mearũ opera, si laude sint digna. Atq; ideo *veniat in hortum suũ, & comedat fructus pomorũ suorum. Propterea in hortum suum, vocatur sponsus à sponsa*, inquit Philo, *ad suos fructus edendos, ut ostendat, nihil inter se habere disiunctum, nihilq; separatum, nihil dissonũ, instar unius sanctissimi paris amicorũ; utq; illud nos salutariter admoneat, omnia bona nostra, ex ipsius gratia ꝓvenire, nihilq; boni sponsæ inesse ꝙ non ab ipsius sponsi largissimo bonorum omnium fonte emanaret: id ꝙ ipse per se testatur, cum ait: sine me nihil potestis facere, & illud Iacobi: Omne datum optimũ, & omne donum perfectũ desursum est*. Quid usquã in domo nostra, vel in horto nostro invenire poterimus, ꝙ à Deo non sit? aut quid ipsi unq̃ offerre poterim⁹, ꝙ ab ipsius munificentia antea nõ receperimus? Et tamen adeò bonus est, tantæq; urbanitatis, ꝙ solvere velit ꝓ rebus, q̃ revera nostrę nequaquã sunt, sed suę, quæq; ab ipso liberaliter donatæ fuerunt? *O beatum commercium! ô fœlix negotiatio! ô rem mirandam! largitur ille, & debitor mihi obstringitur*.

7. Neq; ita subitò è sacris me cãticis recipere possum, ad se namque me advocat, magnæ illius Dei in terris rep̃sentantis Ecclesiam, Heroinæ lectulus floridus, dicit enim: *Lectulus noster floridus*, Lectulus hic, est cõscientia; in quo Deus suaviter requiescit; totus a. est floridus, ob varietatem virtutum; quibus

bus omninò per circuitũ ornatus existit. Bernard⁹ quoq; magno cum acumine notat, ꝙ postquam Ecclesia prædicta verba dixisset: scil. *Lectulus noster floridus*, mox spõsus ejus Christus subjunxerit: *Ego flos campi*, quasi dicere vellet, ꝙ si totus lectulus tuus omninò est florid⁹, ego flos sum, qui floridum illũ efficio atq; ridentẽ. *Ego flores Campi* (legit alia q̃dam litera) quibus nimirum cordis tui lectul⁹ exornatur, ac venustatur. *De meo est ꝙ gloriaris*, inqt S. Bernardus, q. d. Mihi omne illud debes, ꝙ aliq̃ tibi natũ est adferre gloriã, ideoq; in temetipsò gloriari noli, sed in illo gloriare, qui adeò te gloriosam effecit: *Ne sibi flores adscriberet illos, quib. lectulus decoratus, & venustatus thalamus videbatur, infert sponsus, se esse florem campi: nec de thalamo sane prodire flores, sed de campo, & suo munere & participatione fieri ꝙ retinet, & redolet.* Deniq; idem sanctus, eâdem quæ solet gratia & sapientia concludit: *unde saluberrimè admonemur ex hoc loco, quia nequaquã gloriari oportet & si quis gloriatur, in Domino glorietur.* Hæc ergo inter cœlestem hanc negotiationem, & eam, quæ mundi est, intercedit differentia, quod totũ capitale, ad Deum spectet, & nihilominus lucrari nos vult, haud aliter, ac si nostrũ esset.

Cant. 1. v. 16.

Serm. 47. in Cant.

8. Transeamus nunc, si ita placet, ad aliam quandam, ejus cõmercii, quod cum hominib. tractatur, differẽtiam; q̃ in usurarum consistit magnitudine, seu in maxima illa lucri copia. Ego omnia donavi tibi, inquit Deus, neq; tu quicq̃ in hunc mũdum tulisti; ubi tot reperisti ad tuum obsequium, & servitium, ꝑparatas creaturas. Unde quicquid tu mihi dare potueris, idipsum haud aliunde, quàm de iis, q̃ mea sunt, erit. Jã vero de eo, ꝙ meum est, ne vel minimam partẽ à te posco, q̃ tibi multiplicatam redditurus non sim. Si vel modicum dederis, ego me multorum debitorem agnoscam: *Da mihi ex eo, ꝙ tibi dedi*, inquit Deus per verba Augustini, *Quid enim attulisti, quando venisti? nihil attulisti, nihil hinc tolles: de meo mihi quare non donas? de meo quæro, da, & reddo. Habuisti me largitorẽ, facito debitorẽ. Parũ est, ꝙ dixi, habuisti me largitorem, facito debitorem; habeam te fœneratorem. Pauca mihi da, plura reddã. Terrena mihi das, cœlestia reddã.* Dic ergo, q̃so, ubi usquam tãtum reperies lucrum, quãtum apud Deum tibi reponere potes, hoc est, apud illũ Dominum, qui ob immẽsam magnificentiam suam, dare nequit aliud, præterquam res verè magnas, qui deniq; sicut in amore immensus est, ita quoq; necessitatus est, ut tantundem in donando immẽsus existat. *Pauca mihi da, plura reddam. Quidnam lucrifaciam*, interrogat Chrysost. *cum tibi fœneror? centuplum do, & vitam sempiternã.* Videte ergo quomodo id verũ sit, ꝙ docuit Chrysologus quando inquit: *Usura mũdi centum ad unum, Deus accipit unum ad cẽtum.* Ecce tibi evidens, in vidua hodierni Evangelii, exemplum; quę tam parum donavit, sed modicum istud, adeò excrevit, ut Joan. Chrysost. dicat: *Facta est manus viduæ, perpetuum torcular, & mola iugiter fundens.* Manus viduæ illius, quę unicum tantum olei cochlear, & farinę pugillum donavit, torcular factam esse conspicio, ꝙ largissima perpetuò refundit olei flumina, imò molã quandam indeficientem, q̃ cum stupore omnium, semper molere, & agitari cõspiciebatur. Talis quoq; man⁹ Christi fuit, quãdo in deserto panes multiplicans,

Serm. 41. de verbis Domini.

In Psal 38.

Serm. 41.

4. Reg. 6.

cans, largissimas omnib. turbis donavit Eleemosynas. De quo facto Basili⁹ Seleuciæ Episcopus, merito cũ stupore ita loquitur: *O quas tunc res videre fuit? Panes, pariebant panes, & mensæ alimento extẽporaneo referta erãt. Panes, absq; rusticano labore parti, nõ de spicis erumpebãt, sed de Domini manu efflorescebant.* O quot & quanta prequiruntur, donec frumentum in panem pistum, mensis nostris inservire valeat! Seminatur enim, purgatur, foditur, metitur, trituratur, ventilatur, molitur, à paleis & siliquis secernitur, pinsitur, coquitur. Panis a. in Christi manib. positus, in uno momento, absq; ullo fastidio mox multiplicatur, nam *panes pariebant panes. Panes absq; rusticano sudore parti, non de spicis erũpebant, sed de manu Domini efflorescebant.* Verũ igitur est, quod Dominus dicit: *Pauca mihi da, plura reddam.* Da quoque hilariter, cum eo namq; negotium tibi intercedit, qui adeò liberalis est, & munificus, ut minutias quoque tuas, multiplicata paratus sit solvere usura, adusque aquæ frigidæ calicem, quem regno cœlorum remunerat: aut frustum panis nigri, cui mercedem justi, seu Prophetæ, retribuet.

Orat. 33.

9. Quid si aliquis, dicit S. P. Augustinus, libram unam dedisset argenti, & in illius vicem auri libram reciperet, quantum avar⁹ aliquis mercator, de simili negotiatione, lætaretur? Quis nõ ultro citroq; det capitale suũ ut amplam adeò recipiat usurã? *Si dares libram argenti, & accipere libram auri, quãto caperetis gaudio? quid simile argentũ & aurum?* Sed dic, amabo, mihi, inquit Augustinus, q̃ potest terra cum cœlo habere similitudinem? *magis autẽ quid simile terra & cœlum? & aurum, & argentũ tuum cras eras relicturus, tu a. hic non perpetuo mansurus. Et aliud dabo, & plus dabo, & melius dabo, & in æternum dabo.* Longè aliud quid tibi redditur⁹ sum, q̃ tu mihi dones. Tibi namq; ego bona dabo spiritualia, si tu mihi terram dederis. Melius tibi donum dabo, p̃ eo, q̃ à te accipio, tu n. frustum panis mihi largiris, ego a. tibi cœlum impertiar. Plus ego tibi dabo, quãtu mihi dederis, tu mihi unum donas, ego a. tibi do centũ. Durabilius quid tibi daturus sum, q̃ tu mihi, tu n. res mihi porrigis temporales, cum tamen divitias ego tibi traditur⁹ sum æternas. *Et aliud dabo, & plus dabo, & melius dabo, & in æternũ dabo.* Verùm præstolare nonnihil, aliquid namq; tibi adhuc daturus sum, longè melius ipsomet cœlo, estque videlicet justitia, sanctitas, virt⁹, innocẽtia, sine quib. thesauris, cœlum pretiosum non foret. Accipe ergo consilium meum inquit Augustinus, atq; prudenter negotiari disce, tuaq; quãtum tibi licuerit promovere interesse & lucra. Cum impertiris Eleemosynam tibi quidem imminuitur denarius, sed hujus loco, justitia tibi adaugetur. Unde si illum mercatorem commẽdes, qui plumbũ vendens, tantundẽ acquirit auri, quãto majori dignus erit commendatione, qui aurum vẽdit, ut acquirat Justitiam? *Habes pecuniam, eroga, erogãdo pecuniã, auges iustitiã: dispersit enim, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculũ seculi. Vide quid minuatur, & vide quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur Iustitia. Illud minuitur, q̃ eras relicturus; illud augetur, q̃ in æternum es possessurus. Cõsilium do lucrorum: disce mercari: laudas n. mercatorem, q̃ vendit plumbum, & acquirit aurum, & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, ut* acqui-

Serm. 149. de temp.

Serm. 5. de verb. Dñi.

acquirat iustitiã. Per Eleemosynam, sanctus Redemptor tuus, totus tibi benevolus fiet, & clemens, ut gratiis suis te cumulet cœlestibus, tibiq; ipsum, amicumne dicam, an ministrum? efficies. Amicum indubiè; siquidem in pauperib. suis ipsum pavisti; attamen insuper quoq; ministrum facies, ipse namque sollicitam emolumẽtorum tuorũ curam habebit, tibiq; ad beneficia multiplicanda, individuus semper assistet.

Sponsa sancta, nesciebat aperire dilecto suo, donec pretioso unguento
Cãt. 5. v. 5. manus suas unxisset: *Surrexi, ut aperirẽ*
Serm. 44. *dilecto meo; Manus meæ stillaverunt myrrhã*
in Cant. *primam.* Unguentum, inquit Gilibert⁹ Abbas, significat Eleemosynam; manibus ergo unguẽto delibutis, portam dilecto aperuit, siquidem is, qui nomen ab unguento habet, p illas portas non ingreditur, q̃ oleo unctæ nõ sunt, sive ubi misericordia non exercetur. *Ecce qualiter pietatis opus, ostium reserat veritati. Iure manibus unguentatis aperitur Christo, qui de unctione nomẽ habet, & forsitan nisi per unctum ostium ingredi nescit.*

10. O q̃ enormes olim erant Pharisæorum iniquitates, toties à Domino reprehensæ! Primas in Synagogis amabant Cathedras, & prima loca in cõviviis, in sanctitate autẽ, q̃ foris ꝓfitebantur, ultimam tenebãt stationẽ. Mentam, ciminum, & rutam decimabant, cum tamen interea, integros camelos degluberent. Clavem tenebant sciẽtiæ, ipsi verò nec intrabant, nec ut alii regnum Dei ingrederẽtur, ꝓmittebant. Proselytos ambiebant, & discipulos, sed in tempore modico, filios perditionis illos faciebant. In multitudine, & frequẽtia baptismorum, & lotionum corporis sui superstitiosi erant, nec tamẽ quicquam æstimabant animas suas mille sordibus & maculis inquinatas esse; vanas progenitorum suorum zelabant traditiones, solidam autem, & veram, ab incarnata sapiẽtia traditam doctrinam, ne teruntii quidẽ faciebant. Persuadebãt populis, ut fame suos sinerent emori parentes, vitæ eorũdem sustentationem templo offerentes, ut ipsi inde lucrũ sibi acquirerẽt, seq; de miserorum sanguine locupletarent. Super cathedram Moysi sedebant legis morumq; se ꝓfitendo magistros, atqui p̃ter bona oris verba, interi⁹ iniquissimi & pversissimi erant; Aliis gravissimorum p̃ceptorum grave imponebant jugum, ipsi verò ne digito quidem illa tangebant. Domus spoliabant viduarum, fictis illas orationibus, quas lõgo tempore faciebant in publico, & palam, decipiendo. Prophetis à majoribus suis occisis, sepulchra fabricabant, ut præsentem suam, hoc pacto, obtegerent crudelitatem, quia discipulos Domini, imò & ipsummet Dominum ad mortem usq; persequebantur. Sed quid dico? An non illud hominum genus tempore p̃dicationis Christi, spurca quædam erat omnium vitiorum sentina, sine pietate, sine religione, sine fide, sine veritate, sine doctrina, sine lege, sine Deo? Reprehenderat in iis hæc peccata Domin⁹, ingenti dicendi nervo & efficacia, ac tandem cõcludit; *Veruntamen q̃ superest date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Pro tot tãtisq; malis unicum vobis superest remedium, estq; Eleemosyna, hac n. mediante, ab omni iniq̃tate, q̃ adeò turpiter cõtaminat vos, mundos vos facere potestis. Hac ratione S. Laurentius Novariensis sic discurre-

currebat, dicens: *Habes multa pericula? Iaces avaritia pditus? depravatus luxuria? derogasti? blasphemasti? plurib. sæpius mentitus es? peierasti? His nequitiæ partibus, aliisq; similib. obruta est mens, convulsa cõscientia? quid modò? nunquid desperandum est inter hæc? non sic iubet Dominus. Sed quid pcipit? Facite, inquit, Eleemosynã, & fiunt in vobis mũda omnia.* O ingens Eleemosynæ efficacia, q̃ reum quemvis, à culpis suis liberat, & in uno quasi pũcto, gratiam cœli illi donat, Dei filiationem, libertatem spirit⁹, Christi amicitiam, societatem Angelorũ, viam rectam ad gloriam, atq; ab omnib. pœnis exemptionem. Videte ergo nunc, an nõ meritò S. Ambrosius dixerit: *Magna Eleemosyna, q̃ ardentium criminum globos, benè olẽtiæ suæ fonte refrigerat; & quodã irriguo largitatis, obruit incẽdia delictorum; ut q̃ vis offensus Deus, q̃ vis criminib. pvocatus, cogatur liberare Eleemosynis, quos disposuerat punire peccatis.* Notate a. obsecro verba illa: *cogatur liberare Eleemosynis.* Nam magn⁹ ille Deus, virtute Eleemosynæ coactus quasi, & violentatus est, ut ita dicam, adeo liberandos, qui ob peccatorum suorum gravitatem, & multitudinem, ad pœnas condemnati esse debebant. Liceat ergo mihi repetere hic illud Augustini: *Et aliud dabo, & plus dabo, & melius dabo, & in æternum dabo.*

Hom. de Eleem.

Serm. 15.

II. Adhæc, si benedictus Deus, Eleemosynæ impertiatur gratiam, bona spiritualia, gloriam cœlestem, imò semetipsum, quis dubitabit, ipsum res suas daturum esse? *Eleemosyna est omniũ lucrativa,* inquit Joan. Chrysost. Eleemosyna est ars q̃dam, qua mediãte, lucrari omnia possumus, q̃ in cœlis, & q̃ in terra sunt. Unde S. Paulinus dicit, hanc esse maximi momenti negotiatione: tametsi ab hominib. cognita aut æstimata non sit. *O miseri homines! Largiri nos aliquid credimus? negotiamur.* Nõ dam⁹, sed negotiamur; non perdim⁹, sed acquirimus; non abijcimus, sed seminam⁹. Semen, Eleemosynã Chrysostomus appellat: *Eleemosyna dicitur semen, quia non est sumptus, sed redditus.* Hæc est clavis Paradisi; Hæc est vestis nuptialis, ad cõvictum nos beatitudinis introducens. Hæc pallium est, cooperiẽs peccatorum multitudinem. Hæc sacrificium est, quo Deus comparatur; Hæc est aqua, æternos Inferni extinguens ardores; Hæc est violentia quæ omni iniquitati vim infert, & liberat à morte. Hæc est scala Jacob, q̃ ad cœlũ usq; pertingit; Hæc est aqua viva, saliens in vitam æternam; Hæc thesaurus est abscõditus, pro quo comparando, omnes benè collocantur facultates. Hæc est sementis Isaac, q̃ centum pro uno reddit; Hæ sunt divitiæ, à tineis & rubigine securæ. Hæc est unguentum Magdalenæ, tantopere Domino gratum; Hoc est oleum, q̃ in Sareptanę viduæ vasis excrescit. *Eleemosyna est ars omnium lucratiua.* An non Paulus idipsum clare insinuat, quando dicit: *Pietas ad omnia utilis est?* Per Eleemosynam enim, Sunamitis ab ELIA filium impetravit; Per Eleemosynam, Tobias à consorte sua Dæmonem, cœcitatem à patre suo, pepulit; Post Eleemosynam, Abrahã promissionem accepit progeniei, sup stellas nomerosæ; Eleemosyna liberavit Loth ab incendio Sodomæ; Eleemosynæ præsidio, Rachel Patriarchæ cuiusdam conjux esse meruit; Mediante Eleemosyna, Abigail ad prophetæ cuiusdam matrimonium assumpta fuit; Eleemosyna piam Tabitham

Hom. 35. ad pop. Antiochenum.

Epist. 32.

1. Tim. 4. v. 8.

tham à morte resuscitavit; Eleemosyna Cornelium centurionem ad fidem disposuit; Eleemosyna Euphemiano Patritio Romano prolem obtinuit; Germano Episcopo Antiocheno, divitias; Zenoni Imperatori, fœlicitatem; Guntheranno Regi, liberationem à Peste; Carolo Flandriæ Comiti, Martyrium; Tiberio Secũdo; Persarum cædem; Herditio senatori, contra Gothos victoriam; Ludovico, Regnum Germaniæ, Leoni I. Imperii gloriam; Ephrem Comiti Orientali, Episcopatum Antiochenum, Gregorio Magno, Papatum. Probatissimum ergo est, quod Eleemosyna ars quædam sit, per quam omnia acquiri possunt: *Eleemosyna est ars omnium lucrativa.*

Eccl 17. v.18. 12. Sapiens quondam de Eleemosyna loquens, mystica quędam pronuntiavit verba; nimirum, *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso.* q. d. Eleemosyna est instar sigilli, & veluti ipsiusmet Dei sigillum, in manu Eleemosynarii, *ut scribat quidquid volet, quidquid optabit,* inquit Pater Cornelius, *à Deo sigillum accipere.* adeò, ut is qui Eleemosynam donat, sigilli divini Dominus, & Patronus existat, atq; omnia ab ipso obtinere, & q̃cunq; p̃tendere gratiam, esseq; possit, velut Dominus divitiarum cœlestium, de quib. pro suo disponere possit arbitrio; ut p̃inde benè dixerit

Serm. 36. Chrysologus; *Mercatura, & negotiatio, cœlum est; Da Panem, & accipe Paradisum; da parva, & accipe magna; da mortalia, & accipe sempiterna.* Ergo *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso.* Quisquis Eleemosynarius existit, idem Dei quoque est sigillifer, ut quantum desiderare valet, impetrare possit. S. Augustinus autem, plus ultra p̃greditur, dum dicit: Eleemosynarium non solùm cunctas Dei cõparare divitias, sed ipsummet quoq; sibi Deum acquirere, ac veluti rem sibi p̃priam possidere: *Demus in usuram, sed Deo. Et damus, qui dedit; et damus, qui abundat; ei damus, qui dedit, ꝙ damus. Quid multa dicturus sum? se p̃mittit qui p̃mittit. Si amas illum, eme illum ab illo.* O pretium ergo Eleemosynæ incomparabile, quę non solum omnia, q̃ Dei sunt, comparare potest puta cœlum, terram, fœlicitatem, sanitatem, divitias, honores, amicitiam gratiam, virtutem, sanctitatem! sed insuper eo usq; p̃greditur, ut ipsum quoq; Deum sibi cõparet. *Si amas illũ, eme illũ ab illo.*

Sed aliam quandam verborum p̃dictorum pulchram interpretationẽ adducit Paulus Pallatius: *Eleemosyna viri quasi sigillũ cum ipso*, hoc est, *Eleemosynam faciens, sigillo Dei munitus est, quo ostendit se justum.* Eleemosynarius sigillo Dei signatur, veluti res Deo propria, aut veluti prædestinatus aliquis; nam ut pius ille Tobias dicebat: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animã ire ad tenebras.* Tob 4. v. 11. Scio alios legere, non *signaculum*; sed *sacculus. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso*; Id quod Pallatius sic interpretatur; *Qui saccum pecuniæ secum defert, emit quod vult.* Vir Eleemosynarius, bursam denariis, plenam semper secum defert, quibus omnia, quæ desiderat, comparare valet, usq; ad ipsum cœlum, imò ipsummet cœli Dominum, *Si amas illum, eme illum ab illo.*

Quid ergo ô dives insensate facis? quid cogitas? cur tam ingenti mercimonio, tamq; utili negotiationi non attendis? superba fortè conclavia, & sumptuosa diligis palatia? Eleemosyna

te

te Domus Dei constituit Dominum. Conversationem quæris & consortiũ amicorum? O quam sæpe angeli cum Eleemosynariis familiarissimè sunt conversati! Lautas & opiparas desideras mensas? Eleemosyna ductrice, ad magnifica Regis gloriæ introduceris convivia. An forte elegantiæ, pompæ, ac Majestatis cupidus es in vestimentis? Profectò opulentius comparere nequit ornatus quam pallio amictus charitatis, quod omne peccatum tuũ cooperiens, te coram ipsiusmet Dei oculis venustum reddet & pulchrum. Fortè arculæ placẽt, thesauris onustæ, & plenæ? Deo ergo tua ad usuram impertire, hic n. thesaurum tibi dare poterit, qui omnes contineat thesauros. benedictum scilicet filium suum. Unde Deus ex ore S. Augustini sic te alloquitur: *Sed avarus es? Me conveni, Ego filium divitem, pauperem propter te feci. Aurum quæris? Ille fecit. Familiam quæris? Ille fecit. Possessiones quæris? ille fecit. Argentum quæris? ille fecit. Quid quæris tantum quæ fecit? ipsum accipe qui fecit. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.*

13. Verum ulterius progrediens ꝓgo & dico; Hanc usuram, ab illa quæ in mundo exercetur, in hoc diversam esse, nam Deus incunctanter, & sine mora solvit, neq; multo tempore solvendo moratur, ut in terræ huius negotiationibus fieri assuevit. A negotiatione cum Deo, multi deterrentur, ꝙ sibi persuadeant, fore, ut ipse nostris non correspondeat negotiis, nisi post hãc præsentem vitam terminatam. At non est ita, inquit Chrysostomus, qui merito avaro hisce replicat verbis: *Cur non das ei, qui plura daturus est? fortasse ob* (Hom. 7. in Ep. ad Romanos.) *id, ꝙ multo post tẽpore dat? atqui in hac etiã vita dat.* An nõ audistis illud Apostoli oraculum, ꝙ veritatẽ istam clarè manifestat? (1. Tim. 4. v. 8.) *Pietas ad omnia utilis est, ꝓmissionẽ habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Scio benè nihil in scriptura adeò inculcari, sicut istud, scilicet fieri non posse, ut alicui benè sit, simul in hoc mundo, & in altero; impossibilè est pręsentis vitę fœlicitate gaudere, & pariter vera beatitudine vitæ futuræ: Sic namq; æterna veritas clarissimè ꝓnuntiavit: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam, in hoc mundo, in vitam æternã custodit eã.* Sic quoq; idem Redemptor noster testatur in S. Matthæo: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic cõsolationem vestram.* Sic quoq; sententia vit Patriarcha Abraham, diviti epuloni in flammis ardenti sic respondens: *Fili recordare, ꝗa recepisti bona in vita tua.* Attamẽ lex isthæc, cæterũ inviolabilis, in uno duntaxat casu observantiam suam amittit, sed in illa à Deo dispensatur, tũc videlicet, quando de misericordib. & Eleemosynariis agitur. Advertit hoc Paulus Palatius, qui ꝓinde dixit: *Plane nullus in cœlis simul & in terra beatus, at legem hanc sola violat misericordia.* (in Matt. 7.) An nõ audistis Davidem Regem, qui postq̃ dixisset: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem*: & ne fortè crederemus, ipsum ibidem de sola cœlesti beatitudine loqui, mox subiungit: *Dominus conservet eum, & vivificet eum; & beatũ faciat eũ in terra.* Infallibilis est ergo illa Pauli sententia: *Pietas ad omnia utilis est, ꝓmissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* An forte desideras, ô Christiane, agrorum tuorum fœcunditatem, aut pacem in confinib. tuis, negotiorum tuo-

tuorum bonum exitum, nuptiarum tuarum benedictionem, filiorũ tuorum fœlicitatem, sanitatem corporis tui, cœli salubritatem, stabilitatem divitiarum tuarum, civium tuorum ꝓsperitatem, gloriam Principum tuorũ? Audi Apostolum, hic n. securum tibi suggerit, hæc omnia cõsequendi, medium, cum dicit: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.*

14. Huc adsis, ô dives avare, sed stulte, qui facultatum tuarum tam avidè desiderasti incrementum, qui ob negotiorum tuorum sollicitudinem, q̨ e-rè dormire nequivisti, qui pro lucrorũ tuorum assecuratione, bonaq; fortuna continuò cõsumeris. Si hoc ipsum q̃ris, cur non inquiris de medio, quo hoc obtineri possit, ꝙ q̃ris? si vis rebus domus tuæ benè ꝓspici, cur è domo tua ꝓscripsisti illud, quo mediante res domui tuæ necessarias assequi, & conservare potes? Si fœlicitatẽ desideras, cur pepulisti à te, ꝙ fœlicẽ te reddere poterat? Esto Eleemosynarius, sic n. navis tua, ꝑ maris tempestates, secura volabit; minister tuus in negotiis fidelis tibi erit; tuꝰ tibi correspondens, traditor nunq̃ fiet; cambia fœliciter expedietur; nõ erit inutilis, aut damnosa, q̃ moliris, emptio; in arcis, seu armariis, nõ corrumpentur merces; Omnia deniq; ꝓsperè, & fœliciter evenient. An non, ô avare tenax, recordaris, q̃ liberalè cœlum semper sese Eleemosynariis exhibuerit? Tibi ne è mẽte excidit, qualiter Deꝰ, etiam miraculosè illis alimoniam subministrarit, & annonã? Nescis ꝙ Adriano II. thesauros multiplicarit in arca; Epiphanio Cyri Episcopo, monetas in marsupio; argẽtum in manibus Eligio; Marcello Archimandritæ, in vicem rerũ modicarũ, integrũ talẽtũ? Andreæ è Carmelitarum ordine Episcopo Fesulano, panes in penuario? Joanni Gualberti, in granario frumentũ; Bonifacio Ferẽtino Episcopo uvas in vinea; Birgittæ, in vase butyrum: Elzeario Comiti, ꝓvisionem in dispensa? Liduvinæ virgini, in cella vinum, Willebrordo Ultrajectino Episcopo, potum in lagena; Homobono panes in furno? In summa, sapientissimè à Gregorio Theologo, Eleemosyna appellata est *Pietatis promptuarium, & commune locupletum ærariũ.* Tametsi videri non nemini posset, cõgruentius vocari potuisse Eleemosynam ærarium, sive Gazophylaciũ pauperum, non verò divitum; siquidẽ Eleemosyna à pauperibus recipitur, à divitib. verò tollitur, estq; illis mera utilitas, hisce verò mera jactura. Verũ, hoc tantum per hanc Eleemosynę nomenclaturam, insinuare voluit magnus ille Prælatus, ꝙ Eleemosyna plus locupletet misericordem, qui illam donat, q̃ miserabilem, qui eandem recipit. Cõformiter illi, ꝙ Petrus Chrysologus divitem monebat: *Esto dives in misericordia, si semper vis esse dives.* Et S. Joan. Chrysostomus, hujus in semetipso dabat exemplum, qui in Ecclesiæ censib. seu reditibus, tametsi infinitos inde sustentaret pauperes, semper incrementa faciebat, adeò ut ne quicq̃ sancto huic Pontifici defuerit: *Hæc Ecclesia unius divitis, nõ valdè locupletis fructus colligit; & cogita tecum, quot viduis, quot virginibus, quot pauperibus quotidiè succurrat. Iã n. numerus eorum, in Catalogo ascriptus.* Serm. 104. Hom. 67. in Matth.

ptus, ad tria millia ascendit. Sed hoc valde adhuc modicum est, audite quid ibidem subjungat: *sed pterea multis, qui carceres habitant, auxiliatur: multis in hospitalib. laborantibus, multis leprosis, multis advenis, multis qui quotidie ad petendum accedunt, & omnib. qui altari assistũt, cibaria & indumenta pstat, & tamen Ecclesiæ opes non sunt imminutæ.* O ingens pfectò res, omniq; digna stupore! Unius non adeò divitis Ecclesiæ census, tot subvenire poterat derelictis viduis, tot Deo dicatis virginibus, tot pauperibus qui ad triũ millium numerum ascendebãt: omnib. civitatis illius incarceratis, & infirmis, quorum in tam ingenti populo haud pauci esse debebant; leprosis itidem, qui tam exacta opus habent cura; peregrinis in magno numero concurrentibus; omnib. deniq; illis, q sacro inserviebãt altari, atq; ministris Ecclesiæ commodè vestitis, & cibatis; aliisq; infinitis necessitatib. extraordinariis: *Et tamen Ecclesiæ opes non sunt imminutæ!*

Eccl. 14. v. 16. 15. Dicamus ergo cum Sapiente, dare nihil esse aliud, q̃ recipere: *Da, & accipe, & iustifica animam tuam.* Da, & accipe, dando namq; pl⁹ recipis, q̃ dones. Hæc n. est caussa, cur ubera Ecclesiæ, in quib. repræsentantur misericordes, hinnulis assimilentur caprarum. Cant. 4. v. 5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli caprarum. Caprarum hinnuli lac sugunt, non v. Fabius Justin. in Job. exhibent: ubera verò dant, nõ sugunt lac quomodo ergo ubera, assimilãtur capreolis? Doctus quidam interpres, ingeniosè respondet; q misericordes, eo ipso quo dãt, etiam recipiunt, dum n. alios pascunt, pascuntur & ipsi. *Quia magis seipsos, q̃ alios pascũt*; adeoq; ubera sunt, quia donant liberaliter, & capreoli quia recipiunt. *Da, & accipe & iustifica animã tuã.* Unde S. Lucas de bona Act. 9. illa Tabitha vidua, q̃ tãta erat Eleemo- v. 36. synaria, loquens, dicit: *Plena erat Eleemosynis, quas faciebat.* Imò potiùs videtur dicendum fuisse, pauperes pleni erant Eleemosynis viduæ illius, non vidua, q pauperib. erogaverat. Nequaquam, dicit Sp. sanct⁹: *Da, & accipe,* hoc dare, est recipere quoddam; nam qui dat, plus recipit, q̃ donet. Et ideò *plena erat Eleemosynis quas faciebat.* Possetque misericors quispiam, pinde in veritate dicere, q Seneca de quodam libe- Lib. 6. de beneficiis. cap. 3. rali dixit: *Hoc habui, q cunq; dedi,* imò hoc habui quodcunque dedi, quia illud ipsum, à Deo multiplicatum recepi. *Da, & accipe, & iustifica animam tuam.*

16. Hinc est, q Dominus ad Eleemosynam faciendam nos invitans, dicebat: *Facite vobis sacculos, qui nõ veterascũt.* Luc. 12. Simplici alicui, rerumq; spiritualium v. 33. imperito homini, videri posset, q dando Eleemosynam, non turgescant crumenæ, sed potius flaccescant, neq; tamen est ita, nam mirabili, & verè cœlesti modo Petrus Chrysolog⁹ docuit, Serm. 23. q loculos exinaniendo, farciamus; evacuando, impleamus; perdendo possideamus: *Novo modo, imò cœlesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat; recõdit erogãdo, dum amittit, acquirit.* Facitq; Redemptor noster sacculorum mentionem, inquit Chrysologus, ut avarus, p instrumẽta avaritiæ, liberalitatem addiscat, atque suavi hoc, & dulci dolo, aut apprehẽdat virtutem, aut à virtute capiatur. *Sacculos imperat, ut avarus, dum cõsueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat aut capiatur à virtute.* Sic Chrysostomus notavit, Abrahamum, dum illos Hom. 44. in Gen. vellet recipere hospites, quos ipse minimè

nimè cognoſcebat eſſe Angelos, cum iiſdem nō aliter locutum fuiſſe, quam ſi quippiam ab iiſdem recipere, non
Gen. 18. v. 3. verò dare voluiſſet: *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis. Dicere Domine, eſt captantis benevolentiā: dicere autē, ſi inveni gratiam in oculis tuis, hoc eſt, admirabile beneficiū: das, & accipis. Verè enim huiuſmodi res hoſpitalitas eſt, quæ magis accipit, quam dat. Da, & accipe, & iuſtifica animam tuam.*

17. Quid ergò nūc mirum eſt, quod ſervi Dei, cœleſtis luminis ductu, tantos ſe exhibuerint Eleemoſynarios, intelligētes videlicet, dare ſuum, quoddam eſſe recipere? Talis Joannes Patriarcha Alexandrin⁹, qui omnes ſuas Imperatori oppignoravit facultates, ut ꝙ pauperib. donaret, haberet. Talis Gregorius Papa, qui omnium egenorum penes ſe habebat Catalogum, eorundemq; particularem, & quotidianam habebat curam; Talis S. Eliſabeth, Regis Hungariæ filia, q̄ in Eleemoſynis dandis, nullos habebat terminos, neq; metam; unde mater pauperum appellata fuit. Talis Amædeus Sabaudiæ, qui in palatio ſuo proprio, integras miſerorum turmas ſuſtentabat, eoſdemq; canes ſuos vocabat venaticos, quibuſcum cœli venabatur gloriam. Talis Franciſcus Aſſiſias, qui nunq̄ pauperi, propter Deum aliquid poſcenti, quicq̄ ſe negaturum jurejurando ſpopondit: Talis Dominicus; qui ut alienis ſuccurreret neceſſitatibus, omnia ad libros uſq; divendidit. Talis Rambertus Archiepiſcopus Viennenſis, qui omnes Archiepiſcopales ſuos redditus, in eundem finem adhibuit. Talis Ludovic⁹ Rex Franciæ, qui ne deeſſent, quib. Eleemoſynā impertiri poſſet, itinerādo, integrū pauperū manipulū, ſecum per viam in currib. duxit. Talis Paula matrona Romana, q̄ tantum pauperes inter diſtribuit, ut ex opulentiſſima, ad extremā redacta ſit paupertatem. Talis Exuperius Toloſanus Epiſcopus, qui S. Hieronymo teſte, in extremis ſemper neceſſitatib. vitā degere p̄elegit, ne pauperes egeſtatem pati cogerentur. Talis Andreas Oviedo, Patriarcha Æthiopiæ, ex Societate noſtra, cui cū nil p̄ter pauperculum, & vile jumentum ſupereſſet, quò Dei ſervus pro ferendis ſarcinulis ſuis, & ſupellectile Eccleſiaſtica, utebatur, illud lubens ac libens ceſſit, ut inde videlicet paſcerentur famelici; Matt. v. 40. Qua de cauſa mox etiam à Deo remuneratus fuit, qui in unius locum, quadraginta jumenta alia, miro ipſi modo ſubmiſit. Quid de Heroibus illis, æterna memoria dignis, dicam, qui ꝓ bono pauperū, omnia ſua impenderunt, In Pſ. uſq; ad propriarum Eccleſiarū ornamenta & vaſa ſacra uti fecit Acacius. Epiſcopus Amidenſis; ad ipſum uſque Evangelii codicem, uti fecit Serapion? ad militare paludamentum uſq;, uti S. Martinus fecit? adusq; lectum, uti Carolus Borromæus? uſque ad tunicam ſicut Martianus Presbyter? ad Cappam uſq; ſicuti Florentinorum Archipſul In ca. Lüca Antoninus? ad ipſum uſq; Caputium veluti Ivo; uſq; ad capitis peplum ſicuti Catharina Senenſis? Camiſiam uſq; velut Bonifacius? ad vendendum uſq; ſemetipſum, veluti Paulinus? Omnes hæ magnæ animæ, hujus ꝙ per Eleemoſynam fit, mirabilis commercii & negotiationis pondus, optimè intellexerunt. *Da, & accipe: & juſtifica animam tuam.*

18. Finaliter tandem, differt ea, quā apud

apud Deum nobis per Eleemosynam
paramus, usura, ab alia, quæ versatur
inter homines, in urbanitate & comi-
tate eius, qui usuram solvit. *Fœneratur*
Domino qui miseretur pauperis, ita quidē
ut Capitale sit Dei, usuræ sint immen-
sæ, solutio fiat cum velocitate, & tamē
Dominus ille, quo cum negotiamur,
adeò se à nobis reputatum existimat,
ut in extremo Judicio dicturꝰ sit: *Quod*
Matth. 25. v. 40. *uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Idq; il-
liꝰ horrendissimi syndicatus tempore
dicet, quò majores etiā servi Dei, cau-
sam timendi, pariter & tremen-
di habent, licet ab hoc timore, Elee-
mosynarii futuri sint liberi, quibus is,
qui aliis est Judex, aduocatus futurus
est, & protector. In tua potestate est,
in Psal. 38. inquit, Chrysost. Christum in illa hor-
ribili die, Judicem habere, aut debito-
rem; accusatorē aut laudatorem; terri-
bilem aut amabilem: *Si Deus à nobis fœ-*
nori accipit, Ergo noster est debitor. Vtrum
ergo eum habere vis, iudicem an debitorem?
debitor creditorem veretur, iudex eum q̃ in
iudiciū adducitur, non veretur. Tu si Elee-
mosynarius existens, debitorē Christū
habueris, is omnem tibi respectū de-
feret, & reuerentiā, ac honore te pro-
sequetur, tuæq; personæ veluti bene-
In cap. 22. Lucæ. factoris, rationem habebit: *Debitor cre-*
ditorem veretur. Verum ulteriꝰ Chryso
stomus ꝓgreditur, neq; affirmare du-
bitat: justissimum illum judicem, sēp
Eleemosynam nostram corrumpi per-
mittere, adeò ut ob illā, stabilitas; suas
corrumpat leges, veritati anteponen-
do misericordiam: *Iudex noster, per pau-*
peres corrumpitur. Fac ergo per pauperis ma-
num, Iudicis posticum pulses, etenim ille mu-
nera tua per illum accipit, & leges adulterat.
Accipit inquam, atq; ex iusto benignus effici-
tur; accipit inq̃, ac veritati misericordiam
anteponit. Macte ergo sis animo, ô Elee-
mosynarie, inquit S. P. Augustinus, tu In Ps. 147.
namq; assecurare te poteris, quod in
novissimo die, quando vix iustus se-
curus erit, tu omnino securꝰ esse pos-
sis, dummodo id quod habes, illi de-
deris, qui nihil habet, ut idipsum ab eo
reponatur in manus illius, qui omnia
habet: *Quisquis facit ex eo ꝙ habet, miseri-*
cordiā, cum eo, qui nō habet, ut ipse accipiat,
ꝙ non habet, ab illo, qui omnia habet, secu-
rus expectet diem novissimum.

19. Etenim quantum erit tunc, ô
Christiane, quando integerrimus ille
Judex veniet judicare vivos & mortu-
os audire se ex ejusdem Judicis ore, tā
magnificè commendari, quando ad
misericordes vultu placido, atque a-
mabili conuersus, dicet: *Esurivi, & dedi-*
sti mihi manducare? Te coram totius mundi
Theatro deprædicabo, inquit per os Chry- Hom. 9. in Epist. ad Rom.
sostomi Christus, *cunctisq; audientibus,*
nutritorem meum ostēdam. O prodigium
ingens, inquit Chrysologus, Christus Serm. 14.
in illo die non loquetur de sanguine,
quē iñocēs Abel effudit; de Noe circa
mundi conservationē sollicitudine; de
Moysis in ꝓmulgandis decretis divi-
nis fidelitate; de cōstantia Petri in cru-
cis tolerata morte: solum in memo-
riam revocabit, ꝙ pauperi benevolè
subventum fuerit. *Quod Abel passus sit, ꝙ*
servaverit mundum Noe, quod Moyses legem
tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit,
Deus tacet: & hoc clamat solum, ꝙ comedit
pauper. In cœlo primi est esurientis annona.
Prima stipendia pauperis, tractātur in cœlo.
Erogatio pauperis prima divinis scribtur in
diurnis. Ah cur ergo, ô sæculi huius di-
ves, à te partis securitatem non curas?
Cur supremum illum non studes tibi

 lu-

lucrari Judicem, eundemq; p pstitam misericordiam, tibi nō reddis amicū? *Da panem, si Deum debitorem, non Iudicem vis habere. Misericordiā nescit divinus ignis exurere.* Sola Eleemosyna iræ Dei resistit, sola abyssi infernalis flammas extinguit; Sola ab ejus, qui omnia videt, oculis, peccatorum spurcitiem abscōdit. Ipsa sola, reorum quantumvis desperatorum, patrocinium est, atq; psidium An non auditis Sapientem, q dicit, *Conclude Eleemosynam in sinu pauperis, & illa pro te exorabit ab omni malo?* Litera Græca legit: *Cōclude Eleemosynam in cellis tuis*; id q valde bene dictum fuit, nam ut inquit Basilius Magnus: *Horrea divitum, sunt ventres pauperum.* Ad propositū tamen nostrum, id S. Gaudētius Veronensis Episcopus explicat, dicens: *Vēde Patrimonium, & eme Patrocinium, cuius interventu certus de impetrata venia, venturum iudicem liber merearis aspicere.*

Chrys. serm. 31.
Ecclesi. 29. v. 15.
Basilius.
Gaud. tract. 13.

2. Concludam hæc omnia, quodam S. Ambrosij conceptu, qui de magna Dei matre, Domina nostra loquens, magna hæc protulit verba: *Virgo corde humilis, animi prudēs, nō in incerto divitiarū, sed in prece pauperum spem reponēs.* q. d. Sanctissima virgo, omnem suā, in precibus pauperum, repositam habuit fiduciam. S. Bonaventura dicit, B. virginem magnam fuisse Eleemosynariā, utpote parentum Eleemosynariorum filiam, qui tertiam facultatum suarum partem p. uperib. erogabant; quodq; ingentia illa, quæ à tribus sanctis Magis acceperat, munera, omnia egenis in Eleemosynā dederit. *In prece pauperis spem reponēs.* Doctus quidam modern9, hunc S. Ambrosii locum cōsiderans, totus profundo stupore attonitus ita loquitur: *stupet, inquit, animus, hæc audiens. MARIA, quæ communis est totius orbis spes, in q omnem suam fiduciam contulerunt sancti, tātum tribuit Eleemosynæ, ut in prece pauperis, eius spē universam repositā asserat.* O stupor: Virgo, q omnium virtutum heroicarum erat theatrum, adeò meritis apud Deum opulenta; adeò apud Angelos pdigiorum plena, adeò exēplis luminosa apud homines, adeò stupendis divinisq; operib. abundans, adeò gratiis cœlestibus ornata, ut ipsa sola plus habuerit, q cuncti alii sancti simul conjuncti. MARIA inquam; q unicus est spei humanæ scopus, & meta, fragilitatis mortalium anchora, p cuj9 manus, cuncta cœli pertranseunt munera, absoluta universi Domina, q ob rararum dotum suarum multitudinē, & excellētiam, mater Dei fieri meruit. MARIA, cujus cogitationes omninò puræ fuerunt, cuj9 opera planè sancta, cujus omnes intentiones rectæ, cujus spiritus totaliter immaculatus extitit; q à primo vitæ suæ instanti, promereri cæpit, quæ ne vel unico momēto quidem: meritum suum augere desiit quę extraordinariis charitatis incrementis, beatam animam suam, supra omnē humanam cogitationem pfecit. Hæc inq MARIA, adeò sancta, adeò pura, adeò immaculata, tot prodigiis plena, adeò abundans meritorum; non in eo q mater sit Dei, neque ob virtutum & meritorum suorum multitudinem psumit, nec in raris atq; extraordinariis suis operib, habet fiduciam, sed horū omnium oblita, confidit solummodò in prece pauperis. Ut videl. Eleemosynæ virtutem intelligas, & excellentiā, q sanctissimæ Deiparæ judicio, ejusdē Dei gratiam & amicitiā supra omnia alia lucratur, comparatq; ut ita dicam, & veluti

Lib 2. de Virgin.
In vita Christi.
Salaz. in Prov.

& veluti sua, omnia possidet & invadit. Stulti igitur, & iterum stulti sunt sæculi istius divites, q adeò pulchram Deum lucrādi occasionem in manib. suis quasi habentes, eandem turpiter adeò negligunt: unde alterutrum necessariò cōcluditur, scil. q vel non videant, vel nō credunt. Si n. viderent, non adeò cæco modo pcederent; aut si crederent, non adeò se pfidos exhiberent & infideles. Anne videre censend⁹ est, qui thesaurum coram oculis habens, pedib. suis eundem cōculcat? Aut v. num æstimabitur credere, q cū in extremo judicio judicē habere possit amicū, ipsum adversum mavult & contrarium? Tu ne oculis in capite pditus es, neque tamen beatum illud q in cœli versatur trapeziis cōmercium consideras? Aut fidem habere æstimaberis, neq; tamen è tam manifestis æternæ salutis tuæ periculis te liberare curas? Verè dici nequit, q aut prudentia polleas, aut fide clarescas, qui nobilem adeò tibi elabi sinis mercandi rationem, in qua *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.*

PARS SECUNDA.

21. Persæpe De⁹ divitias ab eo tollit, qui misericors non est, aut Eleemosynarius. Multas videm⁹, ad extremam inopiam redactas domos, q opulentæ antea erant omniumq; bonorū sæculi huius affluentissimæ. Unde adeò stupendæ nascūtur Metamorphoses? Dicet nōnemo; Mala fortuna ita voluit, puti omnes res nostræ, casibus, mutationib. atq; ruinis obnoxię sunt. Alius respondebit; omnia illius familiæ in deterius abeunt ob malum illius regimen, nam male cōsultus aliquis juvenis, in paucis septimanis, prodiget facultates p multos años cōciliatas. Ali⁹ id potētis cuiusdam inimici attribuet psecutioni, & molestę infestationi; liti itē pperam formatæ & institutæ alter; Alius culpam illi⁹ in avarum cōjiciet officialē qui à magnis corrupt⁹ muneribus, justitiam facere renuit. Omnia benè dicūtur, & facilè credo, omnia se ita habere posse; verum, amabo, fecistine aliquando aliq. sup hoc reflexionem, an in tali domo, vir aliquis misericors fuerit, aut Eleemosinari⁹? Si nō, hāc tibi solā illi⁹ psuade esse rationē, hęc namq; sola ad qualemcunq; fœlicitatem pcipitandam, omnemq; bonā fortunam destruendā, abunde sufficit.

Docent Legistę, donationem alicui factam, revocari aliquando, & irritari, nulliusq; valoris fieri. Quatuor a. hic recensebo illi⁹ causas, ab iisdem adductas. Prima est, *si donatari⁹, donantē inopia pressum, non aluerit.* Secunda: *si conditionē donationi appositā, nō impleverit.* Tertia: *si iniurias atroces, in donatorem effuderit.* Quarta: *Si iacturā nō levem, bonis eius attulerit.* Ob easdem hasce causas, gratiarum suarum tibi factam donationem revocat, atq; collatas tibi tanta cum liberalitate, auffert, divitias. L. fin. C. de revo. don.

22. Primo ergo revocatur donatio: *Si donatarius donantem inopia pressum, non aluerit.* Christus Redemptor noster, in pauperib. suis necessitatē haber, & patitur; neq; tātu eidem subvenire studes, ac pinde, irrita est alias facta donatio. An nō Domin⁹ reprobis dixit: *Esurivi, & nō dedistis mihi māducare?* Super quē locū Augustin⁹ ita discurrit: *Esurire in pauperib. voluit, q dives in cœlo est. Et tu dubitas, ô homo, dare homini, cum scias te Christo dare, q das, à quo accepisti, quicquid das?* O dives, si ipsmet Christū in paupe- In Ps. 74.

pati

pati nosti, quomodo eũdem in media platea fame morientem videre potes? Quomodo tot venustissimè exornata habens conclavia, eundem, ex aliquo dom⁹ tuæ angulo, exturbare es ausus? Qua ratione tot in scrinio habẽs monetas, ne minimam quidem illarum particulam, ad eundem à necessitatib. suis liberandum, elargiris? Vivit Deus; quia nõ diu durabant illæ tuæ divitię, sed fugiẽt è domo tua, & nescies quo modo; Mendic⁹ fies, quia mendicum, tibi à Christo, veluti suãmet psonam, Ps. 75. v. 6. recõmendatum, non curasti. Rex sanctus, de divitib. illis, q Dei, in fœlicitate sua, obliviscũtur, dicebat: *Dormierũt somnũ suũ, viri divitiarũ, & nihil invenerũt in manib. suis.* In quo loco, ppriè sermo est, de morte divitũ, cũ videlicet, post psentis vitę somnum evigilantes, nihil in manib. suis reperiunt. Veruntamen intelligi quoq; potest, de tẽpore psenti, q mortẽ pcedit, sæpè namq; immisericordes divites, post breviusculum somniatę psperitatis somnum, ob modicam erga Christi pauperes compassionẽ, ad extremam repiuntur redacti Aug. in Ps. 75. miseriam. *Nihil invenerũt in manib. suis, quia nihil posuerũt in manu Christi*, inquit S. Augustin⁹. Sæculum istud ejusmodi exemplis valdè fœcundũ est. Quot somniculosi divites, in uno momento pdiderunt o[m]nia? Quot fœlices familiæ, ad ipsam quoq; panis redactæ sunt inopiam? Quot ob magnificẽtiam suã invisi mundo, omnib. cõpassionis sunt facti materia? Et cur ita? Quia De⁹ donationem suam revocat, eò q ipsi, in pauperib. suis, subventum non fuerit. Lib. 50. Hom. 7. *Nihil invenerũt in manib. suis, quia nihil posuerũt in manu Christi.* S. Augustin⁹ verba illa, à Deo crudeli illi diviti dicta; *Et q parasti cuius erũt?* explicans, ita dicit: *Si erogaveras, tua erãt, q a servasti, tua nõ erũt.* Luc. 12. v. 20. O quot sunt, quib. verbũ istud meritò pnunciari potest! Si tu pauperi partem istorum bonorũ tuorum dedisses, omnia tua fuissent, jam verò tua non erunt, quia egenis ex illis partem non dedisti. *Nihil invenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manibus Christi.*

23. Secundo, donatio nulla est, *si cõditionem donationi appositam non impleverit.* Quicquid tibi Deus dedit, ô Christiane, cũ hac tibi conditione donavit, ut exinde q tibi superest, paupi dares, q si non feceris, dicit Christ⁹, nolo, ut donatio facta locum deinceps ampli⁹ habeat. *Cõtemnis pauperẽ, cõtemneris à divite*, inquit Augustinus. Cave tibi & attende, si namq; tu pauperẽ spreveris, à Patre pauperũ tu quoq; sperneris. Ergo *respice manus inanes, si vis habere manus plenas.* Quæ verba sunt Augustini. Noli lamẽtari de infortunio, q ab illa tibi parte, unde minimè expectabas, obviavit; de amico & ptectore tuo, qui te in extrema inopia cõstitutum dereliquit; de negotio, q perperam tibi evenit, tametsi illius rationẽ dare nescias; de lite, à qua cecidisti, tametsi bona causa solidisque niterer[is] rationibus; de jactura & ruina dom⁹ tuæ, cujus in brevi tẽpore mutata fortuna est, atq; ex pspera & fortunata miserabilis repẽte facta est & infœlix. Hoc totum tibi eò evenit, quia conditionẽ non adimplesti, q dono Dei añexa erat, videlicet, ut cõpatereris pauperi. *Servares tibi si dispertires aliis*, inquit S. Ambrosius; Lib. de Nab. c. 7. cui concordat Chrysostõ. qui dicit, *omne q vestrum est, tunc maximè vestrum erit, si sit cõmune cum fratribus.* Serm. de jejunio. q. d. Vestrum erit, si nõ fuerit totũ vestrum

sed

sed miserabilibus quoque participatum fuerit. *Benefactorum gratiæ*, dictum est Basilij Magni, *in dantes revertuntur, dedisti, tibi consuluisti*. Rebus tuis prospexisti eo ipso quo pauperibus, de nulla re provisis, providisti, hac enim ratione, conditionem donationi Dei appositam adimplesti. *Dedisti, tibi consuluisti*. Eodem modo loquitur Clemens Alexandrinus: *Rectè dedisti, rectè accepisti*. Si rectè dederis, justè recipies, hoc modò enim optimè succedit contractus, cum Deo factus, in quo id tu observasti, at quod obligabaris. Denique in summa, Petrus Chrysologus stupendum quendam modum docet, quo quis se divitem semper continuare, atque ab omnibus remotum necessitatibus conservare possit. *Esto dives*, inquit, *in misericordia, si semper esse vis dives*. In memoriam revocate id quod sancta illa mulier, postquam de Cœlo, filio quodam Propheta donata fuisset, cecinit: *Domini sunt cardines terræ*. S. Hieronymus legit: *Pauperes terræ, & posuit super eos orbem*. Pauperes Christi, fundamenta sunt ad sustentandum mundum, & super ipsis, tota hæc mirabilis machina, reclinat. Pauper enim est is, qui dona conservat, quæ à Deo aliquando in hac vita donata fuerant. Unde Joannes Chrysost. Eleemosynam appellat *fulcrum Orbis terrarum*. Eleemosyna Provinciarum est sustentaculum, Civitatum Fundamentum, & Basis mundi huius. *Fulcrum orbis terrarum*.

Lib. 2. Stromateum.

Serm. 104.

24. Tertiò nulla est donatio, *si donatarius, injurias atroces, in donantem effuderit*. ô quot peccata contra illum Deum committuntur, qui singularissimus noster est benefactor? Quoties gratijs suis ad illum injuriãdum abutimur? Et adhuc miraris, si suam ille retractet donationem? Audi Augustinum hanc tibi veritatem mirabiliter manifestantem: *Quare patimur multa mala à creatura, quam fecit Deus, nisi quia offendimus Deum? de Pœna tua, peccatum tuum accusa, non Iudicem*. Tu creatura abuteris, ad afficiendum injuria Creatorem, non ergo mirum est, si per eandem te Deus castiget Creaturam. ô quam est illa ingens ingratitudo, ipsummet donum adhibere ad contumeliandum Creatorem? Idipsum ab Augustino edoceare, qui sic dicit: *Aurum, quod ærumna perquirit, quod avaritia capit, quod sollicitudo custodit; aurum, Materia laborum, periculosa res possidentium; aurum, enervatio virtutum; Aurum, malus Dominus, proditor servus; aurum, quod nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit, aurum quod in pernitiem Domini fulget; aurum quod per tenebras quæritur, per tenebras custoditur; avarum cuius inquisitio damnator habet, cuius amor Iudam facit; aurum quod apud avarum animũ præfertur Christo, in cuius appetitum, congrua Magister gentium authoritate detonuit, dicens: Avaritia, quæ est Idolorum servitus; aurum quod sordidos Dominos habet; aurum quod amplius cruciat, apud quem largius fuerit; aurum, quod amanti se nihil de sua possessione permittit, refundens ei reatum suum, cui usum suum negat, gravis acquisitio, ærumnosa possessio*. Videte quot injurias aurum è fodinis Deo pariat nec miremini, ingens illud Dei, adversus auri amatores, odium. Porrò justissima Dei apud Oseam Prophetam,

Tract. 1. in Joan.

Serm. 27. de verb. Apost.

Oseæ. 2. vers. 8. phetam, querela erat: *Hæc nescierunt, quia dedi eis frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi, & aurum quæ fecerunt Baal.* Quot illis à me dona data fuerunt, tot ab illis in tot Idola fuêre conversa, veluti interpretatur S. Hieronymus, *Vniversa quæ susceperat, ut in Dei cultum verteret, vertit in Idola.* Eiusmodi sunt, qui divitijs abutuntur in crudelitatem, in Tyrannidem, in pompas, in lasciviam, in vindictam.

25. Non sic bonus ille populus Cæsariensis, de quo refert Amphilochius Episcopus in vita S. Basilij, quod cum Julianus Imperator jurasset, totam civitatem se positurum in ore gladij, postquam ex certo quodam militari conflictu revertisset, in tam periculoso discrimine, ex consilio sui Pastoris Basilij, omnes cives, & incolæ, ad orationem, ad pœnitentias & jeiunia recurrerint. Sed quia operæ pretium est, in communibus necessitatibus, media quoque usurpare humana, jussit sanctus ille sacerdos Imperatori, opulentissimum quoddam expediri munus, seu honorarium, ad iram eius mitigandam, ipsumque à concepta crudelitate removendum. Attulerunt ergo omnes ad Basilium optimum quodvis quod singuli possiderent; aurum, argentum, gemmas pretiosas, aliaque rara & peregrina cimelia. Accidit autem, ut in conflictu occideretur Julianus, adeòque civitas illa, ab hoc maneret immunis periculo, unde sanctus Pontifex, singulis res suas oblatas restituere statuit. Sed impossibile erat, eos ad illas recipiendum inducere, siquidem omnes in hæc æterna memoria dignissima, prorumpebant: *Si mortali Imperatori eas elargiri voluimus, ne vastaret urbem nostram, multò magis immortali Imperatori Christo eas offerri convenit.* Et multo licet adhibito labore, vix tamen Basilius populo persuasit, ut tertiam ad minus partem reciperet; ex residuo autem Templum adornavit, sumptuosumque ex purissimo auro erexit altare gemmis undique pretiosis distinctum. ô hic verè est animus gratus, pro Dei videlicet honore adhibere quæ Deus dedit, non verò pro Dei provocanda offensa. Hoc est donationem semel factam, semper conservare, & semper honorare donatorem.

26. Finaliter tandem intelligitur donatio revocata, *si jacturam non levem bonis eius attulerit.* Mundi huius bona, à Deo data sunt, ut in gloriam Dei illa adhibeamus, quod dũ facimus, honoratas se reputant omnes creaturæ, si verò cum Dei offensa illas dejicias & humilies, illis ad malos usus abutens, certum est quod res ad Deum proprietariè spectantes, notabiliter damnifices, atque probro afficias, illas à sui naturalis Domini servitio impediens, atque divertens. Polixenus Poëta Græcus versus suos adeò pulchrè atq; ad omnium gustum & satisfactionem composuit, ut singuli memoriter eosdem addiscerent; adeò, ut ad ipsos usque opifices, in suis officinis, ab omnibus cantari audirentur. Accidit autẽ ipsum die quodam, in officina vitriarij cuiusdam, qui Scyphos faciebat, & Cyathos, quosdam versus suos quotidie cantantes, sed planè adulteratos, & corruptos, ut

vix

vix versus aliquis, aut verbum esset, quod in suo loco aut metro consisteret. Poëta ergo baculum manu sua arripiens, magna cum furia, omnes illos frangere cœpit vitreos scyphos: ijs autē, qui ipsū malè objurgabat: respōdit: *Vos mea corrūpitis, ergo vicißim vestra*, vos versus meos corrumpitis, ego cyathos vestros: sic quoque mihi persuadeo Deum dicere: vos meas corrumpitis Creaturas, illas ad humilia, & abjecta adhibendo, ministeria; ne ergo admiremini, si ego quoque res vestras disperdam, si bonorum vestrorum rumpam & corrumpam fœlicitatem, si vos tot infortuniorum amaritudine molestem, si id à vobis tollendo, quod liberaliter aliquando concessi, miserabiles vos reddam, & infœlices. *Vos mea corrumpitis, ego vicißim vestra.* Quibus putatis usibus bona terræ huius applicantur? Ecce tibi extravagans aliquod Ezechielis factum, quod idipsum pulcherrimè explicat; Dixerat enim aliquando Deus huic Prophetæ, ut sibi de novacula quadam provideret, qua cum omnes capillos capitis & barbæ raderet, rasosq; ac in bilance quadam libratos, trifariam divideret, quarum unam igni injiceret, alteram verò minutim discinderet, tertiam denique in ventum dispergeret; id quod in præsentia civium, totum executioni mandatum fuit. Capilli, inquit Hugo Cardinalis, divitias repræsentant, & huius vitæ bona temporalia: *Divitiarum prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia in gladium traditur, quia divites huius mundi, suas divitias expendunt in igne libidinis, alij in vento superbiæ, & favore laudis humanæ, alij gladio cœ lunt pilos suos, qui divitijs suis lites ac bella nutriunt.* Hi sunt modi, quibus divitiæ mundanæ inhonestè & infœliciter applicantur, qui omnipotētis Dei iram meritò provocant, efficiuntq;, ut inimicum & adversarium se nobis exhibeat, quia nos, cū tanta ipsius injuria, donis suis abutentes, eadem inhonoramus, & contemnimus. Si ergo tu opera, & dona Dei disperdidisti, vilissimis illa, & abjectissimis faciēs servire ministerijs, justior erit eiusdem indignatio, qua id à te aufert, quo vituperosè abuteris. Efficiamus ergo ut divitiæ nostræ nobilitentur applicatione earundem, in eiusdem Dei personam, quæ in pauperibus suis egenum se exhibet, atque in pauperibus suis à nobis honorari cupit. Neque lamentemur, nam irrationabilia erunt lamenta nostra, si fortè Dominus in bonis nos castigarit temporalibus, siquidem ejusmodi castigationes, & supplicia, rationabiliter admodum infliguntur, nec unquam removebuntur à nobis, donec à nobis illorum non fuerit remota causa.

Ezech. 5.



CONCIO XVIII.

In Feriam III. post Dominicam III. Quadragesimæ.

THEMA.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Matth. 18. v. 15.

ARGVMENTVM.

Circa alium correctionem fraternam facere, ars quædam est, non minus eximia, & singularis, quam difficilis. Et quâ ratione, secundum Apostoli Doctrinam, utiliter institui possit correctio:

SUMMARIUM CONCIONIS.

Fraterna correctio est perfectissimus, utilissimus, maximeq; necessarius actus charitatis. num. 1.

Fraterna correctio prævalet sui excellentia quodammodo Eleemosynæ. ibid.

Fraterna correctio variè nobis commendatur à Deo. num. 2.

Fraterna correctio præcipuè obligat Prælatos; imò nec æquales, aut etiam inferiores respectu superiorum ab illa obligatione immunes sunt. ibid.

Deus ipse correctionis fraternæ dat exemplum, per inditam nobis synderesin seu conscientiam. num. 3.

Conscientia domesticum est, & verum tribunal. Gregor. Nazianzen. explicatur. *ibid.*

Conscientia promulgatrix statutorum, & Pragmaticarum cœlestium, num. 4.

Conscientia est custos cordium, & voluntatum. ibid.

Conscientia incitat, & terret. ibid.

Con-

1. QUod si in lege Evangelica, inter tot, & tam eximia præcepta charitatis, & mutuæ benevolentiæ præceptum primum est, & præcipuum; certè non video, quis charitatis actus, aut excellentior, aut perfectior, aut utilior magisq; necessarius inveniri possit, ipsa correctione fraterna. In hac namque tractatur de alicuius Animæ, ipsa Dei insignitæ imagine, Christi sanguine redemptæ, Divinitatis capacis, atque ad gloriam destinatæ salute æterna, in cuius animæ comparatione, omnis nobilitas est obscura, deformis omnis pulchritudo, omne pretium vile, defectuosa omnis perfectio, omnis excellentia ordinaria & vulgaris. Porrò si Deo adeò chari existunt ij, qui corporalibus proximorum suorum necessitatibus, per facultates suas terrenas, adeò liberaliter subveniunt, ut huic Eleemosynæ virtuti, annexæ videantur omnes bonorum terrenorum, thesaurorumq; cœlestium, promissiones; sanitas corporis, & cordis lætitia, liberatio à culpa & exemptio à pœna, præsentis vitæ prosperitas, & fœlicitas futuræ: quanto ergo eidem Deo chariores & acceptiores erunt illi, qui amabili & paterno zelo, miserabili proximorum suorum statui compatientes, urgentibus, & periculosis spiritus necessitatibus, omni modo possibili, subsidia ministrare procurant? Quis nō videt, nobilius esse, atque excellentius facinus, verbo animas pascere, quā cibo nutrire corpora? Caducum sustentare spiritum, quàm languentem restaurare carnem? Peccatorem à culpæ vinculis exsolvere, quàm captivum aliquem à catenarum suarum pondere eximere? Infœlicem aliquē ad cœli mansiones remittere, quam peregrinum aliquem defatigatum, admittere in propriæ domus suæ hospitium? Mortuum quendam civitati viventium lucrari, quàm moribundum acquirere civitati mortalium? Attentos vos hodie velim dilectissimi, sicut enim Materiæ pondus & excellentia magnum à vobis exposcit affectum, ita eiusdem difficultas magnam quoque attentionem expostulat.

2. Et primò quidem, si de correctionis loquamur præstantia, illa nobis commendatur, & recommendatur à Scripturis antiquis, & modernis; docetur à lege, & Prophetis, à Moyse simul, & ab Evangelio promulgatur; Doctrina exaggeratur, & exemplis; inculcatur tum à timore pœnæ, tū à spe præmij; persuadetur ab instinctu naturæ, nec non ab impulsibus gratiæ; Prælatis pariter, & privatis intimatur. Propter hanc, destinati sunt in Ecclesijs Episcopi, Principes in Rebuspublicis, in populis Consiliarij, Judices in curijs & foris, capita in familijs, in congregationibus censores, Magistri in scholis, in mundo Prædicatores, ut videlicet ijs, qui curæ suæ commissi erant, super intenderent, eosdemque, siquidem à vero rectitudinis tramite declinare conspicerent, per Justitiæ virgam, in vias rectas dirigerent. Neq; tamen ob id, ab hac universali lege, subditi exempti fuerunt, & inferiores; imò, secundum verā sacrorum Theologorum Doctrinam, hi quoque ad correctionem faciendam obligati existunt, non tantum coæqualium suorum,

rum, sibique parium, verum etiam ut in certis quibusdam casibus suos quoque corrigant Prælatos, & superiores. Sic Paulus correctionem adhibuit Petro, licet hic Prælatus suus esset. Joannes Baptista Herodem reprehendit, qui rex suus erat. Concilium Hebræorum, Stephanus, tametsi in hoc Magistratum suum agnosceret; Nathan Davidem, qui Princeps eius erat; ELIAS Achabum, cuius ipse vasallus erat; Basilius Valentem, Theodosium Ambrosius, Chrysostomus Eudoxiam, Mauritium Gregorius, qui eorundem erant Imperatores; Sebastianus Martyr Diocletianum, cuius erat servus, Christina Patrem suum, qui ipse haud dubiè omnibus erat titulis superior. Sic Augustinus, tametsi quoad gradum, maior esset Hieronymo, ab hoc tamen correctionem recipere non recusabat, dicens; quod *à minore quolibet non est refugienda; vel dedignanda correctio*, datque ibidem Pauli exemplum, qui Petrum ex Christiana libertate correxit, qui etiam correctionem eandem, cum Evangelica humilitate recepit: *Ipse Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter, libertate charitatis sanctâ, & benigna pietate, humiliter accepit: atque ita rarius & sanctius exemplū posteris præbuit, quo non dedignaretur, sicubi forte recti tramitē reliquissent, etiam à posterioribus corrigi.* Ac tandem in hanc pulchram sententiam concludit: *Est laus utique justa libertatis in Paulo, & sancta humilitatis in Petro.*

Epist. 19.

3. Verum enimverò, dilectissimi, ô quantopere mirabile istud delinquentes corrigendi exercitium, ipsiusmet quoque Dei exemplum commendat? qui mediante synderesi, quam una cum esse nostro, nostraque vita, pectoribus nostris inseruit, ab impio nostro, vitiosoque vivendi modo, omni quasi momento nos revocat. Et profectò, judicio S. Chrysostomi, magna isthæc Dei misericordia fuit, quod domesticum hunc, lateri nostro semper assistentem voluerit, Censorem: *Eam ob causam, misericors Deus, principio, cum formaret hominem, conscientiam illi indidit, accusatricem perpetuam, quæ decipi, & deceptionem facere posset nunquam. Hanc intrinsecus habentes, ubicunque sumus, circumferimus. Ipsa nos circumit, obturbat, laniat flagellat, nunquam quiescit, sed domi & in foro, & in templis, & in mensa, & dormientem & surgentem adoritur, & rationem delictorum exigit.* Hoc est venerandum illud Tribunal, in uniuscuiusque corde plantatum, quod præ illis quondam Numæ, & Lycurgi sanctionibus, longè sanctiores promulgat leges; quacunque etiam fide humana graviora, magisque authentica adducit testimonia; accusationes producit, quæ nec replicas, aut cuiuscunque Advocati admittunt defensionis patrocinium. Fulminat sententias, quæ nec appellationem patiuntur alterius Judicis, nec temporis dilationem, nec revisionem causæ: Tribunal meritò à Gregorio Nazianzeno appellatum; domesticum & verum. *Conscientia domesticum & verum tribunal. Domesticum*, quia semper illud ad manum, nobisque præsens habemus, cum tamen alias satis constet, cum quanta sæpè difficultate, ad Judices curiarum terrenarum aditus impetretur: *Verum* autem,

Hom. 17. in Gen.

tem, ne videlicet à fallacibus probationibus, aut testibus apparentibus, causæ nostræ perplexæ fierent, magisque intricatæ redderentur: *Domesticum*, quia reapse à nobismetipsis distinctum non est, cū nihil aliud sit, quàm ipsamet ratio, & discursus noster: *Verum*, quia hoc solum tribunal, nec à potentia, neque à promissis corrumpi valet. *Domesticum*, quia ut S. Joan. Chrysostomus explicat, synderesis, seu conscientia, est in nobis, veluti sollicitus quidam, & diligens Aulæ, sive Domus præfectus, qui ab alijs officialibus minoribus, de omnibus & singulis, quæ operati fuerint, rationem exposcit: *Verum*, quia impossibile est ipsum decipi, aut decipere, cū sit quædam divini luminis participatio, conformiter ad illum textum: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Domesticum*, quia de omni operatione nostra penutissimè est informatum, nec enim per absentiam ipsum fugere quicquam potest, quod syndicatui suo non esset subjectum: *Verum*, quia humana temeritas, dum se à tam integro, ac sapienti Judice condemnatum videt, nullam adferre potest excusationem verè rationabilem. *Conscientia domesticum & verum tribunal.*

Serm. 3. de Pœnit.

Psal. 4. v. 7.

4. Hoc est tribunal illud, in quo humana ratio, statutorum & pragmaticarum cœlestium perpetua promulgatrix. Sollicita cordium, & voluntatum humanarum custos, & protectrix, indefessa omnis honesti magistra, rigorosaque inhonestatis Castigatrix, Dei immortalis nomine semper præsidet & rationes ducit. Hæc per remorsus ferulam, absque remedio, aut medela verberat, si simus culpabiles: Hæc omnes gratias, & beneficia divina, sigillatim enumerat, atq; eadem, si ingrati simus, nobis improperat: Hæc toties à Deo factas & repetitas promissiones, totiesque à nobis prævaricatas, & violatas, ubi inconstantes fuerimus, contra faciem nobis in nostram confusionem statuit: Hæc, dum tepidi sumus, pectora nostra, pactæ nobiscum mercedis, calefacit, & inflammat: Si temerarij fuerimus hæc Divinorum Judiciorum commi- nationibus, terret. Nemo se excusare potest, dicit Joannis Chrysostomi os aureum, quod videlicet ex defectu Ducis, à semitis virtutis aberrârit, quando diligentissimam hanc Magistram, ad latus suum, sibi habuit assistricem, cuius instructione, plenè de eo, quod fieri convenit, aut non convenit, est informatus: *Nullus prætexat quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem viæ ducem, & demonstratorem; sufficientem enim magistram habemus conscientiam, & fieri non potest, ut quis adjumento illo privetur, nam simul cum formatione hominis, implantata est scientia faciendorum, & non faciendorum.* Una cum esse & vita nostra, altissimam hanc de Cœlo recipimus sapientiam, quæ nec inter latronum, aliorumque facinorosorum hominum verecundatur habitare catervas; nec in vilissimis, & abjectis mechanicorum & plebeiorum hominum tugurijs; neque in humilibus rudium bubulcorum & fossorum casis; imò neque in illorum barbarorum hominum medio, qui inter feras nati, inter rupes & syrtes montium enutriuntur: *Simul cum forma-*

Hom. 16 in Gen.

formatione hominis, implantata est scientia faciendorum, & non faciendorum.

6. Nec est, quod aliquis dicat, Magnas esse Humanæ mentis, à proprio peccato corruptæ tenebras; Virtutis Vias intricatas esse, atq; perplexas; subtiles esse passionum nostrarum insidias; inimicorum nostrorum inuisibilium, astutiam, breuissimo visui nostro esse inassequibilem; Leges Dei immortalis esse excelsas, atq; angusta Cordium nostrorum capacitate superiores; Hæc enim omnia, friuoli reuera prætextus sunt, vanæq; negligentiæ nostræ excusationes inanes; sola siquidem Conscientia, pulcherrima Luce sua, quamcunq; fugat obscuritatem, omnemq; cordi humano præpositam fallaciam; omnia, quæ in virtutis semitis nasci possunt, dubia dissoluit, omnesq; obliquas voluntatis inclinationes, omnemq; affectuum nostrorum intemperiem, seu inordinationem videre facit; commendat obseruantias, transgressiones condemnat, corrigit errores, emendationis proposita, refrænat superbiam, ignauiam excitat, semper necessitatibus nostris præsens, nostris commodis promouendis semper prompta, semper ad nostram Correctionem præparata. *Simul cum formatione hominis, implantata est scientia faciendorum, & non faciendorum.*

7. Ab hac Conscientiæ Censura, conuictus Rex Dauid, citrà alterius condemnationem, condemnauit seipsum, quando dixit: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me esse semper*; ut proinde, ad illum locum, meritò exclamauerit Hom 2. in Ps. 50. Chrysostomus: *O ingenuitas Animæ. O mentis integritas! Non est oblitus peccati sui. Ille in Conscientia sua, tanquam in Imagine, homicidium & adulterium depictum habet.* Ab hoc Conscientiæ Judicio, Rex Adonibezec persuasus, culpabilem se agnouit, dicens: *Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus*, nam uti aduertit Ambrosius: *Diuinæ habet consuetudo sententiæ; ut qui gesserunt impia, ipsi propria Confessione se damnent*; Iudicum 1. v. 7. Ab hac Conscientia, Homicida Lamech condemnatus, pœnam contra semetipsum pronuntiauit, dicens: *Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies. Quasi Carnificem gestaret* (dicit & optimè Chrysostomus) *se ancinantem, ita post absurdum facinus, obambulat, nullo conscio, sustinens illas intolerabiles pœnas, & Iudex sui ipsius factus, & accusator.* Gen. 4. v. 15. Chrysost. in Gen. Ab hac Conscientia, accusati Fratres Josephi, intermittere nequierunt, quin reos se confiterentur, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum: Conscientia illos accusabat, sine accusatore*, dicit iterum ille Chrysost. Chrys. serm. 17. in Gen. Conscientia Judam, Magistri sui traditorem, enormem culpam suam recognoscere coëgit, idq; per claram adeò & euidentem protestationem, qualis illa erat: *Peccaui, tradens sanguinem iustum.* In quem Locum dicit S. Ambrosius: *Domini traditorem non inuenio à Iudice damnatum, non enim damnat Pilatus, non damnat populus, sed quod majus est, se ipse condemnat. Quem enim alter judicat, potest esse utcunq; excusabilis: reus autem sine excusatione est, qui Conscientiæ suæ judicio condemnatur.* Serm. in Da... Et meritò, adjun-

git

git S. Leo, cum eodem traditore colloquens: *tibi tua pœna commissa est, quia in supplicium tuum, nemo savior te potuit inveniri. Simul cum formatione hominis, implantata est scientia faciendorum, & non faciendorum.*

Quantum, ô Christiani, omnium bonorum datori, pro hoc ingenti munere nobis concesso, cui par inveniri nequit, debemus? Pro naturali hac & domesticâ disciplinâ, quæ nunquam deficere potest? Pro zelosissimo hocce Syndico, qui nobis semper assistit? Pro familiari isthoc Magisterio, quo id perpetuo docemur, quod justum, & rationi conforme est? Pro sollicito illo Correctore, & ipsius Dei Locum tenenti, qui emolumentorum nostrorum Curæ continuò invigilat? Id quod S. Bernardum, in responsione ad illam Dauidis stupore plenam interrogationem, dicere coegit: *Quid est Homo quia magnificas eum? quomodo non magnus, apud illum, cui tam magna cura est de eo?*

Serm. in Dedicat. Eccles. Iob. 7. v. 17.

8. Sed cur Veritati huic, quæ omnibus in confesso est, diutius immoror? Transeamus nonnihil à Deo ad Dei filium, à Patre ad verbum. An non Vnigenitus Patris, ad hunc effectum, de Cœlo in terram descendit? *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.* Quid aliud Dominus noster, suo adventu prætendit, ô Christiane, nisi vitiosissimi mundi hujus correctionem? Ad hunc scopum directa fuêre Doctrinæ & miracula, promissiones & minæ, præcepta & Consilia, beneficia & supplicia, Verba & Exempla. Idipsum ex mellifluo S. Bernardi ore audite. *Quàm dulciter, Domine IESV, cum hominibus versatus es, quàm abundanter, multa, & magna bona hominibus largitus es. Vides, quam verum dixerit ille, qui dixit: Dominus sollicitus est mei?* Multum profectò sollicitus pro nobis Redemptor noster existit, siquidem illi in propriâ personâ, terram nostram visitare, atq; exilii nostri regionem peragrare complacuit; Neq; dedignatus est, ore suo proprio, quicquid nobis necessarium erat, suggerere, ut vel sic, viâ perditionis relictâ, immortalitatis & gloriæ semitas edisceremus: idq; præstitit, omnes laboriosissimæ vitæ nostræ tolerando miserias, patiendo opprobria, & contumelias, ac deniq; mortē ipsam. ô verè Pater misericordiarum, & totius consolationis! ô ingens dulcedinis mare, quod pessima culparum nostrarum amaricare nequiverūt venena! ô amantissime Animarum nostrarum Venator, quas tanto studio, nec minori nostrâ obluctatione, per terræ hujus sylvas, & nemora requisivisti! Tu es misericors ille Samaritanus, qui ex gloriæ tuæ generoso caballo, duos tecum duarum Naturarum, Divinæ scil. & Humanæ, denarios habens, descendisti, ut læsum & semimortuum sanares hominem. Tu es benevolus ille Pastor, qui relictis nonaginta novem ovibus, ad hoc nostrum te recepisti desertum, ut centesimam Lupis infernalibus prædam factam ovem inquireres. Tu es sollicita illa Matrona, quæ ut gemmam perditam reinveniret, totam mundi huius domum susq; deq; evertit, illā

Serm. 2. de Pent.

tan-

tandem recuperata, una cum omni familia tua, præ gaudio, festiuum diem agis, dicens: *Congratulamini mihi, quia invêni drachmam meam, quam perdideram.* Tu es gratissimus hæres ille, qui ut iniquos illos vinitores, ad Justitiæ terminos reduceres, in propria persona, in hac vinea tua, comparere voluisti, tametsi satis nosses, id non nisi vitæ tuæ impendio, à te fieri posse. *Vides igitur quàm verè dixerit ille, qui dixit: Dominus sollicitus est mei?*

Cant. 2. v. 16. Serm. 71. in Cant. 9. Hic est Dominus ille, ut vult S. Bernardus, *qui pascitur inter Lilia*, id quod ingens mihi, atq; extraordinarium videtur esse prodigium, quod videlicet is, qui gratiarum suarum abundantia nos pascit, pascatur & ipse, penuriarum nostrarum tenuitate & parsimonia. Nam si ipse est, qui pascit, qua erga ratione pascitur? Si eo quod omnium bonorum abundat, nos pascit, quomodo inter nos pascitur, ubi summa omnium bonorum, est Caristia? Si ipse alios utpote famelicos pascit, qua ratione idem ex Divinitatis & Gloriæ pascuis, satur, & plenus adhuc pascitur? Deniq; si pascit, quia Creator est, quomodo idem inter Creaturas suas etiam pascua invenit? Et tamen dicitur: *Qui pascitur inter Lilia.* Lilia sunt symbolum spei; uti omnes nostis. Christus ergo inter Lilia pascitur, quia ex bono nostro, atque ex nostra salute, ipse nutritur, & saginatur. *Pascens, pascitur ipse. Et quibus Escis? quibus libenter vescitur, profectibus nostris: etenim gaudium Domini, fortitudo nostra. Ita ergo cùm pascit, pascitur, & cùm pascitur pascit; simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro æq; spirituali profectu gaudens. Cibus eius, Pœnitētia mea; & cibus ejus, sal9 mea, cib9 ejus ego ipse.* Quid ergo dicitis? aut quid videtur vobis, dum Sapientiam incarnatam, nobilissimum hoc delinquentes corrigendi exercitium, tanti æstimari videtis, ut idipsum unicus adventus sui, operum suorum, Doctrinæ suæ, vitæ suæ, deniq; & mortis suæ, scopus fuerit?

10. A Christo Domino, Angeli quoq; didicerunt, salutem nostram maximi æstimare, atq; veluti Pædagogi, invigilare Curæ Animarum nostrarum, & uti S. Bernardus inquit: *Amant nos, quia Christus nos amavit.* Apostolicus item Senatus, à Choro cœlestem illā didicit fortitudinem, illam verè Christianam generositatem, qua cum terræ potestatibus, etiam cum manifesto vitæ periculo, criminum suorum exprobrant enormitatem. Magnæ quoque illæ tot Martyrum Animæ, auditæ fuerunt, juxta Exemplum Christi, etiam in tot infinitorum tormentorum medio, Justitiam & sanctitatem Legis nostræ adaucter prædicantes & enunciantes, adeò ut potius Idololatriæ incendium, proprio elegerint sanguine extinguere, quām ut incorrectam permitterent cæci Paganismi stultitiam. Venerabiles item, Sanctæ Ecclesiæ prælati, ut post Christi vestigia, suos quoque gressus figerent, tanto Salutis proximorum suorum zelo, in pectore suo arserunt, ut unà cum Rege sancto dicere potuissent: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Ab hac deniq; flamma, ad Christi si-

militudinem, varii quoq; Euangelii Professores asserunt; veluti Apostolus, qui per ardentissimum discipulorum suorum zelum, moriebatur quotidiè, dicebatq; : *Quotidie morior, per vestram gloriam:* Velut etiam Joannes Evangelista, qui cum esset decrepitæ ætatis, Equum conscendit, ut juvenem quendam, à se primo conversum, à mundo autem postea seductum, velocissimè insequeretur, & ad veram frugem perduceret. Velut item Gregorius Papa, qui tanto magnæ suæ Charitatis ardore, universum mundum corrigendi, & emendandi onus, in se suscepit, ut etiam magnæ illius Charitatis ardorem, Pagani in Anglia persenserint, Neophyti in Franciâ, Schismatici in Hispaniâ, in Ægypto Agnoitæ, Manichæi in Sicilia, Eutychiani in Græciâ, per universi deniq; mundi vastitatem, omnes cæteri peccatores; velut Ambrosius, qui ut S. Paulinus refert, peccata pœnitentium in Confessione audiens, totus in amoris solvebatur Lachrymas. Velut Dominicus, qui dum itinerando, ad Ciuitatem quãpiam aut populosum aliquẽ locum appellens, amarè plangere incipiebat, hâc potissimum consideratione motus, quod Magnus ille Deus à multis utiq; grauissimè ibidem offenderetur, blasphemaretur benedictum ejus nomen, sanctaq; lex ejus, tot repetitis violaretur trãsgressionibus. Velut Cyprianus, qui, cum ad consummandum beatum suum Martyrium in procinctu esset, recipiendi securis ictus, suimetipsius immemor, virginum tamen, quæ ad ipsum veluti Patrem suum, in carcere visitandum, concurrerant, non obliuiscebatur, sed Ecclesiæ suæ Clero hisce verbis recommendabat: *Servate mihi puellas.* Veluti Martinus, qui uno quasi pede in cœlo jam consistens, ingentem hanc Deo oblationem fecit: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Velut Gregorius Nazianzenus, qui ex Deo irrogatis offensis, tantum in se dolorem experiebatur, ut existimaret se ab ipsis Purgatorii suppliciis, magis torqueri non posse, unde ad Christum conversus, dicebat: *Quid gravius mihi impones? aut quo amplius me igne purgabis?* Veluti Bernardus, cujus hæc Charitatis, & teneritudinis plena sunt Verba: *Quicquid dulcissimi Domini mei nomen decolorat, cor meum excruciat:* Velut Serapion Sindonita, de quo Theodoretus testatur, quod tantâ alienæ salutis siti æstuaverit, ut se cuidam Comœdorum seu Histrionum gregi pro viginti scutis divenderet, idq; haud alium in finem, quam ut eosdem ad Deum converteret: Libertate autem demum receptâ, iteratò se Manichæo alicui in Græciâ, eâdem met ex intentione vænum tradidit. Veluti Societatis JESU fundator IGNATIUS, qui dum in urbe Barchinonensi, Lapsarum seu Licentiosarum quarundam virginum Monasterio reformando intenderet, verberibus onustus ac veluti mortuus relictus fuit, postea verò ab amicis quibusdam munitus, ne se, tam periculoso deinceps operi, amplius immisceret, in hæc memorabilia prorupit verba: *Quid mihi optatius, quàm pro*

Christo Domino, meiq; proximis emori? Velut FRANCISCUS XAVERIUS Indiarum Apostolus, qui incessanter dolebat, atq; plangebat, quod Mercatores à sola avaritia stimulati, ut videlicet auro se locupletarent, prius in novum orbem penetrassent, quam Prædicatores Euangelii, velut Pambus Abbas, qui urbem Alexandriæ ingrediens, cum famosissimum quoddam, & nobile scortum, magno fatuorum juvenum comitatu stipatum vidisset, pacem, aut quietem habere nequivit, sed continuis singultibus Cœlum pulsavit; causam autem rogatus ingenti Lachrymarum imbre perfusus, respondit: *Illa majori utitur sollicitudine, ut homines ad Infernum trahat, quam ego ad vitam.* Veluti deniq; Augustinus, qui sanctum hunc Animarum zelum, zelo infinito, populo suo prædicabat, dicebatq;: *Si diligitis Christum, rapite omnes ad amorem Christi. Nolite cessare lucrari Animas Christo, qui estis lucrati à Christo.* Quam excellens ergò, & eximia ars esse debet, quam omnes sancti Dei, Cœlorum Angeli, Mundi Redemptor, imò Deus ipsemet tanti æstimarunt?

11. Verùm enimvero, nequeo hoc loco non recordari, magnæ illius Charitatis, quam in Veteri Testamento Moyses, Paulus verò in novo, exhibuit. Moysis enim commissi sibi populi amore, ad Deum se per Hyperbolem quandam, amoris sibi Magisterio suggestam, convertit, dixitq;: aut condones populo isti, quod peccavit, aut ex libro vitæ, amicorumq; tuorum Catalogo me deleto: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de Libro, quem scripsisti.* Exod. 32. v. 31. *Cum ipsis perire malo*, inquit Moyses apud Chrysostomum, *quam sine ipsis salvari.* Hom. 7. in Epist. ad Ephes. Et mox idem Doctor subjungit: *Quid dicis? Cœlum contemnis? expungi petis? utiq;, inquit, diligo siquidem illos, licet injustè egerint. Et quid patior? Amor enim est.* Nolo Cœlum, si absq; filiis meis, eo mihi ingrediendum est; aut si in vitæ Libro nomina ipsorum conscripta esse non videro, meũ quoq; inibi conscriptum esse nihil facio; ac proinde maturè satis, ex amicorum tuorum me dele Catalogo, si eo mihi favore tuo frui non licet, ut ibidem à filiis meis associatus recenseas. Magnam jacturam, quam gloriam perdendo patior, probissimè equidem intelligo, attamen, parùm quoq; mihi perdere videbor, si populum istum perditum videro & derelictum à te. Nec unquam integrè salvus esse videbor, nisi unà mecum salvatos videro illos, quos pluris, quàm propriam æstimo salutem. *O verè hominem unctum unctione misericordiæ. Loquitur planè Parentis affectu*, inquit Bernardus, Hom. 12. in Cant. *quem nulla possit delectare fœlicitas, exortibus, quos parturivit.*

12. Sed major fortasse nonnemini videbitur Charitas Pauli, qui ingentem illum, nec alias in mundo visum, benevolentiæ erga suos excessum, de se ipso testatur, dicens: *Optabam ego ipse, Anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum Carnem.* Rom. 9. v. 3. In quem locum Theodoretus, magno cum acumine notavit, Apostolum paulò antè dixisse, nihil esse in mundo, quod ipsum à

 Chri-

Rom. 8. v. 39. Christo separare posset: *Quis poterit nos separare à Charitate Christi? Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; Creatura alia poterit nos separare, à Charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Hic ergo qui tantâ cum libertate nihil esse, quod ipsum à Christo separare posset, affirmarat, idem nunc e contra, solum fratrum suorum amorem, ipsum ab eo separare posse asserit: *Apposuit illud, ego ipse, ea quæ de Charitate in Christum, antea dicta sunt, in memoriam revocans. Ego ipse quem neque mors, neq; vita, nec præterita, nec futura, nec alia Creatura separare poterit à Charitate Dei, libentissimè pro Iudæorum salute ab illo separarer. Hunc in eos amorem ac desiderium declarans.* quasi diceret, Cuncta Cœli terræq; potentia, à Christo me separare non poterit, unico duntaxat quod separare me valet, excepto, amore videlicet erga fratres meos. Dummodo ipsi Christo vicini extiterint, ego quamvis à Christo elongationem non persentiscam, lubens, libensq; me tanto bono priuabo, ne eodem ipsi priuentur. Damnum meum priuatum, libenter perpetiar, ut damno meo, publicum ipsorum bonum procuretur. Et si hinc cuipiam fortasse videbitur, me Christum modicè diligere, à quo diuisum me esse tam parum videor curare, is quisquis est intelligat, me illum tanto amare intensius, quanto vehementius cupio, ipsum amatum esse ab omnibus. Nec unquam credidero, hoc meum desiderium, à Christo modico asscribendum fore amori, siquidem is, qui verus amoris magister est, clarè videbit, illud non nasci præterquam ab amore maximo. *ô ingentem spiritus fervorem!* exclamat Nazianzenus, *O ingentem animi præstantiam! Christum, qui nostrâ causâ maledictum factus est, qui infirmitates nostras suscepit, & morbos portavit, imitatur; aut ut moderatius dicam, primus post Christum, eorum causâ, etiam tanquam impius, aliquid perpeti non recusat, modo ipsi salutem consequantur.* Per Deum vivum igitur vos obsecro, Correctionis fraternæ hinc intelligite præstantiam, eorumq; qui vos hac in re præcesserunt, sanctissima imitemini exempla. A somnolentiâ nostrâ tandem evigilemus, nec jam deinceps somniculosi simus aut in tanti ponderis negotio negligenter, in negotio inquam à Deo & sanctis suis tanti æstimato. Orat. 1.

13. Cùm ergo nunc Correctionis fraternæ, nemo non credat, aut confiteatur excellentiam, atque præstantiam, nunc de difficultate, quæ in Correctione fraternâ facienda invenitur, parumper discurramus. Difficilis ergo est Correctio, tum ex parte ejus, qui corrigit, tum ex ejus parte, qui corripitur, tum deniq; ex ipsiusmet Correctionis ratione. Corrector est Homo, Correctus peccator, Correctio deniq; medicamentum. Qui corrigit, mille subjectus est erroribus: Superbia plenus est qui corrigitur; Ipsa vero Correctio, mille circumdata periculis. Corrector prudens non minus, quàm sanctus esse deberet, quæ qualitates sunt rarò admo-

modum adinvicem conjungibiles. In Correcto autem mansuetudo requireretur, & patientia, Virtutes videlicet, à Corde passionato semper proscriptæ: Correctio [denique tot defectuum varietatibus, tot inclinationum differentiis, tot necessitatum multiplicitatibus, proportionata esse deberet; idquod Gregorium Theologum dicere coëgit, Correctionem ejusmodi, esse omnium artium artem, & scientiam omnium scientiarum: *Revera mihi videtur esse ars artium & disciplina disciplinarum hominem regere.* Inter omnes hujus mundi artes, difficillima est illa, quæ circa hominem, & Cor humanum dirigendum occupatur, Homo enim nunc fingitur, teq; decipit; nunc absconditur, & te fugit; nunc erigitur, & despicit; nunc sibi vilescit, aut abjicitur, nec te curat; nunc pervertitur, nec se subdit; Nũc excœcatur, nec te videt; nunc eminere videtur, & vilipẽdit Magistrum; Nunc pœnitet, & tamen revertitur ad vomitum; nunc te contemnit, omnemq; respuit Medicinam; *Ars est artium, & disciplina disciplinarum, hominem regere.*

Orat. ad Epist.

14. Quis est, qui omnes illas artes promittere possit, quæ ad salutarem prærequiruntur Correctionem? quales sunt, sanctitas vitæ ad præstandam monitis fidem; Dictorum veritas, ad convincendum errorem; Varietas rationum, ad expugnandam proterviam; Nobilis agendi urbanitas, ad alliciendum fastidiosum; Gravitas morum ad honorandum magisterium; Patientiæ fortitudo, ad oppositiones tolerandas; Cordis Magnanimitas ad proprium contemnendum emolumentum: Generositas animi ad respuendũ comminationes: Affectus teneritudo, ad compatiendum miseriæ: Vigor sermonis, ad profligandam obstinationem: Locutionis suavitas, ut non opprimantur pusillanimes: Discretio temporis, ne destruatur negotium: Animi constantia, ut ad fortunatum finem perducantur conatus. Qui deniq; talis reapse sit corrector, qualem Deus in personâ Jeremiæ requirebat, cui dixit: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas: & disperdas, & dissipes: & ædifices, & plantes.* Protheum quendam cœlestem te esse jubeo, qui in mille te formas, prout necessitas exegerit, commutare nôris, ad extirpanda vitia, virtutes plantandas, dissipandos flagitiosos, justos confortandos, ad abolendas malas consuetudines, ad conficiendum bonas institutiones, ad exterrendos audaces, & timidos alliciendos. Medicum te esse volo, qui omni opportuno provisus sis remedio, qui pungere scias & palpare, ferro uti & fasciâ, vino & oleo, igne pariter & unguento, sisq; longè ab ijs medicis diversus, de quibus scriptum est, quod *curabant cum ignominiâ contritionem populi mei.* Nisi enim eâ prudentiâ & discretione, quam ingens adeò cura exposcit, ornatus fueris, periculosum est, ne plagam foveas, dum superficialiter palpas: aut ne exasperes, dum inconcinnè contrectas, aut ne incurabilem illam reddas, si diu illam contemnas: aut ne increscat, si nimis subitò curare velis:

li ; aut facias esse perpetuam, si nimis tardè cures. *Ars est artium & disciplina disciplinarum, hominem regere.*

15. Ubi ergò tantis Qualitatibus præditum Correctorem reperiamus? Qui velox sit, non tamen præceps, benevolus, sed non adulator: Zelosus, sed non crudelis: efficax, non tamen terribilis; Compassivus, at minimè negligens: consideratus, at non perplexus: familiaris, at non levis: intrans, sed non importunus: Urbanus, sed non affectatus: qui Charitatis oculo damna proximi, veluti propria respiciat dispendia: qui correctum non veluti alienum, seu extraneum, sed sicut fratrem consideret, & unius ejusdemq; secum Corporis membrum: qui artificiosè vultum, moresq; commutare possit: qui authoritate uti potest cum parvis, Reverentia cum majoribus, cum æqualibus familiaritate, compassione cum infirmis, fortitudine cum obstinatis, cum avidis promissionibus, Claritate & Candore cum simplicibus, prudentia, & intellectu cum doctis. Uno Verbo, qui alter quidam sit Paulus, qui tot, tãq; diversis induebatur affectibus, tam variis, & differentibus coopertus cernebatur notis & figuris: Modò enim velut amantissimus quidam Pater prodibat, ad gubernandum: *Ego enim per Evangelium vos genui:* Nunc tanquã affectuosissima mater, ad abblandiendum: *Tanquam parvulis, Lac vobis potum dedi.* Mox sicut benigna nutrix, ad educandum: *Facti sumus parvuli, in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Aliàs sicut Magister sapiens, ad instruendum: *Positus sum ego Prædicator, & Apostolus, & Doctor gentium.* Deum velut perfectum quoddam Exemplar ad corrigendum: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Modo instar justi Judicis, ad aliorum audiendum rationes: *In Virga veniam ad vos, an in Charitate, & mansuetudine?* Nunc sicut practicus quidam Architectus, ad ædificandum: *Tanquam sapiens architectus, fundamentum posui.* Nonnunquam sicut Hortulanus sollicitus, ad cultum: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* In summa, omnia omnibus factum reperietis, ut omnes lucrificaret: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia Cæsar erat,* dicebat Poëta ille, de sollicitudine loquens, qua cum Julius Cæsar, suo assiistebat exercitui, omni militiæ gradui, omnibusq; officiis militaribus sese conformando, & accommodando, ut sua illos superintendentia corrigeret, nec non conformiter ad artem militarem deduceret, adeò ut cum peditatu pedes ambularet; cum Equitatu confligeret Eques; vigilaret, cum Excubitoribus; cum aggressoribus insiliret; defenderet, cũ propugnatoribus, cum Machinatoribus, tractaret machinas; cum cunicularii fossoribus, laboraret; commendaret, cum officialibus, cum privatis exequeretur. *Omnia Cæsar erat. Omnia Paulus erat,* dicamus nos, nam Paulus omnibus, omnia factus est: *Omnia omnibus factus sum.* Cum Pericula patientibus sollicitus, compatiens cum infirmis, cum obstinatis fortis,

fortis, benignus cum obtemperantibus, cum arrogantibus imperturbatus, constans cum pertinacibus. *Omnia Paulus erat.*

16. Hoc est, quod Venerabilis Gilbertus Abbas notavit, quando sponsus in Ecclesia, unum duntaxat oculum, multas autem laudavit mammillas: *Vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ.* Oculus, sapientiam significat, illi necessariam, qui alterius attendit correctioni; Mammillæ verò, varios denotant corrigendi modos. Sicut ergo nunc correctori, qui unus est, unicus duntaxat sufficit oculus, sic non sufficit unica mammilla correctis, utpote, qui multi sunt. *Oculus onus dicitur, mammæ plures, quia varia debet esse uberum temperatura, pro sugentium qualitate diversa.* Exemplum quoq; Pauli mox subdit: *Vide quomodo Paulus Iudæis factus sit Iudæus, & ijs qui sine lege erat, quasi & ipse sine lege esset; infirmus infirmis. Nonne tot veluti tot, applicat discipulis ubera, qui in se transformat genera? Quid aliud molitus est temperatura tam multiplici, nisi ut leniret, & lactis more, teneris auditorum ejus doctrinam influeret animis? Tot videtur abundare mammis, quot modis, arte ingeniosa, capacitati se infirmorum coaptabat.*

Serm. 42. in Cant. Cant. 4. v. 10.

17. Et hoc forte est, quod Spiritus Sanctus, illis Ecclesiastici verbis, dicere volebat: *Cum interrogaveris, corripe iustè.* Id quod non tantum, quoad substantiam Correctionis intelligitur, quæ juste facta non erit, si ei adhibeatur, qui delictum non commisit; sed potius, quoad ejusdem Correctionis modum intelligitur, quæ justa esse debet, id est unicuiq; proportionata. Et uti dicebat S. Ambrosius: *Mensura oneris, pro mensura debet esse gestantis. Alioquin impositio oneris, fit ruina, ubi victoris infirmitas est. Nam & infantium fauces, strangulat esca robustior.* Quis nesciat, delicatam puellulam quandam oppressum iri, si onus ponderosæ cujusdam massæ plumbi eidem imposueris? Tenerum quoq; infantulum ex solido robustoq; adulti alimento, strangulandū fore? Eodem quoq; modo, res risu digna erit, juvenem quendam vigorosum, optimeq; formatū, Infantili esca, id est, lacte, pascere, aut pro justo quasi onere unicū Xylini seu Gossipii pugnū vasto alicui imponere velle Gyganti, qui vires haberet, sic loquendo integrum portandi montem? *Cum interrogaveris corripe justè.* Correctionis ponderis, adæquare satagite quantitati virium, & necessitati ipsius Correcti; Loco etiam correctionem accommodate, ut is nimirum secretus sit, & uti Evangelium dicit: *Inter te & ipsum solum*, ad hoc, ut cum minori confusione fiat; Tempori quoq; eandem commensurate, ut subsidente prima Passionis vehementia, tanto suum facilius locum, ratio & honestas inveniat, Personarum quoq; diversitati illam comparate, illam conformiter inclinationum & Naturarum varietati variando. Ut enim Magnus Gregorius Pontifex inquit: *Non eadem cunctis exhortatio congruit, sæpè namq; aliis officiunt quæ aliis prosunt: quia medicamentum, quod huic morbum immi-*

Eccles. 11. v. 7.

Amb. lib. 2. de viduis.

Greg. I. part. Ep.

minuit, alteri vires jungit, & panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Ergò, *Cum interrogaveris, corripe juste.*

18. Memores, obsecro, estote S. Joannis Evangelistæ, qui septem Asiæ minoris Prælatos, Dei nomine reprehensurus, aut correcturus, eandem correctionem omnibus, sed magna cum differentia, adhibuit. Audite, per vitam vos vestram rogo, quot modis variet, & quot formis, Episcopos illos, secũdum defectuum suorum varietatem, moneat. Ephesino namq; dicit: *Hæc dicit, qui tenet*
Apocal. 2. *stellas in dextra sua.* Smyrnensi: *Hæc dicit primus, & novißimus, qui fuit mortuus & vivit.* Pergamensi: *Hæc dicit, qui habet Romphæam, utraq; parte acutā.* Thyatirino: *Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos, tanquam flammam ignis.* Sardicensi: *Hæc dicit, qui habet spiritus Dei, & septem stellas.* Philadelphiensi: *Hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clavem David.* Laodiceno. *Hæc dicit Amen, Testis fidelis, & verus qui est principium Creaturæ Dei.* Sed quo hæc tan-
In prologo in Epist. ad Ephes. ta tendit varietas, quærit Hieronymus? Nunquid omnes Episcopi erant? An non omnes in idem officium à sancto Apostolo positi fuerant? Nunquid omnes ejus discipuli, & doctrinæ suæ sectatores fuerunt? Nunquid omnes sub eodem Christi insigni militarunt? Et tamen omnes, ab Apostolo, tanta cum varietate tractati sunt. Unus perterrefactus, alter allectus: ille animatus, hic consolatus: alius sicut perfectus, alius velut incipiens tractatus; huic promittit, illi minatur: Ille unctus est oleo, iste ferro punctus est. Scitis cur ita fecerit? inquit Hieronymus: *quia in unoquoq; eorum vel specialia vitia reprehendit, vel virtutes probat.* Et mox Pauli Exemplum, in medium adducit, qui tantam nationum, personarumq;, quibus scribebat, varietatem, tanta cum prudentia, & dexteritate corrigit, Medicinam, conformiter ad morborum varietatem semper variando: *Apostolus Paulus, per singulas Ecclesias, vulneribus medetur illatis, nec ad instar imperiti Medici, uno collyrio, omnium oculos vult curare.* Legite prudentissimi illius Animarum Magistri Epistolas, & tunc dicetis: quod *tot habet Mammas, quot habet modos.* Quàm est Corinthiis terrificus? Quàm dexter Romanis? Quàm erga Titum, & Timotheum sollicitus? Quàm erga Philemonem urbanus? Quàm altus, & profundus Ephesiis? Quàm Philippensibus tener, & devotus? Quàm amabilis, & blandus Colossensibus? Quàm Thessalonicensibus comis, & civilis? Quam eruditus Hebræis? *Tot habet mammas, quot habet modos: nec ad instar imperiti Medidici, uno Collyrio, omnium oculos vult curare.*

19. Qui lucro Animarum invigilant, à Deo, apud Jeremiam, piscato- Jerem. 6. v. 16.
res & Venatores appellati sunt: *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos; & post hæc mittam eis Venatores, & venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Dic mihi sodes, An pisces fortè omnes eodem prorsus modo capiuntur? Non profectò. Nam alii capiuntur Virga: alii luduntur, & deci-

piuntur esca, : alii clauduntur nassis: alii pane trahuntur: alios piscantur hamo: alios tridente feriunt. Neq; Venatores tantam sylvestarium animalium varietatem, una & eadem ratione venantur; Nunc enim venationi eorum subserviunt Canes, aliàs ferro utuntur, modo explicant retia, mox laqueos tendunt, hîc calamo utuntur viscoso, illinc volucribus rapacibus, nonnunquam magnis venantur excitatis clamoribus, sæpe numero alto cum silentio: secundum artis præscriptum vocem, sonum, sibilum, Cantum, Lucem, tenebras, Diem, noctem, serenum aut nubilum tempus, apricum & umbrosum locum, planitiem & Colles, Campos apertos & densas sylvas mutant & variant: *Mittam piscatores & mittam venatores.* Hæc est ars illa, quâ præditi esse debent ij, qui Animas Christi sanguine redemptas, venantur. Centum habeant oculos, ut videant, quid in omni sit occurentia expediens: quali doctrina corda illuminari valeant: qua ratione convinci possit durities: Qua spe & fiducia pusillanimitas reanimari queat: quo temeritas refrænari possit timore: quonam somnolentia evigilare possit exemplo, quali testimonio cõvinci possit perfidia. Considerent attente, quisnam ad Correctionem locus sit aptior, quodnam oportunius tempus, quis dicendi modus magis rationalis, aut quænam, ad intentum, efficaciora sint verba. Audite quid S. Gregorius Papa hac in re sentiat: *Pensare Doctor debet, quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur & quantum loquatur. Si enim unum eorum defuerit, locutio oportuna non erit.* (Hom. in Ezech.) Correctorem inquit Gregorius, oportet circumspicere ad omnem Circũstanciam, *quid loquatur* ne sermo noster rudis, hebes, aut rusticus sit, sed, ut Apostolus volebat, sale, & gratia sit conditus: *ut juxta Pauli vocem, sermo noster semper in gratia, sale sit conditus.* (ad Coloss. 4. v. 6.) *Cui loquatur*: nam reprehensio ab uno recepta, refutabitur ab altero; *Quia sæpè increpationis Verbum, quod hæc admittit persona, altera non admittit. Quando loquatur*, nonnunquam enim Correctio justo velocior, aut nimium tarda, & lenta, sine effectu irrita cadit: *Quia sæpè etsi differtur increpatio, postmodum benignè recipitur: & nonnunquam languescit, si hoc, quod ante proferri debeat, tempus amiserit. Qualiter loquatur*; quis enim nescit unum quendam loquendi modum, qui uni natus est adferre salutem, alteri persæpe mortem adferre? *Nam sæpè Verba quæ hunc ad salutem revocant, alium vulnerant. Quantum loquatur*; Correctio enim est instar medicinæ amaræ, quæ in uno momento, tota simul transglutienda est, ut tanto minus ejus sentiatur amaritudo; *Ne si ei, qui multa ferre non valet, verba increpationis longius trahimus, auditorem nostrum ad fastidium reducamus. Mittam ergò piscatores, & mittam Venatores*, qui ut animarum faciant prædam, omnem inventionum varietatem, bene tractare: omnes secundare humores, & inclinationes: temporum occasionibus prudenter uti: nullum opportunum consilium negligere: media proportionata non contemnere: o-

mnes stationes animabus capiendis aptas captare optimè norint. *Mittam piscatores, & mittam Venatores.*

20. Salomon ab hoc conceptu non procul abiisse videtur, quando dixit: *Verba sapientis, quasi stimuli, & quasi clavi in altum defixi.* Verba sapientum sunt sicut stimuli, & sicut clavi. *Quasi stimuli*, inquam, quia otiosos pungunt, *quasi clavi* verò, quia transadigunt obstinatos: *Quasi stimuli* illis, qui tametsi lentè in via Dei tamen ambulant: *Quasi clavi* autem eis qui immobiles & firmi persistunt, atq; transitum dare pertinaciter renuunt. *Quasi stimuli* somnolentis, *quasi clavi* insensatis. *Sicut stimuli*, quando virtutis repræsentant pulchritudinem, efficiuntq; ut illius quis concupiscat amorem: *Sicut clavi*, quando vitii detestantur enormitatem, utq; illius sentiatur horror, operantur. *Sunt stimuli*, quando de beneficiis & misericordiis Domini loquuntur: *Clavi autem*, quando de suppliciis, judiciisq; divinis sermonem faciunt. *Verba sapientis, quasi stimuli, & quasi clavi.* Ad propositum verò facit alia quædam litera, quæ ita dicit: *Verba sapientis quasi clavi fortiter fixi, sustinentes collectam supellectilem.* Verba sapientis sunt sicut clavi, qui in vestiario nobilium, in contignatione fixi, perticas quasdam, seu virgas varia supellectile onustas, sustentant. Estq; hæc comparatio valde equidem nobilis. Tales namq; perticæ variis sunt onustæ mobilibus, diversisq; ornamentis, quorum re nata, & secundum necessitates occurrentes, varius est usus. Serviunt namq; tum ad se vestiendum, tum ad se armandum, tum deniq; ad hominem ornandum. Ex illis sunt quæ serviunt pro æstate, alia pro tēpore verno, aliaq; deniq; pro tempore mediocri. Serviunt Viris, fœminis, pueris deniq; & adultis hisq;, ut iis, vel in Civitate, vel ruri, aut in villis, aut pagis induantur, idq; vel festis diebus, vel prophanis: vel domi, vel foris: Asservantur ibi paludamenta nobilitatis, & equestris ordinis insignibus decora, pro Dominis seu Patronis: Liverea seu vestes gentilitiæ pro ephebis: vestes item vulgares & detritæ, pro humiliori familia: nec non aliæ pro Equis phaleræ & ornamenta, & sic de reliquis discurrendo: *Verba sapientis quasi clavi, sustinentes collectam supellectilem.* Verba sapientis sunt velut Vestiarium quoddam *Guardarobba* Ital. Unde omni gradui, omni statui, omniq; conditioni prospectum esse potest. In illis miser relevamen invenit, felix frænum, sustentaculum derelictus, superbus modestiam, sobrietatem intemperans, prudentiam inconsideratus & temerarius: atq; in hunc modum, de aliis quoq; spiritualibus necessitatibus, quæ inter nos frequenter occurrunt, discurrite. Atque sicut risum quis magnum, magnumque rumorem excitaret, qui pelliceis vestibus in intensissimis æstatis uteretur caloribus, aut in rigido Hyemis frigore, syndone tantum uteretur linea aut serica: aut si mulieri pro Vestimento, Lorica, aut alia quævis daretur armatura militis: aut puerulo alicui, thorax patris sui ad induendum porrigeretur: aut alia similia

Ecclef. 12. v. 11.

Lectio Veneta.

milia disproposita acciderent. Ita quoq; ridiculi profectò sunt Correctores illi, qui nullum sive ad locum, sive ad tempus, sive ad personam, aut aliam quamvis circumstantiam, habentes respectum, temerariè, & absq; debita proportione, Correctiones suas instituunt manum ibi calcando, ubi minus est opus, aut lenitivis utendo, ubi igne opus esset & ferro, pusillanimem verbis asperis & pungitivis exasperando, perversum verò laudibus indebitis, serviliq; adulatione demulcendo: efficiuntq; ut medicamentum, quod alio opportuniori tempore utile futurum esset, & efficax, nunc quia in paroxismi datum est furia, in venenum prorsus convertatur.

21. Verum enimverò, quid facimus? ut quid difficultatem, quæ in bene facienda correctione invenitur pluribus exaggeramus? si enim tantæ difficultatis est, aliùm legitimè corrigere, prouti huc usq; est demonstratum, ubi tandem bonum aliquem Correctorem reperiemus? Ingens est morbus, medicina difficilis, inexpertus Medicus, miser ergo infirmus quid boni expectare tandem poterit? Deniq; si tantam ex una parte obligationem habemus, corrigendi fratrem nostrum: ex altera verò parte, tanta in ipsamet correctione ritè facienda reperitur difficultas, quid efficere, aut quodnam capere poterimus consilium? Negligere correctionem culpa non caret: nec à culpa immunis est qui modo indebito corrigit: quis hic ab imminentibus sibi se liberabit periculis? Agedum, quotquot estis, Apostolum auscultate, hic doctrinæ hujus tam præstantis, & eximiæ, Magister existet, legesq; bonæ ac salutaris correctionis nobis tradet.

SECUNDA PARS.

22. FRatres, *si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, corripite eum, in spiritu lenitatis.* Sunt verba Pauli, ad Galatas, quæ tres in se continent qualitates, quas bona correctio fraterna habere debet, ut eam, quæ prætenditur, adferat utilitatem. Prima est, ut fiat à sancto quodam & homine virtuoso: *vos, qui spirituales estis.* Benedictus Fernandus notat, quod quando Paulus correctum nominat, illum appellet hominem; *Si præoccupatus fuerit Homo*: quando autem Correctorem nominat, huic non indit hoc nomen: *Homo*, quia ad benè faciendam correctionem, plus quam Homo esse deberet: *Licet Apostolus præoccupatum in delicto hominē posuerit, spirituali autem non additur, Homo, sed quasi Deo præcipit ut hominem præoccupatum in delicto instruat.* Corrector, Deus quidam merito esse deberet, in puritate, in virtute, in innocentia, ut apud Correctum, eam, quàm par est, fidem obtineat. Sic S. Joan. Chrysostomus notat, Moysen, priusquam Legem daret, quadraginta diebus cum Deo stetisse, ut hoc Dei consortio Deificatus, deificare quoque posset alios, atq; ut amorem Divinum excitaret in populo ipse prius amore accenderetur in se ipso: *Ut ipse ardentes diligeret, & alios, ut diligerent, sic moneret.* Priusquam Moyses amoris

ad Galat. 6. v. 1.

Fern. in Gen.

Exod. 24.

Serm. 143.

se præbeat Magistrum, amet prius & ipse, ut hac ratione, omnes sine difficultate, amore accedere posset. Sic Joan. Baptista, priusquam Pœnitentiam prædicaret: *prædicans Baptismum Pœnitentiæ*, semetipsum Pœnitentium constituit Idæam, uti advertit S. Ephrem Diaconus: *Prædicaturus de Pœnitentia, ipse scopus evasit pœnitentibus.* Correctori enim aliàs, sua exprobrari posset imprudentia, atq; stultitia, hac S. Augustini exprobratione: *Quomodo emendas lumen, quis perdidisti lumen?*

Matth. 3. v. 3.

Serm. de Pœnit.

Serm. 13. de verbis Dom.

23. Æternus Pater, filio suo bis testimonium dedit, semel nimirum ad fluenta Jordanis: Et iterum supra montem Thabor, hisce verbis: *Hic est filius meus dilectus.* Cum hac tamen differentia, quod in monte Thabor, hoc verbum adjunxerit: *Ipsum audite*, quod ad Jordanem non addidit. Ratio autem illius est ista: Ad Jordanem enim, comparuit veluti peccator, & remedii indigus, sicut & alii peccatores, qui ibidem erant: non verò sic in monte Thabor, ubi se totum luminosum videri fecit, in veste super nivem candidiore, & in medio societatis duorum hominum majorum totius mundi. Et ideò ibidem dicitur: *Ipsum audite*: Optima effigies Prælati cujus est illuminare subditos, est si totus luminosus compareat, ne dicatur illi: *Quomodo emendas lumen, qui perdidisti lumen?*

24. Atq; hæc est causa, cur Christus Redemptor noster, à Davide magnis hisce encomiis, prius laudatus fuerit: *speciosus forma, præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus, in æternum:* Et mox subjungat: *Accingere gladio tuo, super femur tuum, potentissimè, specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna.* Est conceptus Paschasii, cujus hæc sunt sequentia Verba: *Post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labiis, post benedictionem perceptam æternæ hæreditatis, imperatur à Patre, ut accingatur gladio suæ fortitudinis, ad ultionem inimicorum, ad reprehensionem contradicentium, ad conservanda rerum omnium jura, ut in pace sint omnia.* Gladium arripiat Correctionis, quisquis prius pulcher factus est virtutibus meritis gratiosus, & sanctitate valde cumulatus, sic enim fructum faciet incorrectis.

Ps. 44. v. 3.

24. Nunquam lego visionem illam, quam S. Lucas in Actibus refert Apostolicis, de linteo illo, serpentibus aliisq; immundis animalibus pleno, quod S. Petro monstratum est adjunctis hisce verbis: *Occide, & manduca.* quas summa admiratione sim plenus. Quomodo enim manducabit S. Apostolus feras illas, quas & lex vetat & abhorret Natura? verum admirationem tollit, sapiens Augustini responsum, hic loquentis: *O Petre prius macta, & sic manduca. occide quod sunt, & fac quod es.* Id quod comeditur, in substantiam vescentis convertitur. Mandacat homo panem, panis ille, in substantiam convertitur hominis, si illum manducet lupus, in lupum convertitur. Ridiculum profectò esset, si tu, qui bos quidam es, velles, cibum illum quo vesceris, in substantiam converti hominis alicujus, sed magis adhuc risu di-

Act. 11. v. 13.

in Psal. 30.

dignum esset, si tu, iniquus um sis, culparumq; plenus, sanctum illum efficere prætendas, quem corrigis. *Occide quod sunt, & fac quod es.* Tu sanctus esto, eruntq; qui à te corriguntur, mox quoq; sancti: *Vos qui spirituales estis.*

25. Secundò, dicit S. Paulus,
Eccl. 18. v. 18. Correctionem fieri debere; *In spiritu lenitatis.* Correctionem cùm asperitate Verborum perficere, rem stultam esse, dicit Spiritus Sanctus: *Stultus acriter improperabit.* Sicut enim stultus inordinatè omnia facit, & sine fine: Sic is qui cum asperitate corrigit, omninò contrarium illius obtinet, quod prætendere deberet, fratris nimirum emendationem. *Stultus acriter improperabit.* Hunc defectum Christus à discipulis suis tolle-
Matth. 10. v. 9. re voluit, quando eisdem præcepit, ne per mundum Evangelizando trãseuntes, baculos secum deferrent: *Nolite possidere Aurum, neq; Argentum, neq; pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; Calceamen-*
Lib. de Joseph. *ta, neq; Virgam.* Nam ut inquit S. Ambrosius, baculus utpote instrumentum vindictæ, rigorem aliquem in discipulis monstrare potuit: *Domine IESV, dimittens ad Evangelizandum discipulos, misit sine virga, ut instrumenta eriperet ultionis.* q. d. Virga, vigorem significat, nolo ergo, vos virgam portare, quia rigorosos vos esse nolo, sed procedite potius *in spiritu lenitatis.* Si autem mihi quis diceret, videri Dominum nostrum, apud S. Marcum præcipere omninò contra-
Marci 6. v. 8. rium, cum dicitur: *Et præcepit illis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum.* Quid ergo sibi vult hoc, quod in uno loco virgam portare jubeantur, in altero verò, ut non portent, præcipiatur? Virga, uti omnibus constat, Authoritatem, Imperium, Dominium & Jurisdictionem repræsentat. Dicit ergo Christus: Nolite portare Authoritatis, & Dominii virgam, quæ asperos vos reddat & inhumanos: aut si illam portatis, deferatis eãdem veluti si nõ portaretis benevolos semper & humanos usurpando in agendo modos. Prouti Paulus faciebat Apostolus, quando Corinthiis 1. Cor. 4. v. 21.
scribebat: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in Charitate & spiritu mansuetudinis?* Eos, quos correcturus erat, interrogat, an se virga armatum, id est, cum gravitate, rigore, & asperitate procedentem velint, quasi innueret se aliàs sine ejusmodi rigore venturum. Quò in loco pulchra est Ambrosii animadversio, quod cum semel tantum virgam nominet, bis Lib. 7. in Luc.
tamen mansuetudinis meminerit & pietatis: *semel virgam dixit, bis mitiora subiecit, adjicens mansuetudini charitatem.* Demum verò concludit: *qui minatus est virgam, exhibuit mansuetudinem.*

26. Undè Apostolus, partes quas bonus habere debet Episcopus, recensens, inter cæteras hanc, velut unam adducit, nec scil. percussor exi- 1. Tim. 3.
istat: *Non percussorem.* Verum quid v. 3.
hic subesse poterat periculi, tametsi Episcopus digladiator, ut ita dicam, fuisset, aut percussor? Sed Ambro- Jerem. 18. v. 18.
sius hoc, de linguæ vulnerationibus, & percussionibus intelligit, de quibus, apud Jeremiam Prophetam, loquebatur: *Venite & percutiamus eum lin-*

lingua. Bonus ergò Prælatus, gladio linguæ non percutiat, nec feriat: *Non linguam ad convitium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo, & divina libat sacrificia, Litium venena proferat: quia non licet, de ore Episcopi, benedictionem & maledictionem simul egredi.* Dulcis esto lingua illa, quæ cœli portat dulcedines, eademq;, quæ ovibus CHristi, ad sacrum altare benedicit, easdem postea asperis & pungentibus verbis minimè maledicat.

Ambr. lib. de Di[...]it. Sacerdotali.

Sic S. Hieroymus, Prælatum quendam, qui Theophilus vocabatur, egregiè dilaudabat, eo quod ad gregem suum corrigendum se recipiens, rigoris virgam secum portare oblitus fuisset, omnes illos, solosq; benevolentiæ & amabilitatis modos usurpando, quos Charitas suggerere solet, Christusq; Princeps Pastorum docuit: *Venisti ad nos, non in austeritate virgæ, sed in spiritu benignitatis, & lenitatis, ut humilitatem Christi, primo statim tempore resanares, qui mortalium genus, non fulminans & tonans, sed in præsepi vagiens, & tacens, salvavit in Cruce.*

Adversus errores Ioan Hierosolym.

Etenim pulcherrimum Emblema fuit, quod Princeps quidam valdè sapiens efformavit, quando Lyram quandam cum hac subjuncta Epigraphe formavit: *Non sceptro, sed plectro.* Velut si diceret: Commissum mihi populum, plectri dulcedine gubernare statui, quod lyram suaviter tangit: non verò sceptri, aut virgæ regiæ asperitate, quæ comminatur, terret, exanimat. Nam verè indubitatum est, quod advertit Ambrosius: *Amari, coli, diligi, fortius est imperio.* Validiorem in subditis ictum amor facit, quàm rigor; plus dulcedo verborum, quàm dictorum acerbitas; vultus serenitas, quàm turbida oculorum nubes, aut frontis obscuritas penetrat. Fuitq; proinde solida illa Petri Damiani animadversio, videlicet illum viduæ filium, non tunc à mortuis ad vitam resurrexisse, quando baculus eidem, Elisei jussu, superimpositus fuit: *Posuit baculum super faciem pueri, & non erat vox, neq; sensus.* verum tunc potius, quando Eliseus ipsemet eundem tetigit, propriæq; carnis calore incalefecit: *Posuit os super os ejus, & manus suas super manus ejus, & calefacta est caro pueri. Quem terroris virga suscitare non potuit*, sunt verba magni illius Cardinalis, *per amoris spiritum ad vitam redit.* Ad vitam, qua per peccatum privamur, reddendam, non furoris, aut rabiei verbera faciunt, sed unio potius Charitatis, amor amoris calor, aut signa benevolentiæ. In summa. *In spiritu lenitatis.*

Scipio Ammiratus.

Lib. 5. Epist. 3.

4. Reg. 4. v. 31.

27. Nec tamen qui corrigit, ita debet esse benevolus, ut benevolentia talis, ignavum illum reddat, aut timidum; sed ad bonam Correctionem fortitudo quoq; requiritur, & animi vigor; quæ nimirum est proprietas tertia, hocce verbo cōtenta: *Corripite.* quod significat, illam velociter, & constanter faciendam. *Foveantur primo vulnera*, inquit S. Ambrosius, *post secentur.* Fovere quidem te plagam volo, ita tamen, ut nec ferri negligas usum, si id postularit necessitas. Quam doctrinam suam S. Ambrosius accuratè quoq; observavit, dum enim Theodosium, Aria-

in Psal. 37.

rianis Hæreticis Basilicam inter orthodoxos permittere volentem, corrig[et], augustæ quidam ejus dignitatis plurimùm detulit, ideoq; magna cum humilitate loquebatur eidem: Loquebatur tamen etiam cum veritate: exhibebat quidem Reverentiam, sed animum quoq; & generositatem pariter eidem exhibuit, vnde dixit: *Hæc ut humiliter dicimus, ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, deportationem minantur. Didicimus Christi servi non timere. Non timentibus, nunquam est gravis terror.* Ne tibi persuadeas velim, ô Imperator, quod dum urbanis tecum verbis ago, qualia dignitas tua, & gradus tuus expostulabant, eam neglecturus sim constantiam, quàm mea requirit professio.

In Orat. de tuen. Basil.

Hanc quoq; doctrinam Salomon in Proverbiis nos docuit, quando dixit: *Ex ore sapientiæ procedit Iustitia.* Quid sibi vult quod dicit, ex ore sapientiæ, procedere Justitiam? nisi quod dicere velit, Hominem sapientem iustè semper loqui, dando videlicet unicuiq; quod suum est, quod Justitiæ officium est, mansuetudinis ita semper memor existens, ne veritatis, & constantiæ obliviscatur: *Corripite in spiritu lenitatis*, benevolè sed & serio: sine rigore, sed non sine efficacia, dulciter, sed non debiliter. Prædicta verba ab Augustino citata sunt secundum modum legendi septuaginta Interpretum: *Legem autem, & misericordiam in lingua portet.* Portat in lingua misericordiam, sed portat simul & legem; portat amorem, sed pariter & zelum portat; portat mel, sed portat & myrrham. *Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit, legem & misericordiam in lingua portat.* Hæc est illa Samaritani medicina, inquit S. Gregorius Papa, quæ ex oleo & vino composita erat: *ut per vinum medeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus præest in vino morsum doloris adhibeat: In oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda.* Hoc est Arcæ Testamenti mysterium, quod, Paulo teste, virgam continebat, & Manna. Nam uti docet Gregorius: *In boni Regis pectore, si erit virga discretionis; sit etiam manna dulcedinis.* Hoc est, legem & misericordiam in lingua portare. *Legem & misericordiam in lingua portat.* Heb. 9.

Prov. 3.

Lib. 2. Cap. 11. contra adversarios Legis.

28. *Corripe illum in spiritu lenitatis.* Advertite, quod non dicat: *Excusa*, non dicit: *Lauda*, non dicit: *dissimula*, sed *corripe*. Possibilene est, adhuc inveniri tales, qui omnia excusare audeant? dicendo, Ita moderna fert ratio temporis; sic usus vult hodiernus; seu Juvenilis ætatis æstus, seu calor sic postulat; Consuetudo id inveterata persuadet; Id potioris partis concedit exemplum: Debilitas infirmi esse nostri id merito dissimulat &c. Profectò, qui ejusmodi sunt, pisci cuidam, qui Fasten appellatur, persimiles existunt, de quo Vincentius Bellovacensis dicit; A quam amaram in ore ejus dulcem fieri: *In cujus ore maritima aqua salsaq; mox fit dulcis, qua dulcedine illecti accedentes pisces, ab illo deglutiuntur.* Eheu! quis ferat, adhuc superesse tales, in quo-

Lib. 17. Cap. 54. Græcarũ Histor.

quorum ore, omne peccatum, quantumuis id amarum fit, dulce redditur, unde miseræ, & parum cautæ Animæ captæ remanent! fitq; proinde, quod S. Paulus dicebat: *Per blanda verba, seducunt Corda innocentium.*

Rom. 16. v. 18.

Plut. in Paulo Æmilio.

Refert Plutarchus, morem olim fuisse gentilium, quod quando lunam videbant rubicundam, existimantes illam à Magis & veneficis incantatam, dira pati, soliti fuerunt varia arripere Instrumenta musica, eaq; passim per vicos & compita discurrendo pulsare, eandemq; hoc modo, ab ea, quà infestabatur, passione liberari sibi persuadebant. Impossibile est Peccatorem de peccato suo non erubescere, utpote quod natura sua, adeò vituperosum, & verecundia dignum existit. Sed quid interea fit? Facilè est nonnemini perverso, aliquam Sathanicam adinvenire Musicam, qua res adeò inexcusabiles, excusare, aut fortè etiam, plus ultra progrediendo, id quod omni dignissimum est contumelia, & vituperio, laudare audeat: *Per blanda Verba, seducunt corda innocentum.*

29. Sed quid? vultisne ut hactenus dicta omnia unico duntaxat verbo edicam? Audite ergo hanc Augustini sententiam: *Dilige, & dic quicquid voles.* Habeat Correcturus, unicam duntaxat Charitatē, bonæq; Charitatis Magistrum pariter habebit. Amet Dei, tot culpis offensi, Majestatem; amet bonum Animarum, pretio sanguinis Christi comparatarū; amet seipsum, qui corrigendo tantum lucratur, tantumq; non corrigendo perdit, atq; tunc demum de eo id, quod utiliter tibi dictum videbitur, pronuntia. *Dilige & dic quicquid voles.*

CON-



CONCIO XIX.

In Feriam IV. post Dominicam III. Quadragesimæ.

THEMA.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Matth. 15. v. 2.

ARGVMENTVM.

Lex Dei, suavitatis & dulcedinis plena, ideoq; observatu est facilis, quia Lex est amoris: Econtra, difficiles & laboriosæ sunt Mundi Leges; utpote pro servis conditæ.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Mirum non est Iudæos ita facile legem Dei transgressos fuisse, propter traditiones suas. num. 1.

Maximè autem mirum est Christianos Dei legem adeò facile transgredi; Et qua ratione id excusabunt. ibid.

Synopsis Concionis. ibid.

Nil dulcius, quàm servare Dei legem, quia lex illa, est lex amoris, amoris autem soror dulcedo est. num. 2.

Nil durum, nil amarum, nil grave reputat amor Verus. ubi de amoris fortitudine. ibid. & num. 3.

Amor non tantum Creaturas rationales, & sensitivas, verum etiam insensatas, & irrationales commovet, & in suum ultimum finem agit. num. 3.

Si tam potens est amor naturalis, quid supernaturalis non efficiet? num. 3.

Ponderatur gravitas, & difficultas præ-

 cepto-

NAtionem Hebræorum, utpote, quæ quoad cognitionem, admodum erat imperfecta; quoad statum serva, præceptorum multitudine aggravata; quoad mercedem verò quæ in meris rebus temporalibus consistebat, parcissimè remunerata; hanc, inquam, nationem, ob suas, quantumvis male fundatas, traditiones, legem Dei, tam faciliter transgredi, nequaquam mihi mirum esse videtur; Quod autem vel maximè admiror, est, quod Christianismus, ad tam sublimis status nobilitatem avectus; ab ipsamet increata sapientia, adeò sublimiter edoctus; cognatione Angelorum, atq; ipsiusmet Dei filiatione honoratus, & insignitus; tanta unicæ legis amoris dulcedine, & suavitate manuductus, ex proprii libertate arbitrii ad aliquam divinorum præceptorum prævaricationem, resolvere se possit, ut proinde hodierni Evangelii verbis, justè & rationabiliter reprehendi possit: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Quàm unquam adducere poteritis, excusationem, quæ impertinens non sit & stulta? Cur legem illam videlicet,

licet non servaveritis, quæ tam est rationi conformis, ut omnem quietet intellectum; quæ tam est suavis ut omne secum adferat gaudium; quæ tam copiosè remuneratur; ut æternam cœli gloriam, visionemq; Dei beatam præmii loco habeat? ô quem adferre poteritis prætextum, qui non sit evidenter frivolus, & puerilis, ob quem pravas, pessimi hujus sęculi, insectemini institutiones, quæ tanta in præsenti associatæ sunt, miseriarum, ærumnarumq; multitudine, ac demum postremo, ad tam infœlicem infortunatumq; disponunt finem! Instituamus obsecro, hodiè Dei legem inter, & hujus mundi traditiones, exactam quandam comparationem, seu antithesin, nec quicquam dubito, quin omnes vos justa indignatione commoti, adversus peccata, eorundemq; authores, insurrecturi sitis, eisdemq; stupiditatem suam stultitiamq;, hisce Domini verbis exprobaturi sitis: *Quare transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?*

2. Atq; ut à Dei lege exordiar, illud mihi sapientis occurrit oracu-
Eccl. 23. v. 37. lum, quo clarè edicitur: *Nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei.* Impossibile est, dulcius aut suavius quid in hoc mundo inveniri posse, ipsâ præceptorum Domini exactâ observantiâ, atq; in hujus incomparabilis, & raræ dulcedinis comparatione, omnes terræ hujus voluptates, mœrores sunt; omnes desipiunt pretiosi sapores; omneq; gaudium displicens redditur atq; nocivum, cujus equidè hæc præcipua & principalis est ratio; quia lex Domini, amoris lex est; adeo autem ingeniosus est amor, ut, sicut docet S. Augustinus, arte ipsius, Lib. de bono viduitatis.
in delitias etiam laboriosa vertantur. Et alibi in confessionibus suis, dulcedinem amoris appellat sororem. *Amo-* Lib. 13. Confess.
ris soror dulcedo. Qui amat non laborat; omnis enim labor, non amantibus gravis est, qui nomen difficultatis erubescit. Amor perplexitatem non habet, quæ illum impediat, quia ingeniosus est; Nullus ei accidere potest eventus, qui illum sistat, quia fortis est; Nullæ contra ipsum minæ detonari valent, quæ ipsum perterreant, quia generosus est; Non est labor, qui ipsum defaget, quia indefatigabilis est; Non habet distractionem per quam intepescat, quia fervidus est, & ardens; Nulla est vis & violentia, quæ illum permoveat, quia immobilis est: *Nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Amor, si amor est, vincit omnia,* dicebat S. Petrus, Chrysologus. Amor ponderis ne- Serm. 40.
quaquam pensat gravitatem, neq; numeri multitudinem conspicit, neq; metitur longitudinem temporis, nec quicquam fortunæ æstimat inconstantiam, nec vicissitudinis varietatem expavescit, nec pertinaciæ cedit, aut sinistrorum casuum obstinationi. Estq; indubitatum hoc quod de amore sanctus dixit Ennodius, nimirum: *Nunquam se metitur, quem stimulat charitatis imperium.* Operum suorum, Lib. 2. Epist. 17.
amor, nullum exposcit præmium, quia ipse præmium sibimetipsi existit; Neq; beneficiorum suorum, aliquam compensationem expectat, quia dare assuevit, non verò recipe-

re. Nullâ in faciendis operibus suis societatem postulat, siquidem ipsemet sibi sufficit solus. In negotiis suis, extraneum non venatur auxilium, in suis enim viribus totus securus est atq; confisus, semper vigorosus, semper ardens, semper efficax, semper anhelans ad instar musti, inquit Gilibertus Abbas, quod cũ in vasis reclusũ esse nõ possit, vim facit bulliẽdo, fervendo, evaporando, æstuãdo, exspumãdo: *Musti præfert amor insigne, quod nativitatis suæ fervore quodam, & veluti ætatis lascivia excrescit, & novo semper efferuescit & fermentatur affectu.* Amor, veluti æternitatis æmulus, nec inveterascit tempore, nec vicissitudine immutatur, nec alteratur motu, nec viribus imminuitur, nec rerum omnium deperditur jactura, sed ætate semper juvenis, potentia semper generosus, semper immobilis motu, omni tempore floridus, vigorosus & vivax perseverat. *Amor exæstuat,* (sunt verba Giliberti) *seipsum non capit, superfluit sibi, immensitatem æmulatur, dum metam nescit affectui ponere.* Amor in actionibus suis modum nescit, in beneficiis mensuram non habet, neq; terminos in conatibus, neq; in ausibus metam, neq; taxam in promissis, sed veluti absolutus & universalis rerum omnium Dominus, inassequibile assequi confidit, quod desperatum est, adipisci minimè desperat, aspirat deniq; ad id, quod impossibile est obtinere. *Quid erit,* inquit Chrysologus, *quid debeat, quid possit, non respicit vis amoris. Amor ignorat judicium, ratione caret, modum nescit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, non recipit de difficultate remedium. Amor nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem, & ideo vadit, quo ducitur, non quo debeat.*

Serm. 19. in Cant.

Serm. 147.

3. Hic est amor ille, dilectissimi, qui secundum quod schola Platonis docet, non tantum rationis, sensusque capaces, sed ipsas quoque insensatas, & ratione expertes movet, ac gubernat creaturas, quæ certo quodã naturali amoris instinctu, in summi æterniq; boni obsequium, ac servitium feruntur, cujus Majestati diversissimis licet vocibus, minimè tamen diversas laudes enunciant; & cum inter se omnes, Naturis, Qualitate, motibus, locis, virtute, & finibus plurimum differant, in hoc tamen uniformes sunt, atq; concordes, ut nimirum in hoc ingenti mundi Theatro, ad Creatoris sui honorem & gloriam continuò operentur. Appellatusq; est amor ille, ab Angelico Doctore: *Inclinatio Naturæ, indita ab authore Naturæ,* hoc est, propensio quædam, & instinctus omnibus rebus inditus, ad conspirandum & concurrendum, ad universi hujus concentum, & harmoniam. Vide obsecro, artificiosam illam Choream, quæ ad amoris nutum semel inchoata nunquam interrumpitur. Gyrantur cœli, stellæ relucent, influunt planetæ, Elementa confligunt, volant aves, pisces natant, oberrant feræ, vermes serpunt, crescunt arbores, flores rident, herbæ virent, spirant venti, cadunt pluviæ, nascuntur & scaturiunt fontes, mare inundat, terra persistit immobilis, & fugiunt tempora, anni renovantur temporum vicissitudines, una generatio decedit, succedit altera. Hæc occulta vis & ener-

J. p. q. 60. A.

nergia lapidem defert ad centrum, flammam versus cœlum, in maria Aquas derivat, ad Magnetem ferrum, ad succinum paleam, pecus in virescentem cogit ramusculum. deniq; ut omnia uno verbo edicam; Naturalis hic amor, pulchram illam consonantiam, ac miraculosum conservat concentum, per quem supremi factoris laudes, à Creaturis suis continuò concelebrantur. Vt proinde magnus ille Parisiensis Cancellarius, multa cum sapientia dixerit: *Ratio concludit, totum istud universum rectè dici Monochordium divinæ sapientiæ.* Agedum ergo, si tanta vi, ut hactenus ostendimus, pollet amor naturalis, quam ergo supernaturalis amor, & sancta Dei charitas vim habebit, ad illam Dei legem observandam, quam amor sancivit, promulgavit amor, amor deniq; melle dulciorem reddidit? *Nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Dei.* Quod si amoris lex est, lex utiq; dulcedinis erit, lex deliriosa, lex lætificans, lex sine onere, onus sine gravitate, gravitas absq; dolore, nam ut Bernardus inquit: *Vbi amor est, labor non est, sed sapor.*

Gerson. Tract. de Cant.

Serm. 85. in Cant.

4. Ad exaggerandum divinæ legis pondus, per me tibi liceat, ut omnem moveas lapidem & industriam, omnes sigillatim Evangelii enumera difficultates, omnes Christianæ observantiæ exactissimè recense rigores, & austeritates, videlicet, quod jubearis diligere ad ipsum usq; inimicum; odisse ipsam quoq; propriam Animam tuam; renuntiare omnibus, usq; ad temetipsum; tui habere custodiam, ad ipsas quoq; cordis cogitationes usq; castigare perperam à te facta, usq; ad inconsideratam etiam, & otiosa verba; Omnia Dei amore perdere, ad ipsam usq; reputationem, & honorem tuum; Omnia relinquere usq; ad partiam, & amicos tuos; Crucem omni momento bajulare: fatigari toto vitæ tempore, in omni occasione mortificari; ad tẽpus usq; mortis semper dimicare atq; confligere. Et postquam omnia ista recensueris, cum sapientissimo Idiota ego respondebo tibi: *Omnia gravia & difficilia, verus Amor facit facilia, & quasi nulla.*

Lib. 2. de Contempl.

Abeamus nonnihil ad inquirendam in sacris Canticis Dei hic in terris Ecclesiam, ipsamq; audiamus quæ Eventuum suorum qualitatem, suæq; fundationis successum, mysticis hisce verbis pulchrè describit: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi.* Per hãc myrrham autem, sacri expositores communiter intelligunt Passiones & Martyria, quæ sponsa Christi aliquot annorum centuriis, hic in terris, à Tyrannis sustinuit. Dicit ergo: Dilectus meus mihi se exhibuit, veluti amarissimam Myrrham, earum persecutionum, quas ego pro legis suæ observantia, proq; defensione sui Evangelii tolerare debui. Verum, obsecro, qua ratione ipsa tribulationes & passiones illas, quæ postea eorundem Canticorum Cap. 4. Mons Myrrhæ appellantur, uti advertit Gregorius Nyssenus: *Vadam ad montem Myrrhæ*, parvulum quendam dicit esse Myrrhæ fasciculum, quæ proportio montis Myrrhæ, ad quendam Myrrhæ fasciculum: *Myrrha amares,*

Cant. 1. v. 12.

Serm. 43. in Cant. res, *dura, & aspera, tribulationem significat*, inquit Bernardus, verum si mons est, quomodo fasciculus esse dicitur? *Multæ tribulationes justorum*, inquit Propheta regius: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: inquit Apostolus: *Hi sunt qui venerunt de magna tribulatione*, dicit Angelus in Apocalypsi. Quomodo ergo tanta interna & externa mortificatio, tanta continentia, tantum silentium, tantæ solitudines, tot jejunia, tot rerum humanarum contemptus, tanta paupertas, tot profusæ lachrymæ, tantæ populorum toleratæ inimicitiæ, tot barborum persecutiones, tot carnificum truculentæ feritates, tot contumeliæ, & abs plebe irrogatæ ignominiæ, tot exilia & relegationes, tot deprædationes, propriæq; substantiæ confiscationes, tot tormentorum acerbitates, tot crudelissimarum mortium sortes, quomodo inquam omnia ista, *fasciculus Myrrhæ*, & nō potius *Mons Myrrhæ* appellantur? Respondebit Bernardus, hæc omnia revera, atq; reapse Montem Myrrhæ fuisse, cordi tamen, & oculis amoris, parvulum quendam videri Myrrhæ
Serm. 43. in Cant. fasciculum. *Non fascem, sed fasciculum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris. An non fasciculus, cujus jugum suave est, & onus leve? Non quia leve est in se, neq; enim levis passionis asperitas mortis amaritudo: Sed levis tamen amanti. Et ideo, non ait tantum, Fasciculus Myrrhæ dilectus meus, sed mihi, inquit, quæ diligo, fasciculus est.* Fasciculus est illi, quisquis sanctissimum sponsum amarit, Mons autem ei qui non diligit; Amanti jugum est suave; Non amanti autem onus insupportabile: Amans delectabiliter illud semper sustinet; Non amans vero illo se semper exonerare desiderat. Amans non sentit illud; graviter autem idem persentiscit, quisquis non amarit. *Mihi quæ diligo fasciculus est, non quia levis est, sed levis tamen amanti.*

5. Nondum mihi ex sacrorum Canticorum Libro discedere est animus, in quibus Sanctæ Ecclesiæ filii introducuntur, veluti à murorum custodibus propter Evangelii custodiam spoliati, id est, à terræ hujus principibus percussi, pessimèq; tractati: *Percusserunt me, tulerunt pallium meum, & vulneraverunt me* Cant. 5. v. 7. *custodes murorum.* Demum verò venerabilis illa honoratorum adeò filiorum mater Ecclesia, in quendam sodalium suarum manipulum incidit, quibus proinde omnium aliarum rerum immemor, dicit: *Num quem diligit Anima mea, vidistis? renunciate illi, quia amore langueo.* Sed ô Ecclesia Sancta Dei, qui fieri potest, ut nullam prorsus crudelissimæ illius lanienæ, quam in tuis filiorumq; tuorum visceribus fieri vidisti, mentionem facias? Cur iisdem sodalibus tuis non præcipis, ut dilecto tuo nūtient, ut inter tot pericula, imò inter tot mortes, in tuum is succursum festinet? Cur non petis, ut ipsæ, gravissimas quas sustinuisti Passiones, recenseant? Respondit Gilibertus Abbas, ingentes Animas illas, earundemq; generosa pectora, pœnas

nas suas, amoris dulcedine taliter mitigasse, ut nec viderent quidem, aut sentirent easdem: *Passiones corporis, passione intrinseca temperabant amoris?* Et paulo ante dixerant: *A principibus hujus mundi, quasi custodibus civitatis, quomodo vulnerati spoliati bonis, laniati corpore, carnis suæ exuti pallio cum vitiis martyres nostri? inter tanta & tot flumina, & gurgites tormentorum, non est in eis extincta Charitas. sed magis augmentatus quo languebant amor.* Ecquid vero ingens ille amor, qui adeo vehemens extitit, ut tantis tormentorum diluviis extingui non potuerit in ipsis, est operatus? *Passiones corporis, passione intrinseca temperabant amoris.* Passiones carnis, cordis passione temperabant: Vulnera corporis, plagis mentis, persecutionis flammas, igne dilectionis. *Passiones corporis, passione intrinseca temperabant amoris.* Solus amor venerandos illos Athletas, cum tanto jubilo, ad sua deduxit Martyria. Amor prolixa ipsorum indulcoravit jejunia. Amor in tantis fœtoribus, atque inter illas obscurorum Carcerum catenas, pacem conservavit cordis. Amor in ora ipsorum, gloriosas illas reposuit sentētias, quibus laudē semper Creatori suo dabant. Amor ipsos edocuit tortoribus & Carnificibus suis gratias agere, eisdemq; devotis suis precibus veniam de cœlo impetrare, *Passiones corporis, possione intrinseca temperabant amoris:* Hunc in modum, S. Bernardus hisce verbis discurrit. *Torrentur licet Martyres, rident: feriuntur & gaudent: occiduutur, & ecce triumphant. Quare? Quia morte Charitatis, intus in corde jam dudum mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt.* Non sentiebant flammas, nihili plagas æstimabant, aut vulnera, in mortibus triumphabant. Eccur ita? quia amabant, amor autem, qui mors quædam est, illos mortuos, atq; contra omnia passionum genera insensibiles reddebat. *Passiones corporis, passione intrinseca temperabant amoris.*

Serm. 44 in Cant.

Tract. de Passione Domini.

6. Mysteriis valde refertæ fuerunt, tres illæ interrogationes, & examina, quæ Christus circa Petrum, quod amorem attinet, instituit, ter dicens: *Petre amas me?* Idq; factum est, priusquam mortem illi prædiceret Crucis. Sed quam existimatis, hujus adeò diligentis, & sæpius repetiti examinis, fuisse occasionem? Respondet S. P. Augustinus, Dominum id faciendo, hunc quasi in modum cum Petro colloqui voluisse: Tu ex timore ter me negasti, ne ergo me iterato, timore pressus, abneges, Amorem à te exigo, qui capitalis timoris est inimicus. Vilis ancilla quædam, in domo sacerdotis te perterruit, tibiq; de ore tuo, pessimam elicuit blasphemiam; volo ergo, ut amorem mei tecum semper habeas, ut coram ipsomet Romanorum Imperatore, plenissima cum libertate, & absq; formidine me confitearis. Sine amore vincula mea timuisti, deinceps autem amore munitus, nec crucem quidem tuam formidabis. *Interrogatur amor, & imperatur labor: quia ubi est amor, non est labor.* Habeat ergo Petrus amorem, eiq; mox Crux chara erit, amet & nesciet timere,

Joan. 21. v. 17.

August. in Joan.

quia ubi est amor, non est labor.

Sic optimus Moyses, ut sapienter advertit Joan. Chrysostomus, pro populo suo mori cupiebat, dicebatq; : *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti*: Et tamen idem met ille Moyses, unius duntaxat Ægyptii minis perterritus, ex Ægypto fugerat, viliterq; abscondi- tus erat. Unde ergo tanta fortitudo in eo nascitur, qui tam se ignavum antea probaverat? Certè non aliunde, quam ab amore, & pia affectione, qua Moyses in populum curæ suæ commissum ferebatur: *Moyses ob unicum Aegyptium territus, fugit, & finibus excessit, & tamen idem ipse fugitivus, & unius viri minas sustinere non valens, melle Charitatis semel gustato, nemine cogente, mori pro suis festinabat.* Quid ô Moyses tanto te in mortem obeundã propellit desiderio? Quid te generosam isthanc, sempiternaq; memoria dignam cogit facere, postulationem? Quis tibi animosa illa verba, in os tuum reposuit? Quis æneum illud pectus, & cor adamantinũ tibi suggessit aut ministravit? Respondebit Moyses illis S. Bernardi verbis: *Non timeo, quia amo: paveant, qui non amant.* Agedum ergo, dicamus illud Christi Redemptoris verissimum dictum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Lex ab amante custodietur, sicut à non amãte prævaricabitur, nam uti S. Gregorius optimè dixit: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Quare* ergo *transgredimini mandatum Dei*, siquidem certissimum sit, quod *nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Dei*?

Hom. 33. in I. Cor.

Serm. 64. in Cant.

Hom. 30. in Evang.

7. Nescio, an unquam, aut uspiam Homo aliquis inventus sit, qui tanta cum suavitate, legem Dei sit amplexatus, sicuti id Propheta & Rex Israelis præstitit, adeo ut in Psalmo 118. videatur quasi nõ posse ab illius comendatione cessare. Equidem profectò, qua non utitur eloquentia, aut quam sublimi ac cœlesti loquendi modo, ut in omnium animis, eum legis Dei generet conceptum, uti par est? Quam altas ad id adhibet cogitationes? quã sublimes speculationes? Quam dicendi celsitudinem? Quantam titulorum varietatem? Quàm gratas similitudines? Quàm peregrinas Metaphoras? Quam ardentes affectus? quàm ignitas exclamationes? Quàm graves & ponderosas animadversiones? Enimvero abunde profectò satis, sanctus Propheta omnibus probavit, quàm ipsi lex Dei chara esset, & amabilis, utpote de qua tam prolixè, & fusè, per centum sexaginta sex versiculos perorat, dicitq; illam omni melle dulciorẽ esse: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*: Luce desiderabiliorem: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: Pretiosiorem thesauris: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis*: auro chariorẽ & gemmis: *Dilexi mandata tua super aurum & Topazion*: spoliis opulentis amabiliorem: *Lætabor ego super eloquia tua sicut qui invenit spolia multa*: Ipsis ardentiorem flammis: *Ignitũ eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud*: Opulenta quavis hæreditate utiliorem: *Hæreditate acquisivi testimonia tua, quia in ipsis vivificasti me*: quovis suaviorem harmonico concentu: *Cantabiles mihi erant ju-*

stifi-

ſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Qualibet ſcientia nobiliorem: *Super omnes docentes intellexi, quia mandata tua quæſivi:* Qualicunq; mirabiliorem prodigio: *Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt anima mea,* beatifico gloriæ objecto perſimilem: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus.*

8. Hæc Dei Lex intellectus ſui erat paſcuum: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam:* Hæc memoriæ ſuæ theſaurus erat: *Memor fui judiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum:* Hæc deſideriorum ſuorum unicum objectum: *Concupivit anima mea, deſiderare juſtificationes tuas, in omni tempore:* Hæc ſubjectum erat cogitationum ſuarum: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea eſt.* Hæc Materia ſpei ſuæ: *In Iudiciis tuis ſuperſperavi,* Hæc unicum concupiſcentiæ votum erat: *Concupivi ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt.* Hæc cos partis iraſcibilis: *Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Hæc zeli ſui flamma: *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Hæc pars erat Hæreditatis ſuæ. *Portio mea Domine, dixi, cuſtodire legem tuam.* Hæc unicum vitæ ſuæ eſſe erat. *In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas, quia in ipſis vivificaſti me.* Hæc Canticorum ſuorum erat argumentum. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me juſtificationes tuas.* Hæc precum ſuarum ſubſtantia: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, juſtificationes tuas requiram.* Hæc Magiſtra morum ſuorum: *A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem poſuiſti mihi.* Hæc laudum ſuarum Thema erat: *Confitebor tibi, in directione cordis, in eo quod didici judicia juſtitiæ tuæ:* Hæc innocentiæ ſuæ cuſtodia: *In corde meo abſcondi, eloquia tua, ut non peccem tibi:* Hæc in periculis unica ipſa defenſio erat: *Sederunt Principes, & adverſum me loquebantur: Servus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.* Hæc debilitatis ſuæ fulcrum erat: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Hæc gaudiorum ſuorum fomentum: *Et ambulabam in latitudine, quia mendata tua quæſivi.* Hæc ipſi adverſus inimicos ſuos firmum erat propugnaculum: *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum, ego autem in toto corde meo ſcutabor mandata tua.* Hæc lux ignorantiæ ſuæ ſuarumque tenebrarum: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Hæc pax erat mentis ſuæ. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Hæc vitæ ſuæ dux: *utinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* Hæc Conſcientiæ ſuæ gloria erat: *Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.*

9. In ſumma, unica DEI Lex, ſancto Davidi omnia erat. Viſus nimirum oculorũ: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* Linguæ ſermo: *Pronuntiabit lingua mea eloquiũ tuũ quia*

 omnia

omnia mandata tua æquitas. Opus manuum suarum: *Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.* Via pedum suorum: *Ab omni via mala, prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* Spiritus seu halitus oris sui: *Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam:* Exercitium diurnum: *Septies in die, laudem dixi tibi, super judicia judicia tuæ,* Noctura ipsa quies: *Media nocte surgebam, ad confidendū tibi, super judica justificationis tuæ.* Prima ipsius cogitatio matutina: *Præveni in maturitate, & clamavi, quia in verba tua supersperavi, Prævenerunt oculi mei in eloquium tuum.* An non tibi, ô popule devote, David, jure homo secundum cor Dei vocari, meruisse, videtur? *Inveni hominem, secundum cor meum,* quippe, qui tanto legis Dei amore, ac zelo accensus erat, ut de ea tanto cum spiritus ardore, tanto conceptuum, verborumq; abundantia, loqui potuerit, ut proinde os illud aureum de illo meritissimè exclamet: *O beatum David sanctissimi meritum, quod laudat Deus, prædicat Dominus, Iudex præfert summus! Dum enim sanctissimus homo, secundum Cor Dei, quicquid Deus cogitat, gerit, quicquid mente concipit, perficit; dum inquam David, Cordi Dei cor proprium jungit, & menti eius mentem suam adnectit, hoc est, ut quæ vult Deus, velit, & quæ non vult, similiter nolit, sic eum Dominus individuo amore & conjuncta Charitate dilexit.* Verum enimvero placetne intelligere quidnam Regem sanctum, in lege Dei adeo firmiter, ut hactenus vidimus, stare fecerit? Ecce ipsummet clarè idipsum enunciantem: *Custodivit animam mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer:* Vbi ex mente Doctorum monosyllabum illud, Et, non copulativum, sed causativum est: *Custodivit & dilexit,* id est, *Custodivit, quia dilexit.* Amor omnem mihi difficultatem, quæ in via mandatorum Dei occurrere poterat, abscondit, mihiq; viam legis Dei planavit, ut in latitudine cordis mei eandem decurrere possem. Custodivi legem tuam, quia amavi illam, & facilis mihi visa est, quia amabilis videbatur. Sic locum istū S. Ambrosius interpreatur: *Custodivit & dilexit. Cum dixisset, custodivit, adjunxit, dilexit, ut custodia amantis fuerit, non timentis. Qui nimium diligit, nimium custodit.*

Hom. de David & Golia. | Serm. 21. in Ps. 118.

10. Lex Domini Dei, est mystica illa Arca Testamenti, in qua lex & Manna reposita degebant, ut per hoc innuatur, quod in custodiendo Dei mandata, immensæ dulcedinis capiatur experientia. Neq; sine ingenti accidit prodigio, uti divinæ referūt scripturæ, Arcam illam summa cum facilitate à Levitis deportari, adeò ut nullum ejus bajulando onus persentiscerent: Vnde de hoc beneficio grati, munifica cœlo sacrificia obtulerunt: *Cumq; adjuvisset Dominus Levitas, qui portabant Arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri & septem arietes.* Quo in loco Nicolaus de Lyra, Hebræorum adducit interpretationem, qui insuper declarant, qua in re auxilium istud Levitis à Deo concessum, quo mediante Arcam tanta cum facilitate deferrent, positum fuerit: *Dicunt Hebræi, quod istud adjutorium intelligitur per hoc, quod Arca portabat seipsam, hoc est, quod divina virtute sic portabatur, quod Levita portatores ejus, nullum pondus sen-*

1. Paral. 15. v. 26.

sentiebant, & pro illo miraculo facta fuit immolatio. Hoc unum fuit è majoribus mundi hujus prodigiis, Arca semetipsam portabat, dum à Levitis portaretur, unde nec ipsi, illam ferendo, onus aliquod sentiebant: aut verò proposito nostro accommodatius, hunc locum alii sic melius exponunt, videlicet: quod Arca non gravabat Levitas, non quod suo careret pondere, sed quia cum amore & devotione summa, ab ipsis portabatur, hinc nihil ipsis ponderis habere videbatur. Sic namq; idemmet Lyranus subjungit: *Sed fortasse illud miraculum, non tam fuit potestatis, quàm Charitatis. Hæc enim efficiebat, ut illud onus, alioqui gravissimum, amantibus levissimum videretur.* Uti enim S. Gregorius Papa notavit, amanti omnis res levis esse videtur: *Quid grave non leviter tolerat, qui amat? quicquid enim diligitur, cum magna devotione portatur.*

Lib. 1. in Lib. 1. Reg.

Volebat Maria Magdalena, Corpus Redemptoris nostri mortuum deportare, ac proinde, dum illum in specie hortulani sibi apparentem, non cognosceret, eidem dicebat: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Mira res*, inquit S. Bernardus, *hominem, perfectæ ætatis virum, cujus corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum, tenerrima mulier portabis, & tolles?* Sed ehem id quod à me agitur, vos minimè intelligitis, inquit Maria Magdalena, non ego corpus istud portabo sola, sed in amoris illud societate portabo. Viribus quidem fragilis mulierculæ impossibile est, tale onus bajulare: verum amor id quoq;, ut possibile fiat, facere promittit. *Ardens & affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa promittit, quod implere non potest. Nihil enim amanti difficile esse videtur.* Sicut quantumvis gravia, à lege Dei imposita onera, tametsi ipsiusmet sustinendæ mortis onus esset, quo nullum alias reperiri potest gravius, in amoris tamen societate, omne onus sine onere portabitur, ac proindè dicas, quod *miraculum illud non tam fuit potestatis, quàm Charitatis.*

Serm. de S. M. Magdalena.

11. Ab uno hoc miraculo ad aliud miraculum transeo. An non enim ingens fuit miraculum, videre Apostolum Petrum, supra undas maris velocissimè, ad dilectum suum Magistrum perveniendi desiderio, ambulantem? Quodnam inauditum hactenus prodigium est istud, ibi non timere, ubi generosissimi, minimeq; timidi trepidare semper solent? quis novitatem unquam majorem vidit, quam quod quis ibi ambulet, ubi nulla potest sterni via, aut ibidem viam reperiat, ubi ambulandi non est concessa facultas? Verum enimvero, Magnanimus ille Petrus, inquit Augustinus, plus amoris passibus, quàm gressibus progrediebatur corporis, dumq; amantissimum cogitabat Christum, irati maris nihil faciebat tumorem. Quantumvis instabile se turbet Elementum, ne quicquam tamen sensus turbatur Apostoli, quo minus ad Dominum suum perveniat. Et tametsi ventorum furiæ, è Cavernis suis solutæ, insufflet, abyssumq; commoveant, ne minimum tamen amantis moventur vestigia piscatoris: *Quem fructus procel-* Serm. 16. de sanctis.

 læ

la turbabat, Salvatoris dilectio cõfirmabat, Ambulabat enim in mari Petrus magis dilectione, quàm pedibus. Non enim videbat, ubi pedũ vestigia figeret, videbat autẽ, ut figeret vestigia charitatis. In mari enim positus, cõsiderat Dominũ, & amore ejus ductus, descẽdit in mare. Huc huc ergo adsis noñihil ô timide, quisquis es, qui modica, quæ tibi in semita iñocentiæ gradienti accidit adversitate terreris, qui in cochleari aliquo, uti dici solet, submergi formidas! Volo ut omnem furibundi maris provoces impetum, & quicquid furiosissimis illis Oceani procellis, ac fluctibus inest terroris! Maxima magisq; evidentia vitæ istius pericula, ridenti oculo, vultuq; pacato te pertransire jubeo. Volo securete ibi ambulare, ubi nulla est securitas, tibiq; sinistrioris acerbiorisq; mundi hujus fortunæ faciem, gratam semper blandamq; videri. Sed quomodo fiet istud? Fiet utiq; , si in amoris perstiteris societate. *Nihil nihil amantibus durum est, nullus difficilis cupientibus labor*, docebat S Hieronymus: Amanti namq; nihil durum, neq; is ullum acerbum adeò patitur dolorem, qui quicquam secum difficulatis inferat: *Omnia enim sæva & immania*, adjungit Augustinus, *prorsus facilia, & propè nulla efficit amor.* Amor non tantum amaritudines dulces efficit, sed & tollit easdem, dolores non lenit, sed annihilat, adversa non repellit sed destruit. Infortunia non superat sed evanidat. *Omnia sæva & immania prorsus facilia & prope nulla efficit amor.*

Hieron. ad Eustoch.

Serm. 48. de temp.

12. Vix unquam hactenus intellexisse mihi videor, quod Petrus Christi vicarius dixit, videlicet, fuisse legem illam veterem onus adeò grave ac ponderosum, ut nec tunc viventes, nec eorundem præ decessores, illud sustinere potuerint: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super Cervices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus.* Verum, ô Petre, dic sodes, an non in sanctissimi tui Schola Magistri aliquando didicisti, spinarum & angustiarum plenissimam esse Evangelii viam, ac proinde paucos inambulaturos per eam? *Quam arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam?* Ex ipsius met veritatis ore, haud dubiè, intellexisti, in nova lege necessum esse, percutiendi maxillam nostram dexterã, sinistram quoq; percutiendã porrigere: auferenti tunicam cedendum insuper & pallium? utiq; edoctus es antiquum illud Pœnæ talionis annullare & abolere indultum: *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*: Inimico etiam, acceptam ab illo injuriam, non septies duntaxat, sed etiam septuagies septies remittere. *Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies.* Deniq; nec quicquã dubito, quin ingentes illas observaveris maximas, novæ potissimum legi proprias, quales sunt, omnibus quas possidemus, rebus libenter renuntiare, abnegare nos ipsos, propriam vitam odisse, crucifigere carnem, sola spe cõtentũ vivere, eas quas possidemus res conculcando, pro obtinendis iis quæ expectamus futura. Imò certissimè novi, rigidum tibi impositum esse præceptũ, oblivíscendi illam antiqui testamenti ruditatem & informitatem, utpote quæ in exterioris observantiæ cortice totaliter posita, cibus erat parvulorum, neq; tantillum quidem, ad veram cordis conducebat sanctitatem, quæ novæ professionis chri-

Act. 15. v. 10.

Matth. 7. v. 14.

Christianæ est propria. Quomodo tu ergo antiquam illam legem, in comparatione ad novam, insupportabile jugum appellasti? An non clarè atq; perspicuè prædictum fuit, quanto sudore, quantoq; sanguine, hujus novæ scholæ sequacibus, Magistri sui nomē constabit? An non rotundo tibi ore, millenæ intimatæ fuerunt Martyrii species? An nesciebas Ecclesiam curæ tuæ commissam, nè uno quidem die habituram pacem, sed fidelitatem ejus persecutionum, tormentorumq; exercitio probandam semper fore? Quid vobis, dilectissimi videtur, nunquid incomparabiliter gravius est novæ legis jugum, quod tantam à nobis perfectionem, tamq; exactam postulat observantiam, præ illo veteris legis, quod ut ita dicam rudi stylo ac methodo, absq; tanta illa sanctitatis subtilitate, ac puritate spiritus gradiebatur? Profectò ita se res habet. Attamen Petrus nihilominus veterem legem, sapientissimè jugum vocavit intolerabile, Christus verò novæ legis jugum è contra suave appellavit, siquidem illa servorum lex erat, hæc autem filiis veris sancita: Illa timoris, hæc amoris lex erat: Illa ab appetitu propriæ utilitatis & commodi directa, hæc verò gubernabatur, à mera benevolentia. Ideoq; ea, quæ facilior erat, insupportabilis nihilominus nominabatur, hæc vero quæ longè difficilior existit, suavis dicitur. Illam absq; aliquo retinaculo faciliter homo prævaricabatur: hæc vero ab eodem ingenti cura respectu, ac valde accuratè custoditur. En, quàm egregie id sanctus

in Ps. 130. testetur Augustinus: *Timor legem non implebat, amor implevit: Timuerunt homines, & non impleverunt, amaverunt, & impleverunt. Quomodo timuerūt, & nō impleverunt? timebant homines, & rapiebāt res alienas, amaverūt & donaverunt suas.*

13. Tandem cum gravissima illa Salomonis sententia concludo: *Cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum.* Custos observantiæ amor est, qui omnem debilem reanimans, & pristino vigori restituens, supra vires illum audacē facit, supraq; humanam conditionē consilium. Charitas sacra claustra ingreditur ibidemq; dulcem facit regularem observantiam: Curias penetrat, ibidemq; monasticam introducit pietatem: Cum Equestris ordinis viris, ac seculi hujus nobilibus conservatur, eosdemq; humilitatem docet Evangelicam: in Gynecæa se nobilium Domicellarum insinuat, & masculum illis vigorē, vigilemq; inserit animum. Inter Juvenes se imiscet, efficitq; ut suaviores illis videantur Crucis fructus, quam delitiæ carnis. In carceres penetrat; eosdemq; mox in nuptiales trāsmutat thalamos: ad eremos transit, easdéque in delitiarum cōvertit Paradisū; cū peregrinis è patria sua proscriptis obambulat, illorūq; auxilium beatum efficit: desolatis exhibetur, & derelictis, neq; solitudinis suæ sentiunt miseriam: Delinit pauperes, eosdēq; gaudiis cœlestib9 mox cumulat, Martyribus associatur ipsosq; in pœnis jubilare facit & plaudere.

Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum. In divini hujus societate amoris Paulus universam mundi potētiam in certamen lacessit, & provocat: Joannes in Insulam Pathmos, velut in exilium relegatus, conversabatur cum Angelis: Petrus ad mortem licet condemnatus, suaviter nihilo-

mi-

minus requiescere ac dormire poterat: Andreas coram Cruce sua iucundabatur. Polycarpus in fornace cantabat: Laurentius lætabatur in flammis: Amphitheatri Leones provocabat Ignatius.

Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum. ô te gratum & amabilem Paradisi thesaurum, qui infœlicissimam hanc mansionem nostram Paradisum efficere nosti, ubi si forte inimici fuerint, tu securissima nobis es tutela! Si lachrymæ abundent, tu dulcissimum es solatium, si discordiæ regnent, tu pacis illius author existis, quæ superat omnem sensum: si mille miseriarum nascantur spinæ, tu easdem in totidem gaudiorum rosas commutas: si continuæ ibi videantur rerum vicissitudines, tu fortissimum cuiusvis inconstantiæ fulcrum existis; si peccatum ibi dominetur, tu omnis culpæ efficacissima eris Medicina. Liceat hic mihi ex sapientissimo Idiota, amoris divini vobis recitare encomium: *O amor præceps, amor flagrans, amor vehemens, amor te intra te cohibere non valens! Qui præter te, aliquid cogitare non finis, fastidis cætera, contemnis omnia, præter te. Dulciter cogis, strenuè stringis, sapienter erudis, gloriosè illaqueas, oneras delectabiliter, fæliciter uris.* ô si vel semel duntaxat flamma illa cœlestis nostra accéderet pectora, quam foret nobis lex Dei facilis? & quam facili negotio, cunctas quæ in ejusdem observantia sese nobis objiciunt, Superaremus difficultates? quam deniq; tunc rationabilis nobis illa salvatoris videretur reprehensio, quæ dicit: *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Lib. 1. Cōtempl. cap 4.

SECUNDA PARS.

14. PRopter maledictas traditiones, & miserabiles mūdi abusus, violatur à nobis sancta illa Domini lex, quæ, uti à nobis hucusq; ostensum est, tantam secum suavitatem & dulcedinem adfert. Ast inquies, quænam sunt illæ mundi hujus traditiones? Hæ nimirum: Bonis gaudere præsentibus, frui ad libitum suum creaturis, post sensuales currere delitias, sæculi hujus venari dignitates, nullum cumulandis divitiis modum aut finem ponere. Eheu! quam stultus ac fatuus est ille discursus, quē mundi hujus faciunt amatores! Ut laborem fugiant, mundi sequūtur traditiones, Christiq; legem declinant: nec prævident, quod dum ita faciunt, veram requiem perdant, verumq; inveniant laborem; Mendax à vobis habear, sic enim per me licet, nisi evidēter id vobis monstravero. Primo ergo ostendam, in mundi hujus sectandis traditionibus ingentē inesse laborem. Secundo laborem illum omninò majorē esse, quam in lege divina reperiri possit. Tertio eundem laborē, omni prorsus destitutum esse fructu, imo multo cum dispendio conjunctū. Vltimum deniq; ex illo labore, æternum nobis parturiri laborem.

15. Et primo quidē lex Domini ad declinandū laborem, temerè à nobis violatur. Etenim id certò scitote ingētibus vos obruendos laboribus, dum mundi consectaturi estis traditiones, tametsi ob illas, divina præcepta pedibus vestris, veluti conculcetis. S. Gregorius, ex scriptura diuina, hunc locum adducit: *Et nunc ignis adversarios* Greg. in Cant. 8.

rios consumet. Notastisne, inquit Gregorius, dictiunculam illam, Nunc? Illud enim idē significat ac si diceretur: Etiam modo; Etiam in præsenti vita; Etiam antequam æterno incendio torreamini, ab incendio præsenti cruciati eritis. Dei adversarij, legis Evangelicæ inimici traditionum mundi huius amatores antequàm ignem patiantur inferni, temporalis quoque ignis pœnam persentient: *Ac si diceret, antequam ad æternum ignem veniant, in præsenti consumuntur, quia in se ipsis ignem portant, qui sine portantis combustione non portatur.* ô prorsus stulti! ut pœnam fugiatis, ad pœnam accurritis, ut evadatis mortificationem, extremas sectamini ruinas; ne fatigemini in via Dei, mori vultis in vico huius mundi. S. Ambrosius, de nonnullis, qui ut fugiant mortem, morti se exponunt, dicit, tales alio titulo appellari non posse quàm ut stulti vocentur: *Vt in eo ipso amentiam suam proderent, mortem non ferentes, & mortem appetentes, & quod pro malo fugerent, pro remedio adsciscerent.*

Orat. de Fid. Resurr.

Hostem cū fugeret, se Furius ipse peremit:
Dic rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Sic Poëta de insano isthoc loquitur; qui ut inimicum fugeret, semetipsum ultrà in mortem præcipitavit; & ut mortem declinaret, mortem sibi ipsi intulit. Et quæ est isthæc stultitia, mori velle ne moriamur? aut ne in inimici ruamus manus, violenter sibi ipsi manus inferre proprias? à quibus deterius, quàm ab inimicis tractetur manibus: *Quis furor est, ne moriare, mori? Mortem non ferentes & mortē appetentes.*

reg. in ant. 8.

16. S. Augustinus meritò lamentum illud ridet, quo iusti etiam nonnunquam conqueruntur, tot flagitiosos in hoc mundo sine aliquo illis immisso tolerari supplicio: *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus qui prævaricantur?* dicebat sanctus ille. Verum inquit Augustinus, sistite nonnihil, non enim intelligitis id quod dicitur. Itane enim? *Bene est,* dicitis vos, *omnibus qui prævaricantur?* audivi quidem sæpius Isaiam dicentem: *Dicite justo, quoniam bene,* non tamen idem de flagitioso quodam aut peccatore, imò de ijs dicitur: *Væ impio in malum.* Qua ratione ergò dicere audes, *bene est omnibus prævaricantibus? Bene est?* Nequaquam, inquit Augustinus, nam *cum illo pœna sua est. Si haberet in cubiculo suo tortorem carnis, punitus esset. Habet in secreto cordis sui tortorem conscientiæ suæ, & impunitus vocatur?* Hoc est, quod Deus per Jeremiam Prophetam dicit, de inimicis suis & peccatoribus: *Effundam super eos malum suum.* q.d. Non eos meis flagellis castigabo, neque ad sagittas meas manum apponam, sed mihi sufficit, quod à propriis culpis suis, sagittati sint atque transfixi. Unde S. Ambrosius peccatum sapientissimè partui comparavit viperæ, quæ matris pectus discerpens, atque dilacerans, eidem mortem infert, eoipso, dum ab illa vitam recipit. Sic enim peccatum ruina quoque est authoris sui, & mors eius, qui vitam & esse suum illi dedit. Sic Ambrosius, illam Regis Davidis explicans sententiam: *Dixit injustus ut delinquat sibi. Nihil hac sentētia sublimius dictū arbitror. Iniquitas in suum vertitur authorem,*

serm. 28. de vitis Apostoli.

Jerem. 14. v. 16.

Psal. 35. v. 2.

ficut vipera partus, qui primo ſuam ſcindit parentem. Dixit iniquus, ut delinquat ſibi; quia injuſtus ſibi generet vulnera, ſeipſe confodiat. Serpens altis infundit venenum, injuſtus ſibi; in eum enim refunditur, quicquid effundit.

17. Verum enimverò, ſecluſo etiam conſcientiæ tormento, plus flagitioſus laborat, ambulando ſecundum mundi traditionem, quàm juſtus ſecundum Dei legem vivendo. Atque ad iſtud propoſitum facit quod notavit ſanctus Hieronymus, videlicet, quod bonus ille Paſtor, qui per mundi huius ſylvas & lucos oberrans, centeſimam ſollicitus inquirebat oviculam, illâ inventâ, eandem mox humeris ſuis ſuperimpoſuit, eandemque ad reliquum gregem ſuum reduxit. Nam dicat aliquis, cur non facit oviculam illam ſolam incedere, abſque eo quod à Paſtore portaretur? Cur ipſe oviculam non præcedit, ſic enim foret futurum, ut ipſa ovicula ponè ipſum ſequeretur? Sed ratio eſt, quia ovicula illa, per ſylvas oberrando, vehementer defatigata erat. *Multum enim errando laboraverat.* Ovis peccatorem ſignificat, Paſtor Chriſtum, deſertum hunc mundum, oberrare per deſertum, idem eſt, quod contra Dei legem peccare. Sed qua ratione id intelligitur, quod ovis in ſuis erroribus adeò vehementer laboret? Ergone laborat, quando in omnibus ad libitum ſuum operatur? Quando omnia ſecundum cerebrum ſuum exequitur? Quando Chriſti jugum ab humeris ſuis excutit? Quando abſque temperantiæ fræno, omnibus ſeſe delitiarum generibus tradit? Quando carni ſuæ delicatè nutriendæ, ſuorumq; appetituum complacentiæ exſatiandæ incumbit? Tuncne laborat? Imò verò & quidem valde laborat. Audiant velim, omnes veritatem iſtam, tanto præſtantiorem magiſque eximiam, quanto minus ab hominibus cognoſcitur. Quando in omnibus ſenſualitatis tuæ ductum, & cordis tui mala exequeris propoſita, quãdo ad libitũ tuũ omnia facis, quando tuæ ꝓpriæ voluntatis deſeruis libidini, eo ipſo tunc quoq; graviter laboras. *Multũ enim errando laboraverat.* Audi Jeremiam id clarè dicentem: *Vt iniquè agerent, laboraverunt, licet magno illis ſtaret labore dolus & iniquitas, non tamen ideò deſiſtunt à peccato*, interpretatur Sancius. Unde meritò ſuam peccatori S. Auguſtinus improperat cœcitatem, & modicam prudentiam, hiſce ferè verbis: *Væ animæ audaci, quæ ſperavit, ſi à te receßiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa, & reverſa, & in terga, & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies.* Verte te quocunque lubet; fac quicquid placet; quocunque tua te trahit concupiſcentia, eo curre; omne experire conſilium, fortunam omnem tenta, & abſque Deo omnia dura invenies & laborioſa. *Et omnia ſunt dura, & tu ſolus requies.* Auguſtino conſentit Chryſoſtomus, qui clarè proteſtatur, magis defatigari illos, qui ad fugiendum legis divinæ laborem, ad traditiones mundi tranſeunt, quàm illi qui legem DEI exactiſſimè obſervant. *Putas quod peccatores huius mundi non laborent? bene enim maiores labores, & ſollicitudines habent, quàm ſervi Dei.*

Epiſt ad Damasũ.

Jerem. 9. v. 5.

Sancius in Jerem.

Lib. 5. conf. c. 11.

In Pſal. 13.

18. Secun-

Epist. 15. 18. Secundò dicebam plus hominem in observandis mundi huius traditionibus laborare quàm in Dei lege exactè observanda. S. Hieronymus Epist. 15. de cupido quodam & avaro loquitur qui totum se destruxerat ut ad hæreditatis alicuius perveniret lucrum, dicitque: *Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur ? Minori labore Margaritum Christi emi poterat.* ô quos labores, ô quas defatigationes in hoc mundo experiuntur, tam Tyranni, status sui amplificandi avidi & cupidi, aut equestris ordinis honoris mudani zelo ardentes nobiles, aut terrenarum divitiarum insatiabili siti vexati mercatores, aut ambitiosi dignitatum terrenarum fumo accēsi, aut à sensuū suorū delitijs soll. citati juvenes, aut pulchritudinis suæ adaugēdæ aut conservandæ percupidæ vanæ mulierculæ. Certissimum est, quod sola laborum istorum medietate adhibita æternū gloriæ regnū cōparari potuisset: *Minori labore Margaritum Christi emi poterat.* Adducam hoc loco gravissimum illud Antonij testimonium, quo perspicuè ob oculos ponitur id, cui in præsentiarum probando Tract. 9. in Joan. insistimus. ô *Homo qui laboras amando avaritiam! cum labore amatur, quod amas; sine labore amatur Deus.* Quando tibi Deus unquam præcepit, ut Patriam, uxorem, liberos, amicos, &c. desereres, quod tamen Mercator facere debet ? aut ut Oceanum navigans novos mundos inquireres, sicut avari faciunt ? aut salutem vitamque tuam evidenti periculo exponeres, uti faciunt milites ? aut ut invidiâ crepans continuò maccerateris, uti aulicis contingit ? aut ut vitæ tibi annos abbreviares, multosque fastidiosissimos maximeque infames sustineres morbos, uti sufferre coguntur impudici & sensuales ? Nunquam profectò huiusmodi aliquid DEUS tibi præcepit. *Cum labore ergo amatur quod amas, sine labore amatur Deus.* Ergo *minori labore Margaritum Christi emi poterat.*

19. Lucius Metellus, Civis Romanus, Urbem quondam in Hispaniis obsidione cinxerat, eandemque ad eas reduxerat miserias, ut ob extremam annonæ caristiam, rebus fastidiosissimis cibi loco uti debuerint, adeòque miseri urbis illius incolæ moriebantur quasi quotidiè. Quanta erat isthæc stultitia, inquit, qui factum istud renset Valerius Maximus, ne se Val. Max. victos esse viderent, maiores tolerare passiones, quàm victor illis infligere potuisset aut imperare ? *Dum vinci timent, illud passi sunt, quod nec victor ipse pati coegisset.* Deus te quærit, ô peccator, post te currit, tecum confligit, minarum, promissionum, suppliciorum, beneficiorum timoris & spei te machinis obsidet & quatit; tu verò obstinatus perseveras, teque stultè contra Dei armaturam defendis. Cur ita ? Ne videlicet ad legis suæ observantiam te obliges, ne toleres id quod Evangelicæ perfectionis studioso convenit tolerare, ne sub vexillo crucis Christi militare atque obsequi cogaris. ô homo improvide, qui ut Dominici jugi passiones effugias, te ad multò plus patiendum induci permittis, quàm te Christus pati permitteret, si illi te subiecisses.

Aug. de Civit. Dei.

Refert S. Augustinus, quod temporibus suis, facinorosi quidam ac perversi homines se invicem tormentis mutuis, atque reciprocis, eo tantum fine vexabant, ut tormentis sufferendis assuefierent, si forte ob scelus aliquod patratum, Iustitiæ manibus mancipandi forent; *Ita ut exercitatio contra pœnas, nihil differat à pœnis.* Ecce tibi quid prorsus simile illi, quod huius sæculi homines faciunt. Fatigantur, crepant, torquentur, laniantur, mactantur; qua de causa? Ne aliquam pati cogantur difficultatem, quàm se in divino servitio repertu ros esse timent. *Ita ut exercitatio contra pœnas, nihil differat à pœnis.* Plus in via huius mundi pati coguntur, quàm in Dei via passuri fuissent, magisque affliguntur, dum affligi formidant. *Minore labore Margaritum Christi emi poterat.*

Matth. 20. v. 12.

20. Memores estote pulchræ illius Parabolæ Dominicæ, in qua Paterfamilias, ceu vineæ Dominus, diversos, diversis temporibus, in vineam suam conduxit operarios, alios quidem hora tertia, alios hora sexta, hora nona demum alios, denique alios vndecima hora. Quando autem ad solutionem deventum est, æquale omnibus stipendium numeratum fuit. Unde nonnulli, & prima quidem facie rationabiliter, lamentabantur, quod cum plus aliis in vinea laborassent, non tamen plus alijs in mercedis diurnæ reciperent quantitate; *Qui portavimus pondus diei & æstus.* Dominus autem vineæ, & cum illo Origines meritò reprehendit illos eo quod se pondus diei & æstus portasse, plusque laborasse jactassent, siquidem maior labor ex parte eorum fuerit, qui otiosi aliquandiu stetissent, ut proinde ipsi potius, non verò alii dicere debuissent: *Portavimus pondus & æstus. Portavimus autem pondus, eo quod stetimus otiosi, antequam Paterfamilias veniret ad nos; qui dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Onus enim erat otiositas ipsa, & quod nondum viderentur interim ad vineæ opera digni.* Non tantum laborant qui in vinea operantur, quantum laborant alii, qui non operantur, sed in gaudiis & desideriis suis otiosi persistunt, hi pondus portant, non illi. *Minori labore margaritum Christi emi poterat.* Advertite, dicit Ambrosius, quod cum vos legis Christi jugo exoneratis, non tam vos exoneretis, quàm potius aggravetis. Non jugum Domini, quod suave est, portabitis, sed jugum mundi quod est intolerabile. Sicuti is cui Dominus dixit: *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius.* Quantum ordinarium jumentorum jugum differt à pondere lapidis molaris, tanto plus aggravatur qui legis Dei pondus; propter vanas legum mundanarū traditiones recusat. *Portat lapidem, qui portare Dei jugum recusavit.* Ita S. Augustinus notat, infœlicem illum apud S. Lucam, invitatum ad cœnam, venire renuisse, quia quinque sibi boum juga comparasset. *Iuga boum emi quinque. Quinque juga boum*, inquit Augustinus, *sensus huius carnis quinque enumerantur. Quinque sunt, & juga sunt.* Quibus verbis dicere vult, quod qui jugum legis Dei acci-

Hom. 20. in Matth.

Matth. 18. v. 6.

Ambros. serm. 10. Luc. 14.

August. Serm. 33. in Lucam.

accipere renuit, ut sensualitati suæ complacere possit, is in vicem unius jugi, multa habiturus sit, quia ut bene

Ambrof. lib. 1. in Lucam.

dixit S. Ambrosius: *Multos Dominos habet qui unum non habet.* Qui unum Dominum fugit, centum alios, quibus suberit, inveniet, & qui Christi honoratam renuit servitutem, ignobilem centum tyrannorum probabit tyrannidem. *Minori labore Margaritum Christi emi poterat.*

21. Tertiò, qui in servandis mundi traditionibus sustinetur labor, omni fructu caret. Minus malum est tolerare aliquid, quando idem pro magno aliquo bono adipiscendo toleratur. Dimicatur, seu confligitur, sed pro unius integri regni acquisitione. Navigatur, sed ad lucrandum aliquem thesaurum; Ignis toleratur, & ferrum, medicamentum item corrosivum & mordax, sed pro vita conservanda; Jejunatur, aut in extrema siti non bibitur, amarissimæ deglutiuntur medicinæ, sed pro recuperanda salute. Omnia ista bene fiunt: sed *quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* quod dum facitis, tantum patimini, atque tam modica acquiritis? *Quid te delectant damna; sine gratia?* inquit S.

Lib. 3. de Elia & jejunio.

Ambrosius: Cur tanta tibi damna placent, cum tam modico lucro? Labores adeò intolerabiles, cum tam vano fructu? Tam longæ defatigationes, cum tam brevissimæ moræ delectatione? Tales, ex mente S. Au-

August. Serm. 48. de temp.

gustini, venatoribus persimiles existunt, qui ut feram aliquam, quæ persæpe nullius est æstimationis, capiant, infinitis se exponunt periculis: *Quos astus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, à præcipitijs, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem esuriendi & sitiendi? quantas vilissimi & sordidissimi potus angustias, ut bestiam capiant, & interdum nec ipsa bestia carnes, propter quas hæc tanta sustinent, sunt Epulis necessaria? Quanquam & si aper cervusque capiatur, & magis suavis sit venantis animo, quia captus est, quam comedentis palato quia coctus est.* Totus ingentium laborum illorũ fructus, ad gaudiũ illud reducitur, quod habent, quia venabulo quodam, aut hasta, seu framea, insignem ac lethiferum feræ ictum dederint, longissimamque decurrendo orbitam ipsammet feram, ut se dederet, constrinxerint. Ecce tibi depictam hic expressam sæculo huic inservientium hominum figuram. *Et penitus non invenimus,* (Estque animadversio S. Hieronymi) *in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem. Etenim venator erat, qui peccator erat.* Nullus invenitur sanctus, qui venator extiterit; Sanctorum namque labores, utiles semper sunt & salutares: bene tamen venatores peccatores fuisse deprehenduntur, utpote qui multum laborant, nihil autem acquirunt. *Esau venator erat, quia peccator erat. Quid te delectant damna sine gratia?*

22. Pauli monitum nonnihil au- Rom. 6.
scultemus, quod Civibus Romanis v. 21.
dabat dicens: *Quem fructum habetis in ijs, in quibus nunc erubescitis?* Ostendes, si potes, quem ex tantis laboribus tuis fructum ceperis? Post defatigationes, ecquid habes in manibus tuis? Quid commodi reportasti, ex tam ingenti, tamque diu continuata

tinuata inquietudine ? Benedictus Justinianus aliam adducit literam, seu legendi modum, qui Clementi Alexandrino tribuitur, ita legenti: *Quem fructum habuistis?* Cui interrogationi mox respondetur: *Ea quæ nunc erubescimus.* Ex intolerabiblius laboribus nostris, aliam non retulimus utilitatem, præterquam intolerabilem quandam confusionem & erubescentiam, nam uti sapientissimus Seneca inquit: *Innumerabiles proprietates sunt, sed unus defectus vitij displicere sibi. Ubi sine præmio labor est, torquet illos dedecus.* Post infinitos laboriosissimæ vitæ istius labores, aliud in manu nostra non invenimus, quàm confusionem quandam, quæ sit eiusmodi, ut ipsammet quoque vitam nostram tædiosam efficiat; aut talem aliquam verecundiam, quæ caput aut frontem in sublime levari non sinat; Talem denique ignominiam ac dedecus, quod nos in honesto hominum cætu comparere non permittit. *Si per voluptatem turpe fecerit quispiam,* dicit magnus quidam Philosophus apud Agellium, *quod suave est abiit, quod turpe est, manet.* Post tam ingentia infortunia, seu casus, hoc solum reliquum manet, videlicet culparum nostrarum deformitas, ac turpitudo. *Quid te delectant damna sine gratia?* Verissima ergo sunt Salomonis verba, quibus inquit: *Sapientiam & disciplinam qui abjicit, infœlix est, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.* Sine fructu est omnis labor; omnis conatus infœlicem suam habet catastrophen; inutile est omne

Lib. 1. de Tranquillitate vitæ cap. 2.

Agellius Lib. 16. cap. 1.

Sap. 3. v. 11.

ipsorum consilium. Certum ergo est, quod Isaias Propheta testificatur, videlicet quod illi qui sanctitatis & justitiæ non sequuntur vestigia, *Confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem. Telas aranearum texuerunt, opera eorum opera inutilia.* Tales sunt sicut araneæ, dicit Propheta, quæ in circulum aguntur & gyrantur, ab hac se parte in alteram vertunt, dies laborant ac noctes, totumque corpus suum planè eviscerant; *Et grandis quidem labor est, sed effectus nullus est,* dicit & optimè quidem S. P. Hieronymus. *Sic est vita hominum, huc illucque discurrit. Possessiones quærimus, Divitias appetimus, procreamus filios, in Regna sustollimur, & omnia facimus, & non intelligimus, quia aranea telam teximus.* Valde ergo rationabilis est illa sapientis reprehensio, qui etiam de nonnemine eorum, qui Dei lege relicta, mundi huius sequuntur traditiones, loquens, sic tandem concludit: *Quid ergo prodest ei, qui laboravit in ventum?* Quid infœlicem illum juvabit, quod fecit, dum sit tandem optimos vitæ dies omninò perdidisse, omnesque labores vento quasi commisisse, reperiet? Justa ergo illa Micheæ Prophetæ comminatio: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris.* Væ vobis, qui in secretioribus conclavibus vestris argutè speculamini; & ut injustitiam committatis Deique violetis legem, ingenia vestra acuitis! Audite enim, quid Dominus subjungat: *Et ego cogitabo super familiam istam malum.*

Isaiæ 59. v. 4.

Hieron. in Psal. 89.

Eccles. 5. v. 15.

Mich. 2. v. 1.

23. Atque ideò ecce tibi ultimum à nobis adductum, nostrumque hunc discursum ultimatè claudens propositum. Laborant equidem, quotquot secundum mundi traditiones vitam instituunt; imò plus quàm qui juxta Dei legem vivant. Et sine fructu laborant, aut commodo; Finaliter denique maximo laborant cum dispendio, in damnum videlicet suum temporale & æternum: Nam *& ego cogitabo super familiam istam malum.* Et videte, inquit Hieronymus, qualiter supplicium, reatus respondeat demerito: *Quia cogitastis inutile, & ego cogitabo malum.* Vos cogitastis, & ego quoque cogitabo; vos flagitia vestra, ego mea flagella. Nolite cogitare, quod ego tot scelera vestra, tantasque nomini meo irrogatas injurias permissurus sim abire in ultas. *Quia vos cogitastis inutile, & ego cogitabo mala.* Eccur ergo parati non simus in hac vita, in divinæ legis observantia nonnulla tolerare, ut ea fugiamus mala, quæ Deus in altera vita, legē Dei prævaricantibus præparata

Hier. in Mich.

reservat? Cur non patimur modicum, ne patiamur æternum? Quotquot estis, S. Pontificis Cypriani velim auscultetis monitum: *Igitur toleranda sunt omnia, patienda cuncta; nec appetendum quo modico gaudeas tempore, & perpetuò puniaris ardore. Quare transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Cave sis per tuam te vitam obsecro, ne viæ te tuæ rectâ in æternam perditionem perducant? Vide ne tuus procedendi modus, Dei super te Justitiam provocet; Adverte, quia cœli providentia non dormit, neque dormitat. Sit cordi tuo profundè insculpta formidabilissima illa Dei comminatio: *Quia vos cogitastis inutile, & ego cogitabo mala.* Ausculta illud Ecclesiastici monitum, quod non minus perspicuè tibi ita loquitur: *Noli facere mala, & non te apprehendent.* Aut sicut alij legunt: *Ne facias malum, ne tibi accidat malum.* Malum si feceris, malum quoq; tibi haud dubiè eveniet, & faxit DEUS, ne sit malum æternum.

De laude Martyrij.

Tyguri-na.

* *
*

CON-



CONCIO XX.

In Feriam V. post Dominic. III. Quadragesimæ.

THEMA.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.
Luc. 4. v. 38.

ARGUMENTUM.

Non minus Cœli beneficium, est Corpus infirmum, quam sanum. Et quomodo de eodem Corpore, acceptabile Deo fieri possit sacrificium.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Corpus hominis post peccatum, incentivum est malitiæ, atque iniquitatis instrumentum. num. 1.

Duo sunt genera febrium, quibus homo in hoc mundo corripitur. ibid.

Magnus inimicus noster est Caro nostra. num. 2.

Caro nostra, juratus Dei hostis est, & ideò curam illius dimittere debet, qui Deo servit. num. 2.

Caro nostra, omni momento, per singula membra, perque omnes sensus, contra hominem ferociter sævit. num. 3.

Et ideò non malum, sed valde bonum, si caro nostra, utpote hostis noster, infirmetur. num. 3.

Carnis damnositas variis Analogiis illustratur. num. 4.

Quocunque modo carnem tractaveris, semper tibi noxia erit, & molesta. ibid.

S. Paulus Apostolus carnem veluti hostem timuit, & cur tu non timeas?

Imò Philosophi gentiles, solo naturæ lumine, cognoverunt carnis delitias; & sapientiam animi, simul esse non posse. n. 5.

Caro nostra, verè locus afflictionis *est aut, ut legit Aquila*: Locus Syrenum, *licet ficta nos benevolentia, & blanditie demulceat. num. 6.*

Nihil est in universo mundo, quod à carne humana nō contaminetur, aut disperdatur. num. 7.

Caro nostra est veluti Echineis pisciculus, qui sistit & moratur cursum spiritus nostri. num. 8.

An non David, veluti ingens quadam & opulenta navis, in prosperrimo suo cursu, à carne, velut Echineide, sistere, & morari coactus fuit. num. 9.

Pulchrè Author in Davidis Regis, laudes & encomia excurrit, quem perfectam omnium virtutum imaginem fuisse osten dit. num. 10.

David tot egregijs facinoribus excellens, tot victorijs gloriosus, ab uno inimico, carne videlicet, superatur & vincitur. num. 11.

Melius ergo nobis est, si hic hostis noster, caro scilicet nostra, morbis & infirmitatibus affligatur, & extenuetur. num. 12.

Vix unam ex passionibus nostris corporalibus vincere possumus, quid ergo nobis, contra omnes simul pugnaturis? sperandum erit. Ubi bene ponderatur illud Psalm. 118. Paulò minus consummaverunt me in terra. *num. 12.*

Hinc Seneca Martiam suam, S. Bernardus Fugerium Abbatem S. Dionysij, morituros aut infirmos solabātur, quod hac ratione, hostis, caro scil. aut premeretur, aut opprimeretur. num. 13.

Punctum Secundū. *Sicut caro nostra spiritui rebellis, infinitorum peccatorum est; materia ita eadem spiritui obediens, omnium virtutum est universalis ministra. num. 14. & 15.*

Mira profecto conjunctio, qua corpus animæ conjungitur. num. 14.

A carne spiritui subdita, multæ in nos dimanant utilitates. num. 15.

Magna carnis nostræ dignitas est, quod cum Verbo æterno Hypostaticè sit unita. num. 15.

Caro nostra est Campus certaminis, Hortus florum, Arca in qua thesauri sacramentorum reponuntur, Armamentarium animæ, Aurifodina cœlestis, Templum in quo offeruntur sacrificia, officina, in qua spiritus, velut faber, multa cudit monilia meritorum. num. 16.

Pulcherrimis encomiis S. Paulus Apostolus depingitur, non tantum secundum Animam, sed etiam, & potissimum, quoad corpus. num. 17.

Quinque proprietates habere debet corpus nostrum, ut debitum Deo fiat sacrificium. num. 8. Punctum Tertium.

Primò caro nostra victima fieri debet, id est, ferro mactari & occidi, Deoque consecrari. num. 19. & 20.

Secundò caro nostra fieri debet hostia vivens, id est, occidi quidem, morte tamen tali, quæ mortem non adferat, morte inquam, quæ mors mortis, non verò vitæ mors sit. num. 21. 22. & 23.

Tertiò debet esse hostia sancta, id est, Deo, & Dei cultui dicata, & ab omni non tantum immundo, sed & prophano usu separata. num. 24. & 25.

Quartò debet esse hostia beneplacens. Ubi explicatur locus ille Pauli: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. *num. 26.*

Hostia beneplacens Deo est, quæ offertur, non ad placendum hominibus sed ad Dei nobis favorem conciliandum. num. 27.

Quintò debet esse rationabile obsequium nostrum. num. 28. & 29.

Inter carnem & spiritum bona debet esse subordinatio. num. 30.

1. NEscio, qua ratione admirabilis illa humani corporis fabrica, ab ipsiusmet Dei manibus tanta arte & magisterio, eoque potissimum fine formata, ut spiritus ministerio & subsidio deserviret; demum per peccatum devastata & corrupta, incentivum facta sit malitiæ, & iniquitatis instrumentum. Paucissimæ enim culpæ, si attentè consideremus, à corde malè consulto sive contra Deum, sive contra proximum committuntur, quarum sensus, corporisque membra, non sint aut instigatores, aut executores saltem, dum in præcipitium suum, Deiq; offensionem utuntur illo, quod velut singularis favoris argumentum, & beneficium, à liberalissimo bonorum omniũ largitore concessum fuit. Unde vulgus etiam malè credit, dum carnis infirmitatem, plagas membrorum, sensuumque debilitatem, ingens sibi esse persuadet infortunium, miseriamque valde deplorandam; cum tamen contrarium illius omninò sit evidens; siquidem quantò domestici illi adversarij nostri debiliores fiunt magisque inermes, tanto spiritus fortior redditur atque potentior. Et ecce tibi exemplum in socru Simonis Petri, æstuantissimarum febrium ardoribus cruciata, eorum quidem qui omni prorsus judicio carent, opinione, à cœli providentia, & protectione desolata; illorum vero qui sanè prudenterque singula æstimare norunt judicio melioribus à Deo præventa favoribus, maiorique benevolentia delinita. Duo potissimum sunt febrium genera, secundum doctrinam S. Ambrosij, quibus humana generatio, donec in mundi huius hospitali, seu xenodochio, ad rigorosam redacta est pœnitentiam, infestari solet. Una quidem corporis, Animi altera: Visibilis una, altera verò non apparens: una in voluntaria, spontanea altera. Prima ex abundantia humorum nascitur, secunda verò ex voluntatis derivatur excessu: Prima inflammat membra, sanguinem accendit, & excoquit viscera: secunda vero inter flammas ardet, suisq; inter affectus latentibus ardentissimis fervoribus immaniter sævit. Prima corporis vires aufert; secunda robur animi imminuit. Per illam corporis impallescit & deformatur vultus: Per hanc interna Animæ facies totaliter turbatur & macrescit. Illa accendit sitim; hæc desiderium adauget. Illa phrænesin inducit: voluntarias autem ista stultitias. Illa feretra & tumbas cadaveribus: hæc inferni carceres animabꝰ adimplet. Verũ enimvero, cum per corporis febrim febris persæpè curetur cordium, quis cum veritate dicere poterit, hanc Socrui Apostoli immissam à Domino infirmitatem, supplicium potius reputandam, quàm favorem; damnum quàm beneficium; demonstrationem iracundiæ, quàm benevolentiæ testimonium?

2. Ecquid mali nobis, dilectissimi, Dominus adfert, quando efficit, ut corpus hoc nostrum infirmetur, utpote quo non habemus robustiorem inimicum quoad fortitudinem; aut magis

gis malitiosum quoad astutiam; aut quoad perfidiam, maiorem traditorem; nec magis intimum ob proprietatem; nec ob assiduitatem magis nocivum; aut inexorabiliorem ob pertinaciam? Quod adeò nobis pernitiosum existit atque contrarium, ut non defuerint qui dicerent, ipsum Dæmonis, non vero Dei esse facturam, prouti S. Augustinus scripsit, delirasse Hæreticos quosdam, qui Patritiani appellabantur.

Lib. de Hæresi 6. ad Quod vult Deus. Atque hæc est ratio, inquit Ambrosius, cur Dominus, cum ad suum servitium & obsequium Abraham vocaret, hisce ipsum verbis allocutus fuerit: *Egredere de domo tua, & de cognatione tua.* Nec enim Abrahæ patriam suam egredi necessum erat, unde jam plenè exiverat, sed de terra corporis sui, id est, ab affectione, & cura carnis suæ. *Consideremus, ne forte hoc sit exire de terra sua, de huius terræ, hoc est, de corporis nostri quadam egredi commoratione.* Quasi magnus ille Deus dixisset: Nequaquam mihi, ô Abraham, amicus esse poteris nisi huius tui inimici domestici totaliter deserueris amicitiam; neque possibile erit, ut meam tibi aliquando acquiras benevolentiam, nisi eam quam cum temetipso habes amicitiam rumpere, omneque cum carne tua quoadusque possibile fuerit præscindere statueris commercium. *Egredere de terra tua.* Apprime mihi in amicitia, continua placet conversatio, & familiares cum amico tractatus; caro autem à me spiritum avellit, atque ad omnia alia distrahit, & detorquet mentem. Magni ego facio immobilem in promissis constantiam & fidelitatem in dictis; sed caro fidem datam omni momento mutat, nec unqaum servat. Cordis ego valde æstimo puritatem, interioremque spiritus innocentiam: Caro verò Animæ, conscientiæquè bona nihili ducit, sed ad res exteriores se totam diffundit. Nihil æque in votis habeo, quàm ut amici mei in cœlum semper elevati consistant: atqui caro non aliud, quàm terram, aut res terrenas cogitat. Ego sensuales horreo delitias; quas caro blandè amplexatur. Ignaviam animiq; abjectionē & vilitatē in servis meis ego detestor; Caro autem semper debilis est superque omnem mentis cogitationem impotens. Nil ita me recreat, sicut fervor atque in virtutibus vivacitas: Caro autem tepida, otiosa, semperque deses existit. Ego ne quidem nomen peccati audire sustineo: Caro autem omnis peccati stimulus est & incentivum. *Egredere ergo, de dono tua, & de terra tua, hoc est de corporis nostri quadam commoratione.*

Ambros. Lib. 1. de Abraham.

3. An non ergo desiderabile erit, ut corpus hoc nostrum debilitetur, à quo tam frequenter, ad malè operandum provocati sumus? Quod omni momento in damnum nostrum adeò crudeliter sævit? Quod membris nostris mediantibus, tot tamque turpia crimina committit? Quod sensuum nostrorum confictis technis & fraudibus, mentis nostræ arcem hosti nostro juratissimo tradit? Aperitur namque oculus, & mortem introducit: audit auricula, mox novellis impertinentibus pacem turbat: odoratus sentit, & subitò proritat concupiscentiam: Pascitur gustus, & statim ratio dormitat.

tat. Tactus palpat, simulque contaminat & comburit: Extenditur manus, milleque injustitiarum efficitur ministra: Pes movetur, moxque ad præcipitia velociter accurrit: Abundat sanguis, levemque ac dissolutum te facit: Bilis accenditur, & furibundus efficeris & intractabilis. Multiplicatur phlegma, desesque fis & stupidus: Humor augetur melancholicus, & iners redderis ac pusillanimis. Denique sufficiat dicere quod Paulus inquit, scilicet, Carnem nostram aliud non moliri, quam damna spiritus, quem in suis semper obliquat conatibus: *Caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem, ut non quæ vultis ea faciatis.* Estque gratiosa admodum, quàm B. Salvianus facit consequentia, nimirum: *Ergo si repugnante corpore, quæ volumus facere, non possumus, infirmandum carne est, ut optata faciamus.* Si caro virtuosis obex est operationibus, bonum erit, si ipsa infirma fuerit, sicque spiritus tollatur impedimentum, ut dum caro prævalere nequit spiritui, hic carnis debilitate adjutus & roboratus illi prævaleat. *Et verum est*, subjungit Salvianus, *imbecillitas enim carnis mentis vigorem exacuit, & affectis artubus vires corporis in virtutes transferuntur. Animarum, ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum.*

Gal. 5. v. 17.

Epist. ad Cethuram sororem.

4. Hæc est gravis illa sarcina, quæ fortiores etiam generosioresque hujus mundi Animas deprimit. Hæc est tenebrosus ille carcer, qui inter vincula servilia contumeliosasque catenas constrictum attinet animum. Hæc est infamis ille mancipatus qui libertate filiorum Dei animam privat. Hæc est tenacissimus ille viscus, qui alas contemplationis corripiens, easdem impedit, quo minus ad beatam Patriam, unde suam trahunt originem, evolare possint. Hæc est primum quod occurrit, viamque virtutum obliquat & distorquet, redditque difficilem legem Domini, Justitiam insuavem, amaram honestatem, observantiam gravem, & quasi insupportabile facit Evangeliũ. Hæc est antipondium à Deo spiritui nostro assignatum, ne inter tot, quibus donatus est, excellentias, nec non per cunctarum rerum Dominium, per vanam gloriam, & jactantiam evanescat. Id quod S. Gregorium Nazianzenum in hæc verba prorumpere fecit: *Illi iidem maximi sumus & abjectissimi; terrestres & cœlestes: temporales & æterni, lucis hæredes & caliginis? Ad quamcunque partem vergimus, talis est conditio nostra.* O quàm prodigiosa est illa mixtura cœli & terræ, sublimitatis & profundi, gloriæ & ignominiæ, æternitatis & temporis, lucis & caliginis! Iidemmet magnissimus & parvi, pretiosi & abjecti, immortales & morti subjecti, spirituales & carnales, imagines Dei, Deoque contrarij, flos creationis & fœx ultima creaturarum. *Proh copulam & dissidium!* exclamat S. Joannes Climachus. *Quod timeo, foveo, & quod amo, timeo.* Quis hic est tam extraneus, & peregrinus nexus, & quàm insolita isthæc copula? dum astrictus sum ad amandum id quod timeo, & ad timendum, quod amo; ubi inimicus mihi est necessarius, & amicus traditor; ubi fugere possum, quod mihi est utile, quod verò nocet mihi, insequi

Adhort. de paup. ad Mon.

De Const. tit. 15. gradu.

sequi debeo: ubi inimicum meum occidere illicitum est, eundem verò nutrire periculosum: ubi illum convenit amare, quia socius est, & rationabiliter odisse debeo, quia est inimicus. Si illi adblanditus fuero, ipse me deserit, ac derelinquit; si verò contempsero, mihi contradicit. Ut illum magni æstimem, omninò oportet, quia in operibus meis auxiliator est mihi; simul tamen ut illum fræno coerceam necessum est, quia ad malè operandum mihi stimulus existit. Dum curo illum, fraudes & dolos mihi texit & struit, dum verò eundem negligo, mihi fit gravis. Inter alimonias & annonam fit insolens, inter abstinentias inutilis. In otio torpet, in laboribus languet. Delinitus blanditijs non obedit, castigatus non servit. Per pulchritudinem superbire facit, per deformitatem confundit. Cum fortitudine est temerarius, cum debilitate effœminatus. Sub regimine delicato licentiosus, sub duro autem & aspero refractarius est & rebellis. *Proh copulam & dissidium!* Dicat ergo Bernardus: *Quàm domesticus hostis, quàm periculosa lucta, quàm intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possum, nec fugare; circumferre, illum necesse est, quoniam alligatus est nobis. Nam quod periculosius est, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet.*

De Fra. 7. mise.

5. Hæc est ingens illa formido, quam exhibebat Gentium Apostolus, quando infœlicitatem suam deplorans, dicebat: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Qui Pauli timor, haud dubiè nostra debet esse cautela, totiusque mundi formido. Enimverò si Paulus ille timet, qui vas electionis, donorum divitiarumque plenissimus, cui gratia Domini tam copiosè inerat, ut gratia eius, quodammodo naturam annihilasse videretur, unde dicere poterat: *Gratia Dei sum id, quod sum*; Qui in tertium usque cœlum raptus fuerat, ibidemque inaudierat arcana Dei, quæ omnem superant sermonem, omnemque dicendi vim longè transcendunt; Qui tantæ erat fortitudinis, ut omnes provocare creaturas, sibique indubitatam promittere potuerit victoriam; Qui nihili faciebat maris naufragia, pericula terræ, carcerum squalores, pondus sive onus catenarum, nuditatem, omniumque facultatum jacturam, famis tormentum, insidias persecutorum, falsorum fratrum traditiones, odium denique totius mundi. Hic inquam homo tam generosus & magnanimus, in cõspectu propriæ carnis perditur, diffidit, tremit, dicitque: *Quis me liberabit de corpere mortis huius?* Nos ergo, adeò debilium virium, tantæque infirmitatis homunciones quid facimus? *si sanctus Apostolus vas electionis, & separatus in Evangelium Christi, post nuditatem, jejunia, famem, carceres, flagella, supplicia, in semetipsum reversus exclamat: Infælix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? tu te putas securum esse debere?* Sed quid de Apostolo loquor? Ipsimet Paganismi sapientes, qui lumine fidei caruerunt, modica illa cognitionis naturalis scintilla, veritatem istam optimè penetrarunt. Ut proinde prout refert S. Hieronymus, Plato pro Scholæ

Hieron. Epist. 22.

suæ situ pestiferum, gravis admodum & insalubris auræ elegerit locum, cujus hanc sanctus Doctor dat rationem: *Vt discipuli sui nihil amarent, nisi sapientiam.* Sectæ quoque Pythagoricæ sapientibus, à Magistro ipsorum interdictum erat, suas in delitiosis amœnisque locis aperire Academias, *ne animi mollescerent, & à studio sapientiæ, telluris delitiis detraherentur.* Credebant ergo, idque prudenter admodum, impossibile esse, vinculum aliquod, aut solidum inter voluptates corporis & sapientiæ delitias: salutē carnis, & mentis integritatem: sensuum quietationem, & exornationem spiritus facere nexum. Denique Seneca sapientissimus Philosophus animadvertit, ingens illud Hannibalis Carhaginensis fortalitium seu propugnaculum à Patria enervatum atque debilitatum fuisse delitijs: *Vim Hannibalis Hyberna solverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus virum, enervarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitijs victus est.*

Lib. 2. contra Jovinianum.

Seneca Epist. 51.

6. Anne Philosophi isti plus aliquid facere potuissent, si illud Spiritus sancti audissent oraculum: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini?* Cavete vobis, nam vias carnis insequi est rectâ ad perditionem & mortem accurrere. Ficto quem ipsa ore suo refert, visui; aut mendaci, quàm fronte & oculis præse fert, serenitati, nolite confidere; omnis namque illa personata & ficta apparentia in ruinas nostras & damna nostra directa est. *Humiliasti nos in loco afflictionis,* dicebat sanctus ille Jerosolymorum Rex Et quis est ille afflictionis locus præterquam caro nostra? inquit Ambrosius: *Locus afflictionis est caro nostra, in qua Anima nostra humiliatur, dum in istius Carnis descendit societatem.* An non vobis, dilectissimi, videtur humiliatam & depressam esse ani...am nostram, dum ad immundi huius monstri continuum necessitata est consortium, atque ad illius tam noxiam constricta est societatem? Dum quotidiè suo coacta est servire mancipio, à quo indesinenter sibi texuntur insidiæ? Dum ad ignobilem, humilemque illam substantiam, à sua nativa nobilitate, cœlestique progenie adeò remotam, catenis quasi indissolubilibus se ligatam esse conspicit? Etenim ad præsens propositum nostrum apprimè servit Aquilæ versio, ab eodem quoque Ambrosio rela...a: *Pulchrè autem Aquilæ interpretatio, quemadmodum intelligere debeamus locum afflictionis, expreßit, dicendo: Quoniam humiliasti nos in loco Syrenum.* Vero in loco Syrenum humiliati sumus, id est, in isthoc nostro corpore, quod officina quædam delectationum sensualium, veluti totidem Syrenū, quæ fraudulento cantu suo, ad damna hominibus concilianda alliciunt, utque in naufragia præcipitent alijs adblandiuntur. *Denique,* subjungit S. Ambrosius, *Syrenes, quarum secundo & tertio mentionem facit Scriptura divina, quasdam fuisse puellas, gentilis tradit historia, quæ vocis propria suavitate, canendi illecebris, audiendique studio illectos navigantes, ad littus admovere provocabant: eosque cum gratiam vocis sequerentur, scopuloso in loco naufragium facere solitos vetustas posteris tradidit. Ita ergo sæculi voluptas, nos quadam carnali adulatione delectat, ut decipiat.* En igitur clarè tibi expressum Pauli documentum: *Si secundum*

Rom. 8. v. 13.

Psal. 43. v. 20.

dum Carnem vixeritis, moriemini. Quare cavete, ne à doloſis carnis delitijs vos trahi ſinatis, illæ enim ad occidendum alliciunt, atque ut in perditionem ac ruinam vos præcipitent, delectatione demulcent. *Carnali adulatione delectat, ut decipiat. Humiliaſti nos in loco Syrenum.*

7. O Caro turpis, ac probroſa, quæ cū adeò ſis humilis & abjecta, nihilominus in totius univerſi pulcherrimū opus, quale noſter eſt ſpiritus, manu tua involare audes! O viliſſimum cœnum, quomodo abominabilibus turpitudinibus tuis, Altiſſimi Dei contaminaſti Imaginem? O vulpes aſtutiſſima, ut malis artibus tuis quoſque terræ huius etiam ſapientiſſimos decepiſti? Quis unquam fallacibus tuis credidit promiſſis, qui deluſum ſe non repererit ac traditum? Quis ementitis tuis unquam confidit blanditijs, qui in fine tandem in quoddam anguſtiarum ac ſollicitudinum mare ſe præcipitatum non viderit? Quis unquam ſalutis ſuæ ſummam manibus tuis credidit, qui intra paucas horas ad lamentabilem dolentiſſimumque non ſit perductus finem? Quis aliquando truculento Tyrannidis tuæ jugo ſe ſuppoſuit, qui omnis miſeriæ factus non ſit miſerabile ſpectaculum? Eſtne fortaſsè aliqua pars mundi iſtius, quæ tuarum non ſit plena ruina? An ne aliquis in terra locus exiſtit, qui tuis non ſit intoxicatus venenis? Num congregatio aut conventus aliquis reperiatur, cuius tu nō perturbaveris pacem? Tu in mutua damna armaſti populos, atq; ſiccis oculis, vultuq; ridēte, videre potuiſti currentes per agros ſanguinis rivos. Tu ſacroſanctum ſt ctiſſimarum quarumcunque vetuſtiſſimarumque amicitiarum nodum, in vno quaſi ſolviſti momonto. Tu maximè enormia & execranda ſcelera, genus humanum docuiſti videlicet, infidelitatem in contractis nuptijs; in Tribunalibus perjuria; impietatem in cognationibus; in Templis ſacrilegia; injuſtitias in contractibus; in ſermonibus duplicitatem, Tu integras ex Eccleſiæ gremio ſuſtuliſti Provincias, eandemque peſtilentiſſimæ hæreſeos maculaſti contagio. Per te charitas refriguit, auſimque dicere, in illo quondam florido, & proſpero Chriſtianiſmo, per te ſolam, fides quodammodo extincta jacet. Sub tuo vexillo, tot contra Dei honorem ſcelerati militant, capitaleſq; virtutis inimici, è quibus tam populoſæ numeroque frequentes factæ ſunt profundæ illæ Inferni voragines. Mihi igitur cum S. Bernardo dicere liceat: *Maledictus homo qui paſcit ſterilem, & vidua non benefacit.* Maledictus, qui carnem nutrit ſterilem, & infœcundam, & animæ ſuæ, veluti deſolatæ viduæ obliviſcitur; qui ſaccum illum ſtercorum ſuſcipit, nobiliſſimam verò illam Angeliſque Paradiſi perſimilem ſubſtantiam deſpicit; qui adeò potentem, aſtutumq; inimicum corroborare non deſinit, neq; ceſſat meliorem nobilioremq; vitæ noſtræ partem humiliare, atq; deprimere. *Iſta charitas deſtruit charitatem* (ſunt verba Bernardi) *hæc diſcretio diſcretionē confundit. Talis miſericordia crudelitate plena eſt; qua videlicet ita corpori ſervitur, ut Anima juguletur. Quæ enim charitas eſt, carnem diligere, & ſpiritum negligere?* Quæ

De ſeptem ſpiritibus.

Prologo ad Guilielmum Abbatem.

Quæ discretio, totum dari corpori, & animæ nihil? Qualis verò misericordia, ancillam reficere, & dominam interficere?

8. O quam ingens foret prodigium, si in alto mari Navim quandam, veluti mobilem & vagabundam aliquam conspiceres civitatem, omni necessaria supellectile optimè instructam eo præsertim tempore, quo fortiores, impetuosioresq; spirarent venti, quo validum forteque remigium maiori cum impetu undas diffinderet, profundioribusque sulcis agitatum feriret littus. Imò quo irremorabilis videretur aquæ profluentis vis, totumque mare in rapidũ quoddam & violentum transmutatum flumen: Eo inquam tempore, ingentem illam machinam, quæ à tot tamque robustis agitaretur remigibus, aliisque motoribus in velocissimo suo, rapidoque cursu sisti, ac veluti immobilem non aliter firmari, quàm si tremulum illud, attonitumque navis lignum, eo in loco clavis affixum foret. Demùm verò huius tam ingentis prodigij causam investigantes, audiretis, omnem navis istius remoram in parvulum quendam pisciculum, qui palmum magnitudine sua non excederet, redundare, veluti causam: qui videlicèt navis illius Carinam apprehendens, eandem sistat, firmamq; ac immobilem reddat, tantæque moli, ac robori eam vim inferat ut contra tam immoderatas ventorum, aquarum, remigum aliorumq; violẽtias, nihilominus gloriosus, prævaleat. *Tamen omnia hæc*, dicit Plinius, *pariterque eodem impellentia, unus, ac parvus admodum pisciculus, Echineis appellatus, in se tenet. Hæc tantilla est satis, contra tot impetus, ut vetet ire navigia.* Enimverò qualem existimatis esse remoram inquit Nazianzenus, quæ spiritum nostrorum Naves firmet, moretur, aut sistat? Non alia profectò, quàm caro nostra, ac proinde quandã Deo consecratã virginem, hisce versib⁹ monet:

Plin. lib. 32. cap. 1.

In Carm. ad Virg.

Nec vitæ ipsa tua immittas Echineida Carnem
Quæ velut injecto properantem compede puppim
Detinet, & tantã cogit subsistere molem.

Ab hac prodigiosa carnis nostræ remora, nos Deus custodiat, quæ cum adeò sit modica, ut cuilibet videre licet, rem tamen adeò magnam, quanta est Dei ipsiusmet capax anima nostra, tamq; tũ à favoniis Spiritus sancti impellentibus ventis, tum à prospero virtutum Christianarum impetu, tum à sanctarum utiliumq; consuetudinum rapido torrente, tum ab efficacia gratiæ cœlestis, tum ab efficaci sacramentorũ auxilio, potentissimoq; orationũ præsidio seu succursu potentem firmiterque munitam adoritur, *& tantam cogit subsistere molem.*

9. O quàm egregia navis erat David Propheta! Quàm prosperè per huius vitæ mare ad perfectionem currebat? Quantis rectâ in cœlum agebatur auxilijs? Qualia erant, videlicet, florentissimi cuiusdam Regni gloria, ad quàm ex tam humili conditione ac statu conscenderat; Divitiarum, quæ omni æstimatione maiores erant, abundantia; victoriæ inimicorũ suorum adeò continuatæ, quibus tam illustris nominatusq; fact⁹ fuerat; lux Prophetiæ, cum tot tamq; profundorum mysteriorum clara cognitione. Hic ergo tam

tam magnus Propheta, sapientissimus hic princeps, hic intimus & familiarissimus Dei amicus, in medio fœlicitatis suæ flore, in favorum cœlestium culmine, in apice gratiarū divinarū constitutus, post tot Deo fideliter exhibitæ servitutis annos; post tot illustria, incomparabilis virtutis, universo Israëlis regno exhibitæ, exempla; post tot exactissimæ continentiæ, atq; singularis in negotijs suis moderationis annos; post infinitas, in tot Psalmis summo benefactori suo decantatas laudes; post comparatam sibi apud omnes per heroicas virtutes, vitamq; inculpatam, summam gloriam; post omnia hæc, inquam, Gloriosissima illa navis, tam pretiosis onusta mercibus, quæ tanta hactenus cum fœlicitate præsentis vitæ undas sulcaverat, à propriæ suæ carnis remora, ignominiosè firmata fuit, suoq; in cursu immobilis stetit. *Et tantam coegit subsistere molem.* Hic est inimicus ille, qui fortunatum hunc semperq; hactenus victoriosum Regem pessumdedit; Hæc unica macula, candidā adeò & illibatam famā contaminavit; Hæc sagitta sola, illud adeò constans, & imperturbatum pectus penetrare potuit: unica caro, nobiles adeò & honoratos extinxit ardores; Caro tam fœlicis navis cursum stitit; Caro, caro inquam, ut altū adeò generosumq; volatum impediret alas detruncavit.

10. O casum miserabilem profectò, & deplorandū! Ecquæ enim unquam virtus, aut adeò pretiosa fuit & illustris, aut tam nova & peregrina, quę in Rege Davide, in eminenti aliquando gradu non fuisset? Si de fortitudine loquamur, adeò ipse animosus extitit, ut puer adhuc, cum leonibus, veluti cum agnis luserit; super ursos etiam conscendens, eosdem nervosis brachiis suis, per medium discerpserit; ex earundem quoq; ferarum faucibus, & unguibus, correptam ab iisdem prædam, violenter eripuerit; adeò similiter fuit imperturbatus, ut ipsos quoq; non formidarit impugnare gygantes, neq; ab immensa eorundem magnitudine, aut arrogante territus fuerit ferocia. Si de facinoribus militaribus agatur, superbiam Philisthæorum ipse depressit; alta Amalechitarum cornua dejecit; plures ipse inimicos manu prostravit, quàm alij desiderarint corde, plura ipse in propria persona bella gessit, quàm alij in libris legantur gessisse, plures ille reapse victorias retulit, quā alij in mente somniarint. Si de prudentia & circumspectione sermo sit, nunquam is sibi parem habuit; Dicant idipsum, rebelliones vasallorū sedatæ; mot⁹ populorū quietati; disco opertæ domesticorum traditiones; subsidiosæ plebis conjurationes distortæ; mitigatæ familiæ filiorūq; turbulentiæ; invidiæ incendia inter Capitaneos extincta. Si de patientia agatur, adeò ipse tolerans fuit, ut sive à rabida Saulis invidia, sive ab inurbanis & rusticis Nabalis moribus; sive à superbis consortis suæ murmurationibus; sive à filij sui Absalonis sceleratis armis; sive denique infœlici, ab aula & Regno suo, tolerato exilio, ne quicquam commotus fuerit unquam. Si de humanitate, aut benevolentia tractetur: Quis Rege Davide humanior, aut urbanior extitit? qui ipsorummet etiam

inimicorum suorum mortem deflebat; qui militum suorum honorabat sepulturam; qui modicis do ossæ mulierculæ verbis vinci se sinebat; qui injuriatᵃ millies, millies quoq; summa cum cordis magnanimitate receptam condonabat injuriam. Si de Justitia loquamur, Nullum Regnum adeò bene gubernatum unquam fuit, veluti Regnum Davidis, qui ab universo statu suo, malorum germina, omnicum sollicitudine extirpabat; qui summo surgebat diluculo, ut suorum vasallorum rationem haberet, qui validis servis suis, tanta ac tam larga promittebat præmia, honoratasque recompensas. Si de mortificatione, & tēperantia sermo sit, in extrema siti fontis Bethlehemitici aquas ipse bibere recusavit; ipse pani cinerem, aquam potui immiscuit; jejunia cum convivijs, cum cilicijs purpuras commutavit; in aulà quoque Monachorum Eremitarumque servavit continentiam. Si de pietate ac Religione quæstio fuerit, adeò ipse devotus extitit, ut septies quoquo die Psalmos Deo decantarit; ut nocturno etiam surrexerit tempore ut calidas in Cœlum preces effunderet; ut obstinatos videns peccatores corde contabuerit; ut per Reverentiæ excessum centunculo se amictum, atque ante arcam saltitantem se videri permiserit. Omnia uno verbo enunciavero, si cum S. Joanne Chrysostomo de Davide dixero, quod scilicet fuerit perfecta *omnium virtutum imago*. In juventute amans laborum, in senectute sapientiæ amator; In solitudine contemplativus, exemplaris in hominum domicilijs; in regno modestus, in vita privata contentus; humilis in honoribus, in contumeliis magnanimus; in divitijs sine avaritia, in paupertate sine querela; in bellis fortis, in pace sollicitus: remotus ab arrogantia in victorijs, in perpessa strage ab animi modicitate & abjectione liber; in regiis dapibus continens, in fame patiens & sustinens; Tantæ denique sanctitatis, ut factus diceretur, secundum cor Dei: *Perfecta omnium virtutum Imago.*

Hom. de Davide & Golia.

11. Hic ergo tot inimicorum victor David, ab uno duntaxat inimico victus fuit; fuitque is propria eius caro, quæ ad hoc ipsum adegit, ut fortissimo cuidam exercitus sui Capitaneo, honorem pariter, & vitam aufferret. Hoc crimen inter tot generosi huius Regis heroica facta, solùm se interjecit: Hæc sola culpa, ad gloriam Davidis denigrandam suffecit. Hic unicus nævus; tam clari nominis purum candorem contaminavit. O casum miserabilem profectò & deplorandum! Tu quidem, ô fortissime Athleta; ita fateor, ursos descerpsisti rostris armatos & vnguibus, at verò carne mediante, ab inermi quadam, & imbelli te superari muliere permisisti. Tot equidem Philisthæorum occidisti millia, verum Uriam pariter occidisti innocentem. Octingentos quidem inimicorū tuorum uno impetu, lancea transadegisti; Verum & cor tuum simul irregulatæ passionis tuæ ictu transfigi permisisti. Continentem te equitem exhibuisti, dum aquam tanto tibi à militibus

allatam atque oblatam discrimine, bibere noluisti, nec tamen ab alieni fontis prohibitis aquis te continere potuisti: vasallorum tuorũ tu quidem magna animi fortitudine tolerasti injurias, sed cum non minori animi tui vilitate atq; abjectione carnis tuæ tolerasti insultus atq; opprobria; incõparabili valore tuo omnia vicisti antiquitatis heroica facta: nec tamen idipsum infamem hunc atq; probrosum casum tuum operire, aut oblivionè tradere unquam sufficiet.

12. Porrò, dic sodes, nunquid expedientius fuisset Davidi, si eo tempore, quo se in deplorandum scelus istud, per carnẽ suam, seduci permisit, infirmus in lecto jacuisset, & à febris calore potius, quàm à concupiscentiæ flammis tostus & cruciatus fuisset? An non verum est illud S. Augustini dictum: *Innocentius ægrotaret, sceleratè sanus est?* In infirmitate innocens fuisset, qui in sanitate cõstitutus, culpabilis factus est & sceleratus. Nunquid verum est, quod Salvianus Presbyter, Cethuræ sorori suæ, diurno ac periculoso morbo laboranti, transscripsit? *Nunquam ut puto, habitatore Deo dignior extitisti; quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu: vincentibus carnem tuam morbis, nempe te vicisti.* An non prudenter vobis locutus fuisse videtur justus ille, quando inquit: *Paulominus consummaverunt me in terra?* Quasi diceret, parum abfuit quin perditus fuissem & annihilatus. Sed ubi id eidem evenit? *In terra.* In terra huius corporis mei, quod tot mihi modis insidiatur, & me torquet. *Miraris*, inquit S. Ambrosius, *si inter tot adversarias passionum vices, se justus tenere vix possit, cum impares simus etiam singularum certamini.* Ah miseram sortem nostram! vix cum una è passionibus nostris per vires proprias valemus cõfligere, quid fiet de nobis, cum invademur ab omnibus? *Discamus cavere quem gerimus. Hic nobis hostis domesticus, hic inimicus gravis est nostri ipsius corporis. Inflammatur vino, ardet libidine, decore mulieris occursantis accenditur, spe alitur, desperatione uritur, illecebris exuritur, non evaporat affectu, timore turbatur, metu frangitur, luxuria mollitur, lascivia dissolvitur, labore afficitur, sollicitudine fatigatur, passione conteritur.* Videte ergo an non meritò Propheta inter tot pericula constitutus, lamentandi causam habuerit atque dicendi: *Paulominus consummaverunt me in terra. Quasi conscius carnalis infirmitatis, & explorator persecutionis hostilis, dicit: Paulominus consummaverunt me in terra. In hac utique terra, in qua Adam primus corruit, & pudenda prolapsione dejectus, totius gressum futuræ posteritatis inflexit.*

Aug. in Psalm.

Epist. ad sororem.

Psal. 118. v. 87.

Ambros. in Ps. 118.

13. Verum quid deinceps dicetis (ô Christiani mei) si monstravero gentilem quoque Senecam, inter tantas ignorantiæ tenebras, hanc nihilominus cognovisse veritatẽ? Hic namq; Martiã consolaturus, ita discurrebat: *Hæc quæ vides esse circũducta nervis, & obductã cutẽ, vultumq; & ministras manus, & cætera, quibus involuti sumus, vincula animorum, & tenebræ sunt. Obruitur his animus, obfuscatur, inficitur, arcetur à veris, à suis in falsa conjectus.* Caro ista, & isthæc pellis, qua operti sumus, tenebræ sunt; Nervi isti, vincula sunt; Oculi, latrones sunt & fures; Manus istæ, arma sunt, in damnum

In Consol. ad Marc. cap. 24.

spiritus adhibita; Membra ista, pondera sunt; Totum hocce corpus, sequester quidam murus est, qui à veritatis separat cognitione atque aspectu. Videte ergo an non rationabilis, amabilisque correctio illa fraterna extiterit, qua S. Bernardus Fugerium S. Dionysij Abbatem suaviter reprehendebat, eo quod in puncto mortis consistens, plusquam alicui Dei servo par est, illam animæ à corpore separationem timebat: *Homo Dei, ne trepides exuere hominem illum, qui de terra est, qui te deprimit usq; ad terram, & conatur deprimere usque ad inferos. Iste est, qui vexat, qui onerat; qui oppugnat; Quid tibi, & terrenis exuvijs, qui iturus ad cœlum, stola gloriæ mox indui habes? vestire novit illa, non supervestire.* Unde rectè ille Dei servus quondam plangebat, quod cum omni anno infirmari solitus esset, certo tamen quodam Anno nulla correptus fuisset infirmitate, idcòque malam sortem lamentari non cessabat, dicens: *Dereliquit me DEUS hoc anno, & non visitavit me*; Optimè, namque intelligebat, corporis morbos, cordi admodum esse salutares. Quid ergo nobis mali Deus facit, dum nos in carne infirmari facit, eo fine, ut in spiritu corroboret & restauret? Quid damni nobis inde provenit, dum sensus corporis vitiat atque corrumpit, si hac ratione, à maximo, quem habemus, inimico nos liberat? Quod nocumentum istud, dum corporis istius carcerem destruit, si hoc modo homini nova cœli habitacula fabricando præparat? In summa deniq;, certissimum

Umb. in Reg. cap. 42.

est, quod sanctus monet Bernardus, vellemque idipsum omnibus in memoria fixum hærere, scilicet, quod *quanto magis corpus oneratur, tanto amplius animus exoneratur.* Bern. in sent.

14. Verum enimverò, vertamus manum, si ita vobis placet, Dilectissimi, cum enim Christus paterna utique & amabili cum providentia, completam bonæ huic mulieri sanitatem restituerit, ego quoq; discursum hunc nostrum immuto; Dico ergo quod hæc caro nostra, sicut dum rebellis est maléq; gubernata, infinitorum materia est peccatorum; ita eadem spiritui subjecta, & obediens, omnium virtutum universalis est ministra. Nescitis quia corpora nostra Christi, qui caput est nostrũ, mẽbra sunt? *Nescitis quia corpora vestra mẽbra sunt Christi?* Quia tẽplum sint Spiritus sancti, qui illa in suũ dignatus est accipere domicilium? *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est.* Quia ministri sunt sanctitatis? *Exhibete membra vestra servire Iustitiæ in sanctificationem.* Quia Justitiæ arma sunt? *Exhibete membra vestra arma Iustitiæ Deo?* Quia thronus sunt, in quo gloriæ Dominus sũma cum gloria deportatur? *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quia hostia viva sunt, & sancta, Deo sacrificata? *Obsecro vos, ut, exhibeatis corpora vestra, hostiã viventẽ, sanctam, Deo placentem.* Quia gloriæ & immortalitatis semen sunt? seminatur in corruptione, surget in incorruptione; *seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Quia veluti statuæ sunt, virtutem & vitam Christi repræsentantes? *Vt vita JESV manifesteturin corporibus vestris.*

1. Cor. 6. v. 15.

1. Cor. 6. v. 19.

Et

Et tametsi aliam corpora nostra non haberent nobilitatē, ipsiusmet Dei factura sunt, qui illa, de campi Damasceni terra, propriis plasmavit manib⁹, idque tanta cum sapientia, inquit Bonaventura, ut modum adinvenerit simul coadunandi res adeò dissimiles & disparatas, cuiusmodi sunt caro & anima, substantia visibilis & invisibilis, sens⁹ interiores & exteriores, mot⁹ imperativi & executivi, *ut in homine manifestaretur Dei potētia, ideò fecit eū ex naturis maximè distātibus, cōjunctis in unā personā.* Atq; q̄ omnē superat admirationē, modū adinvenit ꝓportionādi & coæqādi animæ, rem eidem adeò improportionatam, sicut est corpus; & quia anima vivens erat, corpori quoq; stupendam quandam humorum temperaturam, justamq; complexionis cōcessit symmetriam, in qua vitæ conservatio consistit; similiter, quia anima multis erat dotata potentiis, corpori quoq; multa dedit organa, multaq; instrumenta, ad infinitos sese movendi modos; Quia itidem ipsa flāma seu ignis quidā erat, qui sursum ad suum principium, Deum videlicet, tendit, Deus quoque corpus rectum, atq; cœlū versus elevatū fecit:

2. Parte brevil. cap. 10.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram.
Os homini sublime dedit cœlumq; tueri.
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Deniq; finaliter, quia anima pulcherrima erat, Deus homini corpus dedit majestatis & virtutis attractivæ plenissimum: *Vt ibidem manifestaretur Dei sapientia, fecit corpus, quod proportionem suo modo haberet ad animam.* Cum Tertulliano ergo dicam: *Incipiam jam tibi placere caro, cuius artifex tantus est.* Dicam tibi cum Joan. Chrysostomo: *Hic exclamare juvat illud Beati Davidis dictum: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? qui de pulvere tale animal produxerit, & tāto honore venustarit.*

De carnis Resurr.

Chrysost. in Gen.

15. Verum est, carnem esse pondus quoddam; sed tale pondus, quod cum patientia portatum, meritorum adauget thesaurum. Certum est, illam contra spiritum naturaliter concupiscere; sed certum est insuper, ipsam refrænatam & mortificatam, acceptabile Deo fieri sacrificium. Quin ipsa delitiarum mollisque vitæ percupida sit, minimè nego; sed neq; negari potest, quin ipsa cœli amore se iis privādo, lucretur plurimum. Scio ipsam ob tot tantasq; eius necessitates, spiritui maximè noxiam esse; verùm pariter novi quàm ipsa, tantas ob habilitates præstita animæ obsequia, & servitia, utilis sit & proficua. Natura quidem sua peccati legem portat; constricta tamen quoque ad portandum contra naturam suam Domini legē. Ipsa quidem corruptioni, & morti est subjecta; id tamen potissimum spiritui imputandum venit, cuius peccato mors irrogata est in pœnam. Modica terra est, vilissimumque lutum; sed lutum est nobilitatū, ipsisq; Dei manibus gloriosum factum. *Et aurum terra*, inquit Tertullianus, *quia de terra; hactenus tamen terra ex quo aurum.* Humilis est & abjecta; nec tamen ullus unquam honor comparabilis est cum honore illo, quem Verbum æternum carni detulit, dum illā in habitaculum sibi accepit. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Cum veritate dicam, quod Themistius Euphrata adu-

Orat. 19.

ta adulatoriè terræ suæ Principi dixit: *Locum barbarum atque insuavem , unius viri probitas, delubrum fecit.* Si quippiam caro nostra annexum sibi habeat humilitatis & ignominiæ , id totum ablatum est illi ex honoratissima incarnati Dei societate, qui ipsam tanti contubernij favore exaltare dignatus est, adeò ut mirabiliter sanctificata, promptior ad virtutes, minusque spiritui refractaria facta sit. Nunc ipsa cum promptitudine obedit , servit sine tædio, sui usum cum alacritate aliis cedit, nec est negotium aliquod ita laudabile, cui ipsa manum suam non applicet.

Ambros. in Luc. Et ut Ambrosius dicit: *In qua erant incentiva libidinis, nunc sunt domicilia castitatis.* Etenim Tertullianus, singulare quippiam advertit, quod consideratione est dignissimum , videlicet: quod cùm Deus corpus nostrum fabricaretur, Christum semper in mente sua habuerit, ac de eventibus illius futurisque successibus, in verbo suo explicaverit : *Quodcunque limus exprimebatur, Christus cogitabatur.* (Lib. de Resurr.) Idemque ipsum tot mirabilibus plenum condidit, eidemque tot concessit habilitates, ut sapientes terræ huius illam exaltare non desinant. O rarum beneficium! ô ingens animatæ huius terræ nostræ magnificentia & nobilitas ! *Et aurum terra, quia de terra, hactenus tamen terra ex quo aurum.* Terra est hæc caro nostra, verum id est; sed æterna divinitatis luce amicta, sed tot pulcherrimis Animabus velut gemmis & unionibus ornata; ut proinde Joannes Damascenus sanctissimam Virginem , gloriam luti nostri nominaverit , & huius terræ nostræ singularem decorem : *Gloria luti nostri , & natura nostra venustas.* Terra inquam , in qua spiritus justorum, tot tantaque operantur prodigia. *Et aurum terra, quia de terra , hactenus tamen terra ex quo aurum.*

16. Hic est campus ille, in quo fortissimi Christi milites confligunt, ibique beatū suum consummant Martyrium. Hic est hortus, in quo virgines candidissima puritatis suæ lilia, & viduæ spontaneæ suæ viduitatis flores, conjugati verò modestæ continentiæ suæ violas germinare norunt: *Virginitas quoque & viduitas , & modesta in occulto matrimonij dissimulatio , & una notitia eius de bonis carnis Deo adolentur*; (Lib. de Resurr. carnis.) quæ sunt verba Tertulliani. Hæc est Arca, in qua Sacramentorum deponuntur thesauri, per Redemptoris nostri passionem acquisiti: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima cōsecretur ; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur; caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* Hoc est armamentarium, unde capiuntur arma, ad resistendum inimicorum invisibilium tentationibus, per jejunia, peregrinationes, cilicia, flagella , cineres, aliasque vitæ asperitates. Hæc est aurifodina, unde tot operum charitatis erga proximum eruuntur thesauri. Hoc est templum , in quo continuā devotarum orationum, piarum lachrymarum sanctarumque peregrinationum , cœlo offeruntur sacrificia : *Nam & sacrificia Deo grata, conflictationes dico anima, jejunia, & seras & aridas escas , & appendices huius officij sordes, caro de proprio suo incommodo restaurat.* Hæc est officina , in qua

spiritus

spiritus velut faber quidam, tot operum bonorum Cimelia, pro DEI honore comminiscitur; Nam ut bene notavit Tertullianus: *Quod de virtute animi venit, in carne perficitur.*

17. Hinc est, quod Joan. Chrysostomus, non tantum magnam illam Pauli Apostoli animam, utpote cui ipsa quoque terræ & mundi totius amplitudo, modica visa fuerit, admirabatur; verum & carnem illam purissimam, & innocentem, quæ animæ illius fidelissima extitit ministra, atque adjutrix indefessa: Quis maius unquam Paulo vidit spectaculum, dum is adhuc ambularet hic super terram? Quis non hæreat attonitus, videns eum factum omnium gentium Patrem, magistrum cunctorum populorum, omniumque necessitatum provisorem? Quis eundem non obstupescat, sive in itineribus, cuiusmodi infinita, eaque prolixa admodum confecit? sive in prædicatione, quæ erat continua; sive in laboribus, qui omni carebant termino, sive in pœnitentia, quàm fecit supra omne, quod legitur, exemplū; sive in persecutionibus passionumq; laboribus, qui omnē superabant cogitationē? Quis ipsum respicere potuit, quin admiraretur, lapidatum ab Hebræis, & semper lætum; à gentilibus flagellatū, & jubilantem; traditum à sodalibus, nec tamen persentiscentem; à mari absorptum, ac intrepidum; à magistratibus incarceratum, & contentum; mortis denique condemnatum, semper tamen jubilo & lætitia plenissimum? O beatum est os illud cœleste, quod instar solis, tot excæcati Paganismi fugat errores! O fortunatam linguam, quæ à Spiritu sancto semper mota, secreta promulgabat cœlestia, cui, ut inquit Chrysostomus, Christus insidet, haud aliter, quàm olim Deus propitiatorio supersedit! O fœlicissimi oculi, qui Paradisum quidem viderunt, fœliciores tamen eo, quod præ huius infœlicissimæ peregrinationis fastidio, nec non compassione erga mortales continuas spargebant lachrymas! O benedicti pedes, qui tot Evangelium Christi adportarunt Provincijs, qui quocunque gentium ferebātur, pacem attulerunt, & benedictionem! O sacratæ manus, quæ tot operantes miracula, tota tamen nocte, in exercitio laborare mechanico, non dedignabantur, ne teneros Christianismi partus, aliquo usque gravare videretur! O caro immaculata, & virginalis; innocens, & per rigorosam adeò disciplinam nihilominus castigata; obsequiosa & tanta tamen cum asperitate tractata; rarum totius Ecclesiæ exemplum, & tamen depressa semper & humiliata; quinque Domini insignita vulneribus, quæ Christi in se mortificationem jugiter ferebat, quæ intra semetipsam, ea, quæ passioni Redemptoris nostri desunt, semper adimplebat, semper crucifixa mundo, & rebus mundanis; quæ hoc de seipsa holocaustum perfecit; quæ alios docuerat offerre se. *Hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium.* Atque de isthoc holocausto breviter in secunda parte tractabo.

PARS SECUNDA.

18. Socrus sancti Petri, postquam sanitatem recepit, Christi Domini, discipulorumque suorum totam se religiosis

ligiosis mancipavit obsequijs: *Et continuo surgens ministrabat illis* Mox, ut corporis recepit salutem, pro Christi honore eandem adhibuit. Hæc est oblatio, quam Deo facere debemus, illudque sacrificium, de quo paulò ante loquebar; de quo loquebatur S. Paulus,
Rom. 12. vers. 1. dum ait: *Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Quinque proprietates habere debet illa, quàm Deo de corporibus nostris facere debemus, dedicatio; quarum prima est, ut sit hostia. Secunda, ut sit vivēs. Tertia, ut sit sācta. Quarta, ut Deo placeat. Quinta, ut rationabilis sit, id est, ut facta sit cum discretione, rectæque rationis dictamine.

19. Et primò quidem, donum nostrū hostia esse debet, seu victima, hæc autem ferro mactabatur Deoq; consecrabatur. Sic Paulus Apostolus corpus suum cædebat, unde dicebat: *Ego*
1. Cor. 9. v. 26. *igitur non pugno in incertū, quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo,* quasi diceret: Non aëra verbero, aut ensem meū in somniatos inimicos adigo, sed in hunc meū domesticum convertoinimicum: *Castigo corpus meum. Suo timore nos terruit,* inquit Augustinus, *quid enim faciet agnus, ubi aries tremuit?* Apostolus nobis suo timore, timorem inseruit. Si tremit Paulus, quomodo non trement alij? S. Paulus cum tanta gratia tremit, quomodo nō trement homines, tantæ Dei indignationi meritò subjecti? Si is, qui adeò fortis erat, tremit, quomodo qui adeò infirmus esse deprehenditur non tremit? *Quid faciet agnus, ubi aries tremuit?*
Serm. 14. de verb. Apost.

Macarius homo erat sanctissimus, qui in Eremo instar Angeli alicuius vitam degebat; Hic in humeris suis saccum arena plenum valdè ponderosum per solitudinem portare erat solitus. Contigit aliquando, ut & sudore omninò madidus, planeq; defatigatus, obvius fieret Theusebio, à quo interrogatus, quid faceret? respondet: Vexo vexatorem meum. *Theusebio forte obviam factus, & quid ageret interrogatus, vexatorem, inquit, meum vexo.* Ergo hic magnus Dei serv⁹, suo timore nos terruit. *Quid enim faciet agnus, ubi aries tremuit?*

20. Levitis quondam optimus ille Moyses præceperat, ut se gladio accingerent: *& occidat unusquisq; fratrē suum, & proximū suum.* Quis nobis proximior est corpore nostro? dicit S. Ambrosius: Levita, id est, qui totus est Dei, hoc enim nomen, Levita, idē est, quod, *ipse meus*; Ille ergo, qui quantus est, totus Dei est, mortificationis cultro corpus occidit, ut vivat spiritus, secundū illud Apostoli verbū: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cū vitijs, & concupiscentijs suis. Quid tam proximū, quàm caro animæ? Levita, verus ultor est ille, & vindex, qui carnē interimit, ut levet spiritum, qualis erat ille, qui ait: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Equidem si durū tibi videtur, quod dicam convenire, ut ferrū semper manu teneamus, stringamusq; contra hunc adversariū nostrū; aut si carnem tuam duriusculè tractare vereris, ne forte infirmeris, aut defectū seu vitium tibi corporis adsciscas, recordare eius, quod Tertullianus dixit, videlicet: quod *pulchrior est miles, in pugna prælio amissus, quàm in fuga salvus.* Melius est, ut caro patiatur modicum,

Exod. 32. v. 27.
Ambr. Exhor.
Galat. 5. v. 24.
Lib. de fuga in persecutionibus.

fidem

fidem interea Capitaneo suo Christo servans illibatã, quam promissam violando fidem, intacta remaneat, & sana.

21. Secundò debet oblatio esse viva, *Hostiã viventẽ*, idq; uti ego quidem existimo, ad differentiam hostiarũ & victimarum antiquarũ, quæ dum sacrificabantur, mortuæ erant. Caro nostra occiditur, inquit Bernar. sed tali morte, quæ vivũ relinquit eum, qui occiditur; tali morte, quæ mortẽ non adfert; tali morte, quæ mortis, non verò vitæ, mors est. De hac morte, more suo soli- Epist. 42. to præclarè dicit Bernardus: *Bona mors, non vitæ, sed mortis. Bona mors, & nequaquã abhorrenda, quæ vitã etsi adimit, non perimit. Adimit quidẽ, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. Libenter ergò carebo ad tempus, ut in æternum possideam.*

22. *Hostiam vivam.* Medicus dũ coram te ferro comparet instructus, & igne, nõ te prætendit occidere, sed potius te vivificare; per mortem pellere vult mortẽ; p unum periculũ impedire vult periculum maius; per pœnas & irrogata tormẽta curare ut pœnæ tuæ evanescant tibi: tollendo vitam, eandem cõferre; affligendo carnẽ sublevare illam; auferendo animam conservare eandẽ intendit. Ita Tertullianus dis- In Scorpiaco. currit, dum inquit, expertus medicus procurat *mortem morte dissolvere, occasione occasionem dispungere, tormentis tormenta discutere, supplicia suppliciis evaporare, vitã auferendo conferre, carnes perdendo juvare, animam eripiendo servare. Perversitas quam putas, ratio est; quod sævitiam existimas, gratia est.* Hæc est ars mortificationis carnis, quæ si mortẽ inferat, id facit, ut ab alia morte liberet; si torquet, id facit ut consoletur; si tollit vitam, id facit, ut multiplicatã restituat. *Perversitas quam putas ratio est. Quod sævitiam existimas, gratia est. Hostiam viventem.*

23. Miraculosus ille rubus, quem corripuerat ignis, nec tamen cõsumebatur ab illo, dicit Ambrosius, apertè In Ps. 43. id, quod modo dicimus, repræsentabat: urebatur, & non exurebatur. *Quia terrã istam, quæ nobis seminavit spinas, & sentes, disponebat magis urere, per continentiæ disciplinam, quã consumere per mortis ærumnã: Amputaturus superflua delictorũ, sanctificaturus ornamenta virtutum.* Vult Deus, ut spinas carnis nostræ, id est, imperfectũ, & damnosum comburamus, nõ tamen ut consumamus substantiam; ut illi negemus superfluum, non verò ut negemus necessariũ: ut moriatur peccato, vivat autẽ justitiæ; ut vivat moriendo, vivendo moriatur. *Amputaturus superflua delictorum, sanctificaturus ornamenta virtutum.*

24. Tertia huius victimæ proprietas est, ut sit sancta: *Hostiam viventẽ, sanctam: Sanctum est*, inquit Cornelius à La- Cornel. à Lapide. pide, *quod Deo & Dei cultui dicatũ, & ab omni, non tantum immundo, sed prophano usu separatum est.* Sit caro nostra separata ab operibus mundanis, solaq; dedicata divino cultui. Veluti excelsa illa virago erat, cui de cœlo illam spectantes dicebant Angeli: *Quæ est ista, quæ a- Cant. 3. v. 6. scendit sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & omnis generis pigmentorum? ô quàm delicata sponsa ascendit,* Inquit Gilbertus Abbas, *quàm penè sine* Serm. 15. in Cant. *mole corporis? & quàm penitus sine corruptione carnis? Quænam erit corpulentia, ubi fumo confertur? quæ corruptela cum illã non caro fluxa, sed aromata cremata exhalent?* Videte, quàm potest habere corpulentiam, quæ fumo comparatur? aut quæ

illam inficere poteſt corruptio, quæ ex
omnis generis compoſita eſt pre-
tioſioribus aromatibus? Verũ id quod
propoſito noſtro deſervit, eſt, quod al-
ludatur ad odorem quem in thymia-
mate amabat, utpote quod ad Dei ho-
noré totaliter conſumebatur. O quàm
ipſis quoq; Dei oculis gratioſa appa-
ret illa, quæ quanta quanta in ſua per-
ſona habuerat! cuncta pro Deo adhi-
Exodi 30. v.37. buerat. Sic Moyſes in Exodo edoctus
fuit ſuffituum conficere compoſitio-
nem, qui coram Deo continuò ardere
debebant, ac poſtea demum ſequen-
tia ſubnectuntur verba: *Talem compoſi-
tionem non facietis in uſus veſtros, quia ſan-
ctum eſt Domino*: Cavete, ne eo modo
confecta aromata, in veſtros adhibea-
tis uſus, quippe quæ ſoli Deo deſtina-
ta exiſtunt. Ergo *Quæ eſt iſta, quæ aſcen-
dit ſicut virgula fumi?* idem eſt, ac ſi dice-
retur: Quæ eſt iſta, quæ Deo totaliter
eſt cõſecrata, eo ferè modo, quo my-
ſtici thymiamatis ſuffitus ac odores ſo-
li Deo conſecrati erant.

1.Cor.6. v.20. 25. Dicebat S. Paulus: *Glorificate &
portate Deum in corpore veſtro*; Et paulò
ante dixerat: *Empti eſtis pretio magno*; q.d.
Eod. verſu. Cavete, ne veſtri ſitis, ſed Dei, qui in-
genti vos ſibi pretio comparavit, pre-
tioſo videlicet ſanguine ſuo; quapro-
pter omnib⁹ quoq; titulis, ad perſonas
veſtras in Dei honoré impendendas,
obligati eſtis: *Glorificate & portate Deum
in corpore veſtro*. Si ſervus aut mancipium
aliquod, quantũ eſt, quantumve habet,
obligatũ eſt omninò, ut Domino ſuo
cedat ac conſignet: quanto maior ob-
ligatio noſtra erit, omnis corporis no-
ſtri, à Deo creati, ſanctificati, adeoque
ab ipſomet Deo honorati, operatio-
nes, Deo ſoli reſervare?

26. Quartò corporum noſtrorũ vi-
ctima *Hoſtia Deo placẽs* eſſe debet, ideſt,
debet eſſe victima beneplacito divino
omninò conformis. Sed ecce ſubito
mihi videor audire, illa S. Pauli verba Rom.8. v.8.
in oppoſitum adduci: *Qui in carne ſunt,
Deo placere non poſſunt*? Quomodo ob-
latio carnis Deo grata eſſe poterit, ſi qui
eſt in carne ingratus fuerit? Adhæc ſi o-
mnes in carne ſumus, quis nobis Deo
placendi modus reliquus erit, dum il-
lud offerimus, in quo ipſi diſplicemus?
Dubium hoc motum eſt à S. Auguſti- Serm. 6. de verb. Apoſt.
no; qui dicit, ubinã gentium homo in-
venietur qui in carne nõ ſit? Ergone
Deo nõ placuerunt S. Patriarchæ, Pro-
phetæ, Apoſtoli? nõ placuerunt Mar-
tyres, qui in carne ſua egregiũ Deo fe-
cerunt holocauſtũ? *Ergo non placuerunt
ſancti Patriarchæ? Ergo non placuerunt ſan-
cti Prophetæ? Ergo non placuerunt S. Apoſto-
li? Ergo non placuerunt S. Martyres? qui an-
tequã corpus patiendo deponerent, Chriſtum
confitendo, nõ ſolũ voluptatẽ contemnebant,
ſed dolores quoq; patientiſſimè ferebant?* Re-
ſponditq; ſanct⁹ Doctor conformiter
ad ingentis ingenii ſui acumen dicens:
*Placuerunt, ſed in carne non fuerunt. Porta-
bant carnẽ, non portabantur in carne.* Non
erant ſancti carni immerſi, ſed animo
ſuo foris ſtabant. *Portabant carnem, non
tamen portabantur à carne.* Carnis ergo
tuæ ſacrificium Deo utique placebit, ſi
illius non fuerit ſervus, nec operibus
carnalibus nimium intentus, ſi tu car-
nem duxeris, non verò à carne ductus
fueris, veluti illi Dei ſervi, de quibus
dicebamus, quod *portabant carnem, non
portabantur à carne*.

27. Verum enimverò, noſtine quid
ſibi velint verba illa: *Hoſtiam Deo placen-
tem?* ſignificant, quod opera externa

quæ facis, non ſint facienda, ut hominibus placeas ſed ut placeas Deo. *Deo placentem*. Ne ſimus ſicut illi, qui *omnia opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus*, non curantes quales ſint ab intrinſeco, modo externum ipſorum gratam habeat & apparentē ſpeciē; ſuntq; ſimiles illi, de quo dicebat S. Auguſtin⁹, *foris lucet, intus lutum eſt*, aut ſicut dicebat S. Bernardus: *Intus Herodes, foris Ioannes*: aut ſicut illum S. Hieronymus depingebat: *Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus*. Ac proinde neceſſarium eſt ut omni cum diligentia illud S. Paulini cuſtodiamus monitum, qui dicit, juſtum eſſe, inſtar alicuius funambulonis, q̄ rectà incedere debet, ſi enim ad unā, vel alteram partē declinaverit, præcipitabitur utiq;: *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuū, quia per ipſas virtutum vias, in vitia delabi poſſumus & niſi certo ſtatu dirigentes animi momenta libremus, de ipſa humilitate capiemus ſuperbiam, & evaneſcet ſpecies pietatis, ſi per laudem pietatis obrepat inflatio*. Actus humilitatis ſi fiat ad placendum hominibus, fit ſuperbia; & mortificatio ad oſtentationē facta, ipſamet ſenſualitate deterior eſt. Impoſſibile eſt, ut aliquid Deo placeat, niſi q̄ à nobis ſit purè ad placendū Deo. *Hoſtiā Deo placentē*.

Matth. 23. v. 5.

Epiſt. 26.

28. Ultimò deniq; debet eſſe *rationabile obſequium*. Obſequium & ſacrificium noſtrū, rationabile eſſe debet & diſcretum, nam ut aduertit S. Petrus Chryſologus: *Obſequium ratione carens, fervor eſt, quod ratione non frænatur*. Id q̄ idem eſt, ac ſi diceretur; Nec mortificatio debiti excedat terminos, nec à convenientia deficiat neceſſitatis; Nec corpus noſtrum adeò opprimatur à pondere, ut cadat: neq; ita relinquatur inane, ut recalcitret; nec tanta cum ſeveritate caſtigetur, ut deficiat, neque tanta demulceatur cum mollitie, ut inſoleſcat. *Rationabile obſequium veſtrum*. Porrò valde mihi accōmodata videtur illa S. Gregorij reflexio, ſuper illa Davidis verba: *Laudate Dominum in chordis & organo*. Dicit ergo S. hic Doctor, quod ſicut chorda cytharæ, niſi quantum fas eſt tendatur, non ſonat; at verò ſi juſto amplius tendi cœperit, raucum ſonat: Eodē quoq; modo virtus temperantiæ, aut nō eſt virtus, niſi corpus quantum portare valet edomet, aut virtus eſt valde inordinata, ſi idem plus premat, quàm portare valeat. *Penſandum eſt, quod chorda in cythara, ſi minus tenditur non ſonat ſi amplius, raucum ſonat. Quia nimirū virtus abſtinentiæ, aut omninò nulla eſt, ſi tantum quiſq; corpus non edomat, quantum valet, aut inordinata eſt, ſi corpus atterit pluſquam valet. Per abſtinentiam quippe carnis, vitia extinguenda ſunt, non caro. Rationabile obſequium*.

Lib. 26. Moral.

29. Conſideremus benè, dicit S. Ambroſius, & cum judicio examinem⁹, quomodo nos in carne noſtra domanda habeam⁹, & quomodo illa tractanda ſit, ne reddamur aut nimis ſeveri, aut ſupra modum indulgentes & remiſſi. Nam ferire adverſarium, victoria eſt; reum, juſtitia eſt, innocentē verò, eſt homicidium: *Omne quod agere volumus, prius nomen facti eius interrogemus, & tunc utrum laude, aut vituperatione dignum ſit æſtimabimus. Hoſtē ferire victoria eſt; reum æquitas; innocentem homicidium. Rationabile obſequium veſtrum*.

Ambroſ. Epiſt. 66.

30. Porrò ſi erga nobile iſtud ſacrificium affici cupitis, in memoriam revocate, quod ab iſta carne noſtra in inferni præcipitati ſint barathrum, eo duntaxat, q̄ illam prout conveniebat

gubernare neglexerint: & ecôtra quot ab eadem carne ad acquirendam sibi cœlestem gloriam adiuti sint, cum illâ spiritus, cum discretione & prudentia, ad tā laudabilia opera ad Dei gloriam patranda, utitur. Cogitate, quod tam corpus, quàm spiritus cœlo destinatus sit, nisi culpa sua sibi ipsi desit, ideoq; ut unum alteri amicabili servitio auxilietur, prorsus convenit. Sit corpus obediens spiritui, spiritus discretè imperet corpori. Corpus nō sit refractarium spiritui, nec spiritus negligat corp⁹. Acquiescat corpus ut ferulam & magisterium sufferat spiritus : spiritus item acquiescat tolerare necessitates & pondera corporis. Non displiceat corpori ijs se orbari delitijs, quæ perniciosæ sunt spiritui; Nec spiritus fastidiat, si nonnihil pro pace & tranquillitate discommodetur corporis. Corpus spiritui se gratum exhibeat, velut à quo vitam recipit, nec spiritus corpori ingratus existat, velut à quo tot tamq; continuata servitia recipit. Utrumque tandem modo suo Deo exactè inserviat, ut mercedem ipsis à Deo promissam aliquando recipere valeat, Amen.

CONCIO XXI.
In Feriam VI. post Dominic. III. Quadragesimæ.

THEMA.

Venit IESVS *in civitatem Samariæ, &c.* IESVS *ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Ioan. 4. v. 5. & 6.

ARGUMENTUM.

Divinæ misericordię magnitudo ostenditur, primò: quia Deus hominem peccatorem inquirit. Secundò: quia illum cum labore quærit. Tertiò: quia quærit illum cum gaudio; ultimo deniq;, quia illum repugnantem, & obstinatum, requirere non desinit.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Christus Dominus misericordiam suam in muliere Samaritana valdè manifestat. num. 1.

Magna est Dei misericordia. ibid.

Synopsis concionis. ibid.

Misericordiam suam Deus exhibuit. Primò

Primum Punctum. Primo *in hoc, quod dignatus sit hominẽ peccatorem quærere.* num. 2. 3. &c. usque ad 10. exclus.

Vilitas & abjectio humanæ naturæ describitur. num. 2.

Homo antequam esse receperit, accepit esse malum. num. 3

Miseriæ hominis, omnibus eius excellentiis præponderant. n. 3.

Ponderatur & exponitur ille locus Davidis: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. *n. 3.*

Non tantum homo miser est; quoad suam naturam; sed etiam quoad esse suum morale, cum multis obnoxius sit vitiis, & peccatis, malisque habitibus. n. 4.

Homo pluris æstimat corpus, quam animam, se quam Deum, terrã quã cœlum. n. 5

Homo omnes gratias, & favores divinos, convertit in malitiæ venenum. num. 6.

Homo est Promptuariũ vitij, ut dicit Isidorus Pelusiota: *seu vitij domicilium*, ut dicit Philo Hebræus n. 4. 5. & præcipuè. n. 6.

Et tamen hunc hominem, tam miserum, tam malum Deus quærit, ut salvet. num. 7

Deus hominem quærit, nulla spe lucri, aut ex obligatione justitiæ, sed ex sola motus misericordia. num. 8.

Sapientia incarnata descendens, omnes ad se hisce verbis allicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. num. 9.

Secundum Punctum. *Deus non tantum quærit peccatorem, sed. etiam cum labore & fatigatione quærit* num. 10. usque ad num. 16. exclusive.

Christus nõ tantũ venit, sed & saliit in mũdum, idq; super mõtes & colles, id est, omnes occurrentes sibi superans difficultates. n. 10.

Christus ut salvaret hominem, non tantum in mundum venit, sed etiam in crucem ascendit. num. 10.

Tota vita Christi cursus patientiæ dicitur S. Cyrillo Hierosolymitano. n. 11.

Nil nobis videri debet asperũ, dum Christi laboriosam cogitamus vitam. num. 11.

Creatio nostra facilis Deo fuit, qui a illã dicendo, õplevit; sed recreatio seu Redemptio difficilis, quia non nisi magnis laboribus, & doloribus, nobis parta fuit. n. 12.

Christus ad instar aucupis, venatur animas nostras, n. 13. & 14. est optimus conceptus.

Christus est mediator noster apud Deum, pacẽ inter Deum & nos, summa cũ sollicitudine, magnisq; cũ laboribus cõcilians. n. 15

Tertium Punctum. *Christus Dei filius, peccatorẽ nõ tantũ cũ labore quærit, sed laborẽ illũ cum jubilo cordis sui sustinet.* à nu. 16. usq; ad num. 20.

Anima peccatrix suavissimus Christi est cibus. num. 16. 17. 18. & 19.

Quartum Punctum. *Deus peccatorem quærit, etiã dum obstinatè quærenti resistit. num. 20.*

Samaritana Christum quærentẽ, varijs modis evadere quærit; Christus autem tanto vehementius instat. num. 20.

Ponderantur verba illa Isaiæ 65. Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, & contradicentem. *n. 21.*

Sicut Diabolus circuit quærens quem devoret; ita Christus circuibat omnes civitates & castella, docens prædicans, curans, salvãs, & quidem hæc omnia illis qui ipsum injuriabantur. num. 22.

Christus est Petra aquas gratiæ non solum fundens, sed aquis suis etiam insequens eos, qui ipsi contradicebant. num. 23.

Licet peccatrix anima fornicata sit cum amatoribus multis, Deus tamen eandem ad se reuertentẽ blandè leniterq; excipit. n. 24.

Mirabilis exponitur lucta, inter populũ in sua malitia obstinatè perseverare volentẽ, & Dei amorem nitentem illum suo subjugare imperio. num. 25. & 26.

 1. Si un-

I. SI unquam aliàs hodie certè quàm maximè, illud Prophetæ in divinæ pietatis & clementię cōmendatione, pnunciatum adimpletur oraculū:

Psal. 25. v. 3.

Etenim misericordia tua ante oculos meos est. Qui enim divinæ magnitudinē misericordiæ, oculis suis videre, & quasi manu sua palpare desiderat, ad puteum civitatis Sichar, hodie mecum accedat, ibidemq; incarnatum contempletur Verbum fatigatum prorsus, & sudoribus madidum, qualiter mulieris cuiusdam peccatricis adventum excessivo prorsus cum desiderio expectet, eandemq; ad salutē cuius oblita omninò fuerat, ineffabilib⁹ quibusdam, divinisque modis alliciat, sublimisq; ac cœlestis doctrinæ luce illuminet. Denique eandē, vi atq; robore gratiæ suæ, ex famosa meretrice, & jurata cœlorū inimica, in sollicitam cōmutet Evangelij præconissam, fervētissimamq; Messiæ discipulam. Bona imò optima vobis, ô peccatores, nova adfero. Hic Deus misericordiarū, mundum perambulando discurrit, ut inveniat, cui impertiat illas imò veluti idipsum in proprij cōmodi sui faceret profectū, infinitam hoc fine adhibet sollicitudinē. Laborat is, qui cœlorū est quies, ut terrā vera donet quiete. Amor Angelorum, peccatores quærit, utpote ipsorū amore flagrās, & planè captus. Nobisq; mortalib⁹ cum affectu adeò tenero, sua offert beneficia, tanquā si ipsemet esset is qui beneficio afficitur.

Eccel. 17 v. 28.

Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se? q.d. O quantū Dei misericordiam experiuntur illi, qui ad ipsam animosa cū fiducia recurrunt? quippe quę mare quoddā est, omnē culpam submergēs; Thesaurus, omne debitum solvere valens, Sol omnes diffugans tenebras; Omnē plagā curans antidotū; Machina, quæ omnē expugnet fortitudinē; deniq; cōmune quoddā, & universale omniū peccatorum remedium. Ad cui⁹ cōtemplationē, Evangelista Joannes, in præsentis Evangelij historia hodie invitat, dū Christum inprimis depingit veluti peccatores quærentē: *Venit Jesus in civitatē Samariæ, quæ dicitur Sichar;* deinde quærentē cum labore *fatigatus ex itinere sedebat sic suprà fontē.* Præterea quærentē illos incredibili cordis sui cum lætitia: *Ego cibū habeo manducare, quem vos nescitis;* deniq; quærentē illos, dum conatib⁹ suis repugnant & contradicunt: *Quomodo tu Iudæus cum sis, petis à me aquā, quæ sum mulier samaritana?*

2. Et primò: *Quā magna misericordia est Domini:* Quā misericors est De⁹ noster, qui ut nos quæreret, factus est homo mortalis, seq; infinitis laboriosissimæ vitæ nostræ miserijs supposuit? *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Luc. 19. v. 10. Per huius infœlicissimę atq; excōmunicatæ Samariæ nostræ exilium pertransiens, triginta trium annorum spatio, incredibiles inibi pertulit passiones. *Quid est homo quod memor es eius?* Psal. 8. v. 5. dicebat Rex sanctus. Et alibi: *Quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eum?* Psal. 143 v. 3. Ecquis homo ille erit, quem tanti æstimas, ut ad illum requirendum in proprio & persona recipere volueris? *Quid est homo?* Quis dicere audebit hominē incōstantię pelagus esse, abyssum errorum, miseriarum Chaos, quandam immunditiæ sentinam, pravæ fornacem concupiscentiæ, fortunæ ludibrium, scopū infortuniorum, temporis servum, mortis deniq; tributarium? vis nosse quid sit homo? in carne

infir-

infirmus est, inordinatus in spiritu, in sensibus cœcus, bestialis in affectib⁹; in cogitationib⁹ van⁹, temerarius deniq; in operibus. Homo ingratus est erga beneficia, ad pia monita surdus, refractarius sub flagellis, in servitiis infidelis, perfidus in promissis, pertinax in periculis, in propositis instabilis, velox ad culpas, ad virtutes tardus, durus ad gratiam, ad minas immobilis, dissolutus in delitijs, in doloribus & angustiis effœminatus: *Et dignū ducis super huiuscemodi*

Job. 14. v. 3. *aperire oculos tuos?* dicam cū S. Job. Hic

Apud Stobæum Serm. 96. est homo ille, qui ab Aristotele sapientissimo hisce vilitati & abjectioni valdè bene cōvenientibus maximèq; proportionatis appellatur titulis: *Imbecillitatis exemplū, temporis spoliū, fortunæ ludus, mutationis imago, invidiæ & calamitatis trutina; cætera pituita & bilis.* Imò homo, Soloni Philosopho, apud Clementē Alexandrinum, adeò visus est calamitosus, ut illum nullo alio nomine judicandum duxerit, quàm ut pura & nuda vocitetur calamitas: *Quivis homo nihil est aliud, quam calamitas.* Si enim prudenter hac in re discurrere voluerimus, cōcludemus, vereq; dicere poterimus, quòd omnes ipsum unitim & cōjunctim aggrediantur incursus, omnes ipsum jacturæ depauperent, omnes illum torqueant dolores, omnia ipsum contumelientur vituperia, omnes ipsum calamitates affligant. *Et dignū ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?*

3. Hic est homo ille, qui etiamnum in ventre matris, antequam esse reciperet, malè esse recepit; priusquam terram calcaret, cœli se reperit inimicum; qui in animo suo inquinatus extitit, priusquam corporis usum haberet; prius contaminatus, q̃ natus; prius æternæ mortis reus, q̃ vitæ particeps temporalis. Nec est, quòd illas hic mihi in mediū adducatis prerogativas, quæ maiori verborum pompa, q̃ veritatis pondere hominis à sæculi huius sapientibus attribui solēt. Verum enim est, nec diffiteor, ipsum ab ipsismet Dei manibus, immediatè plasmatum fuisse; sed insuper quoq; verum est: ipsismet Sathanæ manibus fuisse destructum. Imago quidē est sui factoris; sed imago corrupta, per peccatum deperdita. Gemma equidē est pretiosissima; ast in luto & putredine altum sepulta: Regis quidem sui locum tenens, & quidam veluti est Vice Rex; sed pfidus adeò traditor, q cordis sui palatium, inimico consignare nequicq̃ veretur. Universam quidem naturam creatam, pedibus suis substratam habet; attamen eò abjectionis jam demum est devolutus, ut suma sui cum vilitate, infimis se mundi huius creaturis submiserit. In magna quidem hac terrę domo, homo quidam veluti Paterfamilias existit, veruntamen ob pessimum suum pcedendi modum, valde illi exosus, totiq; familiæ invisus. Atq; hæc est ratio, propter q̃ ut S. Basilius dicit, Propheta o- Psal. 115. v. 11.
mnes & singulos homines appellaverit mendaces. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Eo videlicet modo, inquit Sanctus, quo mendacia appellantur semina illa, quæ sterilitate, aut modicitate fructus, quē adferunt, spem ludunt, & defraudant agricolæ: *Quemadmodum de segete dicimus, quod mentita sit, ac fefellerit, hoc est, nihil attulerit, quod spei de se conceptæ respondet: sic & homo nullius est momenti, ac vilis.* Mendax profectò est homo ille, qui cœlo creatus est rectus, semperq; tamen rebus terrenis hæret

hæret adfixus: qui anima donatus est rationali, cum tamen sine ratione vitam semper degat: qui altos adeò natales habet, & turpiter tamen degenerans sublimis progeniei suæ obliviscitur inglorius. Unde meritò mendax dicitur: *Omnis homo mendax. Quapropter & Propheta*, subjungit S. Basilius, *considerata illius natura, quam sit reprehensibilis, ut vilitatem eius ostendat, dicit: Omnis homo mendax: hoc est, nihil refert homo, nisi mendacem.* Nolite exteriorem considerare apparentiam, quantumvis gravis illa sit, & herilis, nam ficta est & ludibunda. Nolite vultum illum considerare augustum, illaq; magnifica corporis lineamenta; nam omnia isthæc hypocrisis sunt & mendaciũ; nolite respicere membra illa tam artificiosa, partesq; illas tam eleganter ac concinnè dispositas, nam omnia illa ruinâ & corruptione sunt obnoxia: Non vos illæ potentiæ moveant, illæq; habilitates; omnes enim infirmatæ ac debilitatæ sunt. *Nihil refert homo nisi mendacem existimationem. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos.*

4. Verum cũ prædicta damna homini necessitate naturæ, & contra propriam eveniant voluntatẽ, num fortasse ideò cum arbitrij sui donatus sit libertate, suiq; ipsius ꝑinde rerũq; suarum factus sit Dominus, quoad inveniendum remedium deinceps erit cautior? Nihil minus ꝑfectò, nam eheu! errores, qui ab hominibus quotidiè cõmittuntur, omnẽq; excedunt numerum, ob sui multitudinem recenseri nõ possunt, neq; ponderari culparum põdus, q̃ omne põdus superant, neq; scelera illa brevi valent discursu claudi, quæ omnes transcendunt terminos. Si de tempore sermo sit, omni momento homo peccat: si de loco, nulla mundi pars est, nec locus in terra, qui ab humanis culpis contaminatus non sit: si de officiis, omnia corrupit & ꝑdidit: si de societate, scandalo fuit & offensioni omni ętati, omni sexui, omni gradui, omniq; conditioni: si de corpore, nullum in eo membrum habet, ꝙ iniquitatis aliquando non fuerit instrumentum: si de spiritu, nullam is potentiã habet, q̃ inordinata nõ sit, & incõposita; si de sensibus, hos omnes traditores experitur, & infideles: si de virtutibus, has omnes æquali pede & temeritate cõculcavit: si de passionibus, harum omnium ipse turpiter subjacet & obsequitur imperio; ad malè faciendum semper ꝓclivis, semper deditus vitio, sẽper vanitatis mancipiũ, semper à proprio cõmodo instigatus, debiti deniq; & obligationis sui semper oblitus. Eccur igitur ego non dicerẽ id, ꝙ sapientissime quondam S. Paulinus dixit: *Inficiantur animo, quem figura præferunt hominem*, & qui homines deforis videntur rationales, insensatæ ab intus factæ sunt belluæ, conformiter illi S. Prophetæ textui: *Cõparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est eis. Dolosus vulpem*, inquit Petrus Blesensis, *avem instabilis, luxuriosus suem, iracundus ursum, superbus equum; stolidus asinũ vivit. Et quod detestabilius est, in corpore erecto, animæ similitudinem tenet, in anima verò curvata, Dei similitudinem, bestiali mutavit similitudine. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos.*

Epist. ad Apro.

Serm. 17.

5. Hic est homo ille, qui tali quadam voluntaria ignorantia obfuscatus, Dei edicta, ꝓprio cerebro postponit ac libidini; à monitis cœli dissentit, cõ-

consentit autē psuasionibus sathanæ; summo studio sensuum venatur voluptates, gaudia autē spiritus intolerabili cum cōtemptu repudiat: amoribus creaturarum ardet, fastidit autē Deum creatorem suum. In hoc fugaci sæculo, optaret semper vivere; de permanenti autem sæculo vitaq; sempiterna minimum sollicit⁹ existit; post umbras currit & mendacia, veritatis autē lucē fugit: circulatorū pascitur somniis, cum tamen nauseā habeat à divinis scripturis; affectuum suorum eligit turbulentias, conscientiæ autē pacē inquirere negligit. *Miseri & miserabiles*, dicebat Cardinalis Petrus Damiani, *qui pro brevi voluptate, torrentē perditis voluptatis*. q. d. Quæ est intolerabilis illa cœcitas, ꝓ unica favi guttula q̃ peccatum exhibet, integrum pdere flumen illius dulcedinis, q̃ divina cōtinet gratia? Quę sunt illæ plusquam Ægyptiæ palpabiles tenebræ, videre velut magnum, id, ꝙ revera parvum est; hoc autem, ꝙ revera magnum existit, oculis nequaquam pcipere? Quæ est isthæc plusq̃ bestialis stoliditas, veneno se cibare mortifero, nec tamē nectare se pascere & ambrosiâ? *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?*

6. Ultimò deniq; hic est homo ille, qui pessimis machinationibus suis, omnes gratias, fauoresq; divinos, in venenum cōvertit; adeò ut impossibile sit oculos in aliquam mundi partē inflectere, ubi expressæ nō reperiantur humani cordis malitiæ. Si ad cœlum me cōvertam, solē aliasq; stellas, vice Dei, cultu latriæ adoratas cōspicio: si terram intuear, ab injustorum illam bellorum turbinibus perturbatam rperio. Si versus mare declinavero, mox illud avaritiæ & cupidorum video esse fomētum. Si cum refrigerante hac aura respirē, Dei ibidē horribiles audio blasphemias: si templum ingrediar, nidificantē ibidē contēplor superstitionem: ad Tribunalia ubi me recepero mox ibi vitium impunitum cōparet, & conculcata justitia. Aulis si pedem intulero, mox ꝓdeunt, dominantes ibidem invidiæ & ambitiones; si in Scholas penetravero, nascentes ibi videbo hæreses, cōtinuosq; generari errores. Grandes in Palatio videbo luxus; impatientiam, in pauperum tuguriis; in Mechanicorum officinis, dolos ac fraudes; injustitias, in mercatorum penetralibus; in religiosorum deniq; Monasteriis hypocrysin & simulationem. Populus est negligens & injurius, nobilitas insolēs & immodesta, clerus simoniacus & avarus, querulus mendicus, juvenis lascivus, senex impudens & inverecundus, cuncta deniq; incōposita & inordinata. Nunq d ergo videtur, q̃ sapiēter ab Isidoro Pelusiota hic homini attributus fuerit titulus, illum repræsentans ad vivum, scilicet: *Prōptuariū vitij*, cui eloquētissimus jungitur Philo Hebręus, dicens: Hominem nil aliud esse, quam quoddam *vitii domicilium*. Lib. 1. Epist. 108. Lib. de mundi opificio.

7. Ad hunc ergo tam abjectum, & humilem, tamq; sceleratum omnisque mercedis indignum hominē Verbum æternum de cœlo descendit, illumq; p incultas huius mundi sylvas requirit: *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius!* O si hoc lóco Augustini haberem affectum atque devotionem, utiq; unà cum ipso in sequentia verba ꝓrumperem! *Venit pius Deus, venit pro pietate & bonitate sua, venit quærere,* Aug. in Medit.

quærere, & salvũ facere, quod perierat. Quæsivit, & invenit, & humeris suis reportavit ad caulas gregis. Pius Dominus, & verè multũ pius pastor, ô charitas, ô pietas! quis audivit talia? Quis super tanta misericordiæ viscera nõ obstupescat? Et quidẽ, ô Magne Deus, ut quid apud Ezechielẽ ꝑ vitã tuam jurando asseris, nolle te mortẽ, sive interitum peccatoris, sed potiꝰ vitã eiusdẽ? *Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortẽ peccatoris, sed ut magis cõvertatur, & vivat.* Idcirco dicit in hunc locum Hieronymus, *jurare se dicit, ut si nõ credimus promittẽti Deo, credamus saltẽ pro nostra salute jurãti.* Ego juro, inquit Deus, ut de mea clementia securi sitis, si fortè ob demerita vestra, vos minꝰ judicaveritis securos. Juro, ut fiduciã in me, vobis suggerã, si peccatorũ vestrorum multitudo hanc fortè sustulisset vobis, *ut si non credimus promittenti, credamus juranti.* At verò superfluũ est omne juramẽtum, quando nullum nobis, tam manifesta experiẽtia, dubitandi locum relinquit. Manifesta enim nimis amoris tui signa habemus, nimis claras & evidenter pietatis tuæ notas, nec nõ expressa admodum misericordiæ tuæ testimonia. Quæ usquam reperiri posset maior pietas, q̃ in forma peccatoris, Dei videri filiũ, peccatorum aucupio & inquisitioni occupatũ? videre universi Dominũ, ꝑ abjecta huius miserabilis exilii tuguria, vilissimum suũ quærere servum? Ipsum Regẽ gloriæ ad profundas se recipere huius terræ cavernas, ut inde relevet eum, q inde prorsus sublevamine indignus extiterat? *Mira Dei quærentis dignatio, magna dignitas quæsiti,* devotissimus meritò exclamat Bernardus: ô ingens quærentis dignitas! ô magna dignitas eius qui quæritur! *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?*

8. Verum enimverò anne fortasse ex tam ingenti hominis quærendi studio, & diligentia, aliꝗ Deo resultabat cõmodum, aut utilitas? forte inexhausti thesauri eius, aliquibus inde accumulabantur divitiis? inde fortasse aliꝗ statui aut cõditioni divinæ accessit incrementum? an forte aliquo ad id obstringebatur debito justitiæ? aut fortasse ad hoc aliqua legis seu præcepti obligabatur observantia? Nihil ex omnibus jam dictis, illum movere potuit, sed potiꝰ omne motivum, omnisq; impulsus, in solam huius Domini misericordiam reducitur. Quam proinde S. Bernardus hisce meritò verbis deprædicabat: *Profectò misericordiæ Dei est, quod non sumus cõsumpti; Qui nos? nos perjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamẽta utiq; mundi huius. Consulite conscientias vestras, fratres, & videbitis, quia ubi abundavit delictũ, superabũdavit & gratia.* (Serm. 1. de Adventu) Cõscientias quæso vestras, ô Auditores cõsulite, quas ubi omni iniquitate plenas, omnis pietatis inanes, omnis deniq; pœnæ reas cõspexeritis, utiq; constrictos vos judicabitis, qui ingenuo corde dicatis: *Profectò misericordia est, ꝙ nõ sumus cõsumpti;* nec nõ illa Prophetæ verba ꝓfunda cum humilitate replicabitis: *Quid est homo, ꝙ memor es eius?* Placet autem huic Prophetæ interrogationi, hanc Gregorij Nysseni subjungere responsionẽ, utpote, q̃ discursum hunc nostrum, mirum in modum confirmat; dicit ergo S. hic Doctor: *Quid est homo si cũ divina natura cõparetur? cuiusnam sanctorũ proferã vocẽ, per quã genus humanũ extenuetur? secũdũ Abrahamũ terra & cinis; secundũ Isaiã fœnũ; secundũ Davidẽ ne fœnũ quidẽ, sed fœno similis est; secũdũ Eccle-* (Orat. 7. de Beatitudine)

Eccle-

Ecclesiasten vanitas; secundũ Paulum miseria est: Deus autẽ quid est? Quomodo dicam quid? unius ne videndi quidem, nec auribus percipiendi, nec corde cõprehendendi potestas est? Sed q̃ ô Sacerdos sancte, ex ingentibus adeò p̃missis conclusionẽ elicies? Auscultate eandem: *Huic tamen tali, ac tantæ rei, quam neq; videre, nec audire, neq; ratione perpendere licet, is, qui p nihilo in rebus reputatus est, homo; q. cinis, qui fœnũ, qui vanitas, cõciliatur, atq; in locum filij assumitur, à Deo rerũ universarum. ô divitis Domini magnificã largitionẽ! ô largã & uberẽ palmã! ô magnã manum!* Omnem p rsus sensum superat, omnemq; & qualemcunq; obruit intellectũ, vel saltẽ cogitare, q Deus quærat hominẽ, & q homo quæsitus sit à Deo. Deus tam magnus, quærit hominem adeò parvum: Deus universorũ Dominus, omnium rerum inopẽ hominẽ: Deus omnipotẽs, hominẽ fragilissimũ & impotentem: De⁹ procul ab omni remotus miseria, hominem miserabilem, omnisq; ærumnæ plenum: Deus in seipso, & p seipsum beatus, hominem à seipso infœlicem, atq; infortunatum: Deus gloriæ Dominus; hominem omnis miseriæ unicã metã ac scopũ: Deus æternus & immortalis, hominẽ temporis atque mortis vile mancipiũ: Deus cui omnes Angelorũ deserviunt hierarchiæ, hominẽ ab omnib⁹ derelictum: Deus omnium bonorum infinitus thesaurus, hominem omnium malorum Oceanum. *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos? ô divitis Domini magnificã largitionẽ! ô largam & uberem palmam! ô magnam manum.*

Prov. I. v. 20. 21. & 23. 9. Ecce, dilectissimi, cõpletum illud, q Salomon p̃dixerat, dicens: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocẽ suã, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: convertimini ad correctionẽ meã, & proferã vobis spiritum meum.* Nunc æterna Dei sapientia foris extra cœlum p̃dicat, in medio platearũ mundi huius, turbas quærit & populorum cœtus in hoc exilio nostro. Nunc ad suas ipsa gratias invitat, suumq; nobis spiritũ cõmunicandum offert. *Venit filius hominis, quærere & salvum facere, quod perierat.* Luc. 19. v. 10. Ecquid autem incarnata hæc sapientia, ad alliciendum nos, verborum p fert? *Venite ad me omnes, q. laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. II. v. 28. ô potentissima vox, inquit Basilius Seleuciæ Episcopus, q̃ totius mundi statuit, plantavitq; trophæum! ô fortissimum verbum, q totã sibi terram acquirere potuit, eandemq; sibi captivam reddere atq; subjectam! hoc verbum in ore suo deferentes Apostoli, cœlum peccatoribus patefecerunt. Hoc verbum, totum mundi spatium occupavit, ad usq; remotiores Oceani penetravit Insulas, amplas cœpit civitates, vastissimasq; provincias, deprædatum est Græciam, omnesq; magis barbaras cœci paganismi nationes, ipsosq; strinxit Imp̃atores & Reges, eosdemq; ut venerando sese crucis subderent jugo, induxit: *ô vocẽ* (sunt verba Basilij,) Orat. 29. *quæ cõmune de hominibus trophæum statuit! ô verbũ unica assensione terrã captivã agens! huius vocis hæreditatẽ obtinuit Apostolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba cœlum hominibus perviũ reddiderunt. Terras integras quatiit ea vox, Insulas occupavit, sine vi captæ sunt civitates, provinciæ concurrerunt, & cessit in prædã Græcia, admisit eam Barbaria, Reges adoraverunt, Imperatores cervicem jugo subjecere. Quam magna misericordia Domini!*

 10. Nunc

Punctum Secundũ. 10. Nunc ad secundum divinæ misericordiæ effectum accedo, videlicet, ꝙ Deus nō tantum quærat, sed ꝙ quęrat cum labore & fatigatione. *Fatigatur ex itinere, sedebat sic supra fontē. Assumpsit carnis iter spiritus fatigatus in carne, qui carnē portabat*, inquit Augustinus. Spiritus carnis coopertus exuvijs, iter carnis aggress⁹ est, ideoq; in carnis fatigat⁹ est infirmitate. Hoc est elogiũ, ꝙ incarnatæ sapientiæ dabat Ecclesia: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Ubi magno cũ acumine S. Ambrosius notat, Ecclesiã paulò ante Christũ rogasse, ut veniret: *Veni dilecte mi*; Christo autē nō sufficisse, ut veniret; sed ipsum quoq; currere, ac salire voluisse, idq; tam generosis saltib⁹, ut iisdē mōtes pariter transiliret & colles: *Ego dixi, veni: ille salit & transilit.* Quid hi colles, & montes aliud significant, q̃ difficultates, quæ in magno hoc incarnationis opere intercedebant? satis n. verbo æterno evidēs erat atq; pspicuũ, ꝙ reapse incarnatũ esset, fore, ut homines tã ingēti beneficio, ob enormissima peccata sua essent indigni, aut satis intelligebat, eosdem, postq̃ hanc adeò novã, & inexcogitabilem gratiã accepissent, ingratos futuros, cognoscebat etiam, quanta necessũm esset operari miracula, ꝓ hac tam stupenda, & prodigiosa duarũ naturarũ, in uno supposito, cōjunctione realiter exequenda, quotq; hoc fine superandæ essent difficultates. Deniq; super hæc omnia clarissimè ꝓvidebat, quot labores & molestias, quot opprobria & contumelias, quot deniq; passiones & afflictiones, toto i tæ suæ decursu sibi tolerandæ remanerent; & nihilominus tamen, incredibili animi fortitudine, hosce montes & colles transilivit, hoc est, omnes illas evicit difficultates; *Saliens in montibus, transiliens colles. Ego dixi, veni; ille salit, & transilijt.* Patriarchæ antiqui; anxiis Messiam desideriis à Deo exposcebãt; nō tamen illũ ad labores damnari petebãt, aut passiones; nō deniq; ad crucem, sed ad honorem, ad gloriam, ad nominis sui exaltationem, ad magnificentiam. Ipse verò, ꝓpriam nequaq̃ salutē curans, omnes ꝓ maiori bono nostro transivit colles, omnesq; difficultatũ, molestiarumq; montes transiliit. *Ego dixi veni, ille salit & transilit.* Unde Petrus Chrysologus advertit, ꝙ dum nos immutabilem illum, tot modis in terra mutari cōspicimus, ut nos q̃rat, inventosq; ad patriam cœlestem perducat, idipsum à nobis nō aliter ac veluti amabilis divinæ misericordiæ effectũ interpretandum esse censeamus, q̃ altos adeò, & inaccessibiles mōtes superare faciat. *Tibi ergo Rex, tibi Sacerdos, tibi pastor, tibi sacrificiũ, tibi oves, tibi agnus, tibi totũ factus est, qui fecerat totũ. Et qui sibi nunquã, tibi toties immutatur. Propter te varias monstratur in formas, qui manet unica maiestatis in forma. Ego dixi veni, ille salit & transilit.*

Cant. 2. v. 8.

Chrysol. Serm. 23.

Cyrill. Catechæ.

11. S. Cyrillus Patriarcha Jerosolymitanus, labores à Domino nostro, ab instanti beatæ incarnationis, ad crucis usq; mortē, toleratos, cōsiderans, totam Redemptoris nostri vitam, appellavit cursum Patientiæ: *Cum absolvisset* Jesus *cursum patientiæ, ascendit tandē ad cœlos.* Et revera cursus patientiæ fuit vita Domini nostri, utpote, in qua ipse omni momento pati debuit. Unde optimè S. Bernardus monebat; Nihil videlicet nobis asperũ futurũ aut difficile, si revocaremus in memoriam, quan-

Serm. de quadruplici debito.

quantū, ꝑ nostro amore, Redemptor laborarit, illo annorū spatio, quo inter nos mortales habitare dignatus est: *Quid tibi dirum, vel durū esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorū, ante luciferū genitus; splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerē tuū, infixus, ut dicitur, usq; ad cubitū in limo profundi? quid nō suave tibi, cū tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis, primū quidē, illarum infantiliū necessitatū, deinde laborū quos pertulit in prædicando, fatigationū in discurrendo, tentationū in jejunando, vigiliarū in orando, lachrymarum in cōpatiendo, insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum: subsannationū, exprobationum clavorum horumq; similium, quæ in salutē nostri generis, triginta tribus annis operatus & passus est in medio terræ. O quam indebita miseratio, quam gratuita & sic probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo!* Verè hæc est misericordia quædam quæ sui non habet exemplum, amor nullam admittens cōparationem; clementia quæ omnem cogitationem transcendat; Quod videlicet Deus laboret, ut hominē quærat! Quod toleret Dominus, ne servus id toleret! ꝙ in pœnis vivat is, qui gloriæ est Dominus, ut is qui mundi opprobriū existit vivat in gloria! Quod tota Messiæ vita cursus sit patientiæ, ut tota vita nostra fœlicitatis cumulus existat atque fortunæ. *Cum absolvisset cursum patientiæ, ascendit tandem ad cœlos; fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

12. Ecce q̄ id Deus ipsemet clarè apud Isaiam Prophetam edixerit; *Servire me fecisti in peccatis tuis. præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* q.d. Eheu! quot tu mihi cōstitisti laboribus, quando ad mundi huius desertū veni, ut à lupo te infernali liberarem? quantum ego sudorem te quærendo sparsi, ut ad gregem te meū ego reducerem? q̄ & quanta à me tolerata nō fuit asperitas, ut cœlo te eiusq; gloriæ te acquirerem & lucrarer? *Præbuisti mihi laborē in iniquitatibus tuis. Quæ sustinuit, vix credibile est, quod sustinuerit*, inquit Paulus Palatius. Id ꝙ Redemptor noster sustinuit, tantū est, tamq; immensum, ut id ipsū sustinere potuisse, vix credi possit: *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Creatio rerū, unico duntaxat verbo ꝑfecta fuit: *Dixit & facta sunt*: at verò nō nisi infinito labore, & fatigatione expedita est hominis recreatio; Et veluti S. Antonius de Padua dicebat: *Tanta est differentia inter dicere & facere, quanta fuit inter creare & recreare. Creatio facilis, quia solo verbo, imò sola voluntate; sed recreatio difficilis, quia per passionē & mortē.* Quanti tibi ô Domine, hominis istius, seu microcosmi, aut parui mundi constat reformatio? Nō hic verba tua usurpas, sed sanguinē adhibes; nō dicis, sed facis non pręcipis sed obedis & obtēperas; nō solam tuam ad id impendis voluntatē, verū totam insup personam tuam, & vitam tuā. Unde dignū ęquè ac justū est, ut omnes & singuli illā sibi formēt cōclusionē, q̄ sapientissim⁹ fecit Idiota dicēs: *Si totū me debeo tibi, quia me fecisti, ad magis amandū sum tibi obligatus, quia refecisti. Nā semel dicēdo me fecisti, sed reficiendo, & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura, nec tātū dura, sed & indigna. Præbuisti mihi laborē in iniquitatibus tuis.*

Isaiæ 43. v. 24.

Palat. in Matth.

Serm. 4. de Pass.

13. Ad hocce propositum cōmo-

 dissimus

Lib. 12. de vita Christi, c. 1.

dissimus videtur ille Simonis de Cassia Religionis Augustinianæ fulgentissimi syderis, præclarus omninò cōceptus. Hic enim declarat egregiè, Christum Dominum nostrum, dum ut nos quæreret, in huius terræ desertum fœlicissimè venit, perito & valde practico aucupi haud multum fuisse absimilem, ut videlicet animarū nostrarum optatissimam faceret, prædam, q̄ ad modum avicularum pnicio sissimæ libertatis alis temerè circumquaque volitant. Sed quid talis facit Auceps? summo hic surgere cōsuevit diluculo, aliquot sibi suavissimi somni ultro surripiens horas; milleq; huic arti ꝓpriis onustus instrumentis, Sylvas petit & nemora, nec quicquam sive algentem pruinam, sive Solem ardentem, sive impetuosam pluviam, sive montium asperitatem, sive præruptas rupes, sive alium quēcunq; difficilem & periculosum fortuitò obvium æstimat eventum. Videbis illum attenta cum diligentia loca captantē magis oportuna, explicantem retia, omnemq; evadendi rationem præcludentem. Hic tenaces p̄parat viscos, insidiosasq; virgas frondibus vestit atq; cooperit, alibi bono cum ordine domesticos disponit captivos qui cantu suo fraudulento, suas socias in iam ante ordinatas atque instructas trahant insidias. In illa parte palam expositam escam, occultis nectens tegminibus & stratagematibus, artificiose cōtexta concinnat & adaptat retia, restesque ac funes explicatè ꝓtensos; In parte autem altera ficta collocat terricula, ut dum in illa aviculæ incidunt, eaq; cōspiciunt, volatum suum sistant, seq; volando in aliud latus cōvertant, ubi nimirum excogitatę fraudes ordinatæ cōsistunt. Ipse autem interea densa sylvarum dumeta ita abscōditus ut à nemine videri, videre autē possit omnia, fallaci ac mentito sibilo, ad mille miserabilis captivitatis genera, desideratam prædam attrahit, sui juris facit. Hæc porrò laboriosa ars similis est illi, q̄ in mundo Dei filius exercuit, unde frequenter in divinis scripturis venator est nominatus. *Tu mirabilis in montibus venationis* legit in Ps. 75. Littera Hebræa, loco eius ubi vulgata ita dicit: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* q.d. Tu ô amantissime Redēptor, mirabilis es animarū nostrarum venator, q miris ac stupendis inventionibus, ut dulcē amoris tui prædam capias, venationē tuam instituis An non apud Isaiam nomen tuum declaratū est, q͂ est prædator? nunquid alibi dicitur, Christum instar stellæ, in hunc mundū nasciturū, deprędaturūq; filios Seth, hoc est, genus humanum, q͂ à tali Patriarcha ꝓpagatum est? *Orietur stella ex Iacob, & prædabitur filios Seth.* Unde Origenes, magno cum affectu, Deum rogabat, ut beatis suis caperetur laqueis, suorumq; amabilissimorū retium fieret captivus: *Vtinā & me captivū habeat semper Christus* Jesvs *& me ducat in prædā suā, & ego tenear eius vinculis alligatus, ut ego dici merear vinctus* Jesv *Christi, sicut Paulus de semetipso gloriatur.*

Psal. 75. v. 5.

Isai. 8. v. 1.

Num. 24. v. 17.

Hom. 11 in Num.

14. Ut autē id verum esse appareat, considerate obsecro, an non divini sui discursus suaque sancta verba laquei fuerunt, quibus dissolutissima hominum corda, liberrimosq; mundi huius animos captivare potuit? Publicani & huius mundi opibus turpiter implicati; Teloniarij fragil-s sensualibusq; delitiis ad oculos usq; immersæ virgines; pisca-

piscatores & nautæ, plebs idiota, Deique q̃ maximè oblita, Centuriones & Capitanei in arte militari audaces facti atq; licentiosi: Reguli ac Dynastæ ambitiosi & elati: Decuriones & Officiales mundanarum Politicarum, nec nõ carnis prudentiæ sectatores tenacissimi: Scribæ & Pharisæi hypocritæ, auræq; populares sitibundi: imò ad ipsos justitiæ ministros, ordinariam civitatum fæcẽ, atq; Rerumpublicarum sentinã omnes illaqueati fuerunt, unde revertebantur dicẽtes: *Nunquã sic locutus est homo, ut loquitur hic homo.* Ipse dulcem ac sapidam Regni cœlorum bonorumq; gloriæ escam ꝓposuit, Evangelii discooperuit thesauros, manifestavitq; sanctorum desideria, castasq; filiorum gratiæ nuptias. Ipse loca convenientia, stationesq; magis oportunas selegit & captavit, in quib⁹ nimirũ copiosiorẽ abundantiorẽq; prædam adsciscere sibi posset. Unde nonnunq̃ ad puteum Sichar cõspicitur Samaritanos expectans, veluti factum est hodie. Alias in Porticu Salomonis, Sacerdotes aliosq; domus Dei attendẽs ministros: aliquando ad mare Tiberiadis advocans ad servitium suum piscatores; subinde in Pharisæorũ reperitur cõvivijs, peccatores summa cum amabilitate cõgregans; Nõnunquam in Calvario mõte, latrones cõvertens & Centuriones. Ipse sub acutissimis metaphoris, ingeniosisq; parabolis veluti frõdibus dulces suos abscõdit dolos; atq; priusquam peccatores suæ sibi ꝓspicere possent capturæ, sub aptissimarũ similitudinum pallio veluti tectus, in sua jã ipsos retia captivos redegerat. Ad hæc dũ omniũ ac singulorum loquẽdi modo atq; affectibus sese accõmodat, colloquens nimirum cum Magdalena de amoribus, de thesauris cum adolescente, cum piscatoribus discipulis de piscatione, de cibo cœlesti cũ turba illa famelica; cum Samaritana deniq; hodierna, quæ ut aquam hauriret accesserat, de aquarum viventium fonte, q̃ in vitam usq; saliunt sempiternam; an nõ videtur vobis idipsum aliq̃ veluti diversi volucrum cantus formationem fuisse atq; expressionem, eo videlicet fine adhibitam, ut tanto maiori cum facultate, eosdem in beatæ doctrinæ suæ allicere atq; attrahere posset retia? Dumq; planctus ac dentium minabatur stridorem, imortalem cõscientiæ vermem; filiis Regni tenebras exteriores, carcerẽ ꝑpetuum debitori, virginib⁹ fatuis ꝓscriptionẽ, cõdemnationem hædis, reꝓbis ignem sempiternum, quid aliud faciebat q̃ ꝙ terreret incautos, atq; à malè incœpta via diverteret, ad hoc ut in beatos suos laqueos, amabilesq; illius impellerẽtur insidias? aut quid faciebat aliud, q̃ quod hisce minis jam captas aves cicuraret ad hoc ut illis mediantibus alias deinceps caperet? sicut prius cœli mores suos edocebat discipulos, eosdemq; postea ꝑ totius Galilææ vicos & plateas ablegabat. Atq; ne in aliquo boni aucupis deesset officio, divinitatẽ suam intra carnis nostræ opacas obscurasq; umbras abscõdere voluit. Unde in Infantia infirmũ se exhibebat ac debilẽ, fatigatum ac lassũ in itinerib⁹, in necessitatib⁹ egenũ, famelicũ in jejuniis, in melancholiis pavidũ & formidolosũ: *Tu mirabilis in mõtibus venationis.* ô verè miserabilem venatorem, qui ut tantoperè à te dilectatum animarũ faceres ꝑdam, laboriosam ac difficilem hanc artem exercere nõ renuisti! ô pium ꝑfectò & clementem,

mentem, qui nostrũ amore tot annis p terræ nostræ vicos discurristi omniq; possibili cum diligentia huius mundi homines, ad amabiles tuas attraxisti decipulas, qui pernitiosa quadã cum libertate à te sequestrati, ac ꝓcul remoti hactenus incedebant: *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontē. Quã magna misericordia Domini, & propitiatio illius!*

15. Certè quando Dominũ nostrũ in hac terra nostra defatigari conspicio, Mediatorem quendã videre mihi videor, qui duas inimicas atq; invicem contrarias inter se partes, cõciliare aggressus sit. Quis enim eiusmodi alicui⁹ exprimere poterit sollicitudinē? quę nõ usurpat media? aut q̃ nõ invenit cõsilia? Ab his currit ad alios. Hic se ingerit, subtrahit a. se isthic. Cõsentit uni parti, alteri verò dissentit. Nunc cõcedit, nũc verò non cedit. Nonnunquam exaggerat, mox verò extenuat. Cholericum se exhibet, seque eundē mox exhibet blandũ. Loquitur, & iterum tacet. Audit, renuitq; audire. Proponit, & replicat. Acceptat & repudiat. Nõ dormit, nõ manducat, non quiescit, nec aliud, q̃ pacē, quã p̃ manibus elaborandã habet, recogitat. Eodē ꝓrsus modo, Benedictũ Redemptorem nostrũ, eo quo pacem cœlum inter & terram confecit tempore, fecisse cõtemplor. Nocte cũ æterno patre suo tractabat, de die verò prædicabat turbis: in deserto conversabatur cum Angelis, in hominum verò medio constitutus agebat cum peccatoribus; in domib⁹ privatis res illi cũ discipulis erat, in templo autem cum sacerdotibus. Video ipsum promittentem gloriam, verum insuper carceres quoq; comminantem conspicio. Audio quidem ipsum pœnitentibus concedere veniam, eandē tamen obstinatis negasse comperio; sæpe equidem blandum atq; benevolum se exhibet, sed nec minus frequenter acerbum se commonstrat & severum; humanæ quandoq; condescendit infirmitati, ad infidelitatem tamen hominumq; proterviam haud infrequenter induratur. Sæpius semetipsum ultrò ingerit nõ quæsitus, sæpè tamen ardēter quæsitus auffugit: à Deo exaltationem expóscit Ecclesiæ, ab Ecclesia verò Dei requirit gloriam; rogat à Patre perfectam sui unionem cum hominibus, ab hominibus item perfectam inter se mutuo postulat concordiã: ut fidē personæ suæ cõciliet operatur miracula, fidei verò in illis; à quibus eam exigebat, defectu, eadem miracula facere detrectat. Publicanorum assistit convivils, ut iis bonam cœli patefaciat voluntatem, ad puteum quoq; Sichar residet, ut Samaritanorum consensum obtineat. Neq; ingentem hanc Christi admiremini sollicitudinem, quæ toto vitæ suæ duravit tempore. Neque novæ aut insolitæ vobis illæ frequentes videantur mutationes, quas is in seipso admittit, qui immutabilis omninò existit; Nec ullam vobis cogitationem pariat extraordinarius ille labor, qui triginta trium Annorum spacio, nec unicum quidem illi quietis concessit momentũ, si quidē ipse hoc sibi in terris mun⁹ asũpsit, cõcordiæ videlicet & pacis Deum inter & hominem conficiendæ ac stabiliēdæ. *Mediator Dei & hominũ Christus* JESVS. Hęc pax ô De⁹ meus, magnos hosce peperit labores, q̃ te coēgerunt dicere: *Pauper sum ego & in labo-* Psal. 87. v. 16.

in laboribus à juventute mea. Hæcte sentire fecit illas spinarum nostrarum punĉturas, quibus omnes involuti eramus, nam uti devotus ille servus tuus dixit: *Qui lilium inter spinas colligere vult, aculeos spinarum necessario patitur. Mediator Dei & hominum Christus IESVS.* ô gratus sermo & benedicta verba! ô dulce desolatorum cordium refrigerium! ô forte omnis debilitatis sustentaculum! ô solida omni consolatione destituti peccatoris spes atq; fiducia! *Mediator Dei & hominum Christus IESVS. Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius?* Ecquid uspiam huic adeo magnæ misericordiæ supperaddi queat, quæ videlicet efficit, ut Deus peccatores tanto cum labore requirat?

Hugo. Card.

Tertium punctum.

16. Nihilominus tamen, est omnino quod magnæ huic misericordiæ adjici possit, videlicet quod infinito cordis sui jubilo peccatores quærat, id quod erat tertium punctum à nobis propositum. An non auditis, quid ipsemet hodie discipulis dicat: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis?* Ecquis obsecro est cibus iste, adeò sapidus, qui tantum Domino gustum adferre possit, & consolationem? En hunc tibi indicat, cum subjungit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Salutem hominum tanto desiderio avebat, quanto nullus nostrûm sensibilem cibum,* inquit Theophylactus cui hac in re consentit Chrysostomus, cujus sunt verba sequentia: *Hominum salutem in hoc loco cibum appellat, ut quanta salutis nostræ cura & desiderio teneatur ostendat.* An non etiam recordamini

Theophyl. in Joan.

Gal. 8. 16.

ni ejus quod S. Lucas de S. Matthæo à Christo converso loquens dixit, nimirum quod *fecerit ei grande Convivium in domo sua?* Nostisne cur convivium illud Christo visum fuerit delicatum quoddam & veluti regium convivium? quia *erat turba multa Publicanorum & aliorum, qui cum ipsis erant discumbentes.* Videbatur illud Christo grande convivium non propter fercula ibidem apposita, sed quia publicanorum ibidem pascebatur salute, quales ipse tanto cum studio requirebat. Nam uti sapienter docet Paulus Palatius: *Grande convivium fuit, quia fuere Publicani convivæ. Nullum cibum dulciorem Christo apponent, quàm Publicanos si convertantur.* Sic quoq; Petrus Chrysologus dicit: quod epulabatur non cibis, sed reditu peccatorum. Hoc lautum illud Domini epulum erat. Hæc pretiosa illa fercula; Hic cibus ille à discipulis non intellectus: *Epulabatur non cibis, sed reditu peccatorum.* Unde si Judæi mirantur, Christum tam frequenter manducare cum peccatoribus, ut proinde dicant: *Quare cum peccatoribus manducat Magister vester?* Stulta erat hæc ipsorum admiratio, non enim aliam ob caussam, peccatorum frequentabat convivia, quàm quod ipsorum desideraret salutem, quæ sapidissimus, dulcissimusq; illi cibus erat. Ideoq; justa est ejusdem Petri Chrysologi reprehensio, qua insanum ac fatuum Hebræum aggreditur, qui admirabatur, ubi nulla suberat admirandi materia. *Miraris Iudæe, cur Christus misceatur convivio peccatorum, qui propter peccatores & nasci voluit, & non recusavit occidi? Oblatras* quod

Luc. 5. v. 29.

Palat. in Matth. 8.

Serm. 29.

quod peccatorũ vinũ bibat, qui pro peccatoribus suum sanguinem fundit? Et si vis scire amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores. Noli tu, ô perfide Hebræe, mirari, Christum Redemptorem toties prandiis interesse peccatorum, siquidem ipse conversione peccatorum pascitur. Adhæc si vides ipsum sanguinem suum, ac vitam pro ipsorum dedisse salute, facilè tibi erit, nisi stultus sis, coniicere, quam divino suo palato sapidam reputet alimoniam, ad suum illos vocare servitium, eosq; suæ sequelæ adhibere. *Epulabatur non cibis, sed reditu peccatorum.*

17. Grande convivium pius ille Pater quondam instruxit, quando filium recepit resipiscentem ac pœnitentem, de quo Tertullianus loquens ita dicit: *Illum etiam mitissimum Patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum exornat. Quid ni? filium enim invenerat, quem amiserat, chariorem fecerat, quem lucrifecerat.* Quis est Pater ille nisi Deus? inquit Tertullianus: *Quis nobis ille intelligendus Pater? Deus scilicet, tam Pater nemo, tam pius nemo.* Nullus Pater, adeo Pater est, uti Deus noster: neq; tanta in aliquo Patrum inveniri potest pietas, quanta in misericordissimis illis habitat visceribus, quæ tunc præcipuè jubilant, quando aliquod Animarum nostrarum acquirit lucrum. *Epulabatur non cibis, sed reditu peccatorum.* Porro hæc erat, ni fallor, Isaiæ Prophetia, quando de sancti hujus Emanuelis, utpote futuri nostri Redemptoris, in hunc mundum adventu loquens, inter alia subjunxit: *Butyrum & mel comedet.* At quid modus iste loquendi innuit, dum dicit, Christum nobiscum morantem, butyrum pariter & mel manducaturũ esse? Innuere vult, quod hoc, quod est conversari cum hominibus, ad salutem eosdem, ad gloriam recipere, cœlo acquirere ipsos, tanto ipsi gustui, tantæq; satisfactioni futurum sit, ut butyrum ac mel comedere videri possit: utpote, quæ potiores mensarum nostrarum sunt delitiæ. Ita prædicti loci verba exponuntur à Salazar in Proverbiis: *Postquam dixit, vocabitur nomen ejus Emanuel, id est, nobiscum Deus, statim adjunxit: Butyrum & mel comedet, quasi dicat, inter homines conversari, dirigere, atq; illos lucrari, mellis ac butyri loco ponet, quibus nihil est in delitiis suavius. Epulabatur non cibis, sed reditu peccatorum.*

[Margin: Lib. de spe Pac. cap. 8]

[Margin: Isaiæ 7. v. 15.]

18. Recordamini utiq;, quod hic Dominus, apud Davidem Regem dicat: *Cinerem, tanquam Panem, manducabam*: id quqd Bernardus optimè ad propositum nostrum explicat dicens: Cinerem Pœnitentiam significare peccatorum, qua Dominus pascitur, quia maximum in eorundem Conversione gustum persentiscit, ac saporem. Et tametsi ipse sit is, qui pascit potius, quàm pascatur, dum peccatoribus pœnitentibus pascua gratiæ indulget: attamen in hoc tantum gustum sentit, ac satisfactionem, ut non pascere, sed pasci se arbitretur. *Cum pascit, pascitur*, inquit S. Bernardus, *& cum pascitur pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro aquè*

[Margin: Psal. 101. v. 10.]

[Margin: Serm. 71. in Cant.]

æquè ſpirituali profectu gaudens. Cibus ejus Pœnitentia mea, & cibus ejus ſalus mea, cibus ejus ego ipſe. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator ſum, cinis ſum, ut manducer ab eo. Mandor cum arguor, glutior cum inſtituor, decoquor cum immutor, digeror cum tranſformor, unior cum conformor. Epulabatur non cibis, ſed reditu peccatorum. Si autem ſciſcitemini, cùm Dominus tantum converſione peccatorum ſentiat guſtum, ut dicat: *Delitiæ meæ, eſſe cum filiis hominum?* eo vel maximè, cùm videri nonnemini poſſit, majores ipſum ſentire debuiſſe delitias, inter innocentium Angelorũ turmas; Reſpondebo cum Hugone Cardinali: Peccatores eſſe veluti feras quaſdam, cum labore & fatigatione captas, ideoq; majoris & delicatioris in menſa Dei guſtus ſunt, quàm Angeli, qui ſunt ſicut cibus quidam domeſticus, & ordinarius. *Potius ſunt ei delitiæ in filiis hominum, quam in Angelis, vel in aliis Creaturis: quia de his, quæ aucupio aut Venatione capiuntur, fiunt delitiæ, non autem de domeſticis. Angeli autem, ad domeſticas res pertinent, homines vero venatione prædicationis, & aucupio Crucis cepit. Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus illius.*

Prov. 8. v. 21.

Hugo in Prov.

19. O quàm præclarè, & veluti per excellentiam, conceptum iſtum Sophonias Propheta declarat, quando verbum Dei incarnatum, in terra noſtra veluti habitans, deſcribens inquit: *Dominus Deus tuus in medio tui, fortis ipſe ſalvabit.* q. d. Quando Sanctus Sanctorum Meſſias inquam, in medio hominum demorabitur, Peccatorum, incredibili animi fortitudine, conſectans ſalutem, tunc *gaudebit ſuper te in lætitia, & ſilebit in dilectione ſua, exultabit ſuper te in laude*: q. d. Tunc etenim in tua Converſione, incredibilem cordis ſentiet lætitiam, adeo, ut nihil, quod deſiderat, ſupereſſe poſſit. *Silebit in dilectione tua.* Ribera dicit, prædicta verba *eo ſenſu ſumi, cum quis prægustu, quem ex re capit, ſeu præ lætitià quam habet, nil aliud ſe velle oſtendit.* Adeò inquam contentus erit, ut aliud nullum requiſiturus ſit gaudium, tantoq; cum guſtu ſalute fruetur humana, ut omni alteri renunciaturus ſit fruibili: *ſilebit in dilectione tua.* ô gratum paſcuum & epulæ delicatiſſimæ, quæ Chriſto cujuſcunq; alterius boni guſtum tollere poſſunt! *Silebit in dilectione tua, & exultabit ſuper te in laude. Ego alium cibum habeo quem vos neſcitis.* ô Cor verè gelidum, inquit Gilibertus Abbas, niſi eum diligas, qui te diligere nunquam ceſſat, ô ingens ingratitudinis monſtrum, niſi liberalis adeo donatoris recognoſcas gratias? ô ſaxeum & ſilicinum pectus, niſi ad tam validos immenſæ Charitatis Chriſti ictus comollefias! *ô me impudentem & ingratum, ſi non ego talem diligam, tam abſolutum à corruptione, & tanta circa me adſtrictum compaſſione: neceſſitate non obnoxium, ſed pietate obnixum!* Tu ergo illum, ô Chriſtiane impenſè diligas, ſi non tui cauſa, ſaltem ad minus propter ipſum, quippe adeo magnoperè de tua ſalute, tuoq; bono gaudet. Ama illum, atq; ingenti cum affectu, tu quoq; dic illi: *Diligam te dulcis Domine, etſi non pro me, pro te tamen, ut tuo ſatisfaci-*

Serm. 20. in Cant.

am desiderio, delitiarum tibi causas submi-nistrem, augmentum lætitiæ.

SECUNDA PARS.

Punct. IV. & ultimũ. VErum enimvero, quid demum, ô Christiani mei, diceretis, si videretis, quod nos ultimo loco proposituri sumus; videlicet, quod hic Christus Redemptor noster, illos etiam quærere non desinat, aut dedignetur, qui repugnant & contradicunt? *Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius?* Quot mulier illa Samaritana adfert excusationes, quot diverticula quærit? quot distractiones? Quot impertinentia, ut elabi possit è manibus Domini? Qui tamen post omnia ista, ex cunctis occasionem adferendæ salutis captans, tanta cum patientia ipsam è cordis sui hebetudine ac fatuitate eripit. Aquas quas petit Dominus, negat illi veluti Hebræo: Ipse vero aquam vivam illi offert gratiæ Divinæ. Ipsa Dominum arrogantiæ alicujus arguere non veretur, eo quod ipsomet Patriarcha Jacob sese majorem quasi efficiat: Dominus autem fontem ipsi in vitam æternam salientem, veluti digito commonstrat. Inciviliter ipsa Dominum reprehendit, veluti promittentem id, quod attingere nequeat: Dominus autem ex ejusdem inurbanitate occasionem captat, eum illi cœlestem exhibendi liquorem, qui sitim restinguat in sempiternum, omneq; desiderium compleat. Ipsa ratione mariti contradicit Domino: qui mox per evidentẽ quandam Prophetiam, omnia quæ circa illam gesta fuerant, clarè aperit. Tandem, postquam miscella jam victa esset omnino, ac superata, studet nihilominus, introductum hunc discursum, per quæstionem de loco sacrificii offerendi propositam, divertere: Christus autem inde Evangelii, novæq; legis notitiam intimare, aut suggerere incipit. Samaritana salutem suam differre statuit, usq; ad adventum Messiæ, quem licet coram oculis suis præsentem haberet, ut absentem tamen expectabat: Et ecce Dominus summa cum humanitate, & benevolentia, se veluti Messiam cognoscendum præbet, dicitq; ei: *Ego sum, qui & loquor tecum.* Liceat mihi proinde hic dicere cum Gregorio: *Quantum nos diligit, qui nos, ne cum respuitur, relinquit!* Quis est ille Dei nostri amor, qui nos etiam fugientes inquirit? Qui sua etiam beneficia respuentibus adiicit? Qui donat dona sua contemnentibus, & vilipendentibus? Qui se rejicientes ac repellentes amplexatur? Mor. lib. 28.

21. Hoc est, quod Dominus apud Isaiam Prophetam dicebat: *Tota die expandi manus meas, ad populum incredulum, & contradicentem, qui graditur via non bona.* Quid significat extendere manus? *expandi manus meas?* respondet Benedictus Justiniani: *quod extendere manus, est opitulantis more præsto esse, & misero, atq; afflicto opem ferre. Extendi manus meas,* dicit Hieron. id est, Manus ad donandum semper promptas, ac extensas habui, ad instar Eleemosynarij, qui mendico omni hora manum suam porrigit, veluti magna illa mulier faciebat, de qua Salomon scripsit: *Manum suam aperuit* Isaiæ. 65. v. 2. Justin. in Cap. 10. ad Rom.

Prov. 30. v. 20. ruit inopi & palmas ſuas extendit ad pauperem. Poſſumus expanſas manus (ſunt verba Hieronymi) & in largitate accipere quod nihil eis petentibus denegavit. Expandi manus meas, (dicit idē Hieronymus) ad
Hieron. in Iſai. inſtar cujuſdam amantiſſimi Patris, qui in ſinum ſuum recipere dilectum ſuum vult filium. ſignificant expanſæ manus, & Parentis clementiam ſuos filios in ſinum recipere geſtientis. Verum enimvero, quis obſecro eſt ille, cui tanta exhibentur benevolentiæ ſigna? Continuata iſthæc dona cuinam conferuntur? Hæc in extremis, periculoſisq; neceſſitatibus porrecta auxilia, cui adhibentur? Ad populum incredulum & contradicentem. Videte ergo an non rationabilis fuerit illa S. Bernardi admiratio, quando dicebat: Domine
Serm. 83. in Cant. quis ſimilis tui? quis non ſtupeat charitatem Dei ſpreti, & revocantis? ô flamma ardentisſima; quæ in ipſius quoq; glaciei medio, ardere non deſinit! ô mare inexhauſtum, quod à nullius generis ingratitudine valet exſiccari! ô inſuperabilis amabilisſimi cordis Divini fortitudo, quæ nec ab enormitate, nec à culparum noſtrarum vinci poteſt multitudine! Quis non ſtupeat Charitatem Dei ſpreti, & revocantis.

22. Refert S. Evangeliſta Matthæus, qua ratione Redemptor noſter, omnes Civitates & Caſtella pertranſierit, omnibus Evangelium annuntians, ac nuntium Regni Cœlorum deferens, atq; omnem ubiq; curans infirmitatem, circuierit: Et circuibat
Matth. 9. v. 35. IESVS omnes Civitates, & Caſtella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem, & infirmitatem. Ubi notat S. Petrus Chryſologus, Chriſtum ſe Sathanæ opponere voluiſſe, de quo ſcriptum eſt: Circuit, quærens quem devoret, apud S. Petrum: Et apud Jobum, idem Diabolus dicit: Circuivi terram, & perambulavi eam. Ut proinde Chriſtus quaſi dicere videatur: Itane? Ergo Diabolus circuit? Circuibo ergo & ego quoq;: Ille ut decipiat: Ego ut technas detegam jam ab ipſo inſtructas. Ille ut mundo pacem eripiat: ego ut concedam eandem. Ille ut culpæ venenum omnibus inſtillet: ego vero ut omnes gratiæ theſauro locupletem. Deniq; ſi ad deprædandum Animas, in mille ſe formas transformet Sathanas: ego quoq; ad lucrandum eaſdem in mille me commutabo figuras. Circuit quærens quem devoret. Circuibat IESVS omnem civitatem. Verum audite velim ſequentia Chryſologi verba: Quo ſe movet immobilis plenitudo? quo accedit, vel unde recedit, quo plena ſunt omnia? & tamen vadit, redit, aſcendit, deſcendit, habitus ſuſcipit, formas variat, commutat officia. Paſſim hic Dominus per omnia circumit, ut auxilio ſuo præſto ſit omnibus, ſicut Diabolus omnes pervagatur partes, ut in omni parte ſua, ibidem poſt ſe damna relinquat. Infinitis ſeſe modis tansfigurat, ut cœlo ſuas lucretur animas: Uti Paſtor compareat, ut ad gregem te ſuum reducat, uti Capitaneus, ut præliari te doceat atq; confligere: uti ſponſus, ut te ad ſuas provocet delicias ac voluptates: uti Mercator, ut in negotiis tuis cautum te reddat: uti Medicus, ut vulnera tua ſanet tibi: uti Petra, ut fragili-

gilitatem ipse tuam tibi stabiliat; uti Agnus, ut se Patri suo pro tuis peccatis sacrificet ac immolet: Deniq; uti gallina, ut sub alis suis te congreget: uti Aquila, ut volare te doceat: Et si quæ plura sunt ejusmodi. *Vt te mutet in melius, ipse sua toties mutat & commutat officia. Et quia diu circuiverat, ut diriperet, & devoraret inimicus, nunc necessario circuit, ut te vendicet & eripiat Christus. Circuibat omnes Civitates & Castella.* Porrò quod ad propositum nostrum facit, quodq; acutè admodum notatum est à S. Joanne Chrysostomo, est tempus, quo Evangelista dicit, Dominum circuiisse, nec non in Hebræorum emolumentum miracula operatum fuisse. Illo namq; tempore hæc omnia facta sunt, quo gravissimam ab illis receperat injuriam, utpote fatuus ac Dæmoniacus ab illis appellatus. *In principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*: mox subjungit Evangelista: *Circuibat Civitates, & Castella. Christum videmus*, inquit Chrysostomus, *his contumeliis, & injuriis affectum, non modo ultum non fuisse, sed ne commotum quidem. Quippe, qui etiam post hæc maledicta, urbes & vicos Galileæ circuiret prædicans Evangelium, & curans omnem languorem. Quis non stupeat charitatem Dei, spreti, & revocantis?*

23. Aliàs me vobis narrasse memini, miraculosæ illius petræ deserti prodigium, quæ, uti sanctus affirmat Hieronymus, postquam ad potandum sitibundum Dei populum, abundantes manasset aquas, eundem deinceps populum, indissolubiliter, quocunq; sese reciperet, insequebatur. Id quod etiam ex illo textu S. Pauli colligitur: *Bibebant omnes, de consequente eos petra, Petra autem erat CHRISTVS*; adeò, ut populo ex uno loco discedente in alterum, pariter sequeretur & petra; retrocedente verò populo, simul reverteretur & petra: Sicut & firmiter eodem persistente, petra quoq; firmaretur: *ubicunq; figebat tentoria*, inquit S. Hieron. *voluebatur petra in medio Castrorum, nullo hominum impellente, emittens largissimos rivulos, ad satietatem populi & jumentorum.* In quo facto, continua Christi Domini nostri repræsentatur assistentia, constansq;, quod in necessitatibus ac inopiis nostris, nobis præstat consortium ac societatem. Verum quid facer mox textus dicat, audiamus: *Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filij Israel, contra dominum.* q. d. Hæc est aqua, juxta quam populus Israeliticus, Deo suo rebellis factus deq; divina Numinis providentia malè locutus est. Etenim ô Christi Domini nostri pietas infinita, qui gratiarum suarum undis, ingratos quoq; suos ac injuriosos prosequitur, veluti S. Rex David dicebat: *Misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.* At verò, ô Domine, ecquid facis? An non vides, quod insequaris fugientes te? quod flagitiosis abblandiaris? quod benefacias indignis? Nunquid perspicis quod dona tua proiiciantur, perdanturq;, dum conferuntur immeritis? An nescis, te gratias tuas impertiri illis, qui minimè eas æstimant, imo vero, qui contemnunt easdem? *Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filij Israel contra Dominum*

1. Cor. 10. v. 4.

Jer v. 1

Num. 20. v. 13.

num. Christum videmus hic injuriis & contumeliis affectum, non modo ultum non fuisse, sed ne quidem commotum fuisse. Hæc est cordis Dei nostri insignis generositas; Hi sunt immensæ pietatis suæ suavissimi termini: *Quis non stupeat charitatem Dei spreti, & revocantis?*

24. Ecce idipsum, quod Dominus Deus apud Jeremiam dicebat: nimirum: vulgo dicitur ab omnibus, quod si mulier proprio marito suo relicto, adulterium cum viro extraneo commiserit, impossibile sit, eandem cum primo sponso suo reconciliari. Veruntamen, coram te ego protestor hodie, quod tametsi tantas tu, tot cum adulteris infidelitates commiseris, nihilominus, si statueris in corde tuo ad me reverti, in antiquam mox ego te gratiam, ex bono corde, ultrò recipiam: *Vulgo dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eum ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* ô quam ingens & excessiva est Dei nostri pietas, inquit S. Gregorius Papa, quæ eousq; pertingit, ut faciat, quod fieri nequit! *Pensate fratres, pondus tantæ pietatis. Dicit quod fieri non potest, & demonstrat, quia hoc ipse facere etiam contra morem posset. Ecce vocat, & quos inquinatos denuntiat: hoc est, amplecti quærit, à quibus desertum se esse queritur.* Optimeq; Gregorius rationem suam, hisce verbis concludit: *Nemo igitur tantæ misericordiæ tempus perdat: Nemo oblata remedia divinæ pietatis abjiciat.*

Jerem. 3. v. 1.

Hom. 23. in Evang.

25. Optarem, Dilectissimi, memores vos esse illius, cujus Propheta Ezechiel meminit: Ad extremam populus Dei devolutus fuerat malitiam, adeò etiam, ut veluti desperatus, auderet dicere: Nihil sibi cum Deo suo deinceps fore negotii, imò firmiter sibi statutum esse, eo modo vitam suam imposterum instituere, quo ipsimet Gentiles, misera Idololatriæ mancipia, vivere solent. Quid hic Deus faciat, tantis, adeoq; prorsus debiti sui oblitis peccatoribus? Audite obsecro, ipsa divinæ Majestatis suæ verba, à Propheta recensita: *Vivo ego, dicit Dominus, quia non respondebo vobis, neq; cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium, erimus sicut gentes, & sicut cognationes terræ, ut colamus ligna & lapides. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti & brachio extento in furore effuso regnabo super vos.* quæ verba S. Hieronymus explicans dicit. *Non vos relinquam, neq; contemnam, ut fugaces servos Domini negligentes solent contemnere, sed ad meum retraham imperium & brachio extento in pristinam redigam servitutem, & regnabo super vos, ut velitis nolitis me habeatis Regem.* Animadvertisti ne, subjungit Hieronymus, mirabile illud Deum clementissimum inter, impiumq; & rebellem ejusdem populum, prodigiosumq; certamen? Hic à tam rationabili, ac tot tantisq; titulis debita servitute, secundum extremas vires suas, fugit, seq; subducit: Ille vero, ut contumaces & desperatos, ad regni sui reducat obsequium, totam suam adhibet, usurpatq; omnipotentiam. *Vbi animadvertias mirabilem concertationem, inter*

Ezech. 20. v. 32.

ter obstinatum populum, in sua volentem permanere impietate, & Dei amorem, nitentem illo suo subjugare imperio. Non suam animadvertens injuriam, sed peccatoris grande bonum. An non videtis, quam sit extraordinarius ille divinæ misericordiæ modus, quippe dum peccatores, pro virium suarum possibilitate, sese à Deo elongare contendunt, Deus econtra pro omnipotentiæ suæ immensitate, illos ad se conatur attrahere, atq; ad divinum suum allicere servitium? *Quis non stupeat Charitatem Dei spreti, & revocantis?* Quis non admiretur immensam illam Dei nostri pietatem, qui peccatores in terræ hujus deserto, extraordinaria cum sollicitudine quærit: & quærit illos per infinitas personæ suæ passiones & labores; & quærit eosdem cum incredibili cordis sui lætitia: Deniq; quod omnes transcendit clementiæ terminos, eosdem etiamnum rebelles quærit & contumaces.

26. Videor mihi audire nonneminem, hisce S. Augustini verbis, peccatorem de Cælo alloquentem: *Ego cum esses longè, veni, ut reducerem te: cum inter montes & sylvas errares, quæsivi te: inter lapides & ligna inveni te: in lapidibus offendebas, & in lignis errabas, quia ligna & lapides adorabas: ne luporum ferarumq; rabido ore laniareris, collegi te, humeris meis portavi te: Patri meo reddidi te: Laboravi, sudavi, caput meum spinis supposui, manus meas clavis subjeci, lancea latus meum aperui: sanguinem meum fudi: animam meam posui, ut te mihi conjungerem & tu recedis à me?* Considera, ehem, considera quantum tui ego amore operatus fuerim; futurum enim credo, ut nisi lapis quidam, aut durissimus fueris silex, ad aliquid mei amore faciendum movendus sis. Vide, an non ad omne consilii genus, quantumvis id quoq; arduum esset ac difficile, ut cor tuum mihi acquirerem respexerim, neq; dubito, quin vel sic te coactû visurus sis, ad modicam mihi referendam recompensam. Recordare quia in terram ego descenderim, ut te cœlis inferrem. Ego per exilii tui vias oberrabam, ut te ad Patriam reducerem. Maris tui me commisi procellis ac fluctibus, ut tempestatum tibi furias mitigarem: me omnis generis libens subjeci laboribus, ut æternam tibi acquirerem requiem. Recordare aliquando, quod ego servi ac mancipii more ligatus fuerim, ut culparum tuarum tibi solverentur vincula: quod ut animæ tuæ morbos qui incurabiles profectò erant curarem, ego de proprio meo sanguine tibi præpararim balneum: utq; tu vivere posses, ego minimè mori recusavi. Jam ergo, cum ob omnia jam dicta, nullatenus te mihi obligatum habeam, aliam obligationis tuæ solutionem à te non quæro, præter unicum voluntatis tuæ affectum. Plus ego à te non desidero, præter amoris tui erga meum Correspondentiam, utque cum tantis meis te quæsiverim sumptibus, atq; impensis, tu me nequaquam deseras, neq; derelinquas, quin potius sententiæ illius memor semper existas: *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat.*

Lib. cõtra S. Hæres.

* * *



CONCIO XXII.

In Dominicam IV. Quadrageſimæ.

THEMA.

Sequebatur illum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat. Joan. 6. v. 2.

ARGUMENTUM.

Dei commendatur Providentia, in Creaturis inſenſatis; in Homine; in Eccleſia: ſeu quod idem eſt; in Mundo magno: in Mundo parvo; & in Mundo myſtico.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Magna Dei miracula, aſſiduitate & continuatione ſui, præ minoribus vileſcunt. num. 1.

Primum Punctum. *Synopſis Concionis.* num. 1.

Mundus eſt officina diſcendi, ſeu ſchola in qua ſcientia Dei acquiritur. num. 2.

Omnes Creaturæ mundi, peculiare aliquod circa hominem præſtant ſervitij obſequium. n. 3.

Miraris mundum? quare non artificem mundi? num. 3. *in fine &* num. 4.

Expenditur ordo rerum totius mundi. num. 5.

Finis medius, & ultimatus rerum creatarum totius mundi exponitur. num. 6.

Conſideratur virtus, potentia, & habilitas omnium Creaturarum. num. 7.

Item de Quantitate, ſeu magnitudine Creaturarum corporalium, ſive continua, ſive diſcreta. n. 8.

Agitur de varietate Creaturarum mundi hujus, maximè de tam multiplici vul-

1. NEscio profectò, qua ratione, assiduitate, & continuatione, magna illa viluerint miracula, quibus æternus Monarcha Deus, totum hoc regit universum: *Miracula ejus quibus totum mundum regit, universamq; Creaturam administrat, assiduitate viluerunt*; monet S. Augustinus. (Tract. in Joan.) Ipsum hodie Regem coronare volunt, eo quod pane miraculosè multiplicato, pauculas turbas aliquas in deserto pauerit, neq; tamen honorant aut reverentur illum, ob universale illud gubernium, quo exacta cum sollicitudine, & punctuali seu perfecta superintendentia, communi rerum omnium gubernationi continuò assistit. ô quenta est illa stultitia, res parvas & modicas admirari, quia novæ sunt: alias verò magnas, quia antiquæ sunt, & ordinariæ, nihil æstimare! partem valdè suspicere, & contẽnere totũ; sese benefactori suo censere

fere obligatum ob tenuē quēdam gratiæ alicujus particularis rivulū; ecōtra vero pro accepto inexhausto infinitorum beneficiorum fonte ingratum se exhibere! Transeamus obsecro, cum Augustino, ab hujus deserti miraculis, ad miracula totius universi: Ab harum turbarum accepto pane, ad cunctarum uberrima pascua Creaturarum: à providentia particulari, ad universalem superintendentiam; consideremusq; Deum nostrum, circa tres præcipuè mundos, ad miraculum usq; providum; videlicet circa mundum Elementarem, mundum rationalem, ac mundum mysticum. Mundus Elementaris cunctam complectitur harum creaturarum corporearum multitudinem, simplicium scil. & mistarum cœlestium & terrenarum, animatarum, & animæ expertium. Mundus rationalis nihil est aliud, quàm homo iste, qui de Dei gloriatur similitudine, qua insignitus est, totiusq; universi Dominus existit atq; Patronus. Mundus mysticus est Ecclesia, quæ dilectissima Redemptoris nostri est sponsa, totamq; fidelium congregationem complectitur. Nec quicquam dubito, quin si eam quam magna Dei opera merentur, faceretis ad singula reflexionem, alto stupore pleni, una cum Sapiente exclamaretis. *Tua, Pater, Providentia, ab initio cuncta gubernat.* Sap. 14. v. 3.

2. Et ut à Mundo Elementari exordiar, de quo S. Augustinus merito dixit: *Visibilium omnium maximum est mundus*; Quis in hoc mundo, stupendam omnipotentis artificis non intuetur artem? aut quis cunctas adeo bene ac providè gubernatas considerans creaturas, sapientiam in iisdem non recognoscit gubernatoris? *Officina quædam discendi est* (ita S. Basilius de mundo hoc loquens me docet) *& locus erudiendi, ad cognitionē Dei, per visibilia & sensibilia, manuductionem menti exhibens, ad invisibilium speculationem.* Mundus iste officina quædam est, seu Pædagogium, in quo Deum docemur cognoscere, & in quo à rebus visibilibus, earundemq; certissimo ducatu, vel manuducimur ad eas cognoscendas, quæ non videntur. Si enim (sic discurrit S. Paulinus Episcopus Nolanus) adeo sumus materiales, & hebetes, menteq; tardi, ut quis magnæ hujus civitatis Dominus, ac Patronus sit, neq; ex Verbi intelligamus oraculis, neq; ex divinarum scripturarum cognoscamus documentis; permittamus ad minus, ut ipsimet ejusdem maximæ domus parietes, lapides, ligna, aliaq; ejusdem ornamenta, Magistri nostri existant:

Lib. 2. de Civit. Dei Cap. 4.

Basilius in Hexameron.

Si nobis Doctrina DEI, de lumine Verbi
Non aperit sensum, saltem capiamus ab ipsis
Aedibus exemplum, & lapides, & ligna Magistri
Sint stolidis

In Natali 10. S. Felicis.

Sic enim sancta illa quondam anima, in sacris Canticis dicebat: *Circuibo civitatem, per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea.* q. d. Totam mundi hujus circuibo civitatem, omni cum diligentia ac sollicitudine, per omnes vicos, per cunctas plateas Deum meum inquiram, hoc est, per omnes universi hujus creaturas: *viæ quippe ad Creatorem sunt* ope- Lib. 21. Moral. Cap. 9.

opera considerata Creatoris, uti dicebat S. Gregorius Papa. Et juxta ejusdem sancti Doctoris judicium, hæ sunt viæ illæ, de quibus Salomon loquebatur, cum diceret: *In viis ostendit se hilariter, & omni providentia occurrit illis.* Hoc ergo modo, Dei sponsa per Creaturarum semitas, plateas, ac vicos, circuibat, quæ recta ad dilectum suum perducebant eandem, idq; ut Gilibertus Abbas dixit: *ut universitatis intuitu, divinum stimuletur in amorem.*

Sap. 6. v. 17

Serm. 4. in Cant.

3. Non poterat homini præparari habitaculũ, sive ob pulchritudinẽ amœnius, sive propter usum opportunius, sive ob abundantiam opulentius, sive commodius pro necessitate, quàm sit visibilis mundus iste: cujus contignationes, sunt suprema illa corpora Pyropis ac Topaziis distincta: cujus fenestræ sunt duo illi splendidissimi Planetæ, Sol, & Luna: cujus lampades, sunt firmamenti istius innumerabiles stellæ: cujus conopæum, sive tentorium, sunt illæ per aëra extensæ, lucisq; auro opulenter phrygiatæ nubes: cujus pavimentum, terra isthæc est, adeo venusta, varièq; segmentata: cujus cortinæ, sunt sylvæ, floribus virentiq; gramine vestita prata: cujus scalæ, seu gradus, colles, rupes, & montes existunt: cujus piscinæ, sunt maria: cujus fertilissimi agri, granarium sunt: cujus gaza, sunt Aurifodinæ opulentissimæ. Calor ibi cibos coquendo præparat: frigus terram fæcundat: nix sementem incrassat: flumina viridaria rigant hortosq; amœnos: vẽti veluti magnæ illius domus scopatores seu vẽtilatores aërem depurgant: aves, ibi musicam modulantur: secundas mensas, sive bellaria, apes accelerant: bombices, sericum pro vestimentis conficiendis contexunt. Finaliter deniq;, omnia animalia sive aquatilia illa sint, sive aërea, sive terrestria, in amplissima isthac familia, servitores existunt, unicuiq; in diversis servitiorum generibus, promptissimè ministrantes. Unus nimirum in aromatariorũ officinis, veluti viperæ, unde theriacæ fiũt præstantissimæ: Alius militiæ, uti Elephantes, qui turres armatis viris deportant refertissimas, aut sicut Equi, qui ad præliaris tubæ sonum mirum quantum tripudiant & exultant; Hic pro agricultura bonus est, sicuti boves: alius pro oneribus deportandis, uti cameli, & asini: aliqui sartoriis inserviunt, uti oves & arietes, qui pannos ex lana sua nobis subministrant: uti etiam capreæ, quæ camellotas, seu undulatas adferunt vestes, velut deniq; vulpes, martes seu ictes, ac gibellini, qui de pellibus liberaliter prospiciunt: alii venationi, sicut canes, accipitres palumbarii, falcones: alii recreationi ac delectationi, veluti simiæ, cercopithteci, picæ, psittaci &c. Alii deniq; mensis instruendis, sicut tanta, tamq; copiosa, tum ferarum, tum domesticarum, aut cicuratorum animalium varietas: *Suspicis cœlum*, inquit Augustinus, *& horrescis. Miraris maris magnitudinem, quando cogitationem occupas. Respice innumerabilitatem stellarum, respice tam germina seminum, tantas diversitates animalium: quicquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aëre, circumit in cœlo. Omnia ista, quam magna, quam praclara, quam pulchra, quam stupenda? Ecce qui fecit hæc omnia,*

Aug. in Ps. 41.

omnia, Deus tuus est, &c. miraris mundũ? quare non artificem mundi?

4. Verum enimverò, omnia prædicta nihil erunt, si ad id reflexionem facere voluerimus, quod in creaturis, sicut magis est reconditum, ita quoq; plus stupendum est, ac miraculosum, videlicet ad ordinem imprimis, qui est inter ipsas: deinde ad finem, cui destinatæ sunt: postea ad virtutem operandi, quam habent: demum ad molis suæ vastitatem: præterea ad multitudinis numerum; Item ad varietatis elegantiam; deniq; ad diversissimi motus multiplicitatē, tunc inquam, astringemur profectò cum Abacuc Propheta dicere: *Domine consideravi opera tua, & expavi. Ex creaturis intellexi Creatorem*, ita glossat S. Gregorius, *& per singula quæ fecisti, & quotidie operaris, in universo mundo, totus obstupui, & sensu humanitatis amisso, in sanctam amentiam sum conversus.*

5. Et primo quidem, si de ordine loqui velimus, quàm hic est in cœlis stupendus, & rarus, qui tametsi motus habeant tantopere à se invicem diversos, omnes nihilominꝰ ad primi mobilis imperium, unanimiter obedientes existunt? Quàm est mirabilis illa Elementorum symmetria, quæ tametsi inter se invicem, contrariarum qualitatum armis, implacabili discordia dimicent, ex hac tamen pugna, neutrum ab altero perimitur, sive destruitur? Quàm est pulchra proportio terræ fluminibus interjectis divisæ? maris in Insulas, peninsulas, capita, & promontoria distincti? Planitiei per valles montesq; dissectæ? montium & collium à diversis locis & lucis dis & cõterminatorum? Diversi generis lapidum, servientium tum ad necessitatem tum ad recreationem, tum ad fabricas, tum ad sculpturam, tum deniq; ad medicinam? Ordo deniq; temporũ, anniq; trimestrium, quàm est stupendus? Siquidem uti sapiens dixit: *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub sole.* Eccl. 3. v. 1. Suo ad nos tempore revertuntur volucres, quæ à nobis adveniente hyeme discesserant: fructus suo tempore maturescũt, suo tempore terra nova quasi veste amicitur, totaq; florida & odorifera in suis delitiis quasi superbit, suo tempore dies mutantur, anni variantur trimestria, terminantur ætates, sæcula complentur. Et tamen hic tam stupendus rerum creatarum ordo, tot sæculorum consuetudine, & continuatione, uti S. Ambrosius animadvertit, omnem sui perdidit admirationem. *Alius est ordo naturalis, in conversione & mutabilitate corporum, qui quamvis ipse etiam adnutum Dei serviat, perseverantia tamen consuetudinis, amisit admirationem.*

6. Quid de fine dicemus, propter quem omnia fuere creata? Hic bifariam dividitur, in medium scilicet & ultimatum. Finis medius, utilitas est hominis, cui Deus liberali adeo cum munificentia, partim ad consulendum necessitati, partim ejusdem recreationi, partim pro speculationis exercitio, partim deniq; pro culparum suarum Pœnitentia, tot, tantaq; concessit. *Quanta largitus est*, ita loquitur Bernardus, *ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc ad correctionem, quanta etiam* Serm. 3. in Qui habitat.

iam ad delectationem? Finis deinde ultimatus est ipsiusmet Dei gloria, ad quam omnes creaturæ totius mundi omnesq; effectus universi destinati sunt. Atque hinc providentissima creatoris sese prodit sapientia, utpote, quæ res omnes ad fines sibi præfixos, infallibiliter norit perducere, non obstante quacunq; demum contrarietate, & oppositione: non obstantibus tot tantisq; variabilibus & contingentibus operationibus: non obstante causarum liberarum dominio. Porrò nil mirum est si tantorum prodigiorum & mirabilium admiratio, ab humanis pectoribus deperierit, nam uti Sidonius Apollinaris considerat: *Hoc naturali vitio fixum est in humanis pectoribus, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices.*

Lib. 5. Epist. 10.

7. Sequitur virtus, potentia & habilitas seu inclinatio omnium creaturarum, ab iisdem modo quodam admirabili semper adhibitæ, vel in propriam sui conservationem, aut in hominis utilitatem & servitium, aut deniq; ad complendum totius universi perfectum concentum & harmoniam; Quis explicabit animalium in victu sibi comparando solertiam? Quis diligentiam exponet, quam adhibent in nutriendis, & sustentandis fœtibus suis? Quis tot generationum & corruptionum, quæ continuo quasi videntur, recensebit modos? Quis dicendo assequatur illam accidentium infinitam multitudinem, quæ omni quasi momento acquiruntur ac deperduntur? Quis innumerabiles, qui ex variarum causarū applicatione, ex variorum locorum mutatione, ex variis temporum anni vicissitudinibus, nascuntur, enumerabit effectus? Quis stupendam illam moderationem, nec non mirabile, quod in rebus omnibus videtur, temperamentum, edicet? ex quo provenit, ut si in una re deficiant, in altera abundent: si una ex parte sint damnosa, ex altera parte proficua existant: si aliquam hinc secum subinferant ærumnam, aliunde suam quoq; adportent medicinam. Admodum calida est regio illa, quæ zonæ subjacet torridæ: ibi tamen infallibilitet accidit ut omni die sua illic pluvia cadat. Econtra in Ægypto nunquam ferè pluit: tota tamen illic terra, Nili inundatione, copiosissimis aquis, tegitur, ac irrigatur, quæ agros ægyptios, supra modum fœcundos reddit ac fertiles. Montana Peruana prorsus sterilia existunt, adeò, ut nec minimum ibi herbæ, seu graminis, nascatur germen: sed altera ex parte, auri, argentiq; sunt locupletissima. Thessalia, serpentibus plena est: verum insuper quoq; plena ciconiis, à quibus devorantur, atq; tolluntur è medio. Nonnulla sunt animalium, quæ brevissimū suum vitæ ævum, seu annos, ut plurimum acquirunt, quæ tamen altera ex parte fœcundissima sunt. Sunt alia quæ vitam longævam agunt: sed tamen illa non adeo veluti priora multiplicantur. Magni communiter mansueti sunt: parvi, & pusilli, sunt cauti: imbelles astuti, acutissimi autem sunt timidi. feræ paucæ sunt: venenosa abscondita sunt & solitaria. Ad hæc certum quoddam in India reperitur serpentum genus, quod ut minus inferre possit detrimenti,

menti, à natura fere cœcum nascitur & vivit: aliud verò est, cujus morsus nullum omninò habet remedium quod sub collo quandam veluti nolulam seu campanellam portat, qua propinquitatis, seu præsentiæ suæ signa edat, ut quilibet tanto id commodius fugere ac declinare posſit. Concludamus ergo cum Augustino, quod *si virtus laudatur, quid illo potentius, à quo etiam facta non dimittuntur, sed reguntur & gubernantur?* In Pſ. 144.

8. Accedo ad creaturarum corporearum magnitudinem, seu quantitatem, sive continua illa sit, sint discreta; si de cōtinua loquendū sit, non est mihi hic animus, de oceani vastitate, aut de insularum amplitudine, aut de magnitudine provinciarum, aut de camporum, sylvarum, nemorum, atq; desertorum immenso spatio discurrere: Solū mihi de cœlis id dicere sufficiat, quod S. Basilius dixit: *Sola cœlorum venustas, & amplitudo, quæ in conspicuo est, ad prædicandum opificis opificium sufficit.* Basil. in Pſ. 18. Equidē, quam vastos, magnosq; esse cœlos oportet, si Astrologi evidenter demonstrent, minimam firmamenti stellam, decies octies ipsa terra majorem esse? Quantæ ergò majores stellæ erunt? Quanta tota firmamenti sphæra? Quanta erit nona sphæra, quæ omnes ambitu suo complectitur? Quantæ magnitudinis cœlum Empyreum erit, fælicissimum illud beatorum habitaculum? Quod si postea de discreta quantitate loquamur, numera obsecro, si id potes, species, & individua piscium, avium, animalium domesticorum; atq; ferarum, tot sylvarum plantatas arbores, tot terræ fructus diversos, tot herbas camporum, tot pratorum flores, tot meteorologicas aeris impressiones, tot stellas cœlorum, tot fulgidas margaritas, tot gemmas pretiosas, tot fodinarum metalla; tuncq; haud dubiè cum S. Augustino loqueris & dices: *Si hæc magna sunt, quantus est ipse?* In Pſ. 84.

9. His addatur creaturarum varietas, quæ ingens profectò sapientiæ Creatoris est argumētum; atq; ut omnia alia prætermittam, hoc duntaxat contemplari volo, quod S. Augustinus in libris de civitate Dei considerat, estq; illa tam multiplex facierum humanarum diversitas. Quæso te, in tanta hominum multitudine, reperias mihi, si potes, duos vultus, qui totaliter inter se similes existant, id quod profectò supremi Architecti, Dei inquam, maxima laus est. Omnes terræ hujus pictores, à peritis artis illius facile cognosci possunt, ex certis quibusdam proprietatibus, quas quilibet, etiam inadvertenter, imò cum expresso etiam desiderio, ne id fiat, in suis cōstanter asservat imaginibus: unde absq; multo studio deprehendi possunt, sive ex luminibus, sive ab umbris, sive à pictura plana, aut à limbo vestium, sive ex picturam ambiente margine, sive ex colorum mixtura, sive ex delineatione, aut à facilitate, vel à labore & curiositate, aut alia quapiam individuali proprietate, quæ in diversissima quacunq; figura notatur, veluti evidens modicitatis suæ, limitationisq; ingenii eorundē signum: Magnus autem hic, & sapiens artifex, in omnibus, qui unquam fue-

fuerunt, sive viris, sive fœminis, diversa semper usus est arte, admodúq; dissimili magisterio, utpote manifesto, infinitæ sapientiæ suæ, argumento; nam ut sapienter docuit S. Augustinus: *in creaturis ipsa rerum diversitas, multo magis commendat bonitatem, atq; omnipotentiam Creatoris.*

Lib. de Fide ad Petrum Diac.

10. Ultima creaturarum proprietas, erat motus; nam cum unumquodq; suum quærat bonum, pariter à natura potentiam recepit motivam, ut velocissimis pasſibus, in idem bonum feratur, & acceleret; adeoq; aliqua moventur per generationem, vel corruptionem formæ alicuius substantialis; alia per accidentis cuiuspiam mutationem; hoc per motum progressivum, illud per incrementum aut decrementum: aliqua motu recto, alia circulari, alia deniq; motu mixto, unumquodq;, prouti id naturæ suæ postulat proprietas, & in bonum suũ est innata propensio. Hæc propẽsio solem ab oriẽte in occidẽtem propellit: Hæc facit flumina currere ad mare: flammam ignis cœlum versus: lapides ad centrum: deniq; unumquodq; ferri ad locum suum proprium. Audite obsecro hunc S. Augustini discursum: Ostende mihi, si tamen id potes, animam tuam: *Corpus tuum video, animam tuam quis videt?* Si autem corpus tuum duntaxat videtur, ad sepeliendum te abeas. *Si autem corpus tuum solum videtur, quare non te sepelis?* Utiq; respondebis, quod tametsi solum tuum corpus videatur, nihilominus tu animam tuam verè possideas, utpote, quæ viventem te efficit. Sed unde animam tu tuam in corpore tuo residere probas? *respondes, quia loquor, quia ambulo, quia operor.* Ergo ex motu corporis, tu animam tuam cognoscis, & Creatorem ex creaturarum non agnosces motionibus? *Stulte, ex operibus corporis agnoscis viventem, ex operibus creaturæ non potes agnoscere creatorem? Tua pater providẽtia, ab initio cuncta gubernat.*

in Psal. 73.

11. Verum enimvero, quid necessum est, ascendere in cœlum, per terram discurrere, sulcare mare, creaturarum præstantiorum, magisq; nobilium speculari naturam, ad assequendum per notitiam, ipsum creatorem, quando ex mente S. Augustini, minimus aliquis culex, ad hoc plenissimam dare satisfactionem, atq; ad Deũ manuducere posſit? quidnam enim culice esse poterit magis mirabile ac prodigiosum? Tam omnino modicum animalculum, ut cerni tamen aut videri vix posſit, tantopere tamen sentire se facit? animalculum, quod adeo est parvum, vastissimam tamen Elephantis molem aggredi minimè dubitat, cumq; ipsum, ob nimiam sui exiguitatem, nec quicquam lædi posſit, alios tamen adeo ferociter lædit, & mordet: noctis quoq; turbare potest silentium, & dum intra ipsas quoq; aureas principum cortinas nocte venatur, eosdem importuno suo susurro, suavi spoliare potest somno? Quis non stupendus ordo, aut quàm admirabilis partium dispositio, in isto tenuisſimo culicis non videtur corpusculo, quæ sensum varietas? quænam sunt illæ tam delicatæ membrorum compages? quàm acuti, in tam parvulo capite, oculi? ubinam appensæ sunt culicis alæ, qui-

bus ipse circumlatus, in unico quasi momento, effugit ac disparet? ubi illa tam subtilis inserta est fistula, qua-cum, durissimam transfigens pellem, sanguinem ejus, cui insidet, exsugit? ubi nam ille tam sagax affixus est odoratus, quæ res etiam procul remotas, olfacit ac distantes? quis ipsi truculentam illam, ac sonoram vocem formavit, qua mediante, veluti præliari tuba, prælii indicere videtur certamen? Quis adeò rigidam illi indidit pertinaciam, qua hominem indesinenter obsidens, continuò torquet? illos suæ necessitati adeo proportionatos motus? illam in vitæ sustentatione procuranda solertiam? illam in captanda negotiis suis, opportuniori occasione, aptiori loco, tempore opportuniori, mirum! quantam providentiam? Dicamus ergo nunc, pro conclusione cum Augustino; *Quis disposuit ista? expavescis in minimis? lauda*
In Ps. 148. *magnum. Ponamus ante oculos minima*, inquit S. Gregorius, *ut possimus dignè*
Hom. 26. in Evang. *pensare majora.* Si res minimæ hujus universi, quæq; non majoris ab omnibus fiunt, quàm si non essent aut fuissent, tantum habent artificium, ut majores etiam hujus terræ sapientes, sua faciant levare supercilia, eademq; mirari, adeò ut in illarum contemplatione, aut omnino deficiant, aut illos ad minus vis & conatus linquat ingenii, utpote à tantorum prodigiorum admiratione attonitos, quid res majores facient aut quales quæ per naturarum suarum eminentiam, clarissima sunt omnipotentis factoris specula? *Expavescis in minimis? lauda magnum.*

12. Tandem ergo aliquando intelligamus id, quod Paulus Apostolus Athenarum prædicabat, sapientibus, quando iisdem dicebat, Deum Opt. Max. seipsum inter ipsasmet quoq; cœcæ gentilitatis obscuritates, densioresq; Paganismi tenebras sine bonitatis ac magnificentiæ, suæ testimonio non reliquisse. *Et quidem non sine testimonio seipsum reliquit.* Verum, quodnam ô Christiani, existimatis hoc fuisse testimonium? Edoceamini idipsum à S. Ambrosio, qui vobis id aliud non esse dicet, quàm testimonium creaturarum, quarum unaquæq; suo modo, Creatoris Dei majestatem manifestat, ac magnificentiam; adeo, ut in Elementorum paginis, cœlorumq; voluminibus communis hæc & publica doctrina, semper legatur scripta, idq; claris adeò characteribus, ut simplices etiam illos intelligant ac idiotæ. *Quod est hoc testimonium, quod semper Domino deservivit, & nunquam de ejus bonitate & potestate conticuit? nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & innumerabilium beneficiorum ejus, dives & ordinata largitio: per quæ humanis cordibus, quædam æternæ legis tabulæ præbebantur: ut in paginis Elementorum ac voluminibus temporum, communis ac publica divinæ institutionis doctrina legeretur?* Ideò David dixit, cœlum honoris divini præconem esse, & lituum encomiasten: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Propheta Baruch scribit quod stellæ in conspectu ejus luce vestiantur, & quod vocatæ, cum reverentia respondeant, & jubilo: *Stellæ dederunt lumen in conspectu ejus, & lætatæ sunt, & vocatæ dixerunt, adsumus:* Tres è forna-

Act. 14. v. 16.

Lib. 2. de vocat. gétiũ Cap. 1.

ce Babylonica juvenes ipsum in firmamenti sublimitate benedictum esse cecinerunt: *Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula*: Regius Propheta, totam terram gloria & majestate ejus plenam esse enunciavit: *Et super omnem terram gloria tua*: Amos totum mare, respectu & reverentia Dei plenum, eundē recognoscere, illiq; omni cum devotione obedire asserit: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ.* Isaias affirmat, montes & colles cum jubilo Deo laudes decantasse, omnesq; arbores illi admirabilē fecisse plausum: *Montes & colles, cantabūt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis, plaudent manu.* A Jobo jumenta & aves, veluti magnificentiæ divinæ prædicatores describuntur, & magistri: *interroga jumenta & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi*: A Salomone quoq; totus mundus, velut musica quædam, ad gloriam Creatoris sui institutus esse dicitur: *Et hoc, quod continet omnia, scientiā habet vocis.* Bene ergo cum S. Ambrosio concludam, dicens: *Cœlum ergo, cūctaq; cœlestia, mare & terra, omniaq; quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisq; concentu, protestantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua, majestatem sui loquuntur authoris.*

Lib. 4. de dictis Socratis. 13. Huc spectat, quod Xenophon de famosissimo refert Sostrato architecto, qui postquam in Alexandria, quandam miræ pulchritudinis, incredibiliumq; sumptuum fabricasset turrim, regis nomen inibi, in exteriorem posuit parietis superficiem: nomen verò suum proprium in vivum, subtus exteriorem illam superficiem, latentē exsculpsit silicē, eo nimirum consilio ut temporis diuturnitate, & aeris injuria, deleto principis nomine, solius architecti nomen, cum æterna artis suæ memoria, duntaxat perpetuò maneret residuum. Respice ô Christiane, mirabilem illam hujus mundi fabricam, ibi namq; extrinsecus quidem sive deforis, uniuscujusq; rei in particulari, videbis virtutem, habilitatem, efficaciam & pulchritudinē, juxta quod à natura singulę dotatæ fuerint: verum si intimius nonnihil penetraveris, artem quoq; & potentiam reperies Creatoris, suiq; ter maximi nominis majestatem & sublimitatem. Unde sanctus ille Dei Cytharœdus, jure merito canebat: *Domine Dominus noster, quā admirabile est nomen tuum in universa terra?* q. d. Psal. 8. v. 1. In hac majestatis tuæ plenissima fabrica, creaturarum equidem nomen video, cœlum videlicet, lunam, stellas, elementa, lucem, pisces, aves, animalia quadrupedia, aurū, argentum, gēmas, flores, fructus, &c. Verum inter omnia illa, nihil adeo elucet, veluti benedictum illud nomen tuum: *Quam admirabile est nomen tuum in universa terra?* Ineffabile nomen tuum, ô magne Deus, nonnunquam à tua trahitur essentia, quæ omne in se bonum continet: aliquando à perfectionibus tuis, quæ adeò sunt illimitatæ; subinde à magnis, quæ in nos confers, beneficiis, quę numero carent; sæpè ab infinita, qua uteris potentia, quæ omnē vilipendit vim contrariam: frequenter ab immensa sapientia, quæ omnium actionum tuarum comes & socia est individua: aliàs deniq; ab ineffabili, qui in pectore tuo semper ardet, amore: nunc verò dum ingens istud prodigiorum theatrum contemplor, sanctum nomen tuum

characteribus sempiternis ac indelebilibus inibi explicatum, atq; in omni parte expressum, cōspicio, unde repetere cogor: *Domine Dominus noster, quā admirabile est nomen tuum in universa terra?* Novi equidem, mundum istum aliud non esse, quam quandam bene temperatam harmoniam, & instrumētum quoddam, optimè ad modulos concinnatum, quod, dum corporis totius mirabilem structuram, & artificium, proportionem mēbrorum, partium sympathiam, connexionem officiorum, & unionem finium intueor, in cordis mei resonat auribus: attamē in tota isthac jucundissima, auribusq; gratissima musica, aliud nihil auditur, quàm nominis tui laus, & præconium. Et ideo *Domine Dominus noster, quā admirabile est nomen tuum in universa terra?* Quocirca S. Augustini velim audiam9 doctrinam: *Intende in cœlum & terram, ornatum cœli, fœcunditatem terræ, volatus avium, natatus piscium, vim seminum, ordinem temporum, vide facta, & quære factorem. Aspice quæ vides, & quære quæ non vides. Tua, Pater, Providentia, ab initio cuncta gubernat.*

Serm. 16. de S. Joan. Bapt.

14. Nunc ad secundum mundum accedamus, qui est mundus rationalis, seu quod idem est homo animalis, sacrosanctus cœli terræq; orizon, æternitatis atq; temporis confinium, omnium creatarum perfectionum cōpendium, Dei in terris locum tenēs ac veluti quidam vice Deus, ipsiusmet divinæ capax essentiæ. *Homo est, & quis cognovit eum?* dicebat Jeremias Propheta, ubi sanctus Bernardus, prædicta verba exponēs dicit: *ac si dicat supereexcellentiā ejus quis enarrabit?* quis hujus à Deo manibus profectæ operæ sublimitatem & excellentiam enarrare unquam poterit, utpote quæ omnem dicendi magnificentiam, omnemq; eloquentiæ humanæ vim præstantissimis suis dotibus, necnō qualitatibus eminentissimis, in immensum excedit, opprimit atq; retundit? *Superexcellentiam ejus quis enarrabit?* Quis hominis enuntiabit nobilitatem, qui in aliarum creaturarum medio positus, ipsas facit disparere, haud aliter, quàm si ad solis præsentiam, stellæ disppareant? An nescitis quod de terra, priusquam in illa crearetur homo, à Moyse chronista dictum fuerit: *Terra autē erat inanis & vacua?* aut veluti ibi S. Ambrosius legit: *Terra erat invisibilis,* interpretatur sanctus, *quæ hominem non habebat, propter quem Dominus respiceret in terram.* Tu omne quod in mundo est, velut nihilum æstimes, quamdiu homo non reperitur in mundo, cujus causa, Deus oculos suos in mundo defixos habet: *Supereminentiā ejus quis enarrabit?* Atq; hæc est ratio, ob quam, uti eidē Ambr. videtur, homo inter omnes creaturas ultimo creat9 fuerit, ut videl. inde colligeretur, Deum hominem veluti charissimum quendam amicum, ad hanc vastam & magnam mundi domum invitasse, quam ideo, antequam in illam introduceretur homo, vario ornamētorum ditissimorum apparatu, varisq; servitoribus instruxit, & ministris. *Quasi amicum præcedere debuerunt ministeria:* Aut verò postrem9 inter omnes creaturas, creatus est homo, ut hac ratione insinuaretur, hominem, veluti florē esse totius naturæ creatæ elegantissimum: *Novissimus homo est conditus, quasi quædam cœlestis in terra creatura.* Adhæc ultimo loco creatus est homo, ut

Secundū punctum.

Jerem. 17. v. 9.

Hom. 5. de villico.

Gen. 1. v. 2.

Lib. 1. Hexam cap. 1.

Epist. 35. ad Horontium.

ut omnium rerum factarum esset miraculũ: *Processit postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis, ut omni esset creaturæ miraculo.* Novissimus deniq; omnium creatus est homo, velut creaturarum omnium gubernator & rector: velut totius operæ, in mundum creandum adhibitæ, cõpendium & summa: sicut causa mundi, omnium elementorum possessor: *Ideo novissimus venit tanquam creaturarũ gubernator, quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quam facta sunt omnia, quasi omnium habitator elementorũ. Super excellentiam ejus quis enarrabit?*

15. Et quæ est illa pars in homine, quæ Dei factoris sui non deprædicet Providentiam? ubi non sculpta ejus videtur imago? Si de corpore loquamur, quæ pars est hominis ignobilior, quis non videt in illo, admirabiliorem esse hominis faciem, quàm cœlum istud: Oculos quàm planetas? vividam carnẽ, quam terram floridam? Illum quocum respiramus halitum, quàm quem spiramus aërem? venas quam fontes? ossa quam montes? Sensus humanos quam elementa? vivacẽ illum herilemq; aspectum, quam mortuam istam insensatamq; apparentiam? Rectꝰ est homo, quoad staturam, in vultu gratiosus, suavis in coloribus, in oculis, dulcis magnificꝰ majestateq; in frõte plenus, gravis in cæsarie, quoad ventrem, non sicut cætera animalia, pronus aut curvatus, sed pro ratione naturæ suæ sublimis & elevatus: nõ à vili servitutis jugo, in terra oppressus, sed veluti nativæ libertatis suæ cõscius, ad cœlum erectus, opulentissimum sese exhibet manuum authoris sui trophæum. Ita enim S. Ambrosius hac in re discurrit, dum dicit: *Et fabricam ipsam humani corporis, si quis considerare velit, nihil poterit in terra pretiosius judicare. Est enim homo statu celsus, vultu decorus, cæsarie gravis, non autem cæterorum more curuatus animalium, sed ipso naturæ jure sublimis, qui in cœlum libero aspectet obtutu, nulla captiva servitute cervicis oppressus in terram, sed tanquam propriæ conscius sublimitatis, & locuples sui testis authorũ.* Serm. 10. in Ps. 118. Nunquam profectò dicendi finis foret, si minutim explicare vellem, internum externumq; hujus prodigiosi operis artificium, proportionem totius, partium ligaturam, officia mẽbrorum, industriam sensuum, usum humorum, spirituum subtilitatẽ, utilitatem sanguinis, calorisq; efficaciam naturalis. Unde Ambrosius bene docet, potuisse hominẽ sese solo corporis sui proprii intuitu, ad cœlum resq; cœlestes sublevare: *Cur te sternis, quem natura non stravit? Supereminentiam ejus quis enarrabit?* Lib. 1. Hexameron. Cap. 1.

16. Totum tamen istud, veluti nihil est, si de animi humani nobilitate loqui volumus, & excellentia, utpote qui intellectualis à Deo creatus est, & ratione præditus. Ecquis enim ad sufficientiam, magnam illius prærogativam unquam commendare poterit, ad quam comparata omnis magnitudo, parva est, demissa omnis sublimitas, omnis thesaurus inops & pauper; omnis deniq; honor modicus existit & parcus? Homo namq; intellectu atq; ratione præditus, excellenti nobilitate sua, omnes alias creaturas, veluti inferiores, post se relinquens, beatis associatur, seu ut ita dicam, affiliatur spiritibus, atq; ipsimet Deo appropinquat, utpote cujus majestatem & magni-

gni-

gnificentiam, intra essentiam suam melius effigiatam, atq; expressam secum defert, quàm Minervæ scutum olim, Phidiæ sculptoris deferre potuerit effigiem: quippe quæ, Aristotele teste, affabrè adeò colligata, taliq; artificio incrustata erat, ut illam removere, ac deponere volens, totam pariter rumpere, ac demoliri debuerit statuam. Porrò in qua parte hic spiritus noster Deum nostrum non repræsentat? Per simplicitatem, divinæ naturæ exprimit unitatem: Per potentias trinitatem personarum: per informationem corporis essentiæ immortalitatem: Duratione suæ æternitatē vitæ: voluntate divini robur imperii: Intellectus sui conceptibus, generationem Verbi: Discursibus suis, sapientiæ magnificentiam: libertate, potentiæ divinæ dominium: per memoriam, divinæ providentiæ formam. In summa ad imaginem & similitudinem Dei, factus est homo: *Creavit Deus hominem, ad imaginem, & similitudinem suam.* ut proinde Pythagoras hominē, Deum quendam mortalem, non alia ratione vocaverit, quàm ob ingentem hanc, quam sui creatoris penes se defert, similitudinem, quæ ipsum hominem, mundo huic melius spectandum, & à cæteris discernendum exhibet, quam olim magni Pompeii cognoscerentur milites, qui, Plutarcho teste, capitanei sui imaginem, ad collum suum deferre solebant pendulam sive suspensam. *Super excellentiam ejus quis enarrabit?*

Gen. 1. v. 27.

17. Sed quid ultra desideratis? An non mens humana longo studio, nec non pertinaci cum labore repræsentavit, quicquid faber ille æternus, solo & nudo verbo, in uno momento produxit, dum arte mediante, aut imitatur naturam, aut perficit illam? Per alchimiam, aurum adinstar aurifodinæ producit; per ignem, ciborum variat sapores, ad instar solis. Quasi ignis, per duorum corporum mutuam allisionem, & percussionem, ignem elicit, & excitat incēdia. Per bovis ventriculum apes parturit, sicut facere solent in cellulis suis apiculæ: ad instar vaporum aeris, bombardis suis tonitrua efformat: Per artificiosum pulverem, mixtis inter se sulphure & nitro, in unam massam redactum, fulgura excitat, & fulmina, sicut nubes: Per surculorum insitionē, fructus ad instar terræ mature facit: Scripturis suis, animæ manifestat conceptus, ad instar linguæ: Typis, temporum præteritorum gesta firmiter retinet, sicut memoria: navibus maria sulcat, sicuti pisces, magnetis virtute, viam commonstrat, haud aliter ac stellæ: Horologiis tempora metitur, sicut cælum. Ecquid demum dicam sive de facta ab Archimede sphæra vitrea, quæ occultis machinis in gyrum acta, per certas quasdam & determinatas motiones, periodos motionesq; cœlestes referebat propriissimè: sive de ligneis Architæ Tarentini columbis, quæ non aliter, quam si vivæ fuissent, per aera volabant: sive de Leonis Imperatoris Græcorum avibus aureis, quæ cum stupore cantillantes auscultatæ sunt: sive de Boetii serpentibus æneis, qui trifidis linguis horrendum sibilabant: sive de metallino ab Alberto Magno, cōstructo capite, quod articulatè loquebatur? sive de Mercurii Trismegisti statuis, quæ con-

convivis cibos ad mensas deferebant? sive de statuis Menonis, in urbe Thebarum, quæ à nascentis solis percussa radiis, cantiunculam aliquam elegantissimè concinebant? *Superexcellentiam ejus, quis enarrabit?* Et tametsi homo ad creationem rei alicuius, pertingere nequeat, quod tantum illius potentia assequi non possit: attamen ad rerum omnium totius mundi pertingit alterationem, & mixturam, audaci conatu id meliorare tentans, quod erat perfectum. Ipse namq; siccavit maria, inundavit arenas, valles æquavit, planavit colles, perforavit montes, retroagit flumina, fodinas eviscerat, complanat sylvas, portentosisq; molibus, ad rigorosam, ipsa quoq; elementa cogit, obedientiam. Ipse picas musicam edocet, militiam equos, canes venandi industriam, tripudiare elephantes, prædari aves, boves agriculturam, humanitatem leones. Ipse in navigatione servire sibi facit ventos, flumina ad molendina pro pistrinis, ignem ad militiam, aerem ad musicam, herbas ad vestimenta, lapides ad medicinam, glaciem ad mensas, ad pompas regum conchylia. Memor esto itaq;, ô Christiane, conclusionis illius, quam S. Augustinus ex omnibus supradictis præmissis, tot miraculorum plenissimis elicit, videlicet, quod in *omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum est homo.* Omnium miraculorum quæ facere potest homo maximum, est ipsemet illorum author miraculorum homo, utpote qui in intelligendo, adeò est perspicax; in penetrando adeò acutus; adeo ingeniosus in inveniendo; in casibus dubiis, tantopere consiliorum abundans; adeo in prævidendo prudens; in operibus velox, adeo fortis in resistendo, in perseverando adeo constans & immobilis, ut merito dicas *Superexcellentiam ejus, quis enarrabit?*

Lib. 10. de Civit. Dei Cap. 12.

18. Etenim tametsi id, quod hucusq; de homine, dictum est, tantum sit, tamq; excellens, quantum vix pectus capere potest humanum earum rerum, quas intra secreta sua, atq; impenetrabilia mentis penetralia, formare sibi humanus potest intellectus: attamen parum erit, in comparatione ad ea, quæ ulterius de homine dici possunt. Ipse namq; est lux immensa, quæ perspicaci claritate sua, universum circumscribit mundum, atq; in mappa mundi cordis sui, visibile depingit, & invisibile: corporale & spirituale: præsens, & remotum; atq; eousq; progreditur, ut quantum vis capere potest humana, interminatam illam atq; incomprehensibilem summi Dei manifestet essentiam. Atq; hæc est ratio, cur altum illud, sublimeq; Stagyritæ Philosophi ingenium, intellectum hominis, formam formarum vocet: sicut manum appellat instrumentum instrumentorum: siquidem ipse, in animo suo phantasmatum coloribus essentiarum depingit multitudinem, varietatem, ac pulchritudinem, idq; arte longè fæliciori, quàm olim in gentis Hebrææ summi sacerdotis vestimento intexta fuerit, atq; depicta, totius terræ imago: *In veste poderis totus erit orbis terrarum.* Ut proinde meritò S. Augustinus miretur, quod homines, mundi hujus obstu-

Lib. 3. de Anima. Cap. 38.

Sap. 18. v. 24.

pe-

pescant mirabilia, neq; tamen semetipsos demirentur, cum tamen homo, sit inter omnia mirabilia maximum. *Et eunt homines, admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros syderum, & relinqunt seipsos, nec mirantur.* Omni ergo cum diligentia, cuncta mundi hujus investiga miracula, nec tamen te ipso majus invenies. Id quod ab ipsismet quoq; intellectum est gentilibus. Unde ille ter maximus Trismegistus dicit: *Magnum miraculum est homo.*

Lib. 10. Conf. cap. 8.

19. Neq; tamen etiamnum dicendo adæquata, & ad finem perducta sunt, quæ de homine dici possunt mirabilia; neq; enim finiri possunt, si incomparabilem illam, quam possidet libertatis prærogativam, huic creaturæ quam maximè, propriam, considerare volumus. Possunt equidem hominem humanæ potentiæ vires aggredi: cingere illum possunt numerosæ militum cohortes: exercitus obsidere, insidiari eidem stratagemata, impetere machinæ, tentare traditores, sollicitare timores, variæ deniq; conceptæ spes illum allicere nil prohibet: Et tamē ipse, intra inexpugnabilis arbitrii sui arcem, seu fortalitium fortificatus, optimeq; munitus, apertas non minus violentias, quàm insidias occultas, gloriosus detriumphabit: Ridebit semper cunctas subtiles, & ingeniosas inventiones, omnes quantumvis generosos atq; extraordinarios subsannabit apparatus. His deniq; adde id, quod rerum omnium corona est, ac complementum, scilicet, animi humani duratio-

Lib. 3. de Anima. Cap. 38.

Sap. 10. v. 24.

nem, & permanentiam, nam cum divitiæ fortunæ subjaceant, & gloria humiliationi & vultus venustas annositati, & morbis sanitas, & senectuti virium integritas, omniaq; cætera morti: solus tamen animus noster, in brevi isthoc humanæ vitæ decursu à nulla prorsus involari potest violentia: imo destructo etiam fragili isthoc carnis nostræ tugurio, quo ipse habitationis loco utitur, ipse à mortalitatis nostræ captivitate, seu vinculis liber semper manet, & immunis. Jure ergo merito nunc, si unquam alias, exclamare poterit Cassiodorus: *O summi opificis creatura mirabilis! Super excellentiam ejus quis enarrabit?*

Lib. de Anima Cap. 16.

20. Vultisne clarissimum hujus è divinis scripturis testimonium? Genesin ingrediamur, ibi namq; magnam cernetis, quacum creatus fuit homo, cæteræq; omnes factæ sunt creaturæ differentiam. Primo namq; omnia alia, unico duntaxat verbo, seu unico solū *fiat*, ex nihilo educta fuere, namq; unicum verbum, ab ipsomet nihilo veluti auditum, factum est miraculose fœcundum, omniumq; quasi pater & genitor rerum: *fiat firmamentum: fiat lux, fiant luminaria:* at verò ubi ad hominis ventum est fabricam, consilio Deus usus est, magnamq; adhibuit considerationem: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* Notavit id optimè S. Ambrosius: *Cætera dixit & facta sunt: ut homo fiat, specialis quidam Dei accedit hortatus: faciamus hominem &c. Vt tanquam laborantis Dei, in hujus munere creaturæ, singificetur operatio.* Videbatur Deus, certo quodam modo, in hoc

Serm. 10. in Ps. 138.

hoc ingenti opere adoriundo, exhortari seipsum, usurpare consilia, ac veluti laborare. *Per hoc sane*, inquit S. Basilius, *quod curam condendo homini, interserit scriptura, innuit Deum voluisse edere quippiam operis, quod eximiæ suæ artis specimen esset, numeris omnibus absolutum, perfectum, solertiâ, artificio elaboratum ac perpolitum.* Secundo, alia sola voluntate, & imperio divino facta sunt, in hominis autem fabrica, manum quoq; suam insuper adhibuit: *Ad hominem venitur*, dicit magnus ille Mediolanensium Episcopus, *& manus ipsas, quodammodo studet tibi Propheta, Dei laborantis ostendere. Plus nescio, quid in his intelligere, cum lego opera Dei laborata, me cogunt.* Dum Deum in hoc opere laborantem, suamq; manũ ad idem applicantem, video, mihi persuadere cogor, ipsum rem quampiam extraordinariam moliri, valdèq; peregrinam. Imo dicit idemmet illo Ambrosius, non unam tantum manum adhibet, sed duas manus simul, conformiter illi textui S. Job: *Manus tuæ fecerunt me.* Manus dicit pluraliter, non manum. tota cœli machina una manu stabilita fuit, una quoq; manu totum quod in creaturis est reliquum, productum est; & tamen quod in creatione mundi supremum fuit, modicum quid est, in cõparatione ad formationẽ illius, qui ad factoris, sui faciẽdus erat imaginẽ: *At vero alibi ait: Ego manu mea solidavi cœlũ, & manus mea fecit hæc omnia. In hominis constitutione videatur non abundare, quod toti mundo, ut fieret, abundavit. Cœlum una firmavit manus, & utraq; Dei manus hominem figuravit. Cœlum non ad similitudinem, homo ad similitudinem. Angeli ad ministerium, homo ad imaginem.* Ambæ adhibentur manus, ut res adeò diversas, ac disparatas, simul conjungant, ac invicem uniant, cujusmodi sunt lutum & spiritus, pondus & levitas, corruptio & immortalitas, temporale & æternum: Unde hoc erat S. Bernardi justissima admiratio: *Qualis artifex, qualis unitor rerum? ad cujus nutum sic conglutinantur limus terræ & spiritus vitæ? O summi artificis creatura mirabilis!*

Hom. 10. de hominis conditione.

Lib. 2. in Luc.

Serm. 2. de Nat.

21. Postremo, probè recordor, Deum, postquam cæteras res mundi hujus formasset, mox quidem suum, de qualibet re, judicium enuntiasse, cum dixit: *Et erant valde bona*, veruntamen non video, quod in aliis rebus ab ipso creatis requieverit, sicut quievit in homine, postquam eundẽ creasset, tunc enim *requievit ab universo opere.* Qua de causa S. Ambrosius immensas Deo referebat gratias dicens: *Gratias Domino Deo nostro, qui hujusmodi opus fecit, in quo requiesceret. Fecit cœlum, non lego quod requieverit: fecit terram, non lego quod requieverit: fecit solem, lunam, & stellas, nec ibi lego quod requieverit: sed lego quod fecerit hominem, & tunc requieverit.* Quasi magnus ille Deus dixisset: Nunc postquam feci hominem, mihi omni ex parte satisfactum esse existimo, quod videlicet, creaturam aliquam adeò venustam, & pulchram, tantisq; prærogativis plenissimam crearim. Nunc verè gaudeo, quia habeo, ubi cor meum requiescere possit, ac valeat, atq; ubi meas dignè elargiri, & impertiri possim gratias. Nunc omni ex parte contentus sum, quia video me in res

Lib. 6. Hexam. cap. 10.

omnes, ad hunc hominē quoquo modo adpertinentes, providētiæ meæ diffundere radios. Equidem nunquam profectò ad finem pertingerem, ſi adducere & recenſere hoc loco vellem, illam regiminis divini ſeriem, ſtupendiſſimæ providentiæ modum, quem circa hominem reſq; humanas habet animi, & corporis: in inventionibus artis, & quæ natura adinvenit: in ſcientiis & erroribus: in ſanctitate, & peccato: in præmio, & ſupplicio: in pace, & bello: in ſanitate, & morbo: in proſperitate, & caſu adverſo: in ſtatibus & rebuſpubl: in regimine politico, & oeconomico: in florido ſtatu civitatum, & regnorum translationibus: in origine dominiorum novorum, & antiquorum imperiorum morte. Id quod Salomonem adegit, ut diceret: *Non eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus.* Exactiſſima illa, quam circa hominem habes cura, & providentia, me docet non eſſe extra te alium Deum, utpote, qui ipſos quoq; capillos capitis mei, exactiſſimè tibi enumeratos habeas, qui pedum noſtrorum greſſus dinumeras, ponderas ipſiuſmet quoq; cordis cogitationes, manuum noſtrarum perſcrutaris atq; examinas actiones, momenta dierum ſtabilis, vitæq; noſtræ determinas periodos. *Venite, adoremus Dominum, qui fecit nos*, dicamus cum S. Aug: *Non enim facit ac deſerit: non enim curavit facere, & non curat cuſtodire. Ploremus ante Dominum, qui nos fecit, quia non ploravimus, quando nos fecit, & tamen fecit. Qui ergo fecit, antequam rogaretur, deſerit, cum rogatur?* Venite omnes, & reverenter adoremus Dominum, qui fecit nos, & cuſtodit, qui produxit, & protegit: qui vitam donat, & conſervat, qui dedit eſſe, & bene eſſe ſuperadjicit: Non fecit nos, ut derelinquat: ſed ut benevolentia nos ſua demulceat, noſq; favorum, gratiarumq; ſuarum conſtituat ſcopum. Ex puro amoris impulſu creavit, ex ejuſdem quoq; amoris impulſu curam habebit noſtri, utpote rei ſibi longè chariſſimæ, ex iis, quæ è manibus ſuis unquam derivatæ fuere. Non illum rogavimus, dum fecit nos, & tamen fecit, nunc nobis perſuadebimus, nos ab illo derelinquendos eſſe, poſtquam nos fecit, atq; orationum incenſo, & orationis à nobis honoratur ſacrificio? Agedum ergo, ô Chriſtiane, temetipſum nonnihil ſeriò conſidera, tuæq; nobilitatem eſſentiæ, atq; inde ad Creatoris contemplandam majeſtatem progredere. In ſpiritus tui ſublimitatem, oculos tuos defixos habeto, ibi namq; expreſſam Dei intueberis imaginem, quæ te univerſi conſtituat Dominum, omnibuſq; hujus mundi rebus ſuperiorem. *Attende tibi ipſi, ut attendas Deo*, dicam cum Baſilio magno, tuas contemplare divitias, ut altiſſimi contemplari valeas theſauros. Vide id quod habes, ut continuas illi referas gratias, qui id tibi dedit. Noli in æternum oblivіſci ejus, quod recepiſti, ne donatoris tui te aliquando capiat oblivio: ſed hoc illi continuò concine canticum: *Tua Pater providentia, ab initio, cuncta gubernat.*

Sap. 11. v. 13.

Serm. 1. de verb. Apoſt.

In illud: Attende tibi.

* * *

SECUNDA PARS.

Tertium punctum. 22. QUid demum dicemus de ultimo mundo, qui est mundus mysticus, & spiritualis Ecclesiæ Domini? in quo Deus, ut ita dicam, extremum potentiæ suæ nec non & summum sapientiæ suæ apicem spectandum exhibuit? Quis unquam seu uspiam gentium, hac admirabiliorem vidit rempublicam? sive in prima sui institutione, sive in fœlicissimis ejus progressibus, aut in æterna illius duratione? Crucifixus quidam eandem fundat: propagant illam duodecim piscatores: Non illam cunctorum Tyrannorum oppositiones damnificant, continuum ducentorum annorum macellum ipsam fæcundat: promovent illam perpetuæ Hæreticorum insidiæ: neq; illam infiniti sapientum terræ hujus decipiunt errores. Hæc est Ecclesia illa, de qua illa Isaiæ verba intelliguntur: *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Ipsa hortus est, ab ipsomet Deo plantatus, opus manuum suarum, ad dandum illi gloriam sempiternam. Litera Hebræa legit: *Opus manus meæ, ad ornandum memetipsum.* Hæc est opus quoddam adeò augustum, excellens adeò, vereq; divinum, ut ipsimet gloriæ Domino, ac summæ Majestatis Deo, singulare quoddam adferre possit ornamentum: Estq; diversissimorum donorum, & prodigiorum adeo dives, ut nec ipsemet cœli Dominus, de ea aliter, quam admiratione & stupore plenus loqui possit. Nunquid audistis illos loquendi modos: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens? quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? Quæ est ista quæ ascendit, ut virgula fumi?* Ut video, dicit Delrius, *admirabundus admirabundos nos deserit.* Quantum colligere possum, Deus ipse, stupore plenus, in admirationem se rapi sinit. Is cui perspecta sunt omnia, nescire videtur, Ecclesiæ sanctæ sponsæ suæ, explicare mirabilia. *Germen plantationis meæ, opus manus meæ, ad ornandum memetipsum.*

Isaiæ. 60. v. 21.

Cant. 8. v. 5. Cant. 6. v. 9. Cant. 3. v. 6. Delrius in Cant.

23. Dignum profectò ipsiusmet Dei ornamentum, sunt illæ, tam raræ, tam q; pretiosæ dotes, quæ illam coram illis etiam oculis, qui in ipsis quoq; angelis, quod emẽdationẽ mereatur, inveniunt, omninò perfectam constituunt. Unde ab ipsomet Deo, ingens istud retulit Elogium: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Etenim quisquis Ecclesiam Dei cum attentione considerare voluerit, præter mera mirabilia aliud non videbit. Ipsa mera spe conservatur, estq; secura: solis vivit promissis, estq; contenta: perpetuis probatur flagellis, nec reclamat: semper cingitur ab inimicis, nec timet: voluptatum inimica existens, semper abundat delitiis: persecutorum semper odia probat, semperq; amat, malorum experitur injurias, semperq; dissimulat: pro sponso suo, omni hora patitur, omniq; hora pati desiderat: innumeris decorata est prærogativis, & semper est humilis: infinitis è cœlo cumulata est beneficiis, & semper est grata: plena est stuporibus, & plena pariter est omni modestia: semper in divino laborans servitio, semperq; infatigabilis: officiorum munere admodum varia, charitate autem manens

Cant. 4. v. 7.

nens invariabilis; difformis quoad gradus, uniformis quoad cordis affectus: in pluraloca diviſa, ſed indiviſa voluntatibus. Ubi is unquam viſus eſt populus, vel ubinam gentium in mundo iſto reperitur adeo diſciplinata natio, quæ leges habeat ſimiles illis, quibus Dei gubernata eſt Eccleſia. Leges, quæ tam excellenter Profeſſores ſuos perficiunt, ut dignos illos Paradiſi efficiant incolas: Leges quæ hæc extremæ perfectionis docuere puncta, ſcilicet ad ipſam uſq; mortem crucem deferendam: renuntiandum omnibns, ad ſemetipſum, ſuamq; animam uſq; ad ipſos quoq; inimicos, eſſe amandos: odio habendam ipſam quoq; propriam vitam: ſanctificanda omnia, uſq; ad ipſas quoq; cordis cogitationes: omnia, uſq; ad ipſa quoq; verba otioſa, caſtiganda fore: deſerenda omnia, pro Dei amore, uſq; ad ipſam quoq; patriam & parentes: *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad ornandum memetipſum.*

24. Eccleſiæ divitiæ, ſunt ſacramenta iſta, quæ illam fortificant: ſcripturæ divinæ quæ eam conſolantur: Illæ quæ ipſam manuducunt traditiones: ſacrificium illud quotidianum, quod illam defendit: imaculatus ille, quo paſcitur, agnus: Venerabiliſſimus ille ſanguis, quo ſanctificata exiſtit. Ipſa variis loquitur linguis, & nihilominus intelligitur ab univerſis: ſcripturas interpretatur, nec poteſt errare: Mores dijudicat, & infallibile eſt ejus judicium: fidelium decidit controverſias, ipſiq; acquieſcunt ſinguli: Canonizat ſanctos, cultuq; hi mox afficiuntur ab omnibus debito: Exorcizat ſpiritus, illoſq; confeſtim pellit è corporibus. Benedicit campos, & fœcundat: Sententias fulminat, & mox animas ligat: Peccatores abſolvit, & reddit innocentes. Hæc eſt Eccleſia illa, quæ pupilla eſt oculorum Dei, incarnati verbi ſponſa, Tabernaculum ſpiritus ſancti, favorum altiſſimi cœli Monarchæ objectũ, qui omnes ipſi creaturas, in materiam deſtinavit virtutis: Adverſitates in patientiæ exercitium: in fomentum amoris, beneficia: filium in ſervitutis ſuæ redimendæ unicum lytrum: Angelos, in cuſtodes: miracula in conſervationem: Gratiam in penſionis levandæ capitale, ac deniq; pro mercede gloriam. *Quid eſt majus in terris, quid in cœlis ſublimius?* dicit Cardinalis Petrus Damiani: *illa utiq; quam acceptavit altiſſimus, quæ vulneravit cor ſponſi ſui? cui ſponſus idem dicit in canticis: vulneraſti cor meum, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui? quam ſpecioſa ſponſa iſta, quæ in uno capillulo, & ocelli ſcintillatione vulnerat cœlorum regem, Angelorum Dominum, filium Dei Patris?* Quænam illæ debent eſſe venuſtates, quæ illius vulnerare cor poſſunt, qui Rex eſt cœlorum, angelorum Dominus, & filius Dei? Hæc eſt Eccleſia, illa inquam, de qua quidem loqui percuperem, dicit idem Damianus, tametſi dignè loqui de illa neſciam, ipſa ſiquidem eſt cunctorum, ſuperbia ſæculorum, cui principes & imperatores deſerviunt, imò ipſæmet ſpirituum beatorum Hierarchiæ, per totum dilatata mundum, in qua limpidus ille veræ ſapientiæ fons perſiſtit: *De illa nobis eſt ſermo, licet non*

sit sermo in lingua nostra. Hæc est illa quæ posita in superbia sæculorum, cujus gloria à mari usq; ad mare, cui reges & principes famulantur, quam circumdat cœlestium legionum multitudo, in qua fons sapientiæ repositus est.

25. Quis hodie usq; adeò cœcus erit, qui non intelligat, tam augustam, perfectamq; Ecclesiam, præterquam à divina institui alias non potuisse providentia? utpote quæ in primæva sui fundatione, nec arma habuit, quæ illam ab inimicis suis defēderent: nec quæ proposito sibi intento viam aperiret, hominum multitudinem: Neq; eam, quæ apud mundi hujus sapientis, sibi conciliasset fidem, gratam doctrinam: Neq; nobilitatem, quæ illam à vulgo in pretio haberi efficeret: neq; denarios, qui tot adversariorum oculos atq; ora recluderent: neq; honorem, ob quem respiceretur à populis: neq; delitias, quæ corda seducerent, atq; antiquas in oblivionem abire facerent consuetudines: nec rationem, quæ intellectum convinceret, neq; temporale, quo cupidi allicerentur, præmium. Dicat ergo cum sancto Pro-

Ps.47.v.9. pheta, devotus quisq; fidelis: *Sicut audivimus, sic vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum.* Hæc est illa magna Dei civitas, ab ipso fundadata, ab ipso protecta, ab ipso gubernata, ab eodem deniq; ad præsentis status perducta magnificentiam. *Et ipse fundavit eam Altissimus.* Audite ma-

Cassiod. in Ps. 45. gnum illum senatorem Cassiodorum, qui conceptam hanc nostram confirmat lætitiam: *Gaudeant Christiani, & tota mentis exultatione lætentur, quando audiunt à Deo civitatem esse fundatam, in qua se firmiter consistere posse, nō dubitant.* Opus providentiæ tuæ est, ô Domine, illa inter tantas, tamq; perpetuas oppositiones, tam longa duratio: Illa inter tot, tamq; truculentos inimicos, tam continuata victoria: Illa inter tot tentationes, tam pura sanctitas: Illa inter tot errores, tam stabilis fides: Illa inter tot tantasq; superstitiones, tam constans religio: Illa inter tot tamq; difficilia præcepta, tam exacta obedientia: Illa in tanta nationum diversitate, tam stricta unio: inter tanta ignorantiæ frigora, illa tam ardens, & accensa charitas: inter tot hæreses, illa tam irrefragabilis doctrina: inter tot perturbationes, illa tam imperturbata lætitia: Illa deniq; inter tot ærumnas, tam firma perseverantia. *Deus fundavit eam in æternum.*

26. Verum enimverò, audite ipsammet Ecclesiam, veritatem istam, ingenti cum humilitate, beneficiorumq; gratissima cum recognitione profitentem: Postquam enim ipsa, à Christo pulcherrimo hoc laudata fuisset encomio: *sicut lilium inter*

Cant. 2. v. 2. *spinas, sic amica mea inter filias:* Ipsa mox respondet: *Similis est dilectus meus, capreæ, hinnuloq; cervorum.* Quibus

Nyssen. Orat. 9. in Cant. verbis, inquit Gregorius Nyssenus, ipsa duas nobilissimas recenset providētiæ divinæ proprietates: videlicet, acutè videre, & confestim sine mora prospicere, ad eum prorsus modum, quo sylvestris caprea, acutissimo visui velocissimoq; prædita est cursu: *Munus est dignum providentiæ principis, ut videas*

videat, quæ de longè sunt, & celeriter provideat. Quasi Ecclesia Dei dicere voluisset quod ego lilio interspinas similis existam, id est inter mundi hujus iniquitates, sancta, gratia, id est, Domini & sponsi mei singularissima, qui oculos in me semper defixos habere, meisq; necessitatibus, summa cum velocitate, prospicere dignatur: Ideoq; *similis capreæ, quia munus est providentiæ, ut videat. Deus fundavit eam in æternum.* Quid ergo est, ô sponsa Dei, quod timere possis, quæ adeò sollicitum, ac diligentem salutis tuæ custodem, tamq; velocem commodorum tuorum provisorem, lateri tuo semper assistentem habes? qui omnia tua usq; ad ipsos capitis tui capillos, quorum ne vel unicus, sine illius consensu, in terram valet decidere, numerata habet exactissime. *Sed* Matth. 10. v. 30. *& capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Id quod ex mente S. Augustini, argumentum quoddam fuit, à minori ad majus. Quasi dixisset: si tantam Deus capillorum Ecclesiæ curam habet, ut nec illorum unicus, à persecutoribus suis attingi, sine suæ voluntatis consensu, valeat; quam ergo ipse rerum majorum, majorisq; pretii, curam habebit? *Illi in morte de animabus suis pertimescebant, ille securitatem etiam de capillis dabat. Itane verò anima perit, cujus capillus non perit? Deus fundavit eam in æternum.*

27. Enimvero quod Ecclesia adeò visa fuit mirabilis, ut veluti jam dicebamus, ipsum quoq; Deũ in admirationem rapuerit, ideoq; dixerit: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* meminisse quoq; oportet, eodem in loco, illius datam esse rationem, verbis quæ subdit scil. *innixa super dilectum.* Omnes ingentes prærogativæ, omnes virtutes, & quicquid in Ecclesia stupendum est, atq; mirum inde dimanat, quod videlicet à dilecto sponso suo sustentata sit. *Innixa super dilectum suum. Similis est dilectus meus, capreæ, ut videat & provideat*: adeò ut quicquid in te, ô Ecclesia sancta, pulchri reperitur, aut pretiosi, id totum sponsi tui duntaxat debeas providẽtiæ. Hic est qui martyres tuos constantia obarmavit, ne tantorum tormẽtorũ carnificina perterriti, tyrãnorum cederẽt barbariei. Ipse est, qui infantium puerorumq; tuorum pectoribus, adeo extraordinariam inseruit fortitudinem, qua sexum, partier vincerent & naturam ipsam. Ipse doctores tuos, altam istam edocuit sapientiam, qua omnes mundi, hujus effugarunt, ac dissiparunt errores. Ipse ardentissimum Prælatis tuis subministravit zelum, quo in animarum exarserunt salutem. Ipse Eremitis tuis rigorosam illam suggessit solitudinem: illibatam atq; intactam illam puritatem, tuis virginibus; tuis monachis, universalem illam rerum omnium terrenarum expropriationem: devotionem nobilibus: sacerdotibus religiositatem: sanctimoniam clero: plebi docibilitatem: omnibus deniq; filiis tuis, paradisi viam. Isaiæ. 33. v. 20. *Innixa super dilectum suum.*

28. Propius nonnihil Isaiam Prophetam accedamus qui Ecclesiæ istius fœlicitatem, suæq; prosperitatis, mirabiliter depingit originem; *Respice inquit, Sion, civitatem so-*

solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur. Tria hic Propheta dicit, si rectè advertistis, videlicet, fore, ut Ecclesia futura sit civitas lætitiæ & jubili: *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ*: ut omnibus imaginabilibus abundet divitiis: *videbis habitationem opulentam*: ac deniq; ut omnis ejus fœlicitas, stabilis mansura sit, atq; permanens: *Tabernaculum quod transferri non potest.* Ecquis pulchriorem sibi civitatem imaginari poterit, quàm sit ista, ubi delitiæ in tanta sunt copia, tam abundantes divitiæ, status adeò firmus & invariabilis? Sed unde æstimatis vos, tantam Ecclesiæ DEI superaccessisse prosperitatem, nisi à paterni magni Dei providentia? hoc namq; Propheta insinuare voluit, hisce verbis: *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus.* Omnia quæ Deus unquam mundo contulit, donaria, nihili æstimanda veniunt, in comparatione adeas, quas Ecclesiæ suæ, Deus cõtulit gratias, hic enim duntaxat magnificus videtur, & liberalis: *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus.* Alia quædam litera sic legit: *Quia solummodo ibi magnificus & fortis est Dominus.* Ubi Gabriel Alvarus acutè notat, quod fortitudinem magnificentiæ conjungat, prima namq; efficit, ut possit: secunda vero, ut velit donare. *Cujus magnificentia facit, ut velit, & cujus fortitudo facit, ut possit. Innixa super dilectum suum.*

Ps. 39. v. 10 29. Tandem concludere statui in hanc regii Prophetæ sententiam: *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Supra quem locum S. Ambrosius advertit, haud absq; mysterio Ecclesiam magnam appellari: *In Ecclesia magna. Quid est quod addit magna, nisi quia fuit ante non magna?* Comparationem quandam, inquit Propheta sanctus, inter Ecclesiæ principia, progressus, & perfectionem institui, inter antiquam modicitatem, & majestatem præsentem. Inter principum persecutionem, & hodierna potentatum obsequia, inter injurias præteritas, & nova encomia: inter extremam illam paupertatem & opulentissimos thesauros modernos: inter rustica tuguria, humilesq; catacumbas, & superba templa sumptuosasq; basilicas: inter modicum hunc gregem & illam modernam quæ totum mundum hodie adimplet amplitudinem: Hoc totum considerans, vehementer te laudare coactus sum, dum hoc miraculorum maximum intueor miraculum: *Addidit magna, quia fuit ante non magna.* Verum notate obsecro, quod dixit: *Annuntiavi justitiam tuam.* Per hanc justitiam, Lorinus sanctitatem Evangelii intelligit. At si ita est, quomodo sanctitas illa, potius DEI, quàm hominum esse dicitur? Responsio est, sanctitatem istam, & justitiam, verè hominum esse, & in hominibus reperiri, DEI tamen esse dicitur, quia quicquid sanctitatis & justitiæ in Ecclesia reperitur, totum promissum, natum, datum & stabilitum est à benedicto ejus sponso.

30. Sit

30. Sit ergo interea millies benedictus hic Dominus, quod providentiæ suæ luce, inter densas obscurissimæ hujus Ægypti tenebras, adeò sit manifestatus! Benedicta sit immensa illa charitas, quæ ad humilium adeò ac indignarum creaturarum curam ac regimen, demittere se potuit! Benedictus sit ille DEUS, *qui facit mirabilia magna solus!* Mirabilis in mundo magno, mirabilior in mundo parvo, maximè autem mirabilis in mundo mystico. Multum debemus ipsi: quia mundum hunc nobis visibilem donavit: Plus autem quia nosipsos nobis dedit: infinities autem majores sunt obligationes nostræ, quod nos inter Ecclesiæ suæ filios numerare non sit dedignatus.

FINIS Primæ Partis.



CON-

CONCIONUM QUADRAGESIMALIUM

THOMÆ REINÆ Mediolanensis

Societatis IESV

PARS SECUNDA.



CONCIO XXIII.

In Feriam II. post Dominic. IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Joan. 2. v. 15.

ARGVMENTVM.

Flagella quibus ferimur, à manu Domini, nō sunt flagella, sed quasi flagella, 1. quia non sunt mala: 2, quia sunt bona: 3. quia nihil mali faciunt: 4. quia multum efficiunt boni: 5. quia magnum malum impediunt: 6. quia infinitum pariunt bonum.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Osculanda Dei manus cum flagello armatur, æquè, ac cum auro & gemmis repletur. Job enodatus *num.* 1.

Synopsis concionis. ib.

Primum punctum. *Dei flagellum malis non est annumerandum.* Augustini acumen *ad S. Pauli verba. num.* 2.

Flagella hujus mundi, sunt quasi somnium. nostra enim tristitia habet, quasi, S. Gregor. observatio. *num.* 2. 3.

Martyria, quæ patiuntur sancti, sunt Cantilenæ ut vertit S. Hieronym. *mundani æstimant sanctos miseros, sed decipiuntur. num.* 4.

Ex pœnis nostris, tanquam ex massa disposita, fingit Deus, & format, quicquid vult. mens D. Bernardi *ad hæc verba* tollite jugum meum &c. *n.* 5.

Deꝯ

Secundū punctum. *Dei flagellum est verum bonum*: huc flexus David. bonum mihi quia humiliasti me. *num.* 6.

Tactus Isaiæ *locus*. Confitebor tibi quoniam iratus es mihi, *pœnæ & gratitudinis nexus*. Oleastri reflexio. *num.* 7.

Illuminatus vatis regii *locus*, sicut *tenebræ* ejus ita & lumen ejus. *num.* 8.

Comparantur inter se, Judith *ditißima*: *&* Ruth *pauperrima n.* 9.

Si flagellum Dei non esset bonum, non de eo Apostoli gauderent, non Paulus gloriaretur &c. num. 10. *&* 11.

Tantum bonum putat tribulationem patriarcha Jacob *ut nequidem post mortem voluerit requiescere. n.* 11.

Tertium punctum. *Si flagellum Dei malum est, certè ita est malum, ut nihil mali alicui inferat. n.* 12.

Prophetæ locus notatu dignus proba me & tenta me &c. *quia* in ira misericordiam conspicit *optimè* S. August. *num.* 13.

Exclamatio Hieronymi *circa flammam fornacis babylonicæ*: grande miraculum! ô quam patiens ignis! quàm discretus! uruntur vincula, corpora non uruntur. nostra tristitia habet, quasi, *num.* 14.

Rubus ardens & non comburens Moysi ostenditur & quare. num. 15.

Quartum punctum. *Flagellum Dei non solum nihil mali parit, sed multum boni.* Scyphus Josephi *ex sacco Beniamin extractus propalatur, & quare? de qua simulatione magna cum emphasi* loquitur Ambrosius *num.* 16.

Persecutio quam passus est Ioseph à fratribus, fuit illi ansa ut ad Dominium Aegypti ascenderet. num. 17.

Iniquus est flagellum in manu Dei, ad bona infinita, perducenda idoneum. n. 18.

Davidis verba. Iratus est & misertus est nobis *exposita. num.* 19.

Quintum punctum. *Flagellum Dei quamvis esset malum majus tamen malum repellit. comparatio producitur de chirurgo erga ægrotum, à* Tertull. *num.* 20.

Paulus prius prosternendus postea erigendus. à spiritu Sathanæ colaphizatus, sed à Christo audit: ego novi quem curo, *&c. August.* acumen. *n.* 21.

Instar medici non parcit ut parcat. n. 22.

Infirmus à morte liberatus, medico gratias agit. num. 23.

Flagellum Dei non à malis duntaxat temporalibus, verum & ab æternis præservat. num. 24.

Ponderanda Jobi *verba.* Et hæc mihi consolatio est ut affligens dolore non parcat. *num.* 25.

Qui non flagellantur temporaliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus. num. 26.

Flagellum Dei est, quasi flagellum, *quod licet sit aliquod malum, tamen æternum nobis parit bonum. num.* 27.

Prophetæ locus productus. Deus propitius fuisti & ulcisceris *num.* 28.

Flagellat omnem filium quem recipit. Itane omnem? *acuta* Bernardi *interrogatio.* Etiam unicus sine peccato non sine flagello. *num.* 29.

Locus, Ps. 102. sicut pater miseretur filiorū *&c.* ab Aug. *explicatus. n.* 30.

Proprium prædestinatorum à Deo flagellari & quare. n. 31.

Qui in hoc sæculo, non in futuro tribulabuntur. Nahum adductus. *n.* 32.

Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis ut assequaris quod vis. num. 33.

Aeternæ veritatis sunt verba Pauli momentaneum & leve tribulationis non tamen contemplantibus quæ *videntur*, sed quæ non videntur. *n.* 34.

Funiculis olim hæreditates metiebantur : ita his funiculis de quibus in Evangelio æterna hæreditas nobis mensuratur. n. 35.

Gaudendum specialiter cum vos oderint homines & persecuti vos fuerint quoniam merces vestra &c. sapientiæ æternæ *consilium, & ratio. num.* 36.

LIberalem, & munificam Christi Redemptoris nostri manum, reverenter equidem exosculor, dum eandem auro plenam intueor, & hyacinthis, veluti eandem per experientiam experta est, sancta illa anima, quæ dicebat: *Manus ejus aureæ, plenæ Hyacinthis:* neq; tamen cum minori illam exosculor reverentia, dum illam rigido, severoq; armatam flagello conspicio, prouti hodie, in historia Evangelica, exhibetur videnda: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis:* Probè namq; recordor, illius ex invictissimi Jobi ore, manantis oraculi: Job. 5. *Ipse percutit, & manus ejus sanabunt.* q.d. Stultum est, illius sanctæ manus effugere verbera, quæ percutiendo sanant: vulnerando inflictis medentur vulneribus: dumq; se, quoad exteriorem speciem, crudeles exhibent, & inhumanas, puram, putamq; reapse ministrant benignitatem, paternamq; benevolentiam. Quæ cum ita sint, eccur, obsecro, tanti passim ab omni personarum genere, inaudiuntur clamores, quæ in-

Job. 5. v. 18.

gentes, quas flagella Domini subinferunt, utilitates, minimè considerantes, continuas contra cœli providentiam, ore suo circumferunt murmurationes? neq; ulla prorsus ratione justissimæ gubernationis Dei, consuetudini, ejusdemq; se sacratissimis legibus accommodare norunt? Cur non cum gratiarum actione, illas recipiunt gratias, quas illis prodigiosa ista Dei dextera præstat, quæ simul semper conjuncta defert, flagella, & amplexus: verbera, & blanditias: afflictiones, & consolationes? Equidem, huc ego me hodie, eo præcipuè fine contuli, ut hunc, modo id alias possibile futurum sit, ex hominum cordibus, stirpitus evellam, extirpemq; errorem, atq; evidenter demonstrem, Dei flagellum, non esse hominis alicujus, alioquin fœlicis, infortunium: sed potius summam hominis infortunati fœlicitatem: ideoq; non esse vocandum, absolutè, & simpliciter flagellum, sed potius uti Evangelista hodie loquitur, quasi flagellum. *Cum fecisset quasi flagellum.* Ostendam autem, non esse flagellum, sed quasi flagellum primo, quia non est malum: Secundo, quia ingens est bonum. Tertio, quia nihil mali infert. Quarto, quia multa bona confert. Quinto, quia ingens quoddam malum impedit. Deniq; exto, quia parturit bonum quoddam infinitum.

2. *Cum fecisset flagellum.* Imprimis ergo Dei flagellum, malis nequaquam annumerandum est, prouti alias, à communi plebe, iis annumerari solet, qui illud, pleno ore vocant infœlicitatem, malam fortunam, Primum Punctum

exi-

exitium, adversitatem, tribulationem, & aliis similibus centum nominibus appellant. Nam uti bene advertit S. Ambrosius: *Quod malum plerumq; putamus, malum non est.* In rerum æstimatione, nos utiq; frequenter decipimur, tantaq; cœcitate deludimur, ut merito sociandi simus infortunatis illis, de quibus Isaias loquebatur: *Qui dicunt malum bonum, & bonum malum.* Scholam obsecro S. Augustini, nonnihil adeamus, qui magno cum acumine advertit, Apostolum loquentem de miseriis quas omni hora, servi Dei, sub paterna Domini ferula patiuntur, semper illis terminum aliquem adiicere limitativum, scil. *quasi* vel *tanquam*, aut *sicut*: *Quasi tristes: sicut egentes: tanquam nihil habentes*: Econtra vero hoc ly *quasi* nunquam apposuisse verbis, consolationem significantibus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes*: Non dixit: *semper autem tanquam gaudentes*: *Tristitia nostra habet quasi*, inquit Augustinus, *gaudium nostrum non habet quasi*. *Quare tristitia nostra quasi habet?* quærit idem sanctus, responderq; id fieri, quia ipsa est veluti somnium quoddam. Quando somnium aliquod recensetis, semper additis *quasi*: videbatur mihi *quasi* starem in platea, eram, *quasi* in medio mari, eram *quasi* cum amicis. Sic Joseph, somnia sua recensens, loquebatur: *Putabā nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum.* Similiter aliud quoddam somnium recensens, ajebat: *Vidi per somnium quasi solem & lunam & stellas undecim adorare me.* Itaq; in libro Judicum scriptura, panem illum subcineritium, qui deorsum devolvebatur de monte, describens, similiter dicit: *Vidi somnium, & videbatur mihi, quasi subcineritius panis ex hordeo volvi, & contra Madianitas descendere.* Sic quoq; in Propheta Daniele, somnio illi de visa statua, *quasi* istud similiter adnectitur: *Et ecce, quasi statua una grandis.* Eodem prorsus modo, dicit Augustinus: *Nostra tristitia habet quasi, quia sicut somnus transit &c. novit enim charitas vestra, quia qui somnium indicat, addit quasi, quasi dicebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi, quia cum evigilaverit non invenit, quod videbat. Quasi thesaurum inveneram, dicit mendicus, si quasi non esset, mendicus non esset.* Addatur ergo flagello Domini, *quasi illud*, ut omnes intelligant, ipsum somnium quoddam esse, non veritatem: Fabulam quandam non vero realitatem: quandam Chymæram, non vero reale ens quoddam: mentis nostræ quandam phantasiam, non vero propriè manus divinæ ictum. *Nostra tristitia habet quasi.*

Lib. de Paradiso. Cap. 2.

Gen. 37. v. 7.

Judicū 7. v. 13.

Dan. 2. v. 31.

3. Hoc est, quod Sophar apud Job dicebat, secundum Gregorii Magni declarationem: *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* q.d. Cum videberis omninò prostratus, dejectus, & perditus, tunc benè prosperèq; procedes, ad eum modum, quo stella Diana in campo cœlorum progreditur. Ubi quoq; notandum, illum verbo quodam uti, cujus in somniis enarrandis frequens est usus, quod etiam bonus ille Joseph usurpabat, uti paulo supra jam diximus: *Putabam nos ligare manipulos in agro.* Et

Job. 11. v. 17.

Lib. 10. Moral. *notandum*, inquit Gregorius, *quod nequaquam cum consumptus fueris, sed cum te consumptum putaveris, dicit: quia & quod videmus, in dubietate est, & quod speramus, in certitudine.* Moxq; S. Pauli adducit exemplum, locum jam jam à nobis explicatum, proferens in medium: *Quasi tristes. Vnde & idem Paulus, non se consumptum noverat: sed putabat, quia in adversa tribulationum corruens, ut lucifer resplendebat dicens: quasi tristes, semper autem gaudentes: quasi morientes, & ecce vivimus.* Hoc enim quo flagellamur, dubia quædam, & anceps, ac per somnium concepta est præsentatio: Quod verò speramus certum est, ac indubitatum: *Et quod videmus in dubietate est, & quod speramus in certitudine.* Eccur ergo formidamus illud, quod tale non est, cujusmodi esse videtur, estq; adinstar phantasmatis hominis alicujus dormientis? *Nostra tristitia habet quasi: Cum fecisset quasi flagellum.*

4. Cum quis nonnulla refert, quæ improbabilia sunt, aut quæ verisimilia esse non æstimamus, per proverbium dicere solemus: Cantiunculæ, sunt istę relationes vestræ. quod idem est, ac si diceretur, fidem non merentur narrata vestra: sed non omnia sunt Poetarum, histrionumq; fabulæ. In hunc sensum locutus mihi fuisse videtur David cum dixit, *Cantabiles* Ps. 118. v. 54. *mihi erant justificationes tuæ*: aut sicut Hieronymus: *Carmina mihi erant Martyria tua.* q. d. Homines mundi istius semper ob flagella tua, tuaq; supplicia lamentantes audivi: atqui ut verum fatear, ego, quod video à te nobis immitti flagella, tot videor audire Cantiunculas, quarum tota contenti series fabularum, seu figmentorum esse videtur textura: *Carmina mihi erant Martyria tua.* Simplici, aut imperito cuipiam, magni illius Poëma Virgilii, in manus porrigite, videbit is inibi Didonem propriis sese conficientem ac trucidantem manibus: Æneam, interficientem Turnum: videbit Turnum, ense suo Pallantem transadigentem, credetq; ac persuadebit sibi, verissimas illas esse historias cum meræ fabellæ sint, nugaciaq; figmenta: Idem quoq; sæculi hujus insipientibus accidit, qui exteriorem duntaxat pœnalitatum, quas servi Dei sustinent, contemplantes corticem, infœlices eosdem æstimant. An Sap. 3. v. 2. non auditis sapientem, qui dicit: *Visi sunt oculis insipientium mori?* An Paulum non videtis, protestantem solemniter, quod *omnis disciplina, in præsenti, videtur non esse gaudij?* Ecquid obsecro modus iste loquendi innuit, quo dicitur quod justi videantur mori? Itemq; quod discip ina, à gaudio procul remota esse videatur? Mea quidem opinione, dicendum videtur scripturam eo loquendi modo uti, ut innuat, quod justi videantur quidem mori, cum tamen nequaquam verè moriantur; videtur dure atq; asperè tractari, nec tamen est ita. Secundum opinione stultorum mundi istius, flagella DEI dura equidem sunt, dulcia autem sunt opinione sapientum, Mors quæ pro DEO toleratur, revera mors non est, sed quasi mors à Poëtis suis in carminibus atq; odis conficta: *Carmina mihi erant Martyria tua.*

5. Idem

5. Idem fortasse Psalmista indicat, dum dicit laborem fictum esse: *Qui fingis laborem in præcepto.* S. Augustinus dicit, figulorum proprium esse fingere, illi namq; ex terra in massam redacta, pro suo sibi libitu vasa efformant: *Fingis & facis, formas, plasmas: unde & figuli dicuntur: Et vas fictile dicitur, quod formatur ut habeat aliquam formam.* Dicit ergo David, Dominum sibi laborem nostrum, fingere efformare, ac plasmare secundum præcepti sui propositum, veluti si diceret: Tu ô Domine, secundum voluntatis propositum, id ex labore nostro efficis, quod placitum est tibi: Imò si vis, facis ut labor sit gaudium: Tribulatio consolatio: Tormentum quies & sublevamen. Ad instar aromatarii, qui massam sacchaream, benè pistam & elaboratam, manu sua versans, quicquid sibi libet, efformat, videlicet vel crucem quandam, vel leonem, vel serpentem, vel tigridem, aut strictum ensem: quæ hoc modo ex saccaro pista, & efformata bestiarum simulachra, si formides, puer merito censeberis quippe qui trepidas coram ficto leone, atq; coagmentato ex suavissimo sacchara serpente. Hoc erat, quod dicebat CHRISTUS, uti bene advertit Bernardus, quando inquit: *Tollite jugum meum, & invenietis requiem animabus vestris. Mera novitas jugum tollens invenit requiem.* O novitas verè stupenda, accipere jugum, est invenire requiem, onus ferre & alleviari! sub cruce stare, est lætitiam sentire & gaudium. *Noverat hoc ille,*

In declamat.

subjungit Bernardus, *nimirum homo, secundum cor Dei, qui ei loquebatur in Psalmo: Qui fingis laborem in præcepto. An non fictus in præcepto labor onus levè, suave jugum, crux inuncta?* Præterea idemmet Bernardus, illa canticorum verba exponens: *Mel & lac sub lingua ejus,* dicit: Idem ille Dominus, qui lingua sua amaritudinem defert, sub lingua mellis & lactis latentem habet dulcedinem: *sub lingua ejus mel & lac,* quia juxta Prophetam, laborem fingit in præcepto: *Audi quomodo laborem fingere ipse se probat: Tollite, inquit, jugum meum super vos: & invenietis requiem animabus vestris: Iugum meum suave est, & onus meum leve. Quomodo non fictus labor, ubi non labor, sed requies invenitur? Ideo ergo labor in lingua, mel sub lingua.* Ecce tibi serpentem fictum: Ecce ex saccharo confectum personatum leonem: Ecce tibi carmen fabulis figmentisq; refertum: Ecce somniatam tibi chymeram. Ecce *quasi flagellum.* Nec mirum, flagellum namq; DEI, verum malum nequaquam est: nam *nostra tristitia habet quasi: Cum fecisset quasi flagellum.*

Cant. 4. v. 11. Bern. in sent.

6. Progredior ulterius, & dico, flagellum DEI non tantum non esse malum aliquod, verum potius ingens quoddam, atq; verum esse bonum. Equidem nisi id ita esset, cur sapientissimus Monarcha ille, tanta cum perspicuitate, idem nobiscum affirmaret dicens: *Bonum mihi quia humiliasti me?* Porrò, inquit David, dicant sæculi istius homines, quicquid libet iisdem, de flagellis tuis: conquerantur se à tua manu

nu malè tractatos & habitos: obloquantur tuo mundi istius inferioris gubernio, ego profectò perpetuò te laudans, cantabo tibi: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Ipsi te mediis in beneficiis laudent, secundum illud: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*: ego plagas inter, & miserias exaltabo te, haud ignorans, ipsas quoq; calamitates, & adversa, in benedictis manibus tuis, vera futura esse beneficia. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Timeant illi, qui flagellorum tuorum naturam, & proprietates minimè cognoscunt: ego à te illuminatus, omni prorsus timore careo, utpote probe sciens, quantum bonum, per æternam tuam providentiam, in illis habeas repositum. Hoc sensu S. Augustinus locum istum intelligebat: *Bonum mihi, quia humiliasti me. Et humiliatus sum, & bonum est mihi: & pœna est, & gratia est.* Nolo quicquam aliud scire, quàm quod per ipsammet experientiam cōprobatum habeo, ipsisq; etiam manibus palpo, & tango: *Et humiliatus sum, & bonum est mihi.* Vos nunc, ô terræ istius homunciones, qui à nativis ignorantiæ vestræ tenebris, vos expedire nescitis, dicitote, magnam esse infœlicitatem, à Deo humiliatum esse: Ego verò idipsum maximam experior esse fortunam. Dicite amaras esse, quas sustinetis, passiones, certè quas ego sustinui hactenus, dulcedine plenas esse comperio: Dicite intolerabiles esse, quas Deus infligit pœnas, meis profectò cordis oculis, esse videntur amabiles: *Et pœna est, & gratia est.* Concludam deniq;, cum hac mirabili S. Augustini clausula:

Aug. in Ps. 118.

Quid servat post pœnam, qui per gratiam exhibet pœnam? si flagella adeo sunt chara, ut amplexus esse videantur, & blanditiarum delinimenta? Si deniq; tam sunt amabilia supplicia, quid mercedes dandæ erunt? *Nostra tristitia habet quasi.*

7. Adhæc, si flagellum DEI, bonis annumerandum non venit: cur Propheta Isaias tantas pro illo gratias agit, dicens: *Confitebor tibi, quoniam iratus es mihi?* Certum est, gratias non referri, nisi pro præstitis gratiis, quid ergo vult sibi, quod Propheta dicat: Grates tibi magnas referam, teq; laudabo, quoniam iratus es mihi? *Raritatem, & novitatem gratitudinis expende*, inquit Hieronymus Oleaster. Attende, obsecro, quàm rarus, ac novus gratitudinis modus sit iste, dum dicit: Gratias tibi ago, quia punisti me, non vero blanditiis me deliniuisti: quia abjecisti me, non quia tuis me dignatus es amplexibus: quia afflixisti me, non quia consolatus es me: propter iram tuam, non vero propter amorem tuum: ob minas, non verò ob repromissiones: propter improperia, non vero ob laudes & encomia: *Confitebor tibi, quoniam iratus es mihi: noverat ipse, Dominum non minus benefacere iratum, quam mansuetum. Si expenderemus passionem Domini, cognosceremus verè esse bona & non mala.* Ita prædictus author ille. *Et humiliatus sum, & bonum est mihi: Et pœna est, & gratia est.*

Isaiæ 12. v. 1.

Oleaster in Isaiam.

8. An aliquando magnum illi Dei servum, qui omnia benedixit, audistis dicentem: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus?* Lux vel bona est, vel non

Ps. 138. v. 11.

non est? bonam esse, nequaquam negabis, nisi perfidus esse velis, dicit enim Moyses: *vidit lucem, quod esset bona.* Agedum itaq;, si tenebræ, sunt sicuti lux, id est, tribulatio, sicut consolatio: Ergo bonæ erunt tenebræ: *Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me?* ô Domine, nescio quæ ab improviso me non invadat tentatio, à tenebrisne fortasse conculcabor ego? Qu dinquam? *Et nox illuminatio mea in delitiis meis. Non dixit*, inquit S. Basilius, *abolita est nox, sed nox manens nox, id est, mala illa, & calamitates, me conculcare nequiverunt. sed facta est lux in nocte.* Non à me DEUS noctem sustulit, sed effecit, ut nox, manens nox, ad instar diei illuminaretur. *Quoniam tenebræ non obscurabuntur à te. Si volueris*, inquit S. Basilius, *tenebræ non sunt tenebræ, sed quæ lucis sunt, exhibebunt.* Ecce tibi idipsum quod superius dicebamus: *Et pœna est, & gratia est.* Tenebræ sunt, & lucis tamen præstant officium: Tenebræ sunt, nec tamen obscurant: Tenebræ sunt, attamen lætificant: Si enim tu volueris, jam tenebræ non erunt tenebrę: *Si volueris tenebræ non sunt tenebræ, sed quæ lucis sunt, exhibebunt. Nostra tristitia habet quasi.*

Gen. 1. v. 4.

Basil. in Ps. 138.

9. Comparat Petrus Damianus Judith, opum mundi hujus opulentissimam, cum Ruth paupercula & miserabili. Illa fœlix erat, misera autē ista: illa celebrabatur ab omnibus, hæc ab omnium oculis abscondebatur. Dicit ergo Petrus Damiani: *Vtraq; scilicet mente una, licet diversa fortuna, uni Deo non immerito placuit, quia neq; adversis illa succubuit, neq; inter prosperа sui met oblivisces, se ista dejecit, sed illa tolerabat, quibus abūdabat: ista fruebatur, quæ patiebatur.* Ambæ hæ mulieres quoad fortunam diversissimæ, Deo servierūt & placuerunt, eandéq; habuerunt puritatem mentis, intentionisq; parē rectitudinem: Judith namq; à divitiis se vinci nequaquam permittebat: neq; Ruth cedebat modicitati: Judith dives fuit, sed humilis: Ruth pauper, & egens, sed æquanimis. Judith multis ditata erat thesauris, sed absq; fastu: Ruth ne quidem quo vitam conservaret habebat, nec tamen ardebat invidia. Judith omnibus abundabat bonis, & liberalis erat: Ruth omni destituta ope & subsidio, in Dei tamen voluntatem resignatissima. Judith semper grata demanebat, inter tot tantaq; Domini beneficia: Ruth inier Dei flagella hilaris, semper & læta. Judith in fortunæ bonorum culmine posita, bonorum gratiæ haud immemor erat. Ruth in rerum terrenarum modicitate, cœlestium thesaurorum erat plenissima. Judith inter prosperitatis splendores obfuscata, aut perstricta nequaquam fuit: Ruth in adversitatis tenebris, nunquam fuit excœcata. Judith fortunata quidem fuit, sed fortuna superior: Ruth infortunata, sed omni infœlicitate altior Domina. Judith ingentia sibi apud Deum merita reponebat habendo: Ruth autem merebatur non habendo. Verum enimverò, dilectissimi, notate verba istius Patris postrema: *Illa tolerabat, quibus abundabat: ista fruebatur, quæ patiebatur.* Ruth, dicit, fruebatur iis quæ patiebatur. Dic sodes, ecquod

Lib. 8. Epist. 14.

aliud est fruitionis objectum, præterquam bonum? si ergo Ruth passionibus suis fruebatur: ergo passiones, ac pænalitates, nequaquam malum sunt, sed bonum. *Ista fruebatur, quæ patiebatur. Et pœna est, & gratia est.*

10. Præterea, si manus divinæ flagellum non est ingens quoddam bonū, quomodo Apostoli gaudētes, & præ lętitia veluti gestientes, ibant à conspectu concilii, postquam publicè ab eodem flagellati essent? *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati?* Cur igitur gentium magister Paulus, in infirmitatibus suis gloriabatur? *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Quomodo Job ferulæ Domini succumbentem beatum vocabat? *Beatus homo qui corripitur à Domino, increpationem ergo Domini ne reprobes.* Qua ratione magnus ille Dei amicus dicere audet, sibi pro eodem reputari, à Deo castigari, aut blanditiis deliniri? *si bona suscepimus de manu Domini, mala quare nō sustineamus?* Qua fronte Jacobus Apostolus hortaretur, ut omnium gaudiorum cumulum & collectionem existimaremus, dum in varias tentationes incidimus? *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Qua de causa justus ille, Domino, eo quod iratus sibi esset, gratias ageret? *iratus es, & misertus es nobis.* Anne præter bonum gratiarum actionis, & laudis aliud quoddam existit? aut quęnam erit lætitiæ beatitudinis, & glorię materia, anne alia quam bonum? Anne tu aliquem spei nostræ alium fontē, aut alium intentionum desideriumq; nostrorum magnetē reperies, prćeterquam bonum? Ergo *& humiliatus sum, & bonū est mihi.* Flagellum est propria gloriæ materia, objectum lætitiæ, omnisq; gaudii fons, & origo, unica deniq; desiderii nostri, speiq; meta: verum igitur quoddam est bonum ac singulare beneficium. *Et humiliatus sum, & bonum est mihi.*

11. Punctum istud confirmare tandē ac concludere statui, illo Jacobi Patriarchæ exēplo, qui in toto laboriosissimæ vitæ suæ decursu, dexteræ Dei flagellum semper expertus est, fugitivus à patria, à parentibus remotissimus, domum mutavit cum exilio; durissimam quandam, non minus quatuordecim annorum, passus est servitutē: ad necem quæsitus, persecutiones sustinuit à fratre: uno eodemq; tempore & filiæ stuprū, & generi sui deplanxit occasum, filiorum coactus est videre discordias, eorundemq; inhonestam licentiosamq; vivendi rationem: A fame oppressus, angustiatus à bello fuit. Et tamen omnia prædicta, quę vulgus imperitum ærumnas vocaret, & infortunia, sanctus iste Patriarcha, inter bona reposuit, iisdemq; annumeravit, adeò ut, ne post mortem etiam suam, privaretur iisdem, præceperit filiis suis, ut Ægypto exeuntes, per quadraginta illos annos, quibus ipsis in deserto oberrandum erat, corpus suum transferrēt, secum continuò portarent. Verum operæ pretium erit, idipsum ex ipsomet Ambrosii suavissimo ore percipere, utpote, quid id longè melius, opulentissimæ suæ eloquentiæ divitiis repræsentare valebit, quam ego dictionis meæ tenuitate, atq; inopia, præstare queam: Lib. de fide Resur. rect. *S. Patriarcha Israel profugus à Patria & à parentibus,*

bus, domum mutavit exilio, stuprum filiæ, generi necem flevit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit, transferri enim ossa sua, ne vel mortuus requiesceret, obsecravit. Sanctissimus hic Patriarcha, adeò sibi bonã, atq; proficuam expertus est adversitatem, ut eadem, ne quidem post mortem, desiderarit destitui. Corpus meum, dicebat filiis suis, vobiscum asportate: volo enim, ut hoc peregrinationẽ istam, in cujus procinctu vos jam estis, una vobiscum perficiat. In vita mea, quietem nunquam habui, unde neq; post mortem quiescere volo. Pro DEO pati, rem adeò semper existimavi magnam, ut tametsi per totam vitæ meæ periodũ passus fuerim, id mihi tamen minimè sufficiat, nisi id adeò continuetur, ut eo modo, quo possum, post ipsam quoq; mortem adhuc pati perseverem. *Transferri ossa sua, ne vel mortuus requiesceret, obsecravit.* Ecquid, obsecro, sanctissimus homo iste, ultra facturus fuisset, si vel sub ipso legis novæ splendidissimo lumine vixisset? aut à Christo nova illa sancti Evangelii inaudiisset dogmata? *Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui esuriunt & sitiunt, beati qui persecutionem patiuntur?* Necessarium ergo est, ut illam faciamus consequentiam, quam S. Ambrosius fecit, hanc videlicet: *Inde incipit beatitudo Iudicio divino, ubi ærumna æstimatur humano.* Diversi modè vitæ hujus flagella definiuntur ab homine, qui decipitur, à Deo, cui nunquam illuditur: ab homine, qui mendax est, & à Deo, qui verax, imo ipsissima veritas est: ab homine ignorante, & à Deo omnis sapientiæ fonte. Deus appellat ærumnam beatitudinem, homo infœlicitatem: hic simpliciter flagellum: Ille cum limitatione, quasi flagellum. *Nostra tristitia habet quasi. Cum fecisset quasi flagellum.*

Lib. 1. de offic.

12. Enimverò quid facimus, dum adeò directè, ex diametro, contra cõmunem omnium sensum pronunciamus? Quis dicat paupertatem miserabilem non esse? Aut graves non esse injurias & opprobria? Aut molestam non esse infirmitatem corporis? Aut exilium non esse abominabile? Aut mortem non esse horribilem? Concedamus ergo, idq; haud gravatè, flagellum Dei nunquam boni alicujus rationem habere, sive titulum: Concedamus inquam, quod sit verum quoddam malum, non tamen flagellum dici poterit, sed quasi flagellum: quod si enim malum quoddam est, tale profectò malum est, quod mali nihil alicui inferat. Id quod erat tertium punctum ad explicandum nobis propositũ. *Quis novit potestatẽ iræ tuæ?* dicebat Propheta regius. Sup quem locum dicit S. P. Augustinus: *Valde paucorum hominum est, nosse iræ tuæ potestatem, quia plerumq; ita magis, cum parcis irasceris, ut non ad iram, sed potius ad mansuetudinẽ tuam pertinere intelligatur, labor & dolor.* Quis potestatem irę tuæ intelligere poterit, quæ dum tu vis, non nocet, quantũvis damnificare iræ sit proprium. Ira tua, ô Domine, nocet quando vis, cum autẽ non vis, nõ nocet: cum tibi placuerit, ira justitiæ partes obit: viciſſimq; cum pręcipis, misericordię exercet officiũ. Quando vis, destruendi vim habet: cum autem non vis, vim adeo obtusam habet, atq; remissam, ut destruere non possit. Ira est, quando ita tibi placet, mansuetudo verò si secus decreveris. *Ut non ad iram,*

Tertium punctum.

Ps. 89. Aug. in Ps. 89.

sed potius ad mansuetudinem tuam pertinere intelligatur, labor & dolor. Ergo flagellum, non est flagellum, sed quasi flagellum, siquidem, in vicem ejus quod est nocere, benefacit. *Cum fecisset quasi flagellum.*

13. Hinc est, quod ille Hierosolymorum Rex sanctus, non tantum non petebat à flagello se liberari, verum adhæc supplicabat instanter, ejus in se flagella experiri. Unde dicebat:
Psal. 25. v. 2. *Proba me Deus, tenta me, ure renes meos, & cor meum.* Sed ecquid audio? An ô Rex sancte, ignem non times, quē adeo formidant universi? An non Dei te supplicia terrent, quæ sæpè numero viri etiam constantissimi & magnanimi exhorrescunt? Tune tanta cum animositate, inquiris illud, quod omnes, non sine ingenti providentia, declinant? Verum enimverò, audite eam, quam idemmet Propheta hujus reddit, rationem, sicq; omnis haud dubiè cessabit admiratio: *Quoniam misericordia tua, ante oculos meos est.* q. d. In ira tua, misericordiam tuam conspicio: video in suppliciis tuis, latentem pietatem tuam: In flammis tuis, amorem tuum contemplor. *Et vide, si non ignem quærit?* Ita loquitur
August in Ps. 25. Augustinus, *Non times, ne igne deficias? non, inquit; Quare? quoniam misericordia tua ante oculos meos est.* Optimè cognovi potestatem iræ, & indignationis tuæ, quæ, cum tibi ita placuerit, iram se esse obliviscitur, atq; misericordiæ exercet officium: *ut non ad iram, sed potius ad mansuetudinem tuam pertinere intelligatur, labor & dolor.*

14. Tres illos, in Babylonia, pueros Hebræos (si ita videtur) nonnihil requiramus, nam fortè potestatem iræ Dei cognoscemus, nec jam amplius, velut imperiti, dicemus: *Quis novit potestatem iræ tuæ?* Erat fornax illa ipsorum ardentissima, superabatq; flamma fornacem, cubitis quadraginta novem: Et tamen in eadem flamma, innocentuli isti illæsi remanebant, atq; ab igne, qui omnia alias destruit, prorsus immunes. *Grande miraculum*, inquit Hieronymus: *cadunt in medium ignis præcipites, ardent vincula, quibus ligati sunt, & vinctorum corpora, timens flamma, non tetigit &c.* Hieron. in Cap. 3. Dan. ô *quam patiens ignis! quam inenarrabilis Dei potentia! vinculis stricta sunt corpora: uruntur vincula, corpora non uruntur.* O divinæ potentiæ prodigium ingens! pius ille, discretusq; ignis, sanctorum puerorum exurit, & consumit vincula, ipse autem timidus omnino, & venerabundus eorundem tangere non audet corpora! ô verè sapiens flamma! quæ innocentes à reis discernere novit, quæ conformiter justitiæ & æquitatis, suos novit communicare effectus: simul eodemq; tempore terribilis & pia: Efficax & efficacia carens: potens & impotens: quæ fortunatos illos quidem juvenes cingit, nec tamen pilum eorundem lædit: quæ circa vivida illorum corpora serpens, & lambens voluitur, nec tamen quicquam sentitur: apprehendit, nec tamen offendit: lambit nec mordet; speciosis suis illos coronat, ac cingit, splendoribus, nec tamen atra fuligine & exhalatione sua eos quicquam adfumigat, comburit vincula, nec tamen comburit corpora: *Vruntur vincula, corpora non uruntur.*

runtur. Est ergo hoc malum quoddam, nec tamen malè cedens: miseria, quæ tamen non reddit miserum habentem; flagellum quod non flagellat: quodq; non flagellum, sed quasi flagellum, dicendum est. *Nostra tristitia habet quasi. Cum fecisset quasi flagellum.*

15. Ignis hic Babylonicus miraculosum illum Palæstinæ ignem, à sancto Moyse visum, in memoriam revocat: qui prodigiosum illum rubum corripiens, non consumpsit, reserebatq; populum Domini, in captivitatis Ægyptiacę flammis quidem expositum, qui tamen, ob Dei præsentiam, nullum inde receperat nocumentum. *Vox ergo de flamma*, ita sanctus loquitur Ambrosius: *Et in rubo flamma, & flamma non noxia. Vrebatur enim rubus, & non exurebatur: eo quod illo mysterio Dominus signaret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adveniret, nec consumpturus ærumnosos, sed consummaturus ærumnas.* Populus quidem in igne erat, ast Deus pariter, qui inibi loquebatur, ibidem erat: In igne ardor erat, aderat tamen ibi etiam, frigidiusculꝰ ros ille resonantis inde verbi divini: Fœlix spinetum illud illuminabatur quidem, non tamen consumebatur, atq; è duobus illis, quos elementum istud habere solet, effectibus, unum intermisit, ne offenderet: alio benevolè, & amicabiliter utens, ut serviret, vim suam coercuit, sibi violentiam intulit, ne combureret: suos autem splendores dilatavit, & virtutem suam auxit, ut ornaret & expoliret. Ad offendendum mortuus omnino est, & insensatus: totus autem vigorosus, & vivax, ut juvet. *Vrebatur & non exurebatur.* Quid mirum ergo, si magnus ille Propheta, cum ingenti fortitudine cordis audacter dicat: *Vre renes meos, & cor meum*, si in igne non reperitur ignis, sed Dei invenitur misericordia? *Quoniam misericordia tua, ante oculos meos est.* Fuitq; hic conceptus Psalmistę in Ps. 31. ubi se flammis tribulationis cinctum esse dicit, sed insuper divinæ protectione misericordiæ pariter circumdatum: *Tu es refugium meum, à tribulatione, quæ circumdedit me: sperantem autem in Domino, misericordia circumdabit.* Misericordia Domini, tribulationem enervat, ne aliquod tibi inferat nocumentum: stabis quidem in mediis pœnarum ardoribus, attamen pariter quoq; stabis, in mediis divinæ protectionis favoribus cinctus flammis, & cinctus gaudio: circumdatus persecutione, sed protectionis quoq; præsidio munitus. *Quomodo est præsidium à pressura?* interrogat S. Augustinus, ac pro more solito mirabiliter respondet: *quem primo circumdedit pressura, postea circumdabit misericordia. Quoniam misericordiam dabit, qui legem dedit: Legem in flagellis, misericordiam in consolationibus.* Concludo itaq; dicendo, flagellum Dei nihil mali efficere: tametsi enim minister sit iræ Dei altissimi, attamen cum ei placuerit, ira Dei, officium exercebit misericordiæ. Unde ignis à Deo jussus, non comburit, sed contra propriam naturam effectus addiscit mansuetudinis, illudq; elementum, quod adeò vehementer nocivum existit, nullum inferet nocumentum, prouti in ipsis Ba-

Exod. 3.

Lib. 1. de Spiritu Sancto Cap. 16.

Aug. in Ps. 31.

bylonicæ fornacis incẽdiis, atq; Palæstinæo rubo, cum admiratione, & stupore cernere licet. *Nostra tristitia habet quasi. Cum fecisset quasi flagellum.*

Quartum punctum. 16. Progredior plus ultra, & dico, non solum mihi facere mali, sed plurimum quoq; boni parere. Deus (Hom. 26. in Ezech.) sæpè, inquit Gregorius, charitate motus, se exhibet illum, qui non est, ut se postea illum commonstret, qui revera est: apparenter iratum se esse demonstrat, ut postea clarius ostendat, quam ipse clemens sit, & benignus. Coram te terribilis comparet, & rigorosus: sed suus ille mysticus rigor, certum quoddam, ac securum pietatis, & consolationis suæ pignus existit. *Sæpè de charitate ostenditur quod non est, ut demonstretur quod est.* Rigorosissimus profectò, ne dicam crudelis, bonus ille Joseph videbatur, quando præcepit, ut in sacco Beniamini, quem tenerrimè diligebat, scyphus reconderetur aureus. Eheu! quanta erat illa, miseri illius juvenis, mœstorumq; fratrum suorum confusio, dum ipsis nil mali suspicantibus, aut formidantibus, atq; à quadam ministrorum caterva oppressis, invento in jumentis ipsorum latrocinio, declarati sunt benefactoris sui, cui tantopere obstricti erant, ingratissimi fures, & prædones! Quem non experiebantur horrorem, quando coram magno illo vicerege Ægypti perducti, corpus delicti coram oculis suis habentes, nullam adversus brutum adeò & enorme flagitium habebãt defensionem? Quid aliud infœlix Beniamin, merito expectare poterat, quàm durissimi ac squalidi carceris sententiam? Et nihilominùs tamen, totum id amor erat, quod crudelitas esse videbatur: idq; quod juxta apparentiam exteriorem, odii videbatur effectus, pignus erat magnæ charitatis & benevolentiæ: Joseph fratrem suum blanditiis demulcere statuerat: ideoq; malè ipsum tractare videtur: velut cum latrone, agit cum illo, ut illum tractet veluti fratrem, ideoq; ipsum iniquè tractare videtur: ipsum apparenti crudelitate decipit, ut locupletet, vereq; cum pietate amplectatur: nam *sæpè de charitate ostenditur quod non est, ut demonstretur quod est.* Unde S. Ambrosius, de hoc facto loquens, optimè dicit: quod Beniaminus *non fallebatur, sed vocabatur &c. scyphum mittit, ut fratrem, quem diligebat, pia fraude revocaret.* (Lib. de Joseph Cap. II.) Et alibi de eodem subjecto loquens, magna cum emphasi dicit: *Electi fratris præsentiam pia fraude quæsivit, quem simulato per elegantiam furto, reum statuit rapinæ, ut obsidem teneret gratiæ.* Ecce modum, quo Deus utitur nobiscum, qui prima facie decipere velle videtur, sed fraus illa ad bene consulendum, nec non ad detegendos mundi istius laqueos, dirigitur. Nonnunquam te abjiicere, & aspernari videtur, cum tamen, tunc magis, quam unquam te ad se advocet & invitet: In speciem exteriorem crudelem se exhibet, qui reapse misericors est, & clemens *Non fallebatur, sed vocabatur, ut fratrem quem diligebat, pia fraude revocaret.* Hæc est fraus quædam admodum pia, tametsi sub velo rigoris cooperta, quo reum facit, ut liberum pronuntiet: condemnat, ut absolvat: permittit indignatio-

tionem, ut conferat gratias: *reum statuit rapina, ut obsidem teneret gratiæ.*

17. Enimvero, postquam nunc vidimus Joseph, fratres suos tribulantem, nunc quoq; eundem, ab iisdemmet fratribus suis tribulatum, nonnihil dispiciamus. Ismaelitis, uti nostis, pro viginti siclis est venditus, idq;, ut ipsi quidem existimabant, ut ipsum hoc pacto è medio atq; ab oculis sublatum, non viderent deinceps, rabidamq; suam satiarent invidiam. Veruntamen hæc tam ingens ejus persecutio, via fuit, qua Joseph ad totius Ægypti ascendit Dominium, cumq; ipsum annihilare statuissent, salvatorem illum fecerunt provinciarum, patremq; regnorum, & uti Chrisost. loquitur: *Suscipit servitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam.* Servituti submittituris, quem Deus ad gloriam sublimare statuerat: mancipiumq; factus est, qui post mancipatum, omnium provinciarum Ægypti factus est imperator. Atq; quem fratres sui vendiderunt, ne adorarent, inquit Gregorius Papa, hunc ex eadem occasione adorare debuerunt, quia vendiderunt. *Quia mutari Dei consilium non valet, quem ideo vendiderunt, ne adorarent, adoraverunt, quia vendiderunt.* Unde S. Augustinus cum Deo loquens, optimè dixit: Deum infinita sapientia sua, malis benè uti, aurum gratiarum, ex miseriarum mineris, seu aurifodinis eliciendo: *Bene utens bonus malis, & faciens bona de malis.*

Hom. de Joseph.

Hom. 21. in Ezechielem.

Tract. 112. in Joan.

18. Adhæc, si de bonis spiritualibus, quæ ex manus divinæ flagellis nascuntur, loquendum nobis esset, dicendi finem non haberemus; Eæ namq; gratiæ, quæ ex hoc, quod est à Deo flagellatum esse, originantur, in sui qualitate sunt præstantissimæ, multitudine autem sui, omnem exsuperant numerum: *Quanta bona facta sunt justo, de malo injusti?* dicebat S. Augustinus. Iniquus, qui quoddam justi flagellum est, sed in Dei manu positum, ad infinita bona producenda aptum est, & idoneum; atq; à radice tam perversa, per divinæ providentiæ directionem, præstantissimarum virtutum subnasci possunt germina. Hoc sensu S. Augustinus verba illa regii Davidis explicabat: *Ascendit fumus ab ira ejus: carbones succensi sunt ab eo.* Per iram Dei, homo sacrum quoddam thimiama efficitur, unde cœlum versus ascendunt suavissimi cogitationum castarum, regulatarum volitionum, intentionum sanctissimarum, ferventissimarumq; precum suffitus. *Ascendit fumus in ira ejus: ascendit lachrymosa deprecatio Pœnitentis, cum cognovisset quid minatur Deus impiis: carbones succensi sunt ab eo. Qui mortui erant, revixerunt, qui frigidi erant, accensi sunt.* Ira ergo ista, est ira quædam admodum chara, valdeq; amabile flagellum quod tepidos calefacit, excitat somnolentos, mortuos resuscitat: *Qui mortui erant, revixerunt, qui frigidi erant, accensi sunt.*

In Ps. 61.

Ps. 17. v. 9.

19. De hac amabili Dei iracundia, David Propheta loquebatur, dicens: *DEUS repulisti nos, & deduxisti nos, iratus es, & misertus es nobis.* Res verè prodigiosa est illa, intellectu valdè difficilis. Reicit te-

Ps. 59. v. 3.

Deus, & liberat te: dumq; irascitur nobis, misericordiam nobis impedit: *Iratus es, & misertus es nobis.* Verum ad Scholam Augustini, una mecum propinquetis: hic namq; paradoxa isthæc cœlestia, intelligere vos faciet: *Destruxisti nos, ut ædificares nos: destruxisti male ædificatos: destruxisti vanam vetustatem, ut sit ædificatio in novum hominem, ædificatio mansura in æternum. Merito iratus es, & misertus es nobis: non enim misereris, nisi irascaris.* An non ergo rationabilem hoc loco cernitis esse venerabilis Abbatis Berengosii exclamationem? *O ira misericors, & salubris indignatio! O ira misericors, quæ sic irascitur, ut subveniat: sic minatur ut parcat: sic auffert ut restituat: sic tradit ut eripiat: sic destruit ut muniat: sic abiicit ut recipiat!* Ira Dei nostri, misericors quædam ira est, & indignatio salutaris, quæ odit, cum vult amare: deserit, dum vult subvenire, minatur, cum vult condonare; auffert ut restituat; exponit, ut protegat: destruit, ut fortificet: repellit, ut amplectatur. Hæc est pia illa ira, de qua Propheta loquebatur, dicens: *In ira populos deduces:* Sic enim S. Augustinus hunc locum legit, ubi alias vulgata habet: *In ira populos confringes.* q. d. Per iram tuam misericordiæ & pietati semper conjunctam, tu populos protegis: *Irasceris*, inquit S. Augustinus *& deducis, sævis, & salvas: terres, & vocas. Quid enim est, in ira populos deduces? implens tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te, ne delitiis & securitate perversa seducantur.* Si ergo flagellum Dei malum quoddam est, id quod bene homini cedit, certè non flagellum, sed quasi flagellum appellandum erit. *Nostra tristitia habet quasi. Cum fecisset quasi flagellum.*

Aug. in Ps. 59.

In natali Mart.

Ps. 55. v. 8.

in Ps. 55.

20. Quæ omnia tametsi ita sint, video nihilominus, curiosis non usq; quaq; satisfactum esse, ac proinde statui jam concedere, flagellum DEI minimè bonum aliquod esse, nec boni quidpiam parere, imo potius malum esse, & gignere malum: attamen, eo ipso quod malum istud, impediat, repellatq; malum majus, profectò flagellum absolutè, & sine addito appellari nequaquam debet. *Cum fecisset quasi flagellum.*

Ad perveutsti Tertulliani vos perducam scholarũ palæstram, qui discursu quodam fundatissimo convincit, sive ignorantiam eorum, qui non intelligunt; sive infirmitatem eorum, qui summam divinarum correptionum utilitatem intelligentes, easdem nihilominus recusant, atq; ab iisdem, quoadusq; possunt, remotissimè declinant. Dic sodes, inquit magnus ille Africanus, anne quid est ad videndum horribilius, quam chyrurgus aliquis, multis, horrendisq; ad torquendum onustus instrumentis? qui acutissimis novaculis, ad ipsa usq; ossa incidat? ad ipsas usq; medullas, subulis suis penetret? ferreis trochleis membrorum dividat conjuncturas, nervorumq;, atq; cartilaginum compages? Carnes cucurbitis igneis, seu etiam candentibus scalpellis, comburat, & transadigat? Qui membra sine ulla distorqueat compassione, eademq; asperrimis torculis discruciet? Qui nullam in afflictissimo corpore partem prætereat, quam cor-

corrosivis mineralibus, mordacissimisq; cataplasmatis non affligat? Qui miserum, infirmum, gementem, mugientem, ejulantem audiat, neq; tamen inde plus quàm petra aut lapis aliquis moveatur? Crudelis vocatur carnifex, & occisor barbarus, & inhumanus, nec tamen audit; neq; ipsum vel ad momentum, ab opere suo retinent, aut retardant, imprecationes, protestationes, conjurationes, opprobria, minarum dira. Fundit, quassat, stringit, comprimit, convellit, lacerat, fodit, sine pietate, sine misericordia, sine commotione aliqua, idq; in mediis ægri agoniis & ærumnis, inter circumstantium lachrymas, inter funestissimæ illius carnificinæ horrores. Quis hic unquam crederet, fore, ut is, qui barbarè adeò, ac inhumaniter à Chirurgo tractatus est, tandem aliquando eidem ingentes relaturus sit gratias? aut osculaturus sit manus illas, quas paulo ante serio trūcatas & amputatas esse volebat? aut auro easdem, aliisq; pretiosis repleturus sit donativis? aut extraordinariis illum sublimaturus sit encomiis, quem paulo ante turpiter adeò injuria afficiebat, hominumq; appellabat carnificem & occisorem? Et tamen id quotidie fieri videmus ab iis, qui atrocibus quidem, sed salutaribus mediantibus tormētis, desperatam à chirurgo recipiunt salutem. *Et est plane quasi sævitia*, inquit Tertullianus, *medicina de scalpello, de cauterio, de sinapis incendio. Non tamen secari, inuri, morderi, idcirco malum, quia dolores utiles affert: horrorem operis, fructus excusat. Ululans deniq; ille, & gemens, & mugiens*

Tertull. contra Gnost. Cap. 15.

inter manus medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit. Ecce tibi propriè depictam, quam Deus nobiscum usurpat, agendi rationem, hoc est, piam illam Dei crudelitatem. Et *est quasi sævitia medicina de scalpello.* Ecce tibi, qua ratione sit, *quasi flagellum*, dum malum aliquod evenire permittitur, ad evitandum id quod majus est, dum cœlestis ille medicus, per infinitam suam misericordiam, carnis tibi aufert sanitatem, ut infirmitatem restauret spiritus: dum filium tuum occidit, cui excessivè nimis affectus eras, quiq; Dei te reddebat immemorem: tollit amicum, quia scandalum erat tibi: persecutionem tibi commovet, eo quod nunquam in pace ad benefactorem te cōverteris: destruit ac devastat prædia, quia illa hæreditatem gloriæ de mente surripiebant tibi. Efficit, ut jacturam magnam famæ, boniq; nominis tui facias, eo quod flocci antea feceris, si in libro vitæ nomen tuum scriptum foret: Te pellit in exilium, qua nunquā in patria tua, paradisi patriam mente recolebas: Deniq; amaras tibi reddit cunctas res terrenas, ut solus ipse, tua tibi dulcedo ac delitium existat. *Horrorem operis, fructus excusat.* Unde Tertullianus optimè dicit, illam chirurgi sævitiam, non esse crudelitatem, sed quasi crudelitatem: *Et est quasi sævitia.* Et nos itidem bene dicimus, dum asserimus, flagellum Dei, nequaquam flagellum, sed quasi flagellum esse. *Cū fecisset quasi flagellum. Nostra tristitia habet quasi.*

21. Hæc à Tertulliano adducta similitudo, intentum nostrum adeò

deò efficaciter probat, ut Augustino, similiter & Hieronymo, mirum quantum arriserit. Paulo ad mortem currenti, inquit S. Augustinus, Deus mederi decreverat, ideoq; veluti medicum se illi exhibebat, ipsum sistit, exterret, ex equo præcipitē agit, oculorum ipsum lumine privat. Ast quorsum isthæc omnia? *Ego percutiam, & ego sanabo*, dicit cœlestis hic medicus. *Vides illum præparantem ferrum? ô sævitia! ô misericordia! servaturus est non perempturus.* Siste paulisper, inquit Augustinus, nec enim quod tibi irrogatur, ad malum, sed potius ad bonum, & utilitatem tuam spectat, hæcq; quæ te exterrent, tam horrenda ferra, post hoc brevissimæ periodi tormentum, salus tua erunt. *Dolorem ingerit, sed ut perducat ad sanitatem. Molestus est, sed nisi esset, utilis non esset. Horrorem operis fructus excusat.* Cumq; videretur Paulo, se nimiū à divino illo medico torqueri, rogabat, inquit Augustinus, instantissimè, ut curationi mox finem imponeret, tolleretq; emplastrum illud adeò mordax, quod tam immaniter ipsum torquebat, id est, angelum sathanæ, propriæq; carnis stimulum, à quo tam inverecundè continuò colaphizabatur: *Ter Dominum rogavi, ut discederet à me.* Sed ecce tibi verum medicum, nam ut in Paulum pius esset & misericors, omnis se pietatis quasi exhibere voluit expertem, ipsum vociferari permittit, nec audit: vehementer ipsum pati sinit, nec tamen compatitur, dicitq; *Ego novi quem curo. Non mihi det, qui ægrotat, consilium. Tanquam emplastrum mordax urit te, sed sanat te.* Sine ergo, cruciet te tormentosum illud remedium, si enim cruciet te, te quoque, sanabit. Horrorem operis, fructus excusat.

Serm. 14. de sanctis.

Serm. 34. de temp.

In Ps. 98.

22. Nunc ad Hieronymum venio, qui in eundem sensum ita loquitur: *Si adhuc miraris, amatoris nostri medicinam, per flagella constare, illud quoq; debes mirari, quod torquent remedia, quos medicus amat, qui in nocendo, quod nocet excludit. Vtiq; qui nocentia quærit excludere, non potest nisi nocere, & ideò nocendo curat, ut charior sit sanitas, præparata mœroribus.* Qui juvare vult, nocere debet: nocendo namq; id quod nocet, excludit. Atq; hoc sensu loquebatur idem, Hieronymus in comment. in Ezechielem Prophetam dicens: *Instar medici non parcit, ut parcat: crudelis est, ut misereatur: nec considerat patiens dolorem, sed vulneris sanitatem.* Hoc est ergo illud adeò clemens flagellum cœlestis ac divini illius medici, qui non ignoscit, ut ignoscat: ut clemens sit, inclementem se demonstrat: nocet ut tollat quod nocet; ut omnem levet dolorem, dolorem infligit. *Horrorem operis, fructus excusat.*

In Epist. ad amicū in tri.

23. Infirmus, quantumvis etiam afflictivis medicamentis, à morte liberatus, medico gratificari non cessat. Sic Rex ille sanctus, magno suo benefactori Deo, infinitas in simili casu, reddebat gratias, atq; in Ps. 117. hunc in modum cantabat: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. Narrabo opera DOMINI.* q. d. Præsto, obsecro, mihi sitis mihiq;

hiq; in reddendis Deo gratiis debitis assistite, cujus ego prodigia, nunquam pronuntiare cessabo. Ecquid ergo tibi, ô Propheta sancte præstitit? *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.* Castigavit me, ne forte morerer, utq; à flagello majori me liberaret, me flagellavit: deniq; ut mortem declinarem, in ipsis me posuit portis mortis: *Non solum ob id gratias agit*, inquit S. Basilius, *quod liberatus sit à malis, sed & quod incidit in mala, maximam expertus gratiam malorum.* Longè, haud dubiè, majus fuisset DEI flagellum futurum, nisi flagellasset me, inquit Hieronymus ideoq; Dei pura misericordia fuit, quod flagellarit me. *Magna est ira Dei cum non irascitur: quæ putatur esse asperitas, clementia est.* Non decipiamur obsecro, Dominum inconsultò rigidum vocantes, & crudelem, tunc, cum manus suæ flagellum infligit nobis. Pietas est, quam nos asperitatem æstimamus: siquidem modicum inferendo malum, ingens à nobis malum aufert. Ingens quædam Dei ira est, si hac ratione non irascatur. Hoc animo, omnes sancti præditi fuere, in particulari verò Petrus Blesensis, quando post diuturnam quandam toleratam ægritudinem, DEO incessanter gratias agebat, dicens: *Gratias ago gratiæ largitori, qui me misericorditer flagellavit: Et iram mihi convertit in gratiam; infirmari me voluit, ne gravius infirmarer.*

Basil. in Ps. 107.

Epist. 31. ad Abb. de Contr.

24. Quid? si demum Dei flagellum, non à malis duntaxat temporalibus, verum & à malis æternis inimicorum Dei te præservare ostendero, tunc utiq; *horrorem operis, fructus excusare concedes.* Valde bene ergo Augustinus dicebat: *Propitius Deus, cum malè amamus, negat quod amamus. Iratus autem, dat amanti, quod malè amat?* Non est censenda DEI misericordia, quod res illas tibi permittat, quas perperam amasti, quæ efficiunt, ut peccata multiplices, in iisdem finaliter pervertaris, ac per consequens te damnant. *Iratus dat amanti, quod malè amat.* Flagitiosi quidam apud Isaiam dicebant; *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Dixerunt*, inquit Hieronymus, *non sermone, sed opere. Nos habemus pactum, & fœdus cum inferno, & cum morte: Semel salutē desperavimus.* q. d. Pacem & confœderationem habemus cum morte, ac inferno, nobisq; bene est cum dæmonibus, nec quicquam de salute nostra, quæ post hanc vitam nos manet, curæ nobis est, dummodo in præsenti vita, pro libidine nostra eveniant nobis. O quàm bonum atq; utile esset talibus, si quis modum adinveniret rumpendi pacem istam, quæ est pax peccatorum, omni perniciosior bello, quæ rectissima ad æterna supplicia est via! CHRISTUS ergo palam pronuntiavit, in hoc se venisse in mundum, ut pessimam illam pacem, quæ præsentissima omnium, quotquot perduntur, ruina existit, disrumperet, atq; dissolveret:

In Ps. 26.

Isaiæ 28. v. 15.

Hier. in Isai.

Veni mittere gladium. In quem locum
Hieron. in Matth. Cap. 10. S. Hieronymus præclarè dicit Dominum venisse in mundum, ut malam turbaret tolleretq; pacem, ibidemq; salutare suscitaret bellum: *Propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala.* Nihil ergo te perdidisse memineris, cum pace sceleratorum destitueris: aut si quidpiam perdas, id perdis duntaxat quod certissima tua futura erat perditio.

25. Punctum istud concludam, ea, quam fortissimus Job in tantis passionibus concepit, consolatione: Sed qualé hancce consolationem fuisse existimatis? Ipsemet id nobis prædicit.
Job. 6. v. 10. Propheta edicat, nec quicquam dubito, quin mentem suam enuntians, magnam multis illaturus sit admirationem: *Et hæc mihi consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* q. d. Tunc me vera consolatione roboratum censebo, si nullam consolationem accepero: mihiq; tunc satisfactũ putabo, cũ omni me solatio destitutũ videro: *Ac si apertè diceretur*, inquit S. P. Gre-
Lib. 7. Moral. gorius, *quia ideò hic quibusdam parcit, ut eos in perpetuum feriat, ideo me hic feriat non parcendo, ut in perpetuum parcat: ex afflictione enim consolor, quia ad spem salutis, ex vulnere certus reddor.* Admodum me consolaris, ô Domine, dum vehementer castigas me, satis enim superq; intelligo, supplicium istud, adversus æterna præservativum esse supplicia. Nolo mihi indulgeri veniam, ut æterna sit venia, non vero temporalis. A te in hac vita, misericorditer flagellari desidero, ut ea post hanc vitã flagella effugiam, quæ sunt absq; misericordia. *Quia hic parcit ut feriat, ideo me hic feriat ut non parcendo, in perpetuũ parcat.* Hoc erat, quod tantũ B. Hilarioni addebat animum, referente id S. Hieronymo, ad tantos sufferendos pro Deo labores, ut in manifestis sæpè versaretur vitæ periculis, sed nullum unquam curavit periculum, ut de æterni fuga periculi, securum sese reddere posset. *Contempsit mortem, ut mortem evaderet.* Mortem transeuntem, pro morte non transeunte: corporis istius mortem, pro æterna spiritus morte.

26. Ac proinde, ne glorieris, quisquis es, qui divinæ manus verbera non experiris: qui quid flagellum sit ignoras? qui ab omni ærumna securus existis, socius videlicet illorum, de quibus scriptum est: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur:* Ps. 72. v. 5. Nam ut Petrus Blesensis sapienter advertit: *Procul dubio qui non flagellantur temporaliter, cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum Dæmonibus. Et qui cum hominibus non laborant; cum Dæmonibus laborabunt.* Blesensis Epist. 9. Eheu! quàm sunt hæc mala nova pro illis, qui in hac terra fœlices existunt, qui magno suo infortunio illorum obtinuere abundantiam bonorum, quę æternorum malorum certissima, & indubitata sunt causa, quæ tot veluti execrandæ sunt victimæ, pro inferni macello incrassatæ! *Qui non flagellantur temporaliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus.* An nõ ô mi Christiane, longè melius est, passionum Christi, & gloriarum Christi participem esse? illis affligi malis, quæ unico tantum momento durant, frui autem, quæ in æternum durant, bonis?

bonis? Illis hic premi laboribus, qui servorum Dei sunt proprii, qui patientes suos, à laboribus Dæmonum inimicorum Dei eximunt? *Qui non flagellantur temporaliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus.* O ingens pietas Domini mei, cujus mihi gratia licet, unica salutari punitione, tot peccatorum discancellare, ac delere debita, quibus infernum merebar: qui clementi cum rigore, corpus hoc captivat caducum, quod ad æternam damnationem me recta portabat! qui plangere me facit, copiosasq; ex oculis meis spargere lachrymas, quæ plurimis, gravissimisq; culpis meis debita, æterna extinguūt incendia. Quapropter, macti animo estote, dilectissimi, non enim quantumvis acerbum in hac vita à Deo immissum flagellum, flagellum vocandum est, sed quasi flagellum. *Nostra tristitia habet quasi. Cum fecisset quasi flagellum.*

SECUNDA PARS.

Sextum punctum. 27. SUperest nunc, ut per ultimam rationem demonstrē flagellum Dei, flagellum non esse, sed quasi flagellum, eo quod malū quoddam sit, quod æternum nobis bonum parit. Quod priusquam reipsa aggrediar, fundamenti loco, quandam ab omnibus Sanctis prædicatam, sæpeq; in scripturis divinis inculcatam veritatem præmittam, videlicet, vitæ huj⁹ flagella, propria esse amicorū Dei, filiorum Christi, atq; eorum, qui ad æternam prædestinati sunt gloriam. Enimvero ab ipsis Dei amicis exordior, de quib⁹ angeli cujusdam, apud Tobiam, testimonium habemus: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* *Quem enim diligit Dominus castigat,* inquit Paulus Apostolus. Hinc an Deus te amet, conjicere poteris, si videlicet te tractet, velut si non amet: bene tibi vult, quando opinione mundi, malum tibi infert: amicus deniq; es, cum te veluti inimicum exerceat. Sed dicat quis, ænigma istud nequaquam intelligo. Intelliges autem, adhibita S. Augustini doctrina. Vidistine aliquando, inquit Augustinus, aliquem lethargia oppressum; aut vi mali alicujus effectum phreneticum? Nunquid tali adhibentur instrumenta ignea ad urendum, acutissimis stimulatur ferris, torquetur vinculis seu catenis, & quidem hoc totum fit manu ejus, qui inter cæteros est charior, imo ab ipsomet frequenter filio? neq; enim charus est filius, nisi molestet, & hoc modo torqueat patrem. *Nonne excitantur vincti lethargici, ne somno gravi premantur in mortem? & hoc patiuntur à filiis suis, quos charissimos genuerunt. Et non est charus filius, nisi fuerit dormienti patri molestus. Lethargici excitantur, phrenetici ligantur, sed tamen utriq; amantur. Nemo ergo dicat, persecutionem patior, non ventilet pœnam, sed probet causam.* Ne ergo lamenteris, ô Christiane, si à manu Dei flagellari te videris, à culpæ lethargo te liberare volentis, sed cur id faciat, non vero flagellum ipsum considera: *Non ventilet pœnam, sed probet causam.* Amoris effectus est id, quod tu crudelitatem arbitraris, & malevolentiam.

Tob. 12. v. 13.

Ad Heb. 12. v. 6.

August in Ps. 14.

Percutit te Deus, qui amat te: *Lethargici excitantur, phrenetici ligantur, & tamen utriq; amantur.*

28. Hoc est, quod Rex sanctus
Pſ. 98. v. 8. dicebat, dum iquit: *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciſcens iniquitates eorum.* q. d. Propitius quidem fuisti, ô Deus meus, servis tuis, & tamen adversus eosdem ultus es te: amasti illos, & castigasti: Benevolus erga illos fuisti, & malum tamen intulisti eis: misericors fuisti in ipsos, quibus tamen infinitas immisisti miserias. *Propitius fuisti & ulciſcens.* Scitisne cur ita? videlicet, ut S. Bernardus inquit, quia *misericordiæ est subtrahere misericordiam.* Misericordiæ signum nonnunquam est, modica uti misericordia, ac sæpenumero est pietas, minimè se pium exhibere, ac denique non amare, purissimus sæpè amor existit. *Ignoſcendo propitius fuerat,* inquit Augustinus, *propitius fuerat & vindicando &c. illi DEUS iraſcitur, quem peccantem non flagellat.* Non tunc duntaxat, cum blanditur, & benefacit, propitius est DEUS: verum etiam quando flagellat, & major sæpè amicus est, cum minus amare videtur. Unde S. Bernardus optimè dicebat: *Non eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Vides quia tunc magis iraſcitur DEUS, cum non iraſcitur.* Flagellum ergo est quasi flagellum, quia amicorum DEI proprium est, ac peculiare.

Serm. cōtra vitium ingratitudinis.

Aug. in Pſ. 89.

Serm. 42. in Cant.

29. Quod autem filius DEI sis, ex modo quo tecum procedit, colliges: *Flagellat omnem filium, quem recipit.* An potest in scriptura, quid magis reperiri perspicuum? Certe nisi flagellet te Deus, magnam habet dubitandi rationem, an filios inter connumerandus venias. Adeoq; verum est, dicit S. Augustinus, quod filios suos adoptivos Deus flagellet, ut ab hac lege, ne quidem filium suum naturalem, sibiq; consubstantialem, ac coæternum exemptum esse voluerit: *Ne te sine flagello speres futurum, nisi forte cogitas exhæredari: flagellat omnem filium, quem recipit. Itane omnem? ubi te volebas abſcondere? omnem, & nullus exceptus, & nullus sine flagello erit. Quid ad omnem? vis audire, quam omnem? Etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello.* Qua ratione ergo, te à flagello Domini eximendum fore, persuades, à quo nullus unquam exemptus est filius? Qua fronte abſconditus esse prætendis, ubi abſcondere se potest nemo? Imo filius unicus, qui innocens erat, flagellatus tamen fuit, tuq; inter tot culpas, te sine flagello abiturum existimas? *Et unicus sine peccato, non tamen sine flagello.*

Heb. 12. v. 6.

Aug. in Pſ. 37.

30. Ad regium Prophetam accedite, ab ipso namq; magnam hanc clarè intelligetis veritatem. *Sicut miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* q. d. Eadem prorsus Dei erga nos servos suos est misericordia, quæ est patris erga filios suos. Sed quæ, & qualis est ea, quam pater erga filios suos exhibet misericordia? Pecuniarum illos curat esse inanes, ne ad ludos & jocos sese recipiant: severum illis, ac rigidum præficit Pædagogum, morumq; præfectum, ut opti-

mè evadant morigerati, urbaniq; fiant: ne cum omnibus indifferenter conversentur, seriò vetat, ne malis seducantur consortiis ac societatibus: Eos præcipuè, quibus quàm maximè afficiuntur, cibos, è mensa illis jubet tolli, ne aut crapulâ, aut noxiis cibis suam destruant complexionem: Nequaquam vel pedem, è domo, nocturno tempore, efferri permittit, ut hac ratione, ab omni prorsus licentia, & dissolutione sint remotissimi; suos in ipsos semper defixos habet oculos, ut sibi moribusq; suis semper attendant, caveantq; committere, quod indecens, aut à congenita illis nobilitate, atq; progenie sit alienum: Illos frequenter impetuosè inclamat, hortaturq;, ne libertati sese dedant, ac dissolutionibus: deniq; suam quoq; cum opus fuerit, manum, ad flagella extendit, fustibus aut plagis delumbat, atq; à se propellit, ipsosq; paterna spoliare hæreditate minatur. Hæccine tibi crudelitas, an vero misericordia esse videtur? Utiq; misericordia est, sed Patris. *Sicut miseretur pater filiorum. Iam sæviat, quantum vult*, ita S. Augustinus sermocinatur. *Pater est, sed flagellavit nos, & afflixit nos, & contrivit nos. Pater est. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere, quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento.* Hoc, opinione mea, erat id, quod gentium monebat magister: *In disciplina perseverate, tanquam filiis vobis offert se Deus.* In quæ verba sic commentatus est S. Augustinus. *Sicut filios, vos aggreditur Deus: non admovet vobis manus, sicut hostis hosti, sed ut pater filiis: emendaturus, non perditurus.* Diversus planè modus est, quo inimicus suum adoritur adversarium, ab eo, quo pater utitur, aggrediendo filium. Ille enim id facit, stimulatus cupiditate totalis ruinę adversarii sui: hic desiderio totalis emendationis filii sui: Ille ex odio motus, hic instigatus amore. Ille ut hostē destruat, hic ut filium instruat: Ille omni prorsus seposito discretionis respectu: hic ingenti cum dexteritate, *emendaturus non perditurus.* Tu ergo nunc illam cum Chrysostomo scribente in illa verba: *Flagellat omnem filium quem recipit*, fac consequentiam: *Flagellat omnem filium, quem recipit: si flagellat omnem filium, quem recipit, qui non flagellatur fortasse nō est filius.*

Aug. in Ps. 102.

Ad Heb. 12. v. 7. Lib. de tēp. Barb. Cap. 6.

21. Nihil deniq, adeò prædestinatis, proprium reperio, quàm cōtinuo à Deo flagellatum esse. Illi enim sunt verum granum, in area Domini repositum: quod excutitur, ut in cœli granario reponatur. Ipsi sunt lapides templi, qui dolantur, scalpuntur, poliuntur, ut postea absq; tumore, in gloriæ templo collocentur. Ipsi sunt currus, sive quadriga altissimi, qui ad instar Eliæ, ab ignis turbine rapti, paradiso inferuntur: Et sicut Blesensis dicebat: *Trituratur granum, ut reponatur in horreo: quadratur lapis, ut sine sonitu mallei, in templi ædificio collocetur: movetur turbo, ut Elias rapiatur in cœlum.* Epist. 44.

22. Maxima populus Dei premebatur quondam tribulatione, adeo ut in cordibus eorum, cogitationes suborirētur, cōtra ipsam Dei providentiā, jamq; res eo redacta fuerat, ut in procinctu essent, aperiēdi, ad effutiendas con-

contra Dominum querelas, os suum, quando ecce Nahum Propheta eidem
Nahum.1. v. 9. populo dixit: *Quid cogitatis contra Dominum, consummationem ipse facit, non consurget duplex tribulatio.* q.d. Vt quid adversus Deum conquereris? Ipse fecit mundum, idemq; eundem, tot deorsum de cœlo depluendo pœnas destruit. Ipse Dominus est, tu verò servus illius: ipsius proinde est præcipere, tuum vero obedire. Macte interea fac animo sis, non enim consurget duplex tribulatio, in pręsenti vita nimirum, & in futura: *Non consurget duplex tribulatio: qui puniti sunt, postea non punientur*, sic interpretatur Hieronymus. Servis Dei idem accidit, inquit Augustinus, quod Petro, qui ut
Serm.16. de sanctis. ad Christum se reciperet, prosiliit in mare, in eodemq; non sine evidenti submersionis periculo, cum procellis & fluctibus confligere debuit. Sed quid sibi vult, quod Petrus tempestate maris jactatus, & agitatus, hac tamen via pervenerit ad Christum? *Igitur S. Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic pervenit ad Christum: ostendens nobis, quod non nisi per pericula pervenitur ad Christum.* Qui non insilit in mare, ad Christum non pertingit: qui pericula non superat, coronam non inveniet: qui non confligit, ad pacem non pervenit: qui non currit, bravium non recipit: qui non est flagellatus, exhæredatus existit. *Ecce dimittit te*, inquit Augustinus, *& non flagellat: deserit blasphemantem, non senties vindicantem? nonne melius est, ut flagellet te, & recipiat te, quàm parcat tibi, & deserat te?*

33. Nunc ergo, si sic dicamus, si flagella eorum sunt propria, qui amici sunt Domini, filii Dei, aut ad gloriam prædestinati, quid refert, si iisdem mediantibus flagellis, amici pertingant ad fruendum amicitiæ suæ fructibus: filii ad possessionem transeant hæreditatis paternæ: prædestinati, ad consecutionem perveniant gloriæ? An non suave prorsus erit flagellum istud, quo tantum comparatur bonū, quantum æterna beatitudo existit? An ergo flagellum, & non potius, quasi flagellum, appellabimus flagellum istud, quod ad beatam Dei perducit visionem? *Cum fecisset quasi flagellum.* O quot sunt, quorum corda compungit, voluntatemq; accendit, illud cœlestis beatitudinis desiderium! Ast cum S. P. Augustino ego dicam tibi: *Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis.* Hanc viam in Ps. 49. necessum est ingrediaris, hoc medium conveniens est, ut apprehendas. Hocce erat solatium illud, quod Severo dabat S. Paulinus, dum illum ad mūndum deserendum, ac dedicandum se Epist. ad Severum. Deo, invitaret: *quod si fortè proficiscens; cogitata charorum hominum, assuetorum locorum divisione lachrymaberis, tēporalis tristitia tua, in æternam lætitiam convertetur.* Nullum te damni tui perpessi capiat fastidium, temporalis namq; jactura ista, opulentum est lucrum bonorum æternorum: Dimittis, quod transit, & quod non transit, acquiris. Per brevissimæ morę flagellum, quietis omnis finis nesciæ lucrabere delitias.

34. Hinc est, quod S. Hieronymus, illa verba Jeremiæ exponens: Hieron. in Thren. 3. *Factus sum in derisum populo meo, canticum*

ricum tota die, dicat: Quid sibi vult, quod confusæ illius Babyloniæ cives, servos Dei adeò rideant, quippe qui vix unam diei horæ prospere agunt? Quid est, quod continuò hi justos derideant, atq; subsannent? valdeq; sapienter respondet, id fieri, *quia transitoriam mortem vident, sed permanentem vitam non vident.* Attendunt ad id, quod labile est, & transitorium, non verò ad illud, quod stabile est & permanens. Derident, quia solam præsentis sæculi durationem cogitant, nec unquam ad futuri sæculi vitam, in æternum non finiendam, recogitandam progrediuntur. Non se ad id reflectunt, quod S. Paulus quondam dicebat, videlicet: *Momentaneum, & leve tribulationis, supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Verum enimverò, qua ratione momentaneum vocatur, quod menses integros durat, & annos? quomodo leve est, quod intolerabili suo pōdere, quoslibet etiam opprimit fortiores? Momentaneumne vocabimus flagellum, quod absq; ullis indultis induciis aggreditur, atq; absq; ulla interruptione molestat? Ergone levis erit pœna illa, quæ absq; mensura aggravat, conformiter illi textui: *supra modum gravati sumus?* Illane tribulatio momentanea est, quæ toto præsentis vitæ continuatur decursu? aut leve censebitur illud passionis genus, quod è fortiorum Athletarum Ecclesiæ fronte, sudorem expressit? Imò vero, inquit S. Paulus, momentaneum totum est, & leve, non tamen *contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Derideant ergo semper tribulatos Dei servos, hujus sæculi fœlices, & fortunati, certi, & securi, fore ut illi majori cum providentia, quam fuerit horum stultitia, derisuri sint ipsos, omnesq; alios, qui *transitoriam vitam vident, sed permanentem vitam non vident.*

35. Olim hæreditas funibus dimetiebatur: unde & funibus istis, inquit S. Ambrosius, de quibus Christus sibi hodie flagellum formavit: *cum fecisset quasi flagellum de funiculis*, cœli nobis demensuratur hæreditas. Unde dicere possumus: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, & hæreditas mea præclara est mihi. Funes enim dicuntur, quibus agrimensores, metandorum limites partiuntur agrorum. Ideò flagellum de resticulis fecit, quia funes ceciderunt mihi in præclaris.* ô chari itaq; multum amati funes! ô dulcia & benedicta flagella! Beatitudinis enim nostræ vos pretium estis. O beatę lachrymæ! moneta enim quædam vos estis, qua cœlorum comparantur consolationes! Fortunatum exilium, quod ad prædestinatorum me patriam perducit! Dulces injuriæ, milliesq; desiderabiles contumeliæ, quæ nomen meum in libro vitæ describitis! Gratiosæ catenæ, & ô delitiosi carceres, qui filiorum Dei mihi libertatem acquiritis! Fœlicia verbera, quæ ad æterni sponsi amplexus perducitis! *Ideo flagellum de resticulis fecit, quia funes ceciderunt mihi in præclaris.* Unde & Augustinus inquit: *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Quid est sustine Dominum? Ad tempus laboras, in æternum non laborabis. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua. Ad mo-* In Ps. 26.

Sss di-

dicum doles, sine fine gaudebis. Ab ista manu, per totam æternitatem demulceberis, quæ jam ad pauca te momenta flagellat & percutit. Brachium istud, quod in præsenti, veluti brachium inimici commoditatibus tuis è diametro opponitur, deinceps protectio & defensio tua semper erit. Ille Deus, qui nunc tanquam severus judex te tractat, per cuncta sæcula te tractabit velut amantissimus pater. Crux illa quæ in præsenti te torquet, in vita futura, in gloriæ thronum convertetur tibi. *Brevis molestia tua, æterna erit beatitudo tua.*

36. *Gaudete,* dicit Dominus, *& exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo.* Sed quonam præcipuè tempore gaudendum nobis erit? *Cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos.* Etenim, ô Deus meus, qua ratione possibile est, gaudere me posse, quando in conversationibus in proverbium factus ero, infamatus in conventiculis, in tribunalibus accusatus, reprobatus passim in societatibus? ô Deus! Quàm formidabile flagellum est lingua maledica, quæ, ut sapiens dicit, etiam iis, qui in mundo isto sapientiores existunt, metum incutit? *Calumnia conturbat sapientem:* quæ ignis quidam est, qui altiores sublimioresq; cedros Libani consumit, atq; incinerat? quæ novacula quædam est, usq; ad ossa, sine pietate, scindens, ac dividens? Quæ venenum quoddam est, purissimas syncerissimasq; virtuosorum intoxicans & inficiens operationes? Quæ est falx quædam, quæ de horto viventium, sine ullo respectu, parvū demetit & magnum, nobilem & plebejum, regem & privatum? Quæ arcus quidam est diabolicus, unde ad quantumvis distantiam, igneæ jaciuntur sagittæ? Quæ anceps quidam ensis est, omnem chalybem seu aciem superans, penetrans omne metallum, imò ad ipsas quoq; animas cordaq; vulneranda pertingens? Huc huc adsit Augustinus, atq; in gravibus ejusmodi nos consoletur linguæ malis. *Non est timendum,* inquit, *ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? multa maladicturus? opprobria jaculaturus? in conviciis sæviturus? sed quid tibi? Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis. Ille in terra geminat convitia, tu in cœlo lucra.* O sententiam pulcherrimam! Injurias ille in terris multiplicat, tu verò lucraris in cœlo. In hoc tibi seculo ille injurias adauget, tu tibi merita in futuro. Ille tibi fabricat in mundo infamias, tu glorias in Paradiso. *Ille in terra geminat convitia, tu in cœlo lucra.* Infinitę interim Christo Domino pronuntientur laudes, utpote cujus flagellum, non est flagellum, sed quasi flagellum, & quia malum non est, & quia est bonum, & quia nil mali operatur, & quia magnum efficit bonum, & quia majus malum impedit, ac deniq; quia æternum quoddam causat bonum.

In Psl. [illegible]

* * *

CON-



CONCIO XXIV.

In Feriam III. post Domin. IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Ascendit IESVS in templum & docebat, & mirabantur Iudæi. Joan. 17.

ARGVMENTVM.

Doctrina quam Christus de cœlo in terram adfert, plena est veritate, bonitate, & dulcedine.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Admiratio Iudæorum mala, quia ex contemptu, & invidia, originem trahebat. Admirabilis Christi doctrina: & quare. num. 1.

Synopsis concionis ex mente *S. Bernardi. ibid.*

Primum punctum. *Doctrina Christi, solida est ad nutrimentum: quicquid enim docet, est veritas num.* 2.

Veritas olim ex mundo velut proscripta, sicut & lumen naturæ. Isaias advocatus. *ib.*

Ante Christum erant tenebræ ignorantiæ, erroris, & ænigmatis. Gilberti divisio. *num.* 3.

Ante Christum, dici potest de natura humana: terra erat inanis & vacua. num. 4.

Licet Deus laudaverit omnes creaturas, nunquam tamen tenebras laudavit. num. 4.

Christus Dominus omnia flumina ad desertum deducit, & quomodo hoc sit intelligendum. num. 5.

Sicut prodeunte aquila aliæ volucres obmutescunt: & sicut virga Aaron Magorum virgas devoravit: sic de sapientia Christi, cum Philosophorum sapientia comparata sentiendum. num 6.

Error ubi est, seducit. Errores Philosophorum circa omnes mundi partes, & universi gubernationem, num. 7.

Statim ac divinus ille magister os suum cœleste aperit, mundi sapientes obmutescere debent. Sicut sole comparente, dispereunt minora lumina. num. 8.

Maximo digni vituperio, qui magis innituntur vacuæ Philosophorum doctrinæ, quam Christi divinæ sapientiæ. num. 9.

Ænigma ubi est, etsi ducit, non tamen perducit: hoc legi antiquæ competit. num. 10.

Ezechielis & Ioannis libri clausi, à Christo solo aperti. num. 11. *&* 12. *Sicut & porta, de qua* Ezechielis *cap.* 44. *fit sermo. num* 13.

Secundũ punctum. *Christi doctrina efficax ad medicinam. Ante Christum omnes status mundi corrupti. num.* 14.

Verba Prophetæ: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, *explicata. num.* 15.

Qui addit scientiam, addit & laborem. *reserata Salomonis sententia. num.* 16.

Locus Ecclesiastici: Sapientia inflavit filios suos, à clemente Alexandrino *illustratus. Certâ quâdam sanctâque superbiâ, ad res cœlestes erigimur. n.* 17.

Themistoclis dictum, apud Plutarchum, animadversione dignum. ibid.

Testimonium irrefragabile Doctrinæ Christi, est sanctitas eorum qui verè eam profitentur: num 18.

Pulchra Christianorum primitivæ Ecclesiæ descriptio: ibid.

Dominus possedit me initium viarum suarum. Athanasii lectio. *Propter imaginem sui rebus ingenitam. n.* 19.

Tertium Punctum. *Doctrina Christi est delitiosa ad saporem, quicquid enim promittit fœlicitas est. num.* 20.

Doctrina mundi videtur dulcis, sed revera est amara. ibid.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes. *vel, ut vertit* S. Augustinus, delectationes. *Iniquorum oblectamenta sunt fabulæ. num.* 21.

Verum gaudium in Deo, est in lege ejus. ibid.

Opera carnis & spiritus, id est, effectus Doctrinæ Christi & mundi. D. Paulinus. *num.* 22.

Mirabilis palma in India, quæ est tota fructus: sic de doctrina Christi. Ibid.

Non solum sapidum est cœlum, sed etiam negotiatio pro cœlo acquirendo, ibid.

Productus Psalmi locus: labores manuum tuarum, quia manducabis, *quia & ipsi labores non sunt sine jucunditate. num.* 23.

Conclusio per exclamationem contra duritiem cordis humani, non obstante perfectione Doctrinæ Christi. num. 24.

RAtionabilis foret Hebræorum, ob novitatem, & sublimitatem Doctrinæ Christi Domini admiratio, nisi ortum illa duceret, ex humili nimis, & abjecto, quem sibi de sanctissimo Redemptore nostro formabant, conceptu: aut nisi à tenebris, & cœcitate invidorum cordium suorum, traheret originem. Et profecto, quis non admiraretur talis doctrinæ sublimitatem, & magnificentiam, quæ quoad veritatem erat infallibilis, & indubitata, utpote, pro dogmatum suorum base & fundamento, ipsiusmet Dei authoritatem habens, & testimonium? quoad mysteria, profunda erat, secreta revelans abscondita, inauditaq; hactenus sacramenta? Amabilis, quod dulcedinem: quippe quæ doctrinæ hujus profes-

fessoribus, immensa præmia, innumerasq; promittit mercedes? Quaod efficaciam, omnipotens: quæ nimirum vim cordibus inferat, dulciq; voluntates humanas violentia rapiat? universalis, quoad amplitudinem: nulla enim est virtus, quam non edoceat: nec vitium quod non detestetur: nec error quem non discooperiat: nec deniq; subjectum quod non complectatur: Deniq; quod magistrum illius attinet, nobilis & honorata: in ipso namq; omnes thesauri erant sapientiæ & scientiæ Dei? *Ascendit IESVS in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi.* Vellem quoq; ut & vos doctrinam Domini, quæ supra modum mirabilis existit, admiraremini, admiratione tamen ejusmodi, quæ ex devotione nascatur, non verò ex contemptu: ex syncero amore, non ex livore fraudulento: ex profunditate sacramentorum, non vero ex ignorantiæ temeritate. Verum enimvero, quia infinitas cœlestis doctrinæ hujus prærogativas intra modici discursus recludere velle angustias, idem esset, ac si quis oceani aquas, intra pugnum aut volam manus tentaret restringere, ideo prærogativas easdem, ad tria capita statui reducere: ad ea nimirum, ad quæ illas restrinxit S. Bernardus, dicendo quod hæc sit illa sapientia, *quæ triplici quadam eminet gratia, solida ad nutrimentum, efficaci ad medicinam, delitiosa ad saporem.* Quæ eadem prorsus divisio data est olim ab Hugone de S. Victore dicente: Doctrinam Domini ejusmodi doctrinam esse, *in qua quicquid docetur, veritas: quicquid præcipitur, bonitas: quicquid promittitur, fœlicitas est.*

Serm. 67. in Cant.

Lib. de Anima

2. Et primo quidem, doctrina illa *solida est, ad nutrimentum: quisquid enim in ea docetur, veritas est:* Erat veritas antiquis temporibus, veluti ex hoc mundo proscripta, paucisq; nota, sicuti & lumen illud, quod ab Authore naturæ nobis congenitum fuit, ex Adæ culpa, millenis obfuscabatur ignorantiæ tenebris, & tantum non opprimebatur. Et tametsi verissimum esset, quod regius Propheta dixit, signatum nimirum supra nos, & impressum esse, lumen vultus divini: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Verum tamen insuper erat, lumen istud, majori ex parte culpa nostra obfuscatum esse; unde tanta, tamq; crassa in nobis nascebatur ignorantia, quæ insensatis bestiis nos similes reddebat. Lumen quidem rationis, post peccatum remansit in nobis, de quo nullum est dubium, sed prostratum remansit, & paulo minus, quàm à furiosis, tot inordinatarum passionum ventis oppressum: quæ tametsi, sola Dei pietate, eā vim non habeant, ut ipsum possent totaliter opprimere, & annihilare, adeò tamen idipsum debilitarunt, adeoq; ad operandum debile reddiderunt, ut Isaias dixerit, mundum istum, ante Christi Justitiæ solis adventum, sedisse in mediis tenebris, atq; umbram inhabitasse mortis: *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Hinc est, quod creaturæ, quæ veluti totidem magni illius libri mundi hujus characteres erant, ab humana tamen ruditate perperam in-

Primum Punctum.

Ps. 4. v. 7.

intellecti, ad offensam serviebant creatoris: beneficiis continuis, nec tamen recognitis, nostrum adaugebatur demeritum; efficiebantq;, ut pessimum illud ingratitudinis vitium, magisq; in cordibus nostris nidificaret: benigna verbera, & paterna Domini flagella, in sinistras cogitationes agebant hominis mentem, oriq; hominum blasphemias, gravesq; de Dei circa mundum hunc providentia murmurationes inserebant: Terræ hujus delitiæ, Dei rerumq; divinarum cordi eripiebant memoriam: corpus, quod animi creatum erat instrumentum, eidem factum est pondus, graveq; tormentum: Sensus, qui servi esse debebant, rebelles esse audacter præsumebant: Deficiebat in templis religio: Justitia prostrata jacebat in tribunalibus: in contractibus fides vacillabat: Pax è familiis proscripta erat: Concordia è matrimoniis: ab amicitiis fidelitas: veritas à verbis: à conversatione honestas: totum confusio erat, nec ullus ordo: atq; de obscurissimis illis ignorantiæ tenebris, dici poterat id, quod de Ægyptiis tenebris, sapiẽs dixit: *Ignis nulla vis, poterat illis lumen præbere: nec syderũ lympidæ flammæ, illuminare poterant, illam noctem horrendam.* Lumen terræ, erat lumen Philosophorum mundi hujus: stellarum lux, doctrinam significabat Prophetarum: illa illuminare non poterat, eo quod scateret erroribus: Hæc tenebras diffugare non valebat, quia in umbrarum & figurarum medio collocata erat: Decipiebat illa, hasce autem deceptiones tollere, non prævalebat ista: illa faciebat videre malè, hæc autem non faciebat hominem videre perfectè: *Ignis nulla vis, poterat illis lumen præbere, nec syderum lympidæ flammæ, illuminare poterant, illam noctem horrendam.*

Sap. 17. v. 5.

3. Verum enimverò, tenebras, quæ ante Christi adventum super terram erant, in tres illas, obsecro, distinguam9 species, in quas Gilibertus Abbas easdẽ divisit. Nam vel erant ignorãtiæ tenebræ, vel tenebræ erroris, vel denique tenebræ ænigmatis. Primæ Idiotarũ propriæ erant: secundæ sapientum sæculi hujus: populi verò Judaici ultimæ. Ignorantia veritatem abscondebat: Error eandem falsè depingebat: Ænigma verò ipsam repræsentabat obscurè. Ignorantia cor humanum relinquebat famelicum: Error illud quidem pascebat, sed veneno: Ænigma conservabat idipsum, sed cibo levissimo, & modicæ substantiæ. Ignorantia non perducebat ad Deum: Error non tantum ad Deum perducabat, sed retrahebat etiam ab illo: Ænigma verò tametsi ad Deũ duceret, nunquã tamen id assequebatur, ut ad terminũ pertingeret cõpletè perducendo. En ipsissima Giliberti verba: *Ignorantia ubi est non ducit: error ubi est seducit: ænigma ubi est, etsi ducit, non tamen perducit.*

Serm. 18. in Cant.

4. Et profectò, quisquis cum attentione considerare voluerit, eam, quæ ante Christi Redemptoris in hunc mundum adventum, inter homines invaluerat, ignorantiam, repetere cogetur id, quod Moyses olim de terra, ante lucis creationem dixit: *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Inficiari equidem nequeo sapientes nonnullos,

Gen. 1. v. 2.

nullos, qui inter alios homines vulgares quàm maximè ingenii sui acumine enituerunt, ad multarum rerum cognitionem progressos esse, quos proinde mundus, scriptis eorundem & doctrinis locupletatus, ad perpetuam ipsorum laudem, immortalemq; memoriam, super sydera collocavit. Sed quid totum istud fuit, in comparatione ejus, quod mundum incarnata doluit sapientia? Quid mundus, antequam à Christo edoctus esset, de natura Dei novit, de attributis divinis, de creatione cœli & terræ, de hominis formatione, de animæ immortalitate, de rerum humanarum ultimo fine, de libertate arbitrii, de pœna reproborum, & beatorum in cœlis præmio? *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyßi.* Quis Philosophorum aliquando, sicut CHRISTUS, virtutis repræsentavit pulchritudinem, atq; splendorem? quis debitis coloribus, vitii depinxit deformitatem? Quis Dei, versus genus humanum, amorem aperuit, ac teneritudinem? Quis dignè loqui novit, de negotio atq; commercio, quod Deus cum suis creatuis conservat? Quis unquam exactæ illius providentiæ, qua electos suos gubernat, rationem dedit? Quis prædestinationis & reprobationis secreta unquam aperuit? *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyßi.* Postremò deniq;, an non celebriores terræ hujus sapientes, in tenebris veluti palpitarunt, quando tractare cæperunt, de animarum separatarum statu: de natura angelorum & dæmonum: de culpa originali: de ejusdem in totum genus humanum propagatione: de cœlorum stellarumq; motu: de consummatione seculi: de tam variis & extraordinariis accidētibus, quæ quotidiè cernūtur in statibus & rebuspublicis diversis: de flagitiosorū prosperitate, & adversitate justorum: de actionibus moralibus, physicis, necessariis, contingentibus, ordinariis & casualibus? *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyßi.* Unde, ut notat Anastasius Sinaita, tametsi Deus cunctas creaturas laudarit, utpote bonas, nunquam tamen tenebras laudavit, aut abyssum, aut aquas, quæ terram inundabant, & submergebant, neq; ullam aliam creaturam, donec lux formata esset, laudibus affecit: *Si omnia, quæ fecit Deus, sunt bona, quomodo dicit scriptura, illas tenebras, quæ erant ante lucem, esse bonas? neq; aquas illas bonas, neq; abyssum, quæ absorbebatur, bonam dicit?* Scitisne cur ita? Quia quicquid mundus ante veram lucem doctrinæ Christi cognovit, totum id mera cœcitas erat & ignorātia, ideoq; commendatione & laude Dei indignum: *Dicens ergo, & vidit lucem, quod esset bona, ostendit, omnia illa, quæ venerant ante veram lucem IESVM, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, & terram obscurarunt, & demerserunt, & suffocaverunt, non esse bona.* Quicquid Philosophi mundi hujus, ante adventum Christi, qui vera ejusdem mundi lux est, invenerunt, laudem non meretur quia quantumvis id sublime fuerit, ac nobile, totum tamen ignorantiæ implicitum erat tenebris.

Lib. 11 in Hexameron.

5. Ecce

5. Et ecce adimpletam illam Nahumi Prophetiam: *Dominus omnia flumina ad desertum perducens.* Hæc flumina, ex mente S. Hieronymi, sunt antiqui Philosophi, qui ad instar magnorum fluminum, terræ agros percurrunt, tumidi ob dogmatum sublimitatem, ob doctrinarum varietatem abundantes, strepitosi per dicacitatem & eloquentiam. Et fortasse etiam hæreticos significant, qui delusæ & deceptæ plebis comitatum se insequentem tantum habuerunt, ut veluti violenta quædam flumina esse viderentur, quæ Evangelii semine expoliabant Ecclesiam, magnamq; gregis fidelium partem retro post se trahebant. Hæc ergo flumina, coram Christo comparentia, exsiccata videntur, hoc est, sine Energia, sine doctrina, sine eloquentia, sine sequela, sine fama, & sine nomine, atq; ad extremam reducta siccitatem. *Dominus omnia flumina ad desertum perducens. Vide Platonem*, inquit S. Hieronymus, *specta Demosthenem, Tullium quoq; Philosophum pariter & oratorem, & hæreticorum principes intuere, de quibus sunt Valentinus, Marcion, Bardessanes, Tatianus, & de fluminibus ne ambigas. Sed hæc omnia, consumet Dominus IESVS spiritu oris sui, & destruet illuminatione adventus sui, & ad deserta perducet.* Quod idem est cum eo, quod Rex sanctus dicit, juxta expositionem S. Augustini: *absorpti sunt juncti petræ judices eorum.* Judices, seu quod idem est, mundi hujus sapientes, illi inquam, qui majori cum judicio discurrerunt, *juncti petræ*, hoc est, cum Christo, qui Ecclesię fundamentalis est petra, comparati, absorpti sunt, & velut annihilati. Audite ipsissima S. Augustini verba: *Quid est, absorpti sunt juxta petram? juxta, id est, comparati, judices magni, potentes, docti. Ipsi dicuntur judices eorum, tanquam judicantes de moribus, & sententiam proferentes. Dixit hoc Aristoteles: adjunge eum petræ, & absorptus est. Quid est Aristoteles? audiat hoc, dicit Christus, & apud inferos contremiscat: Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato. Adjunge eos petræ, compara authoritatem illorum, auctoritati Evangelicæ: compara inflatos Crucifixo, & absorpti sunt juxta petram istam judices eorum.* Comparate magnos illos sæculi sapientes, superbos illos sapientiæ mundanæ venditores, illos, qui tantos scripsêre libros, ut merito obstupescat illos mundus: comparate, inquam, illos cum Christo, moxq; devoratos illos videbitis, & ad nihilum redactos. *Tamdiu aliquid videntur dicere, donec comparentur petræ.* Donec Christo non statuantur vicini, magni sunt, juxta Christum verò constituti, omnem suam perdũt magificentiam.

Hieron. in Naum. Cap. 1.

August in Ps. 141.

6. *Audient verba mea, quoniam potuerunt*, aut sicut legit S. Augustinus, *quoniam prævaluerunt, prævaluerunt verba mea, verbis eorum.* Verba mea, verbis Philosophorum prævaluerunt. Verba mea judicata sunt vera, illa vero Philosophorum vana: Mea, luce verę Doctrinæ plena, illa verò Philosophorum, plena tenebris ignorantiæ. Et quid mirum est, verba CHRISTI, verbis prævaluisse Philosophorum, cum hæc veluti quidam ranarum strepitus, illa vero veluti quoddam fuerint cœli toni-

Ps. 140. v. 6

ni;

Serm. 138. de temp. nitruum. Sic discurrit S. Augustinus: *Venit Dominus Christus, sapientia Dei, cœlum tonat, ranæ taceant. Prævaluerunt verba mea, verbis eorum.* Ad eum ferè modum, dicit S. Basilius, quo prodeunte aquila, omnes aliæ volucres minores, quæ per aëra cantillant, repentè obtumescentes, se subducunt. *Exsplendescente veritate, universum simul mendacium suppressum silentio est. Quemadmodum Aquila, aliunde advolante, ac desuper conspecta, futili garrulitati loquacium avium, quam ocyssimè silentium indicitur, prævaluerunt verba mea, verbis eorum.* Sicut virga Aaronis, inquit Petrus Cardinalis Damianus, conversa in serpentem, virgas devoravit maleficorum Ægypti. *Virga quippe Aaron, maleficorum virgas absorbuit, quia sapientia Christi, quam illa signabat, omnes hujus mundi sapientes annullavit.* Et alibi, scilicet in serm. de S. Eleutherio Episcopo Ravennate, idem Cardinalis ita concludit: *Superata est ergo sapientia Platonis, à discipulo piscatoris &c. postquam navicularius pelagi, clavicularius constitutus est cœli, discipuli piscatorũ, magistri facti sunt oratorum, & sapientia mundi, victa est à simplicitate Christi:* vnde dicit Origenes: Caipham principem sacerdotum, nullam unquam pronuntiasse veritatem majorem illa, quam ad Sapiẽtes concilii Hierosolymitani pronuntiavit, dum iisdem dixit: *Vos nescitis quidquam: nihil enim noverant, qui IESVM ignorabant.* Quid enim sapere, aut nosse possunt, qui sapientiæ inimici existunt? Quodnam doctrinæ lumen possidebunt ij, qui dimicant contra solẽ? *Vnde sibi usurpabunt lumen, ui furebant contra lumen?* dicebat Augustinus: *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ.* (Vtiq; recordabimini illius textus Baruch) *& tradidit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Posthæc in terris visus, & cum hominibus conversatus est.* Ita Propheta iste loquitur, ut confusi remaneant Nazaræi, qui Christo dicebant: *Vnde huic sapientia & virtutes? mira stultitia Nazaræorum*, dicit optimè Hieronymus: *mirantur unde habeat sapientiam sapientia, & virtutes virtus.*

Basil. in Cap. 2. Isaiæ. — Epist. 151. — Origenes in Isaiæ. 11 — Tract. 4. in Joan. — Baruch. 3. v. 37. — Hieron. in Cap. 13. Matth.

7. Hucusq; de mundi ignorantia diximus, nunc de erroribꝰ quid dicemus? *Error ubi est, seducit. Etenim in erroris via, diutius erraverunt*, dicebat Salomon, *infantium insensatorum more viventes.* Per quingenta penè secula, mũdus enormissimis delusus est erroribus, & qui inter homines illius temporis, sapientissimi erant, veluti tot insensati infantes, infatuati sunt. An non videtis, vix possibile esse ut quis in aliquam mundi partem oculos flectat, quin ibidem stultitiam passim videat, & ebrietatem, non jam dicam ipsius vulgi, sed selectissimi floris sapientum? Si namq; in sublimiorem mundi ingredior partem, Deum ibidẽ ab Aristotele veluti incarceratũ video, & ad certum quẽdam determinatũq; locum restrictum. Si in orbibus cœlestibus me sistam, auscultaturus num forte, uti à nonnullis sapientibus docebatur, harmonicum quendam ibidem inaudiam concẽtum; mox video, hanc ridiculam prorsus Pythagoricorum esse fabulam. Si Planetas contemplor, indignari cogor, audiens in magnificis illis lucis thronis, latrones, homicidas, adulteros, & meretrices

Sap. 12. v. 24.

esse collocatas. Si intuear stellas, curiosiusq; attendam, si fortè vapores ex quibus stellæ ab antiquis alimentari dicebantur, ibidem appellant; nequeo non Plinii ridere delirium, qui hoc veluti indubitatum post se scriptum reliquit. *Sydera haud dubiè humore terreno pascuntur.* Si Elementa conscendam, hic obviam repentè habeo Platonicorum fatuitatem, qui eadem animata esse confinxerunt. Si ipsam ignis penetrem sphæram, non minus mihi illius ardor parit fastidium, quàm Persarum phrenesis, qui eundem Deum esse pronuntiabant. Si aëris regionem ascendam, ibi à Romanis duos Diabolos, veluti Dominos, Jovem scilicet, & Junonem adoratos esse reperio. Inde si ad aquas digrediar, à Thalete deludor, qui aquam rerum omnium vult esse principium: Si in hanc terram descendo, in eadem crassum dubito Platonis invenio errorem, qui rei adeo insensatæ, sensum tribuit, & vitam: si sylvas ingrediar, arbores ibidem ab Indis divinitate honoratas inaudio: hi namq; pœnam statuerant capitalem iis, qui aliquam illarum, sive evellere, sive amputare auderent. Si mare sulcem, mox scholæ Pythagoreæ occurrunt chimeræ qui aquas nil aliud esse docet, quam Saturni lachrymas. Si in montes exsiliam, abominabiles ibidem suffituum, falsis Diis oblatorum, olfacio odores. Si in antra me recipiam, atq; speluncas, hasce barbaræ passim superstitioni, deditas esse deprehendo. *Etenim in erroris via diutius erraverunt, infantium insensatorum more viventes.* Ipsi namq; prodigiosè hominibus divinitatem attribuerunt, Diis peccatum, corporibus, à Dæmonibus desumptam originem, animis Metempsichosin, arbitrio necessitatem, sensibus beatitudinem, mundo æternitatem, spiritibus mortem, vitæ fatum, rerum humanarum gubernationi casum, heroicè patratis facinoribus fortunam. *Etenim in erroris via diutius erraverunt, infantium insensatorum more viventes.* Ipsi divinitatem, quæ ens quoddam est simplicissimum, & indivisibile, in bene mille dismembrarunt partes: vilem quendam infinitorum Deorum statuentes gregem, majorum scilicet & minorum: certorum & incertorum: domesticorum & extraneorum: cœlestium terrestrium, & infernalium: maritimorum, fontanorum, & fluviatilium: humillimamq; Diis omnibus risuq; dignissimam assignantes originem. Heraclitus ex igne dixit oriundos: Pythagoras è numeris: Epicurus ex atomis: iisdemq; adeo humilia, & abjecta, ne dicam probrosa assignarunt officia, ut viles quiq; & contemptissimi terræ homunciones, illa haud immerito erubescerent. *Omnia Diis attribuuntur*, inquit Augustinus, *quæ non modo in hominem, sed etiam quæ in contemptissimum hominem cadere possunt.* Quisnam uspiam reperiatur homo, tam humilis & abjecti animi, aut tantæ patientiæ, qui lubens, libensq;, infantum superintenderet vagitibus? Et tamen vagituum superintendentem cœca antiquitas DEUM statuit Vaticanum. Quis patienter ferret, se semper, & immobiliter, portis quasi affigi, ad

Lib. 6. Civit. Cap.

Lib. 6. civit. D. Cap. 9

ad illas curandas, tutandasq; ? Et tamen Romani, pro hoc duntaxat munere, tres statuere Deos, Forculum scilicet Limentinū, & Cardeam. Imò unicę tantum grani spicæ, hi stulti, quindecim superintendentes præfecere Deos. Verum quo demum, hoscé Deos suos, religionis cultu, ac veneratione sunt prosecuti? Audite idipsum ab Augustino, neq; dubito, quin faciem vestram rationabili obtecturi sitis rubore: *stoliditate & mōstruositate simulachrorum, sacrificiis homicidiorum, coronatione virilium membrorum, mercede stuprorum, sectione membrorum, abscissone genitalium, consecratione mollium, festis impurorum, obscœnorumq; ludorum.* Ehem videte, an non merito repetere debeam illud sapientis: *In erroris via diutius erraverunt, infantium insensatorum more viventes.* Porrò, si in rebus cœlestibus atq; divinis, adeo cœci extiterunt, non est quod putetis, ipsos in politicis, & humanis, fuisse oculatiores. Ecquænam unquam fuit adeo stulta sapiētia, quæ adulteriū impune pmitteret, quæ dissimularet furtum? Quæ in vindictam condescenderet? laudaret violentiam? licitos reputaret nefandos amores? communes passim esse decerneret mulieres? non reprehenderet homicidium? mendacio applauderet? non reprobaret bella quantumvis injustè, & sine causa illata? *In erroris via diutius erraverunt, infantium insensatorum more viventes.*

Lib. 6. de Civit. Dei. Cap. 5.

8. Huc ergo nunc adsit Divinus ille magister, os suum cœleste aperiat, suæq; sapientiæ nobis pandat thesauros, videbitisq; obmutescentes mox doctos, sapientes convictos, confusosq; Philosophos, secundum illam Isaiæ prophetiam: *Confusi sunt, & erubuerunt omnes, simul abierunt in confusionem fabricatores errorum.* Quis nunc celebrium illorum Sophistarum evoluit volumina? inquit Hieronymus, quis libros Aristotelis terat manibus? quis aliquando opera percurrat Platonis? nisi fortè senex quispiam otiosus, in angulo domus suæ reconditus. Cum econtra doctrinam Christi, à piscatoribus & idiotis nostris prædicatam, totus resonet mundus. *Quotus quisq; nunc Aristotelem legit? quanti Platonis vel libros novere, vel nomen? vix in angulis otiosi eum senes recolunt. Rusticanos verò, & piscatores nostros, totus orbis loquitur, universus mundus sonat.* Quis etenim, vel ubi est locus iste, ubi de Christo, ejusq; doctrina non sit sermo? ubi tam sublimis sapientiæ non audiantur præconia? ubi de illa, cum singulari non discurratur gaudio & lætitia? de illa loqui norunt pueri in scholis, in officinis fabri, Pastores in sylvis, in campis bubulci. Id quod optimè advertit S. Augustinus: *Et quis eum tacet? ubi non à legentibus, disputantibus, quærentibus, respondentibus, laudantibus, cantantibus, & quoquo modo sermocinantibus nominatur.* Hic est sol ille, inquit S. Ambrosius, quo comparente lumina disparent minora, omnesq; stellæ inferiores absconduntur: *Lucerna obscuratur lumen, cum radius solis effulget: & defectionem quandam lampadis suæ patitur, cum clarioris lucis splendore superatur. Quis enim sapiens lucernam requirit in sole?* Omnis celebratissimorum illorum magistrorum do-

Isaiæ 45. v. 16.

Hieron. in Epist. ad Galat.

Tract. 97. in Joan.

Amb. serm. 12.

doctrina, quæ in tanta apud omnes gentes æstimatione fuit: omnia illa famosissimorum totius Græciæ sapientum documenta, quorum verba reputata fuerunt oracula: omnis Philosophorum illorum antiquorum sapientia, qui tantam in terris habuere famam, quiq; tot tantosq; post se traxerunt discipulos, aliud nihil est, quã modicus quidam, tenuisq; radiolus, respectu imensæ illius lucis Doctrinæ Domini: *Lucerna obscuratur lumen, cũ radius solis effulget. Quis enim sapiens, lucernam requirit in sole?*

9. Hinc ergo, dilectissimi, colligere licet, quãto vituperio digni sint illi, qui nec verbum aliquod proferre norũt, aut scribere sentẽtiam, quam prophana gentilium sapiẽtum eruditione non confirmẽt: Et veluti si illos puderet Evangelii, aliorũq; Christianismi dogmatum, totum illorum studium in hoc positum est, ut in dictis, aut scriptis suis, paganorum Philosophorum emineant dicta, idq; frequẽter ingenti cum veritatis præjudicio, quæ justè querulatur, se aut falsò ac perperam intellectam, aut violenter distortam. An non istud est, lucernam in solis adhibere præsentia? An non hoc est imitari stultum illum, qui Ænea Sylvio Piccolomineo teste, in urbe Florentina, lucernæ cujusdam amore, seu beneplacentia, mirè captus est; eo quod illius, in certis compositionib⁹ suis, sibi usus fuisset, ideoq; illam in plena meridie, per plateartum quaquaversum accensam deferebat compita, stultè affirmando, illam ipsomet sole luminosiorem esse, magisq; splendidam? *Quis sapiens, lucernam requirat in sole?* Nemo, nisi stultus audiat, magnũ adeò comittet delirium. Hi ergo, qui ejusmodi sunt, audiant id, quod magnus ille Pontifex Ambrosius illos docet, videlicet, quod Moyses à Deo ad montem vocatus, ad manifestandum sibi magna illa secreta cœlestia, quæ ipse postea annuntiatur⁹ erat populo, eo tamen sine societate Josue non cõcesserit. *Ascende ad me in montem, & esto ibi*, dixit Deus Moysi, *surrexerunt Moyses, & Iosue minister ejus*, inquit sacer textus. Verum ecquod illud ibi latens mysterium? si nemo præter solum Moysen vocatus fuit, cur ipse solus eo non ascendit sed à Jesu Nave associatus? *Moyses ille peritus* (sunt verba Ambrosii) *in omni sapientia Aegyptiorum in montem ascendit, atq; in nubem intravit, ut operta & occulta cognosceret, adhærente sibi socio, IESV.* Eccur Jesum in societate secum habet, si nullus præter Moysen vocatus erat? R. Quia Jesus Nave, Christum Jesum significat, sine cujus consortio & societate, abscondita sapientiæ divinæ secreta, penetrari non possunt: *Quia nemo sine vero IESV, potest incerta sapientiæ & occulta cõprehẽdere: Et ideo in specie IESV Nave, veri salvatoris significabatur adfutura præsentia, per quem fierent omnes docibiles Dei.* Audiant veritatẽ istam, omnes mundi istius sapientes, suæq; mentis deponant superbiam. Absq; documentis Redemptoris, omnis doctrina, stultitia est, omne magnificum scire, evanescere est: nam omnes aquæ derivantur è mari: omnes rivi à fonte: à sole omnes radii. *Nemo sine vero IESV, potest incerta sapientiæ, & occulta comprehendere.*

Amb. in Ps. 47.

10. Quid demum de populi Hebræi ænigmatibus dicam? *Aenigma ubi est, etsi ducit, non tamen perducit.* Erant,

non id inficior, antiquæ Synagogæ observantiæ, ab ipso Deo datæ, & inventæ, ut rudis ille populus, procul conservaretur ab idololatriis, & in veracis religionis cultu occupatus, ad hoc, ut per obsequium & obedientiam, ingenti illi præceptorum multitudini præstitã, pro præstitis beneficiis redderetur gratus, dignusq; futuris. Et tametsi intra se, abscondita continebant sacramenta, ea tamen adeo in iis celabantur, ut vix unquam magistrorum Reipublicæ illius potior pars sciverit rationem, transeundi à cortice ad medullam, ab umbra ad veritatẽ, à litera ad spiritum; sed fuerint veluti totidem simplices pueri, qui sibi in pulchris libri alicujus eleganter elaborati characteribus cõplacentes, nunquam quod eo continetur, intelligere student. Porrò doctrinæ Christi reservatum erat, revelare ænigmata, atq; obscurissimarum figurarum illarum aperire significata. An non auditis S. Matthæum referentem, quod Christ9 Dominus esset ille, de quo in libro Psalmorũ, magna illa scripta erat Prophetia? *Eructabo abscondita à constitutione mundi.*

Matth. 13. v. 35.

11. Id quod, ut advertit S. Gregorius, per mysticam illam Ezechielis visionem repræsentatum fuit, qui primo quidem librum quẽdam vidit involutum, & clausum: *Et ecce manus missa ad me, in qua erat liber involutus.* Liber hic clausus, occulta populi Hebræi significat sacramenta, & abscondita ænigmata: *Liber involutus, est sacræ scripturæ eloquium obscurum, quod profunditate scientiarum involuitur, & non facile sensu omnium penetratur.* Postea verò idẽmet liber explicatur, atq; coram eodem Propheta aperitur: *Et expandit librum coram me. Salvator enim, librum quem involutum ostenderat, expandit, cum hoc, quod per ænigmata loquebatur, exposuit.* Tu ô Domine, per tuum in mundum adventum, aperuisti librum, & secreta ibidem abscondita manifestasti. Tu nobis dedisti, ut intelligeremus, iter illud per mare rubrum, denotare Baptismum, ubi humani generis inimici suffocantnr: serpentem æneum, in arbore extensum, immaculatam tuam carnem in cruce extensam esse, quæ omnibus, syncerę fidei oculo intuentibus, salutem datura erat: sanguinem illum, quo linitis populi tui portis, ab angelo exterminatore liberabantur primogeniti, tuum significare benedictum sanguinem cujus virtute & efficacia, omnes prædestinati à divina justitia liberandi essent. Tu mundo dedisti intelligere, quod omnia illa sacrificia, quæ exactè adeò, mane & vespere offerebantur in templo, incruentem sacratissimi corporis tui adumbrarent sacrificium, quod in cunctis terræ plagis à novæ Ecclesiæ sacerdotibus offerre debebat: Quod manna omnem in se saporem continens, quod in tabernaculis peregrinantis per desertũ populi depluebat, in hujus vitæ peregrinatione, Eucharistiæ significaret dulcedinem: Quod legalis agni paschalis cœna, quæ tantis peragebatur cum cæremoniis, devotionem denotaret, & apparatum, quocum nobis ad mensam panis Angelorum accedendum est. Tu, ô supreme magister, cœlestis doctrinæ tuę luce docuisti, templum esse corpus tuum: arcam matrem tuam: duodecim boves æneos, discipulos tuos: Il-

Ezech. 2. v. 9.

Greg. Hom. 4. in Ezechielem.

la tot repetita corporis lavacra seu baptismata, tua sacramenta: virgam Moyses esse crucem tuam: somnum Adæ mortem tuam esse: piscem Jonæ sepulchrum tuum: sponsam Salomonis Ecclesiam tuam: Terram flumine lactis & mellis manantem esse gloriam tuam. *Librum quem involutum ostenderat, expandit, cum hoc, quod per ænigmata loquebatur, exposuit.*

12. An non recordamini, neminem, sive in cœlo, sive in terra, scivisse modum, seu rationem, aperiendi librum illum, qui septem clausus erat sigillis, excepto leone de tribu Juda? unde cum S. Evangelista Joannes tantopere ploraret, pro consolatione sui, vocem audivit illius venerandi senatoris Paradisiaci: *Ne fleveris: Ecce vicit leo, de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula ejus.* Rationem ejus adfert S. Ambrosius: *Quia solus Dominus IESVS, in Evangelio suo, prophetarum ænigmata, & legis mysteria revelavit: solus scientiæ clavem detulit, & dedit aperire nobis.* Solus Redemptor, Prophetarum aperuit mysterium, legis ænigmata solvit, figurarumq; manifestavit sacramenta. Solus ipse scientiæ clavem in mundo detulit, suæq; sapientiæ Paradisum expandit, eundemq;, quod plus est, *dedit aperire nobis.* Audiuntur nunc in ore, non jam dicam, doctorum, sed simplicis turbæ, sed rudium agricolarum, sed puerorum innocentum, magna illa secreta cœlestia, atq; summa cum securitate loqui norunt de Deo, de attributis ejus: de Trinitate Personarum & essentiæ unitate: de incarnatione Verbi, sine mutatione facta: de cóceptione MARIÆ, sine macula: de partu virgineo, sine corruptione: de sanctorum prædestinatione, absq; ullo ad merita respectu: de efficacia gratiæ, sine violentia: de morte corporum cum immortalitate animarum: de operibus, & de fide: de meritis, & de culpis: de sacramentis, & sacramentalibus: de peccato originali, & personali, de Ecclesia militante, & triumphante: de purgatorio, & inferno: de gloria & de pœnis: Deniq; de omnibus sanctæ fidei nostræ mysteriis, summa cum soliditate, & absq; ullo erroris periculo discurritur, idq; quia hic Messias *solus, scientiæ clavem detulit, & dedit aperire nobis.* Ecce tibi completam prophetiam Isaiæ: *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris, & de caligine, oculi eorum videbunt.* Paulò ante dixerat: *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati.* Primo erit liber quidam sigillatus, prouti Joannes illum vidit, postea verò omninò erit apertus, doctrinaq; inibi contenta, adeo manifesta erit, ut ipsi quoq; surdi illam audituri, id est, simplices & ignorantes, juxta quod ipsum, eruditi cujusdam expositoris glossa declarat: *quia etiam imperita plebecula secretissimi fidei mysteria non ignorat.*

13. Atq; hoc sensu, S. Hieronymus intellexit illud, quod Ezechiel de porta illa dixit, quæ eousq; clausa esse debebat, donec princeps aperiet eandem, perq; illam, pro suo libitu transiret: *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam.* Porta Paradisi secretorum Domini, omnibus clausa erit, donec Christus Dominus, ac princeps noster, nobis compareat. Ideoq; subjungit. *Princeps*

Apocal. 5. v. 5.
Amb. in Ps. 118.
Hier. in Ez.
Isa. 2.
Basili. Isa. 2.
Isaiæ 29. v. 18.
Mendo. in 1. Lib. Reg. 19.
Ezech. 44. v. 2.

ceps ipse sedebit in ea, per viam portæ egredietur & ingredietur: Priusquam Salvator humanum corpus assumeret, sunt verba Hieronymi, *clausa erat lex, & Prophetæ, & omnis scientia scripturarum clausus erat Paradisus. Postquam ille pependit in cruce, aperta sunt omnia: solus scientiæ clavem detulit, & dedit aperire nobis.* Quid ergo tu, ô stulte Hebræe, facis, qui ad solis præsentiam, tantum æstimas modicum lucernæ tuæ fulgorem? *Venite, & ambulemus in lumine Domini* Ecce invitantem te Prophetam tuum: *ambulemus in lumine Domini: non in prophetico*, subjungit S. Basilius, *non in legali, sed in lumine Domini. Etenim sunt etiam usui nobis lucernæ, sed ante solis exortum. Quod si ridiculus scurra, & delirus censetur, qui lucernam illustrem sibi præfert exsplendescente sole, tanto magis habendus pro ridiculo est, qui prædicato Evangelio, pertinaciùs acquiescit legali umbræ.* Ausculta ergo, nam & tuæ stultitiæ convenit, quod de Philosophis dicebamus. Itane? ridiculusne scurra existimabitur, qui lucernæ lumine, stante solis præsentia, utitur: & ridiculus non erit, qui præsente magna illa Evangelii luce, modico legis uti contendit splendore? *Quis enim sapiens, lucernam requirat in sole?* Profectò, quod si nullus sapiens, ad tantam sese demittit stultitiam, annon veluti stultus æternum condemnatus erit Hebræus, dum vel eousq; sese demittit? Indubitatum ergo ex hactenus dictis manet, quod doctrina Christi *solida sit ad nutrimentum*, aut quod *in ea, quicquid docetur, sit veritas*, quippe quæ venustissimâ luce sua, cæcitatem fugarit ignorantiæ, tenebras erroris, ac deniq; obscuritatem ænigmatum.

Hier. in Ezech.

Isa. 2. v. 5.

Basilius in Isa. 2.

14. Transeo interea ad secundam doctrinæ Christi proprietatem, nimirum quod *efficax sit ad medicinam*, quia *in ea, quidquid præcipitur, est bonitas.* Considerate nonnihil ea, quæ in mundo erant, ibidem namq; priusquam veniret Dominus *ad dandam scientiam salutis*, nil nisi vitia dominabantur. Qualia enim tribunalia illa erant, in quibus vendebatur Justitia, nullus autem econtra veritati locus supererat? Quales ii erant Judices, qui à muneribus se excæcari, atque per intentatas potentum comminationes, à rectitudinis tramite dimoveri se sinebant? Quales illæ leges, quæ omne iniquitatis & flagitii genus impunè permittebant? Qualia templa, quæ velut nidi erant impietatis, & sacrilegiorum? Quales sacerdotes, inimici videlicet religionis & Idololatriæ fomentatores? Quàm crudelia erant illa cruenta, miserabilium peregrinorum, lectissimarum puellarum, innocentumq; puerorum sacrificia? Quales Principes? Lupi nimirum, non Pastores, vasallorumq; suorum Tyranni, non patres. Quales civitates & respublicæ? latronum scilicet collegia, immaniumq; ferarum latibula. Qualia bella? nempe per ambitionem excitata, & ad insatiabilem cupiditatis ingluviem compescendam continuata. Quales milites? quippe oppressores innocentum, alienarum q; facultatum avidi raptores. Quænam illa matrimonia omnis fidelitatis experstia, atq; cum quovis parentelæ gra-

Secundū punctum.

gradu indifferenter contracta? quales illi præter omnem justitiam initi contractus, omniq; intolerabili iniquitate pleni? Quã malè gubernabãtur familiæ, domesticis dissensionibus turbatæ? Quam erant mercatores in verbis mendaces, fraudulenti in factis? Quales scholę erant, ubi docebantur errores apertèq; docebatur mendacium? Quales magistri erant, tam videlicet turgidi superbia, quantum ignorantia inanes? Quales sciẽtiæ quæ expressæ manifestęq; opponebantur veritati, infinitosq; continebant errores? Quales libri nimirum millenis conspurcati turpitudinibus, infinitis falsitatibus obscurati, innumerisq; chimeris referti? Huc ergo nunc adsit nobis veræ sapientiæ magister, eamq; nobis adferat doctrinam, quæ vocatur, idq; verissimè, ac valde propriè, *immaculata, convertens animas, scientiam præstans parvulis, in qua, quicquid præcipitur, bonitas est.* Adsit nobis Doctrina illa, adeò pura, ut ne vanam quidem cogitationẽ admittat: tamq; exacta, ut ne indecentem quendam oculorum patiatur obtutum: adeò immaculata, ut omnia impura usq; ad unicum verbum otiosum prohibeat. Tertullianus innumera in mediũ adduxerat Reipublicæ Romanæ flagitia, ac tandẽ ingenti cum verborum pondere, ita concludit: *Has purulentias civitatis, quis eliciet, & evaporabit, nisi sermo palliatus?* Hoc, quod Tertullianus de Roma dixit, ego de mũdo merito dixero: Quis tot flagitiorum exprimere valebit putredines? Quis evaporare atq; evanescere faciet, turpẽ adeo ac maleolentem, tot peccatorũ saniem? Ubi tamen ingentis perversitatis contagio, proportionatam invenire quis poterit medicinam, nisi in Christianorum Doctrina, atq; cœlestis hujus legislatoris dogmatibus? *Has purulentias civitatis quis eliciet, & evaporabit, nisi sermo palliatus?*

Tertullianus de pallio.

Ambr. Ps. 21.

15. Ecce tibi in mundo completum illud Regii Prophetæ oraculum. *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Psal. 138. v. 16.
Die replebuntur, & nemo in eis. legit S. Hilarius. q. d. Replebuntur quidem die, nec tamen præter diem, aliud quidpiam capient. Vas liquore aliquo plenum, aliud nihil, præter liquorem, quo repletur, capere potest: ita Christi fideles luce doctrinæ Christi pleni, aliud nihil in corde suo, præter hanc ipsam lucem, admittere poterunt. *Die replebuntur, & nemo in eis. Nemo in eis*, hoc est, nihil ex pessimo illo scelerum genere. *Nemo in eis*: Non supbia quæ inflet: non ira quæ inflammet: non avaritia quæ accendat: non libido quæ stimulet: non quæ macerret invidia: non demum quævis alia passio, quæ efferat. *Die replebuntur, & nemo in eis. Die replebuntur*, dicit S. Hilarius, *id est, lumine. Quod autem repletum est, nihil præter id, ex quo repletum est, recipit. Non enim in eum, qui die plenus est, nox penetrat. Et qui die repletus est, tantum in se habet diem, & ideò ait: Die replebuntur, & nemo in eis. Nemo in eis erit, præter diem, quo repleti sunt: non pecuniæ æstus: non voluptatum stimulus: nõ ambitionis ardor: non odiorum malignitas: non invidiæ aculeus: non convitiorum furor: non superbiæ amentia, non cætera, quæ Diaboli sunt arma, atq; virtutes, sed lux vera, sed dies sola, qua repleti sunt.* Hic est dies ille, de quo ex mente S. Ambrosii, idem Propheta regius hisce verbis lo-

Eccla v. 18.

Hilarius in Ps. 138.

Ps. 108, v. 8.

que-

quebatur: *In matutino interficiebã omnes peccatores terræ.* Mane resplendés dicit Ambr. est Christus, bonum nostrum, *quia nobis ignorantiæ tenebris, & peccatorũ cœcitate submersis, cœlestis doctrinæ suæ lumen infudit, & quos non habebamus, oculos cordis inseruit.* At quid ex lucis istius adventu sequitur? *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, hoc est, oriente in nobis sole justitiæ, qui habitaculum Domini sumus, omnis cogitatio iniqua subvertitur.* Jam jam pravum illud iniquitatis genus occidere didici, postquam doctrinę Christi mihi nata lux est: Nũc impuram sordidarum cogitationũ catervam, stultasq; phantasias dissipare difficile non est, nimirum, quando pulchrum illud mane, sive diluculum, atq; gratiosa documentorum redemptoris nostri aurora exorta fuit: *Oriente in nobis sole Iustitiæ omnis cogitatio iniqua subvertitur.*

Ambr. in Ps. 21.

16. Prima facie, valde peregrina videtur illa Salomonis sententia, licet reapse Mysteriis sit refertissima, videlicet: *Cognovi, quod in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiã, addit & laborem.* Quid obsecro sibi vult, quod in magna sapientia, magna sit indignatio, & quod crescente sapientia, pariter & labor accrescat? Si de mundana sapientia sermo esset, facile concederem, in ea reperiri posse laborem pariter & indignationẽ: necessariũ enim est, ut indignetur, quisquis se ea fœlicitate destitutum invenit, quam rebus mundanis inesse somniaverat: nec minus convenit, ut multa toleret, multumq; laboret, donec sæculi hujus sapientiam acquirat. Verum, si de cœlesti sapientia loquẽdum sit, profectò nescio, quomodo indignatio reperiri possit, aut labor. *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Cum ergò sapientia cœlestis, gaudio & lætitia plena sit, quomodo pariter indignatione & labore plena esse dicitur? Ad hoc sapienter admodum respondebit Salon. Episcop. Vieñen. *Quia quãtoquisq; majorem sapientiam percipit, tanto amplius sibi indignatur, & dolet, vitiis & peccatis subjacere, & non habere virtutes. Ideoq; addit: & laborem: quia quanto amplius cœlestia & æterna cognoscit, tanto magis dolendo, & flendo laborat, ut liberari valeat de hujus sæculi miseria.* Ita est (ô Christiane) *in multa sapiẽtia multa indignatio.* Per cœlestis sapientiæ lumen, virtutis video pulchritudinem, meæq; indignor socordię, quod nullum illius hucusq; lucrum fecerim: video peccati deformitatem, mihiq; irascor, quod toties illius factus sim mancipium: intueor ingentẽ illam cœlorum mercedẽ, mihiq; indignor, ꝙ meis me demeritis, illa indignũ reddiderim. Inferni conspicio pœnas, reprobis destinatas, meęq; indignor temeritati, qua toties similiũ me pœnarum reum constitui. Dei contẽplor magnificentiam, & pulchritudinem, mihiq; indignor quod eundem non dilexerim, nec illi, prouti justum erat, servierim: Animarũ Christi sanguine redẽptarum pretium video, & valorẽ, mihiq; nec non & pravis meis exemplis indignor, quibus tot illis scãdala præbui & offendicula. Considero naturæ meæ nobilitatẽ, ac prestantiam, mihiq; ꝙ adeo turpiter eandem dejecerim, vilemq; reddiderim, meq; creaturis insensatis parem, & similem fecerim, vehementer irascor. Benefi-

Ecclæ. 1. v. 18.

Sap. 8. v. 16.

Salon. in Ecclesi. Cap. 1.

ciorum Dei numerum, absq; numero esse conspicio, mihiq; indignor, quod adeo pro illis ingratus extiterim. En ergo qualiter verum sit, *quod in multa sapientia, multa est indignatio.* Nam is, qui scit, facit quod novit, is qui videt, currit: Qui thesaurum aliquem exploravit, pro illo acquirendo laborat: Is qui intelligit prætendit: Qui apertos ad mercedem habet oculos, promptam quoq; ad opus & labores manū habet: *Qui addit scientiam, addit & laborem.*

17. Neq; credo Ecclesiasticum ab hoc discursu procul abiisse, quando dicere non est veritus, sapientiam inflasse filios suos. *Sapientia inflavit filios suos,* sic enim Clemens Alexandr. legit, loco ejus, ubi vulgata legit: *Sapientia vitam inspiravit filiis suis.* Eccli. 4. v. 12. Profectò, si de mundana scientia loqueremur, haud difficulter intelligeretur, qua ratione per illam inflati essent filii sui, nam secundum quod Gentium dixit Apostolus: *sciētia inflat*: at vero Christi scientia, potius humiles & demissi sens[9] reddit suos sectatores: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Non enim doctrinâ fastum & arrogantiam ingeneravit Dominus,* inquit Clem. Alexandr. Qua ergo ratione dicitur, quod *sapientia inflavit filios suos?* sed ecce tibi ejusdē Clementis, quoad hoc, egregium responsum: *sed in veritate habere fiduciam, esse magnificum in cognitione, quæ traditur per scientiam, quæ efficit contemptorem eorum, quæ trahūt ad peccatum. Quod significat dictio, (inflavit) quæ significat magnificentiā sapientiæ, quæ implantatur iis, qui sunt per doctrinam filii.* Inflat sapientia Christi, hoc est, generosos facit & magnanimos, atq; contēnere nos facit omnes vilissimas terræ abjectiones, & humilitates, quæ ad peccatū impellūt. Porrò si Oratori Romano dicere licuit: *Est animorum, ingeniorumq;, naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contēplatioq; naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur, humana despicimus, cogitantes superna, atq; cœlestia; hæc nostra, ut exigua, & minima contēnimus.* Si tanta hic de naturali sapientia dixit, nobis utiq; longè plura dicenda essent, de divina, quam supremus magister noster, de cœlo in terram detulit: *Erigimur, elatioresq; fieri videmur.* Certa quadam sancta, bonaq; supbia, ad res cœlestes erigimur despicimusq; terrenas. *Humana despicimus, cogitantes superna, atq; cœlestia.* Hæc est inflatio illa, de qua Sapiens loquebatur, illaq; filiis suis, à suprema sapiētia, ingenita sancta superbia. *Sapientia inflavit filios suos.* Et fortasse in eodem sensu, loquebatur Isaias Propheta, quando populo Dei dicebat: *Ecce intelliget servus meus Iacob.* Iacob cœli secreta, ipsi à Christo Redemptore manifestata, intelliget. Sed quid inde eveniet? *Exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde.* Postquam ex hujus sancti magistri ore, cœlestem perceperit sapiētiam, mox elevabitur, magnanimusq; evadet, atq; cœlesti quadam altitudine turgidus, nihil æstimabit, quicquid infœlicis fœlicitatis mundanæ, ab hoc misero mundo promitti unquam poterit: *Humana despicimus cogitantes superna, atq; cœlestia.* Id quod memorem me reddit Themistoclis, qui dum Concives sui, ex mari in littus descendissent, ibidēq; certis quorundam tēpestatibus quassatorum, atq; ad littus projectorum navigiorum rebus deprædandis, spoliandisq; eorum, qui ex naufragio submersi

Lib. 7. Stromat.

Lib. 2. de Natura Deorum. Lib. 2. Academ. Quæst.

Isaiæ 52. v. 13.

Plutarchus in vita.

mersi perierant, cadaveribus insisterent, cuidam ipsum reprehendenti, quod manibus in sinu reconditis alios spectaret, neq; sibi pulchram adeo acquirendi occasioné, quidquam proficuam redderet, memorabilem hanc respondit sententiam: *Tu tibi colliges, quia Themistocles non es*. Eodem quoq; modo sapientiæ Christianæ filii, certa quadam cœlesti, & laudabili superbia pleni, eximia cum animi generositate, sæculi istius hominibus dicunt: *Tu tibi collige, quia Themistocles non es*. Abito tu, post putrida miserabilis terræ hujus ejecta cadavera: Ego interea, ex Christi doctrina, res longe digniores, meæq; magnificentiæ statui convenientiores inquirere, sum edoctus: Humana despicimus, cogitantes superna, atq; cœlestia.

Lib. de præscriptione Hæreticorũ. 18. Etenim, aliud cœlestis doctrinę hujus testimonium nolo, inquit Tertull. quam sanctitatem, morumq; sanctitatem, quæ in iis elucet, qui eam ꝓfessi sunt: *de genere conversationis, qualitas fidei æstimari potest. Doctrinæ index, disciplina est*. Sub cœlesti isthoc magisterio, floruerunt mira sanctitate, divinis moribus præditi viri, adeo puri, quoad intentionem: tam in operibus sancti: adeo casti in cogitationibus: in laboribus adeò infessi: tam in negotiis providi: tam humiles in honoribus: in divitiis adeo liberales: tam læti in adversis: tam charitativi erga proximos: adeò zelantes honoris divini: adeò à propriis commodis quærendis alieni: adeo carnis & corporis sui proprii obliti: tam rigorosi in pœnitentiis: in infinitis inconstantissimi sæculi istius vicissitudinibus superandis, constantes: adeo pleni ornatiq; virtutibus: ut quid plus, quàm mundi hujus homines esse viderentur. Atqui undenam tales evaserunt? nisi per cœlestem hunc magistrum, qui *Deos appellat, ad quos Dei sermo factus est*. Itaq; *doctrinæ index, disciplina est*. Quænam est disciplina ista, quæ homines tales efficit? Quænam isthæc sapientia, quæ homines in Deos transmutat? *de genere conversationis, qualitas fidei æstimari potest*. Porrò si S. Greg. Nazianz. de Basilii M. doctrina dicere potuit, illam p divinam quandã metamorphosin ad transmutandos homines, aptam natã fuisse: quod ipse, magni illius hominis opera legendo, anima & corpore tenus purificatus fuerit, factusq; sit tẽplum Dei, & organum Spiritus sancti: *Cum sermones ejus evolvo, anima pariter purgor, & corpore: ac templum Dei fio capax, organumq; pulsatum à spiritu, divinã decantans gloriam, & potentiam. Cum ac immutor & dirigor, aliusq; ex alio fio alteratus alteratione divina*. Quanto id magis, & verius, de Christi doctrina dici debebit, quæ adeo potens est, & efficax, ut peccatores in sanctos, reprobos in amicos, homines in Deos trãsmutare possit? *Aliusq; ex alio fio, alteratione alteratus divina*. Orat. funeb. de S. Basilio.

19. Atq; ideo fortasse, sapientia æterna in proverbiis dicebat, se à Deo creatam esse: *Dominus creavit me, initium viarum suarum*: sic enim legit Athanas. ubi alias, secundum vulgatam legimus: *Dominus possidet me*. Jam satis probè nôram, sapientiam æternam, principium esse viarum Domini, quippe, quæ infinitis virtutibus mediantibus, quas cordi imprimit, ad Deum ducit: at verò unà cum eodem Athanasio hæreo & ego, quomodo sapien- Prov. 8. v. 22.

 tia

tia æterna creata esse dicatur: *Dominus creavit: non enim creatrix creatur*. Impossibile est, eam, quæ rerum omnium creatrix existit, creari posse, inquit sanctus: Et tamen illa, quæ mentiri nequit æterna veritas, contrarium affirmat: *Dominus creavit me*. Verum mirabiliter respondet S. Athanas. ꝙ *propter imaginem sui rebus ingenitam, ipsa se creari dicit*. Sapientia increata, in discipulis Christi creata esse videtur, illi enim, per eas, quas sub tanto, tamq; sublimi magisterio, acquirunt virtutes, vivam quandam, & expressam, in personis suis, sui deferunt imaginem. *Propter imaginem sui, rebus ingenitam, ipsa se creari dicit*. Ponamus, ꝙ pictor aliquis admodum excellens, toto artis cum conamine, vivam filii sui delineet effigiem: Hic talis filius, patri suo dicere poterit: bis à te, ô pater, formatus sum, semel dum me genuisti: Et iterum, cum me depinxisti: Ita quoq; æterna Dei sapiētia semel *ab æterno* genita fuit: atq; iterum creata, per similitudinem sui ipsius, quam in creatura rationali habere cognoscitur, quæ per magni illius magisterii directionē, ad Dei pertingit similitudinem, atq; ad æternam ejus sapientiam. *Propter imaginem sui, rebus ingenitam, ipsa se creari dicit*.

SECUNDA PARS.

Tertium Punctum. 20. VLtima doctrinæ Christi ꝓprietas est, quod sit *deliciosa ad saporem, si quidem in ea, quicquid promittitur, fœlicitas est*. Ecce tibi illud Sapiētis oraculum: *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*. Doctrinam Christi, in veritate esse solidam, unusquisq; fatetur: Pro moribus reformandis & acquisitione virtutis, valde esse utilem, quilibet affirmat: Verum sapidam esse, atq; delitiosam, negatur à multis. Potius namq; doctrina mundi, plena delitiis esse videtur: illa namq; tot voluptates & delitias ꝓmittit, atq; promittit, quot Christi doctrina condēnat ac prohibet. Et tamen indubitatum est spiritus sancti oraculum, videlicet, quod quisquis viam sapientiæ Christi ingreditur, cum ingenti cordis latitudine, & absq; ullo gradiatur offendiculo: *Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*.

Prov. 4. v. 11.

21. Audiamus nonnihil hac de re, Regis sancti judicium, qui dubium istud indubiē reddet perspicuū: *Narraverūt mihi iniqui delectationes* (sic Augustin. legit, ubi nos legimus: *fabulationes*) *sed non ut lex tua*. At quænam sūt fabulæ istæ, quæ legi Dei sic contra ponuntur? declarat id Augustin. Flagitiosi, inquit ipse, ad se, me trahere nitebantur, meq; scholæ mundi hujus facere candidatum: ut autem hoc suū assequerentur intentum: *Narraverunt mihi delectationes*, longam mihi voluptatum, quas in via peccati & sub sæculi magisterio exponuntur, texuerunt seriem, videlicet voluptates sensuum, divitiarum commoditates, gloriam honorum, conversationum dulcedinem, gaudia conviviorum, ludorum jucunditatem, potentiam imperiorum, vasallorum obsequia, inclinationes plebis, famæ reputationē, & quæ sunt reliqua ejusmodi, de quibus gloriātur inimici crucis Christi. Sed quonam omnia prædicta appellarunt nomine?

Ps. 118. v. 85.

Serm. de verbis Apost.

mine? Rotundo id ore enuntia, ô sapientissime Propheta, veritatemq; istam paucis cognitam da intelligere! *Narraverunt mihi delectationes.* Ecquid autem delectationes istæ tibi esse videntur? Audite si libet: *Narraverunt mihi fabulationes.* Meræ fabulæ sunt, atq; figmẽta, deceptiones sunt fallacis mundi, quæ te fascinantes, unam rem pro altera te videre faciunt. At vero de Christi doctrina, ejusdemq; professione quid sentis? quid dicis? *sed non ut lex tua.* Illi mihi voluptates re censent fabulosas: lex autem tua, veras, & reales. Illi me decipiunt: hæc erudit. Illi me perperam videre faciunt: hæc vera ut videam efficit. Illi nil nisi ærumnas patientes, de voluptatibus gloriantur atq; delitiis: hæc multa quæ fastidiosa sunt, aperte profitens, nil præter continuam experitur pacem. De nonnullis Christum cum devotione quærentibus, dicitur: *Gavisi sunt gaudio magno valde.* Atqui num fortasse gaudere quis potest, qui gaudio non gaudeat? Imo vero: Et quidem ejusmodi prorsus est mundi lætitia, quæ non est lætitia vera, sed ficta & fallax, de qua magnus ille Dei servus dixit: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: quid frustra deciperis? gavisi* itaq; dicũtur *gaudio*, ad differentiam improborum, qui vero gaudio nequaquam gaudent, sed gaudio ficto & fabuloso: *Gaudio gaudet, qui propter Deum gaudet, qui est verum gaudium,* dicit in eo loco Glossa.

Matth. 2. v. 10.

22. Hic Davidis locus, ubi de fabulosis mundanorum loquitur gaudiis, pulcherrimum quendam S. Petri Apostoli textum, in memoriam mihi revocat, qui ita inquit: *Non doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri IESV Christi virtutem.* Petrus Evangelium quod Christi appellat virtutẽ, prædicabat: cum autẽ ipsi demõstrandum incumberet, res in illo contineri extraordinarias, peregrinas, & ferè incredibiles, cujusmodi sunt quæ sequentibus continentur propositionibus, quibus dicitur: Beatos fore pauperes: fœlices eos, qui persecutionib⁹ impetuntur: alleviandos eos, qui jugum ferunt: gavisuros injuriatos: eos qui plangunt, lætificandos: oves in medio luporum, ipsis fore lupis potentiores: opprobriis in hac vita saturatos, regno fore cœlorum beandos: Ideoq; inquam, S. Petrus delitias doctrinæ Christi recensere contendens, illas ut faceret esse credibiles, opus erat, ut auditores suos ipse præmuniret, dicendo iisdem: Res, quas vobis ego dicturus sum, adeò raræ futuræ sunt atq; sublimes, ut fabulis haud absimiles videri possint, quæ ipsissima sunt veritas: ac proinde scitote quod *non doctas fabulas secuti, notas facimus vobis Domini nostri IESV Christi virtutem.* Et sicut S. Ambr. de Abraha loquens, ipsum reapse longe plus fecisse dixit, eo, quod antiqua quondam Philosophia finxit: quodq; simplex in eo veritas, turgido oratorum prævaluerit mendacio: *Magnus planè Abraham, & multarum virtutũ clarus insignibus, quem votis suis, Philosophia non potuit æquare. Deniq; minus est, quod illa finxit, quam quod iste gessit: majorq; ambitioso eloquentiæ mendacio, simplex veritatis fides:* Eodẽ prorsus modo, fabulosa circulatorum figmenta, chimeræ Poetarum somniatæ, mendaces sophistarum narratiunculæ, à Christi longè superatæ sunt: Evangelio in quo plus reapse reperi-

1. Petr. 1. v. 16.

Lib. 1. de Abraham. Cap. 2.

tur dulcedinis, quam ipsa unquam cõfingere valuerit: plures doctrina Domini, in veritate continet delitias, quam unquam antiquæ fabulæ mētiendo recensere potuerint; plures solidioresq; in se continet verissimas gaudēdi, delectandiq; materias, quam ipsæ vanè prævaluerint confingere: adeo, ut sicut scholarum mundanarum delitiæ, cum fabulæ sint, veræ tamen esse appareant, ita quoq; delitiæ scholæ christianæ, tametsi revera sint verissimæ, ob eximiam tamen sui magnificentiã, esse videantur fabulæ: *Non doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri IESV Christi veritatem.* O quam elegãter veritatem istam, gentium magister expressit Paulus Apostol. qui ad Galat. scribens, opera carnis recenset, & spiritus, sive, quod idem est, effectus doctrinæ Christi, & doctrinæ mundanæ effectus, dicitq;: *Manifesta sunt opera carnis: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia*, & cętera quæ sequuntur: postea autē recensere pgit & opera spiritus, dicitq;: *Fructus autē spiritus sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas.* Sed an nõ hic animadvertitis, Paulũ, cum de scholæ mundanæ effectibus loquitur, illos vocare *opera: manifesta sunt opera carnis*; dum verò de rebus ad spiritum pertinentibus agit, hoc est, de doctrinæ Christi effectibus, illos non opera vocat, sed *fructus* appellat: *Fructus autem spiritus?* Scitis cur ita fecerit? quia in hujus mundi rebus, labor est, fatigatio, dolor, afflictio, & amaritudo, ideoq; ea vocat *opera carnis*: non autē sic in cœlesti Christi, & spiritus doctrina, ubi nil est, nisi fruitio, dulcedo, & gaudiũ: Ideoq; dicit: *Fructus autem spiritus.* Hic est conceptus S. Hieron. dicentis: *Sed & illud eleganter quod in carne opera posuit, fructus in spiritu: quia vitia in semetipsa finiuntur, & pereunt, virtutes frugibus pullulant, & abũdant.* In doctrina mundi, totũ quod est, labor est: in Christi doctrina, totũ est fructus: in illa, nunquã requies habetur: in hac nunquam laboratur. Illa in semetipsa amara, amarissimos quoque fructus producit; hæc dulcis in semetipsa nil aliud producit præter dulcedinem. *Eleganter in carne opera posuit, fructus in spiritu.* Apud nos arbores pariunt quidem fructus, ipsę tamen fructus non sunt. In India quoddam palmæ genus reperitur, quæ non solum fructus producit, verum & ipsamet quoq; tota quãta est, fructus est. Trũcus, rami, folia, cortex, radix, flores, omnia serviunt sive in panem, sive in companaticum, sive in condimētum, seu embamma, sive deniq; in potum: similiter doctrina à Christo tradita, nõ tantum multorum fructuum est fœcundissima, ac veracissima, verum etiam ipsamet quanta est, tota fructus est. Sic Philo, de quacunq; demum virtute loquēs, dicebat: *Terrestres plãtæ, suo cultori interdum nullum fructum afferunt, at quæ inseruntur in anima, tota, quanta sunt, in fructus abeunt.* De magna illa muliere, à Salomone in proverbiis suis descripta, dicitur: *Consideravit agrum, & emit illum:* Ager autem ille, ut S. Hieron. dicit, Paradisi hæreditatem significat: *Agrum dicit possessionem supernæ hæreditatis.* Postea vero sacer textus subjungit: *Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus.* Quibus verbis scriptura sacra innuit, Ecclesiam gustasse & intellexisse, negotium illud dulce esse

Galat. 5. v. 19.

Hieron. Epist. ad Galath.

Prov. 31. v. 16.

Hieron. in Proverb.

esse & sapidum. Non dicit, fructum agri illius bonum fuisse, & sapidum, tãetsi hunc ejusmodi fuisse, satis superq; constet: sed negotiationem ejus: ipsumet namq; commercium, seu negotiatio, ipsemet quæstus, seu acquisitio, ipsummet sumptuum impendium, ipsummet pro agro illo habẽdo, fatigari, summum parit gaudium, & lætitiam *Gustavit igitur, Ecclesia sancta*, inquit S. Hieron. *id est, intimo mẽtis desiderio cognovit, quia bona est negotiatio vitæ immarcessibilis, qua relictis illecebris tẽporalibus, æterna mereamur in cœlis.* Ita prorsus est, ô dilectissimi, *gustavit & vidit, quia bona est negotiatio ejus.* Nõ solùm sapidum est cœlum, sed & negotiatio pro cœlo acquirendo, sed & sudores pro cœlo adhibiti, sed & bonorum temporalium pro cœli lucro, libens derelictio, omnia ista, res sunt jucundæ, delectationisq; immensæ. *Gustavit & vidit, quia bona est negotiatio ejus. Eleganter in carne opera posuit, fructus in spiritu.*

23. Hoc est, quod Rex sanctus ajebat: *Beati omnes, qui timent Dominũ, qui ambulant in viis ejus.* Sed eccur hi beati? *Labores manuũ tuarum, quia mãducabis.* S. August. legit: *Labores fructuum tuorum.* q. d. Non solùm laborum manducabis fructus, sed & fructuum labores, *quia & ipsi labores non sunt sine jucunditate*, dicit August. An non audistis id, quod canit David: *Exultabit Iacob, & lætabitur Israel?* Non tantum Israel, videns Deum, exultabit, sed & Iacob qui remotus à Deo confligit, ut supplantet. *Idem est Iacob, qui & Israel*, inquit S. Hieron. *sed hic Iacob, & illic Israel. Hic supplantator vitiorum, & illic videns Deum, facie ad faciem.* Homo iste, non tantum quando Israel est, lætatur: sed & quando Jacob est: non tantũ quando Deum videt, sed & cum pro Deo laborat: Non tantum in cœlo, ubi omne bonum est, verum etiam in terra, in medio omnium malorum: non duntaxat in patria, ubi fructus laborum eduntur, sed & in exilio, ubi fructuum labores manducantur. *Labores fructuum tuorum, quia manducabis.*

Hieron. | ist. ad | alath.

Prov. 31. v. 16. Hieron. | Proverb.

Psal. 13. v. 7.

Hieron. in Ps. 13.

24. Discursum istum cum S. Paulo concludo, qui maximi momenti dogma, hisce verbis suggerit: *Omnis disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet.* Acutè notarunt Chrysost. & Theophyl. Apostolum hic dixisse: *Omnis disciplina videtur non esse gaudii. Videtur, non est.* Videtur. Si autem videtur, ergo non est. Tametsi in disciplina Domini, aliqua foret asperitas, hæc tamen omnino est mitigata, imò à spe præmii omnino sublata è medio. Peccatores, dicit Chrysost. tametsi in mediis gaudiis, consistant, ex timore tamen semper contristantur: justi verò ecõtra, tametsi in medio afflictionis sint constituti, semper tamen gaudent, propter spem. *Adeo ut contingat, illic quidem nũquam lætari, hic autem nunquam tristari.* Hoc erat illorum quadraginta Sebastinorum Martyrum unicum solatium, dum in gelido illo balneo cruciati & torti, teste S. Basil. M. dicebant? *Acris est Hyems & dulcis Paradisus: dolorosa est congelatio, at jucunda fruitio: paululum expectemus, & sinus nos Abrahæ Patriarchæ confovebit: una nocte totum ævum permutabimus.*

Heb. 12. v. 11.

Chrysost. in Epist. ad Hebr.

Orat in 40. Mart.

Agedum ergo, si doctrina Domini cibus est substantiosus, & medulla-

latus, cur tot in mũdo ignorantiæ cõspiciuntur tenebræ? Aut si adversus omnes animi morbos, efficax est medicamentum, cur igitur tot ibidem peccata dominantur? Aut si tam est deliciosa, & amabilis, cur in illius observantia, adeo tepidi & socordes existimus, aut cur tot in populo Christiano reperiuntur, qui cum incredulis illis dicunt? *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Eheu! quot & quanta Divinus hic magister fecit, ut nos cœlestis doctrinæ suæ capaces redderet! Ah quanta in laboriosæ vitæ suæ discursu sustinuit! Nosq; cœci adeo erimus, ut extremam, magni benefactoris hujus non conspiciamus benevolentiam? adeo ingrati erimus, ut ejus non probemus, amplectamurq; doctrinam, q̃ magni consilii angelus, verbum Dei, & patris ęterna est sapientia? Adeo deniq; insaniemus, ut donativo tantopere charo, tam excelsa ac sublimi dignitate, auxilio tam necessario privati esse velimus? *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Mundus vanitatibus suis illudit mihi: Fraudibus me suis caro seducit: suis deniq; dæmon me suggestionibus provocat: In te solo ergo, spes mea reclinata recumbit, in oris tui verbis, duntaxat confido; In tua doctrina sola, cordis mei repositam habeo fiduciam.

Joan. 6. v. 61.

* * *

Concio XXV.

In Feriam IV. post Domin. IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Præteriens IESVS vidit hominem cœcum à Nativitate. Joan. 9. v. 1.

ARGVMENTVM.

Spiritualis mentis cœcitas, malum quoddam est, quod impedimento est omni bono; Et malũ quoddam est, omne malum continens; Et quænam tanti mali causæ sint.

SUMMARIUM CONCIONIS.

*Quod si Tobias, de sua conqueritur cœcitate corporali: potiori jure, de cœcitate sua spirituali, conqueri deberet peccator. Locus I*saiæ: Populus cœcus & videns. *quomodo intelligendus.* *num.* 1.

Synopsis Concionis. *ibid.*

Primum punctum.

Cœcitas malum, quod privat omni bono. n. 2.

Oculorum dignitas, ex eorum privatione dignoscitur. ibid.

Oculi in homine, sunt sicut sol & luna in cœlo. ibid.

Oculi omnium operũ magistri sunt duces. n. 5.

Ani-

Pallium sponsæ à custodibus ablatum, denotat res temporales, quæ debent tolli, ut facilior sit ad Christum accessus. ibid.

Res sæculi impediunt nos, ne Deum videamus. ibid.

Non ergò terennis inhærendum, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur. Solida S. Augustini conclusio. *ibid.*

Omnibus cœcitatis spiritualis malis remedium potest afferre. Ille homo qui dicitur IESUS. *num.* 23.

1. QVale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Dicebat quondam illud pietatis exemplum, Tobias, ab hirundine infœliciter excœcatus. Quonam frui posset gaudio, qui omnium gaudiorum destitutus est causa? Cui pomposam illam mirabilium Dei scenam, ostro ornatam, pretiosisq; ejus gemmis distinctam, contemplandi, facultas ablata est? Quodnam is experiri poterit gaudium, qui universale mundi hujus experiri nequit gaudium, à tenacissimis tenebrarum vinculis incatenatus & constrictus? Veruntamen, potiori cum ratione, dolorosam hanc in ore suo continuo ferre poterit querelam, peccator, in cœco hodierni Evangelii repræsentatus. Quam enim experiri lætitiam poterit homo, per culpam spiritualiter excœcatus, cui nullus modus suppetit, videndi, sive inenarrabilem virtutis pulchritudinem, per naturæ lumen ad vivum depictam: sive immensam divini vultus gratiam à fidei splendoribus repræsentatam: sive elegantissima urbis Hierusalem mœnia, in mappa mundi divinarum scripturarum descripta: sive deniq; pretiosissimos divinarum gratiarum thesauros, per internarum

Tob. 5. v. 12.

inspirationum radios, visibiles factos? An non perpetui angoris materiam habet, quisquis densa scelerum suorum obvolutus caligine, obscuratam sibi conspicit rationem, fidem debilitatam, absconditas scripturas, obfuscatas cœli inspirationes? Qui absq; ullo humano remedio, in continuorum casuum consistit periculo, qui in pniciosarum delusionum discrimine versatur, infortuniorumq; permanentium veluti certus vivit? O utinam Deus faxit, ut mihi hodie obedire liceat, illi mihi per Isaiam prophetam intimato præcepto: *Educ foras populum cœcum, & oculos habentem!* q. d. Erue à voluntariis tenebris, populum hunc cœcum, & videntem: Cœcum in corde, videntem in corpore: Cœcum, quoad ea quæ sunt spiritus, videntem, quoad ea quæ carnis sunt: cœcum ad cœli lucem, ad terræ hujus prosperitatem videntem. Etenim ad minus divino fretus favore, id præstare conabor, idq; duabus rationibus, ostendendo videlicet primò: Mentis cœcitatem, malum quoddam esse, quod omni bono hominem privat: Et secundò: Eandem esse ejusmodi malum, quod omnis mali sit causa.

Isaiæ v. 8.

2. Primo igitur cœcitas malum quoddam est, omni bono hominem destituens. *Educ foras populum cœcum, & oculos habentem*, ut proinde chartæ divinæ, ingens hoc malum, per cœcitatis oculorũ referant, ac repręsentent similitudinem: Nam sicut oculi pretiosiores in nobis sunt partes, membraq; nobiliora, ita eorundem magis quoq; sentitur jactura, dolentiusq; illas cum Tobia plangere facit ac dicere:

Primum punctum.

re: *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Atq; hæc eſt ratio, uti Greg. Nyſſ. advertit, cur ſponſus coeleſtis, cum in ſacris Canticis, divina cum eloquentia, omnia in corpore ſponſæ deſcripturus eſſet lineamenta, ab oculis principium duxerit, veluti à nobili, præſtantioriq; corporis membro: *Oculi tui columbarum. Orditur hæc encomia de membris præcipuis. Quid enim inter membra noſtra, præſtantius eſt oculis, qui nobis omnium operum magiſtri ſunt, & duces?* Meritò ab oculis orditur ſponſæ encomia, utpote qui in nobis excellentior pars corporis ſunt, omniūq; operationum noſtrarum magiſtri ſunt & duces. Emortuum eſt, inquit Ambr. omne Capitanei robur, & valor, ſi oculorum careat ducatu: inutilis eſt ejus providentia, q periculoſos quoſq; eventus, cum dexteritate declinare novit, nec tamen viſum ducem adhibet: omniſq; ordo militaris, inordinatio erit, magnaq; confuſio, abſq; viſu oculorum: obſcurus quidam carcer erit corpus noſtrum, niſi luce illuſtretur oculorum: nam quod in coelo eſt ſol, & luna: idéquoq;, in coeleſtiali illa hominis machina, ſunt oculi. *Quid agat fortitudo, niſi oculo duce utatur ad prælium? Quid fuga, ſi deſit obtutus? Carcer eſt totum corpus, tenebroſo inhorrēs ſitu, niſi oculorū illuminetur aſpectu. Quod ergo Sol & Luna in cœlo, sūt oculi in homine.* Porrò ſi coelum, quod adeò venuſtum eſt, ac pulchrum, ſine Sole & Luna nequaquam placet, quid mirū eſt, ſi adeò deformes ſine oculis facies videantur humanæ? *Quàm deformes ſunt vultus cæcorum,* dicit idem S. Ambroſ. *& quid mirum, ſi vultus hominis, abſq; oculis deformis eſt, quando ipſum cœlum ſine Sole non habet ſuum decorem? Triſtes ſine Sole dies ducimus, noctes ſine Luna non placent. Ipſi enim ſunt quidam mundi oculi. Detrahe ſtellarum lumina, & quædam eſt in cœlo ipſo cæcitatis deformitas.*

Orat. 7. Cant.

Lib. 6. Hexameron. cap. 8.

Lib. 6. de Noa & Arca.

3 Adhæc, ſicut luci tam efficaci & potenti, major eorum effectuum pars attribuitur, quos nos hic in terris cernimus; ſic oculo pariter adſcribendæ ſunt operationes, quæ in parvo illo hominis mundo cernuntur. *Oculi nobis omnium operū magiſtri ſunt, & duces.* Oculus manū ad opus commovet: pedem in ſemitas ſuas dirigit: præparat palato cibum: auri muſicam concinnè adaptat: geſtum prudenter ordinat, & juvat: ſuum cuivis perſonæ veſtitus procurat decorum: ab omnibus membris, imminentia illis propellit pericula: In oculo reſidentes videbis omnes humanos affectus, atq; id, quod in corde latet abſconditum, in oculis manifeſtè videtur depictum, adeò, ut juxta animi motuum varietatem, ipſi quoq; velut Protheus quidam, aut Chamęleon varientur aut commutentur. Vnde divinæ ſcripturæ oculo attribuunt deſiderium, & ſpem: Favorem & vindictam: odiū & compaſſionem: humilitatem & timorem: vilipendium & æſtimationem. In ſumma oculus eſt id, quod animam in facie refert, ſicut econtra, omnia objecta viſibilia, in animam mirabiliter traiicit. Unde Plin. non dubitavit dicere, quod anima in oculis manſionem ſuam habeat: *Profectò animus in oculis inhabitat:* Item *oculos eſſe veluti vaſa quædam, quæ parte animi viſibili plena ſint, quàm ipſi recipientes, in proximos ſibi ſpectatores tranſmittunt.* Lib. 11. cap. 35.

Hinc est, quod S. Augustinus, pulchra quadam & valde proportionata similitudine, oculos, mentis vocet fenestras: *Oculi membra carnis, fenestra sunt mentis* ibi namq; mẽs nostra, alioquin invisibilis, videri se sinit. Et merito idem August. ingentem illorum notavit stultitiam, qui oculum habentes impudicum, & licentiosum, nihilominus gloriantur animum se habere castum, & continentem, dicebat enim, id esse non posse, siquidem oculus nuntius, & legatus sit cordis: *Ne dicatis vos habere animas pudicas, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus, impudici cordis est nuntius.* Optimè quoq; dixit Hieronymus, oculos sine verbis, aperire secreta cordis: *speculum mentis est facies, & taciti oculi mentis fatentur arcana.*

Aug. in Ps. 41.

In Regul. Monach.

Epist. ad Furiam viduam.

4. Ex altera etiam parte, sicut oculus animũ nobis depingit, ita quoq; res hujus mundi visibiles, animo depingit, eundemq; ad Creatoris venerationem excitat: *Oculos nobis dedit Deus, ut res ab eo creatas admirantes, adoremus Creatorem*, dicebat Chrysost: Et Asterius Episcop. similiter dixit, ꝙ *si oculus non esset, sine teste creatura senescere, nemine vidente Dei sapientiam & virtutem.* Ecquid tot gratiosę creaturæ prodessent, sive à natura productæ, sive inventæ ab arte, si illas non manifestaret oculus? Elegantes illę ex auro contextæ cortinæ, illa tam opulenta, tot gemmis adornata aulæa: pretiosa illa cœlorum mœnia, cum inter noctis tenebras mille luminosis facibus adornata superbiunt, aut cum ex magna illâ Dei fenestrâ in pulcherrimo & cæruleo illo cœlorum campo reserata & aperta cunctas suas unitim spargunt seu effundunt divitias? Quid utilitatis adferrent horti gratiosi & viridaria, ridentia prata, saltus amœni, christallini fontes, montes excelsi, profundę valles, mare nunc tranquillum mox vero tempestuosum? Tanta animalia domesticorum, & sylvestrium varietas: tanta volucrum cicurum, & campestrium multitudo: Tanta diversitas piscium, qui per mare natitant, aut in fluminibus degunt: tot hortẽses, & sylvestres arbores, & plantæ: Tot stellarum æmulatrices gemmæ: Tot alia cum solis splendoris certantia opulentissima metalla? Tot deniq; nobilissimæ domus hujus, homini à Deo præparatæ, ditissima mobilia, tamq; diversa supellex? Absq; lumine visus refrigerarentur amicitiæ: non adeo charæ forent cognationes: mutua nationum deficerent commercia: virtuosorum exemplorum perderetur utilitas: externus religionis cultus magna ex parte cessaret: vanæ denique forent, omnium liberalium, & mechanicarum artium, ingeniosæ adinventiones. Navis omnibus numeris absoluta, quæ civitas quædam in medio mari mobilis esse videtur. Palatiũ aliquod, in quo Architectus ingenii sui vi, omnia majora mundi prodigia compendiasset. Lectissimus aliquis, & in pulcherrimum ordinem redactus exercitus, cum suis armaturis, varietatibus, signis seu notis militaribus, loricis, machinis, qui quantumvis sæpius spectatur, novam tamen tibi semper, quoties conspicitur, relinquit admirationem: Pannus aliquis opere magistrali phrygiatus, in quem ars consummata, omnes veris transtulit divitias, dum diuturnam ac durabi-

Hom. 22 in Epist. ad Timoth.

Apud Photium in Bibl.

sem, in tela, floribus vitam confert, quæ brevem ac fragilē adeo vitam in terra habent: Mortua quædam pictura, quæ vivos potens sit in homine suscitare affectus. Frigidum & algens quoddam marmor, quod tamen incendia excitare potest in hominū cordibus: Metallum aliquod immobile, quod humanos, tamen comoveat affectus: Populorum annales, temporum præteritorum conservantes memoriam; libri ac typi, scientiis vitam tribuentes æternam: scripturæ, quæ mentis manifestant conceptus, atq; amico loquūtur quantumvis remoto ac distanti, aliiq; sagacis humani ingenii, sive ob utilitatem, sive ob recreationē, sive deniq; ob vitæ necessitatem in lucem editi partus infiniti. Quæ omnia, cum stupore & voluptate mētis, ab oculo depicta sunt, idq; longè excellentius, & eminentius, quam à quacunq; etiam excellentissima pictura id fieri possit: Non enim oculus, ad picturas suas elaborandas, opus habet rudibus quibusdam delineationibus, seu adumbrationibus prævijs, neq; ut multiplicatis penicilli tractibus, telam contrectet: sed subito, & velut instantanee, telas parturit perfectissimas & consummatas: Necessum illi non est, ut perperam pictum emendet, repetat, aut corrigat, totū enim quod facit, in primo suo conatu, irreprehensibile prodit, ac sine errore: neq; operando laborat, totus enim labor ejus, in solis palpebris erigendis & dirigendis pupillis positus est; Non te id, quod verisimile, sed quod verum est, videre facit. Non ludit per artificiosè compositos cortices, aut per perspectivarum figmenta, sed per gestus reales, verasq; gesticulationes demonstrat: colores ejus, sunt ab ipsissimet reb⁹ haustæ species: Penicilla, sunt illi purissimæ lucis radii: campus seu tela in quam infinitos eventus pingendo extendit, non est alia, quàm ipsa pupilla, eaq; vix uno milii grano major. Dicat ergo, & merito, sanctus ille senecio, ingensq; suum deplangat infortunium: *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* nam ut inquit S. Bonavent. *amisso visu, amittitur omne gaudium.*

De tribus ternariis peccatorū

5. Unde non est adeo mirandum, naturam, in hac minima corporis particula efformanda, tot adhibuisse prodigia, utpote, quæ ad tot miraculorum destinata fuerat operationem. Neq; mirum est, sæculi hujus sapientes, qui veræ fidei destituti fuerunt lumine, solam considerantes oculi excellentiam, quoad formam, materiam, figuram, locum, situm, artificium, valla, pulchritudinem atq; operationes, tandem conclusisse, quod ex hoc solo corporis nostri membro, justa potentiæ & sapientiæ creatoris fieri possit æstimatio. Nec deniq; mirandum est, quod cum oculus tantæ sit præstantiæ & existimationis, sitq; uti loquitur Cyrill. Alexandr. *eorum, quæ in nobis sunt, membrorum honorabilissimum*, tam magnopere à Deo honoratus, utq; ab omni contrario eventu, omni ex parte fieret securus, tot illum vallis, aggeribus, & propugnaculis fortificaverit, adeò, ut in oculi defensionem, ciliis utatur tanquam sagittariis, palpebris velut scutis, superciliis velut septis, genis uti propugnaculis, naribus velut munitio-

Galenus de usu partium. Lib. 6. in Joan. cap. 13.

tionibus, subtilissimis oculis telis, delicatissimis illius membranis, artificiosisq; retibus ejusdem, velut conopęis, seu tentoriis.

6. Porrò, hujus nobilissimi sensus visus utilitas. atq; æstimatio, efficit, ut tantopere ejus sentiatur jactura, aut deficientia; quodq; communi hominum sensu, cœcitas oculorum, omnium malorum reputetur cumulus, cogatq; dicere: *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* nam *amisso visu, amittitur omne gaudium.* Nunc autem dilectissimi, ex visus temporalis jactura, æstimetis velim, qualis oculorum interiorum mentis, jactura esse debeat: Dicite nunc, cum Joan. Chrysost. valde dolorosum esse dispendium, lucem mysteriorum cœlestem, intueri non posse: *sicut cœcus, nō potest aspicere in splēdorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus, mysteria pietatis. Non potest sentire quæ lucis sunt, tenebrosa voluntas.* Illum, quæso, vobiscum facite discursum, quem August. facit, dum illa Apostoli verba explicat: *Obscuratū est insipiens cor eorum.* An tibi parva esse videtur pœna ista? Quod si quis furtum faciens, mox perdidisset oculum, omnes utiq; simul dicerent, justum id divinæ justitię fuisse supplicium, condignam, tanti criminis, sumētis vindictam: Tu verò cordis perdidisti oculos, & adhuc dices, Deum tibi pepercisse? *Obscuratum est insipiens cor eorum. Parva ista pœna est? si quis furtum faciens, statim obulum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse. Oculos cordis amittit, & ei pepercisse putatur Deus?* Dicite cum S. Job, & bene dicetis, animam videlicet in cœcitate,

Hom. 40. in Matth.

Aug. in Ps. 58.

& inter tenebras procellosi maris præsentis vitæ, omnium bonorum spiritualium, unico in momento facere naufragium: *Nocte opprimet eum tempestas. Quia enim non vult agere bona, quæ videt, deprehenditur interitu sui tempestate, quam videt,* inquit Greg. Qui bonum, quod videt, non facit, malum, quod non videt, mox sustinet, & qui in media luce, nullum sibi parat emolumentum, inter insipientię tenebras, omne quantumvis locuples amittit lucrum.

Job. 27. v. 20.

Lib. 18. Moral.

7. Æterna sapientia, in Ecclesiastico, matrem se pulchræ dilectionis, id est, charitatis esse dicebat: *Ego mater pulchræ dilectionis.* Verùm notate, obsecro, qualiter cum dilectione sapiens cognitionem conjungat, dicens: *Ego mater pulchræ dilectionis & agnitionis.* Amor brutus, & sensualis, ab antiquitate olim, ligatis & velatis pingebatur oculis: sed amor pulcher, & spiritualis, revelatos & apertos habet oculos. Ille cœcus est, hic videns: Ille ignorantia plenus, hic plenus sapientia: ad mensuram namq; visus, crescit mensura charitatis, adeò, ut quo plus videtur, tanto plus ametur; aut verò si nihil videatur, nihil quoq; ametur. *Vix diligitur, quod omninò ignoratur,* inquit August. Ergo *non potest sentire quæ lucis sunt, tenebrosa voluntas.* Si perdidisti visum, perdidisti charitatem, & omne bonum perdidisti. *Ego mater pulchræ dilectionis, & agnitionis.* Unde sancta illa matrona, Samuelis Prophetæ mater, de persona impiorum loquens dicit: *Impii in tenebris conticescent,* hoc est, stabunt immobiles, otiosi, ad operandum inepti, velut olim populus Ægypti stabat inter tene-

Eccli. 24. v. 24.

De vera & falsa poenit.

1. Reg. 2. v. 9.

tenebras, de quibus scriptum est, quod *una catena tenebrarum omnes erant colligati*; sic hi miserabiles homines, à malitia sua excœcati *in tenebris conticescent*: Non se movebunt, sive ad pœnitentiam de peccatis suis, quæ non cognoscunt: sive ad rerum sacrarum honorationem, & reverentiam, quas nihili faciunt: sive ad proximorum suorum salutem, quam nihil curant: sive ad virtutes acquirendas, quas minimè æstimant: sive ad Creatoris servitium cui dorsum verterunt: sive ad justitiæ debitum, quod non vident: sive ad internarum inspirationum salutaria monita, quæ non intelligunt: sive ad consecutionem gloriæ, cujus nullam habent rationem. *In tenebris conticescēt*, erunt imõbiles, inepti, atq; ad omne bonum inutiles, quia *ego mater pulchræ dilectionis, & agnitionis*: Simul procedunt actio, & cognitio: operari & intelligere: sanctitas & lux: diligentia & sapientia. *Non potest sentire quæ lucis sunt, tenebrosa voluntas*.

Sap. 17. v. 17.

8. Etenim quia mentionem paulò ante feci tenebrarum Ægypti, vellem, ô Christiani, ut reflexionem faceretis, ad rem quandam ponderatione dignam: videlicet quod inter omnes illas plagas & supplicia, quæ Deus Pharaonis regis populo illi imisit, qualia erant, aquas Nili in sanguinem converti: totam terram fastidiosis cooperiri ranis: ingentes in damnũ hominum & animalium armari muscarum exercitus: prodigiosam grandinem igne mixtam de cœlo cadere: locustarum congregari phalanges, ad devastandam patriam: Passim per omnia noctem quandam extendi, adeo caliginosam, ut ex tenebris palpabilibus formata videretur, inter omnes prædictas plagas inquam, tametsi adeo atroces essent, & dolorosæ, nihilominus nullam illarum scriptura horribilem vocat, præterquam hoc tenebrarum supplicium: *Factæ sunt tenebræ horribiles, in universa terra*. Eccur, obsecro, hæc sola tenebrarum plaga vocatur terribilis? ut insinuaretur, credo ego, quod inter omnes plagas, quas Deus valet immittere, atq; inter omnia, quibus æterna Dei justitia punit, supplicia, nullum est tremore dignius, præterquam illud tenebrarum spiritualium, ac cœcitatis cordis. Hæc est plaga illa maximè miserabilis, hoc est crudelissimum illud supplicium, quod à Dei manu in nos derivari potest: *Factæ sunt tenebræ horribiles*. Ita me S. August. docet, dicens: *Tenebræ metuẽdæ sunt morum, non oculorũ, & si oculorũ, non exteriorum sed internorum. Unde discernitur non album, & nigrum, sed justum, & injustum*. Hæ sunt horribiles illæ tenebræ, quæ me non sinunt discernere justitiam, ab iniquitate: spiritum à carne: cœleste, à terreno, æternum, à temporali: Verum, à mendacio: reale, ab apparenti: utile, à damnoso. Hæ sunt illæ tenebræ, quæ mundum hunc, à factore suo tam eleganter ordinatum, confusam quandam efficiũt Babyloniam: terram istam, adeò sapienter stabilitam, atq; fundatam, altum quoddam & periculosum præcipitium; creaturas istas adeò mirabiliter dispositas, perpetuum modicæ prudentiæ meæ offendiculum: Hoc tot nationum consortium, atq; hæc hominum societas, tam in moribus varia, differens in officiis, quoad loca, atq; Provincias divisa continuum est

Exod 10. v. 22.

Tract. 25. in Joan.

est inordinatarum passionum mearum scandalum. Hæc est illa nox, quę ad operandum me reddit inhabilem, in divino servitio otiosum & torpidum, atq; ad laudabiles conatus aggrediendos prorsus ineptum. *Venit nox, cum nemo valet operari:* Quæ me nō sinit videre, quænam salutis sit semita, quæ via perditionis, quis humanę vitæ finis, quodnam gratiæ principium, quale meritum sanctitatis, quod deniq; vel quale peccati sit demeritum. Hæc est illa cœcitas, quæ non permittit, ut infinitos ego laqueos prævideam, quos pedibus nostris humani generis inimic⁹ tetendit, de quibus August. dixit: *Tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos. Laqueos posuit in divitiis, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somnio & in vigilia: laqueos posuit in verbo, & in opere, & in omni vita nostra. Quis evadet laqueos, nisi videat eos?* Qua ratione cœcus tot laqueos evadet? Quomodo à tot exibit periculis? Quodnā tot inter insidias inveniet effugium? Vocentur ergo tenebræ istæ horribiles, quippe quæ supra omnem humanam cogitationem terribiles existunt: Tenebræ metuendæ morum, non oculorum.

In Soliloquiis.

Secundū punctum. 9. An videre desideratis, ingentia, quæ ex visionis carentia nascuntur mala? Colligatis ea licet, ex eo, ꝙ sapientes & sancti de cœcitate ꝓnuntiant, qui hanc ipsi met morti comparare non dubitant. Sic Plin. hujus nostri corporis dilaudans oculos in hæc verba loquitur: *Oculi pars corporis pretiosissima, & qui lucis usu, vitam distinguant à morte.* Hujus lucis privatio, facit hominem haberi velut mortuum, sicuti de Ægypti populis dicitur, illos in tenebris suis, veluti morientes & mortuos fuisse: *vinculis tenebrarum, & longa noctis compediti, tremebundi peribant.* Itane ergo? Eruntne tenebræ istę, & hæc corporis cœcitas mors quædam, & non erit nox cœcitas cordis? Mortuusne censebitur, qui solis hujus lucem non videt: & lucem gratiæ non videns, mortuus non erit? Ergone vivus non erit, qui vivificatus non fuerit ab eo, quod ab ipsis quoq; muscis & culicibus videtur, cœli lumine: erit autem vivus, qui vivificatus non est à lumine Christi, quod non nisi ab animabus electis videri potest? Non sic profectò rem istam Propheta intelligebat, quando multa cum instantia à Deo postulabat oculos sibi suos illuminari: *Illumina oculos meos.* Sed cur ô sancte Monarcha, interioris oculi illuminationem tantopere desideras? *Ne unquam obdormiam in morte.* Si cœcus fuero, mortuus ero: nisi videro, non vixero: simul enim vadunt visus & vita: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Ubi, ut advertit S. Augustin. *oculos cordis oportet intelligi, ne delectabili defectu peccati claudantur.* Enimvero si S. Basil, Seleuciensi Episc. dicere licuit: *Oculorum privatio, vitam facit minimè vitalem*, cujus hanc dat rationem, quia omnia alia membra, omnesq; cæteri sensus, absq; lumine oculorum, fiunt velut inutiles: *Extincto oculo, sensuū colligatio universa commoritur:* Quanto id æqui⁹ de spirituali cœcitate dici potuisset? Mortuo oculo, mortuæ pariter erunt cunctæ virtutes. Mortua erit charitas, non enim amatur ꝙ non cognoscitur. Mortua spes erit, non enim speratur id

Plinius Lib. 1. c. 17.

Sap. 17. v. 2.

Ps. 12. v. 4.

Orat. 36.

id quod non videtur. Humilitas mortua erit, non enim se humiliat, qui nullam propriæ vilitatis & abjectionis suæ habet notitiam? Erit & mortua patiētia, nullus enim patitur quidpiam, nisi illius patientiæ videat mercedem. *Extincto oculo sensuum colligatio universa commoritur.* Daviden regem nonnihil conveniamus, qui in Psalmo 30. qui unus est è septem Pœnitentialibus, peccatum suum inconsolabiliter deplangit, postea verò ad Deum conversus, pulchram hanc illi porrigit orationem: *Tu es refugium meum, à tribulatione mea, quæ circumdedit me. Exultatio mea, erue me à circumdantibus me.* q. d. In hac tribulatione mea, quæ adeò ingens est, ut circumdederit, & cooperuerit à vertice ad calces usq; animam meam, nullum aliud, ô Domine, mihi superest refugium, præter magnam misericordiam tuam. In hoc desperationis ingenti pelago, in quo gratiæ tuæ, & consequenter omnis boni miserabile feci naufragium, tu unica spes mea es. Tu solus à prædonibus iis, qui me aggressi sunt, meosq; involarunt thesauros, quos paulò ante, de tua possidebam munificentia, me vales eripere. *Exultatio mea, erue me à circumdantibus me.* Nunc si ita libet, Davidicæ supplicæ, in curia Dei datam audite expeditionem. Quod ergo is recepit responsum? *Intellectum tibi dabo, & instruam te, in via hac, qua gradieris.* q. d. Dabo tibi lumen, & intelligentiam, qua te mediante melius & cautius gubernare te poteris, quam hactenus fecisti. Ignorantia omni te spoliavit spirituali opulentia: Intelligentia autem totum hoc tibi restituet: cœcus perdidisti omnia: videns recuperabis, quod amissum fuerat: Miserabiliter te in tenebras vinci permisisti, per lucem verò fœliciter victoriosus eris. *Intellectum tibi dabo.* Quod si tibi lumen dedero, omnia dedero, nam mediante lumine, per viam legis meæ directè ambulabis, à qua stultè exorbitasti, cœcus existens. *Vox Domini inducitur loquentis, & docentis,* sunt verba Hieron. *quomodo homo suum mereatur auxilium, si Dei videlicet præcepta custodiens, recto feratur itinere.* In Ps. 31.
Nunquid meministis Jobi in sathanæ manus traditi, ut ab eodem juxta rabiem & implacabile ejus odium torqueretur: Id quod illi cum hac tamen permissum est reservatione: *Veruntamen animam illius serva.* Quærunt hoc loco docti, quidnam Deus dicere voluerit, quando Dæmoni dixit, ut Jobi servaret animam, *animam illius serva?* In præsentiarum placet mihi id, quod Cassiodorus & Olympius dicunt, videlicet, per animam eo in eo, rectæ & integræ rationis usum intelligi: adeò ut Deus in personam Jobi, omnesq; res illius plenam Sathanæ jurisdictionem dederit, excepto convenienti usu superioris partis animæ, qua discurritur, rerumq; rectum sit judicium: per hanc lucem enim, omnes inflictę plagę, mirabiliter mitigatæ erūt. Per hanc intelligentiam, videbis tēporalia à Deo immissa suplicia, media esse, ad fugiendū supplicia æterna. Similiter virgam Domini, correctionē & emendationem esse, à Patre illatam non verò supplicium, sive vindictam ab inimico factam: Item rerum terrenarum jacturam, lucrum esse cœlestium: Deniq; infirmitatem corporis, cordis esse sanitatem: cum econtra, Job. 2. v. 6.

hac interna luce destitutus, tentationi consunserus fuisses, inimicoq; tradendus, magnum DEI nomen blasphemando, & consquenter divinæ gratiæ perdendo thesauros. *Ideoq; animam illius serva: Tantummodo eum amentem non facias*, explicat Cassiodorus *debilitato animæ domicilio*: Et Cassiodoro, consentit Olympiodorus, qui in hunc modum explicat: *Animam illius serva*, id est, *Principem animi partem ne attinge*. Hæc est lux illa, de qua spiritus sanct⁹ in proverbiis loquebatur,
Prov. 20. v. 27. dicens: *Lucerna Domini, spiraculum hominis*. O beata lux, quæ vitam das quando præsens es, dum autem discessum à nobis paras, mortem adfers. Cum te video, omne bonum video: ubi tu mihi deficis, omne quoq; me deserit solatium. Ubi mihi resplendueris, beatum me facis: cum verò te absconderis, infœlix futurus sum & miserabilis. O deploranda cœcitas, quæ omnium humanorum bonorum es inimica, quæ charitati es adversaria, utpote, quæ individua lucis est socia: Quæ hominem ignavum reddit, atq; ad omnem actionem virtuosam inhabilem: quæ horribilissimum es justitiæ divinæ supplicium: siquidē non finis, ut faciam rationabile de rebus judicium: quæ infinitos mihi laqueos abscondis, quorum terra plena est: Quæ divinæ gratiæ vera mors es, omnisq; boni jactura & ruina.

10. Verum enimverò, minus malum foret cœcitas spiritualis, si duntaxat tot, tantisq; hominem bonis privaret: at verò pessimum est, quod insuper infinitorum malorum quoq; causa existat. *Educ foras populum cœcum, & oculos habentem*. Nolebat Deus olim, ut cœcus quispiam templi sui deservi-
ret cultui. *Non accedet ad ministerium ejus, si cœcus fuerit*. Idq; profectò jure Lib. 21. v. 18.
merito, qua enim ratione, in illo ministerii genere deservire posset cœc⁹ in quo necessum esset, ut minister totus & merus esset oculus? Sicuti merus oculus erant mystica illa animalia, quæ Ezechiel Propheta, in domo Dei vidit. *Et totum corpus oculis plenum in circuitu*. Atq; hujus S. Gregor. Papa Hom. 3. in Ezechielem.
hanc dat rationem, dicens: *Corpora animalium, idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio, ab omni parte circūspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens*. Necessum est, ut homo in Dei servitio constitutus, totus lumen sit, ingenti enim opus est circumspectione & providentia, ad providendum bona, & præcavendum mala: ubi tot sunt pericula, ubi tot inimici insidiantur, ubi tantæ jacturæ incurritur discrimen, ubi tot perplexitates occurrunt, tot exsurgunt distractiones, ubi vitium persæpe sanctitate comparet vestitum, iniquitas vero innocentiæ contecta est habitu. *Non accedet ad ministerium ejus, si cœcus fuerit. Cœcus est*, dicit idem Greg. *qui superna contemplationis lumen ignorat, qui* Parte 1. Pastoral. c. 11.
præsentis vitæ tenebris pressus, dum veram lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit. Quod si cœcus fueris, Divini quoq; spiritus lumine privatus eris, & consequenter quatuor illis donis, quæ in justitiæ semitis viam ostendunt, scilicet: Intellectus, sapientiæ, scientiæ, & consilii. Intellectus rebus divinis intimè penetrandis deservit: Sapientia sapienti judi- S. Thom. p. 2. Q. 68.
cio formando: scientia intelligendis rebus creatis: Consilium vero utile

est

est ad potentiam: juxta sapientiæ & scientiæ directionem, determinandã ad opus. Porro quot sunt, qui hoc divino an sacrosancto lumine destituti, in rerum supernaturalium naturâ intelligendâ gravissimè decipiuntur? Quot sunt qui parũ supnaturalia æstimãdo, aut conceptũ aliquem, magnificẽtię earundẽ longè inferiorem, de illis formãdo, enormiter peccãt? quot in rerum creatarum intelligentia deperduntur? Quot sunt, qui in operationibus suis vehementer aberrant, defectu mensuræ debitæ, aut convenientium circumstantiarum, aut necessarii respectus ad tempus, locum, fines, causas, eventus, & consequentias &c? *Non accedet ad ministerium ejus, si cœcus fuerit.* Impossibile est, ut bonus Dei minister sit, qui chara illa luce, quæ omnis sanctæ cogitationis, omnisq; operationis virtuosę fidelissimus dux est, orbatus existit: omnes namq; talis hominis passus, & gressus, casus & ruinæ erunt; omnis illius motus, pręcipitium; omne consilium, error; omnis opera, erit quædam supremi Domini offensa.

II. Etenim nescio, dilectissimi, an aliquando ad hoc reflexeritis, videlicet, quod Dæmones communes humani generis hostes, rectores vocentur tenebrarum, seu mundi tenebrosi: *Non est nobis colluctatio, adversus carnem & sanguinem, sed adversus rectores mundi tenebrarum harum.* Ratio autem est: quia ii, qui sunt id, quod Ephesini fuerunt, antequam converterentur ad Christum, de quibus Paulus ait: *Eratis aliquando tenebræ*, à Dæmonibus infernalibus reguntur, & gubernantur, utpote qui plenissimam & absolutam in illos potestatem habent. Unde Tertull. ubi nostra vulgata legit: *Rectores mundi*, legit. *Mundi tenentes*: Et S. Hilar. *Mundi potentes.* Sunt enim valde potentes in mundo, & mũdum in manibus suis quasi tenent, de ipso faciunt & statuunt, quicquid, & quantum volunt, nam intra mortalium cœcitatem & ignorantiam, ipsi potentię suæ signa, liberrimè explicant: hinc horrendissimas adornãt strages, isthinc crudelitates suas insolenter exercent: hinc nullas structis insidiis suis, patiuntur fieri oppositiones, illinc continua infœlicissimorum peccatorum reportant spolia. Unde valde sapienter monebat S. P. Augustinus dicens: *Non vis regi à Diabolo? migra in lucem.* Vis nullam à Dæmone perpeti tyrannidem? transito in lucem. Vis nullam in te princeps tenebrarum habeat potestatem? Tenebras fugito. Securus eris, modo cœcus non fueris: Vinces, modo expeditè videris. *Non vis regi à Diabolo? migra in lucem.* An non aliquando illum Davidis textum legistis: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro, rectos corde?* Notastisne, inquit Paulinus Episcop. verba illa: *in obscuro? Neq; enim in luce positos poterunt sagittare, antequam feriant prævidendi, & præcavẽtibus facile vitandi.* Prævalent hi inimici nostri frequenter, *sed in obscuro*, in medio cœcitatis, in medio tenebrarum, in medio ignorantiæ. *Nocte peribit Moabitis: nocte enim disperdetur murus Moabitis*, dicebat Isaias Propheta: Noctè prævalebunt inimici, noctè civitatis vastabunt mœnia, noctè possessionem violenter invadent. *Quod no-*

Ephes. 6. v. 12.

Hilarius in Ps.

In Ps. 34.

Serm. 16.

Epist. 26.

Isaiæ 15. v. 1.

noctu irrogatur suppliciū, atrocius esse solet & amarulentius, commentabatur ibidem Basil. M. Nocte hominem invadens miseria, atrocior est & amarulentior, nec enim effugium habet, aut remedium. In cujus figuram, notat Ambros. S. Petrum ter Christum negasse, ac postea ter quoq; eundem fuisse confessum, at verò negatio nocte contigit, in die autem facta est confessio, *Etenim quia tertiò negavit, tertiò confitetur, sed negavit in nocte, confitetur in die*. Inter tenebras perdidit certamen, vicit autem in luce: *Neq; enim in luce positos poterunt sagittare*. Tenebrarum rectores, in tenebris omnia possunt, in luce autem vires amittunt, nihilq; facere prævalent. Cavete, ô Christiani, ab hac cæcitate, quæ dæmonum vos potestati tradit: Cavete ab hac ignorantia, quæ certissimis vos inimicorum nostrorum ictibus exponit. Cavete, inquam, ab illis tenebris, quæ rectoris tenebrarum vos mancipia faciunt.

Basil. in Isai. 15.
Lib. 10. in Luc.

Ps. 87. v. 13.

12. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua*, sic sanctus ille Cytharædus canebat, *& justitia tua in terra oblivionis?* Salutis nostræ principium, medium & finis, Dei nostri est cognitio, hunc enim si cognoveris, mox quoq; in Patronum eliges, & Dominum: Illum si cognoveris, exactissimè quoq; mox illi servies: si cognoveris, sperabis in eum, ipsumq; mercedis loco desiderabis, sicut econtra cordis cœcitas, Deum à mente tollit, tollit ab affectu, tollit à desiderio. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua*. Audite quàm tenerè malam infælicissimorum hominum illorum, qui interioribus orbati sunt oculis, sortem Augustinus deploret: *Væ cæcis oculis, qui te non vident, sol illuminans cælum & terram, væ caligantibus oculis, qui te videre non possunt*. Væ oculis cæcis, qui æternam illam lucem videre nequeunt, qua mediante videntur omnia. Væ tartareis illis, & infernalibus tenebris, quæ dum Dei mei intuitu me privant, omni consequenter me bono destituunt. Væ nocti illi tenebrosæ, quæ nigerrimis illis funestissimisq; amictibus, magna illa Dei mirabilia ab oculis meis abscondunt. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua?* Sanctitas videlicet, ut illam quis imitetur: Iudicia, ut illa revereatur: justitia ut timeatur: liberalitas, ut ametur: majestas, ut poplite flexo adoretur: mercedes, ut accendant: supplicia, ut corrigant: beneficia, ut gratum me efficiant. Nil horum mirabilium ab excæcato conspici potest peccatore. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?* Videte obsecro, & considerate, qua ratione homo, qui est in tenebris, terra vocetur oblivionis. *Terra oblivionis*, aut oblita. Duplici sensu intelligi potest, terram istam vocari terram oblivionis, vel quia illa oblivioni tradat, aut quia oblivioni tradatur: Vtraq; expositio bona est, nostroq; proposito congruit.

In Soliloquiis.

13. Et primo quidem S. August. textum istum in primo sensu intelligit: *Nuncquid cognoscentur mirabilia tua, in terra oblivionis, in terra oblita*, legit sanctus, dicitq;: *Quod est in tenebris, hoc est, in terra oblita*. Idem est, juxta Augustinum, esse in tenebris, quod esse in oblivione, excæcari quod oblivisci. *Quod est in tenebris, hoc est, in terra* ob-

In Ps. 87.

oblita. Cur ita? Quia is, qui in tenebris hæret, Dei oliviscitur. Comitantur se invicem, insipientia, & oblivio: cæcitas & deficiens memoria: tenebræ, & æterni Dei negatio. *Terra oblita, homo est, qui oblitus est Deum*, subjungit S. Augustin. *potest namq; anima infidelis, usq; ad tantas tenebras, pervenire, ut dicat stultus in corde suo, non est Deus.* Hęc est terra oblivionis, terra tenebrarum.

Deut. 32. v. 18. *Nunquid cognoscentur in tenebris, mirabilia tua, & justitia tua in terra oblita.* Ad Moysen, dilectissimi, accedite, hic namq; clarè vobis testabitur, populum Domini totaliter factum esse terram oblivionis: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini, creatoris tui.* Sed unde tanta enormitas, quanta est Dei oblivio, enasci potuit? Non aliunde, quàm ex cæcitate. *Gens absq; consilio est, & sine prudentia. Haccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? Quod est in tenebris, hoc est in terra oblita.* Eadē prorsus res est, cæcitas, & oblivio Dei. Qui cæcus est, Deum veluti post tergum à se positum non videt, non cognoscit, oblitus est ejus, illum respuit, renunciat, & denegat illum. *Potest namq; anima infidelis, usq; ad tantas tenebras pervenire, ut dicat stultus in corde suo, non est Deus.* Ad Davidem Regem sanctum properate, hic populum illum rebellem, ob oculis vobis statuet, qui post infinita à manu Dei recepta beneficia, totiesq; per prodigia innumera, ab inimicis suis erepti, Deum

Psal. 105. v. 13. nihilominus subitò oblitus est. *Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus*; Sed unde ingrata isthæc oblivio prognata fuit? Ex cordis utiq; cæcitate: *Et non sustinuerunt consilium ejus.* Post lumen amissum ac perditum, devotionem quoq; pariter perdiderunt; amisso consilio, memoriam quoq; perdiderunt. *Quod est in tenebris, hoc est in terra oblita.* Convenite Isaiam, apud quem Isaiæ 57. v. 11.

Synagogam, veluti adulteram introductā reperietis, cui exprobrata sunt à Deo scelera sua, dicēte: *Mentita es, & mei non es recordata, neq; cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.* Sed quænam infidelitatis istius est *causa*? Tenebræ & cæcitas cordis: *Non est, qui recogitet in corde suo, non est qui intelligat. Quod in tenebris, hoc est in terra oblita.* Jeremiam Prophetam quæso consulite, ibi namq; Jerem. 2. v. 32.

videbitis, Dominum adversus populum suum lamentari, de valde magna quadam perversitate, quanta fuit à corde, & memoria illorum ejectum se fuisse: *Nunquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* Quænam verò rei hujus adeò probrosæ, ac indecentis, tamq; ab omni æquo & honesto remotæ est causa? Nulla alia, præterquam tenebræ & ignorantia. Unde Propheta subjungit: *Disciplinam non receperunt. Quod est in tenebris, hoc est in terra oblita.*

14. Huc adsis, ô cæce peccator, perspicuè namq; ostendam tibi, quod Deum non cognoscas, quod nihili ipsum facias, quod illius prorsus oblitus sis, quod deniq; abnegaveris illum: *Potest namq; anima infidelis, ad tantas tenebras pervenire, ut dicat stultus in corde suo, non est Deus.* Tu quidem Deum omnipotentem esse credis, & tamen tanta cum temeritate provocas eundem, veluti si nullius prorsus esset potestatis, nec aliqua se vindicandi virtute præditus? Tu nostri, quod justus sit, & ni-

& nihilominus adeò fiducialiter vivis, ac securus, velut si tuam approbaturus esset iniquitatem, aut saltem non reprobaturus? Tu persuades tibi, quod sapiens sit, & tamen insuper tibi persuades, fugere aliquid posse illum oculum, qui usq; ad ipsa cordis penetrat secreta, omniaq;, ad ipsas usq; mentis ponderat cogitationes? Tu ipsum bonum esse vides, & tamen sanctitatem illam, omni honore dignissimam, tam modicè honoras? Quo loco sua apud te sit providentia, satis ostendis, dum non aliter vivis, quàm si ipse res non curaret humanas: aut quasi ad ipsum mundi hujus nequaquam spectaret regimen: aut velut si ad crimina tua, tuaq; scelera indormisset nec quicquã illa curaret. Ubi apud te est illa sua immensitas, si vanè tibi promittere ausis, fore, ut abscondere te à conspectu suo possis. Ubi sunt illæ minæ suæ, cum ab omni inanis timore vivas, si absq; remorsu pecces? Si absq; ulla tibi suspicione confidas? ubi apud te est illa à Deo ꝓmissa merces; si cœli oblitus sis, & gloriæ cœlestis? quo loco apud te Deus tuus est, cum adeò sis superbus, ut illum nequaquam recognoscas; aut adeò sui oblitus, ut ne vel minimas, pro beneficiis erga te suis, gratias referas: adeò arrogans, ut fortitudini tuæ, opera tua attribuere audeas? adeò temerarius, ut illum tuis in necessitatibus nunquam invoces? adeò sacrilegus, ut sanctum nomen suum continuo blasphemes? *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?*

15. Dicebam secundo, Peccatorem, dici terram oblivionis, eo quod oblivioni sit traditus à Deo. Et quidẽ, nisi id verũ esset, qua ratione redemptor noster, virginibus fatuis dicere potuisset: *Amen dico vobis, nescio vos?* (Matth. 25. v. 12.) Et aliis, qui in nomine ejus patrabant miracula, tametsi aliàs secundum legem suam nequaquam viverent, *nunquam novi vos?* (Matth. 7. v. 23.) Quo modo Paulus dicere potuisset: *Si quis ignorat, ignorabitur?* (1. Cor. 14. v. 38.) Cur Jeremias hisce verbis lamentatur: *Quare in perpetuum oblivisceris nostri? Derelinques nos in longitudine dierũ.* (Thren. 5. v. 20.) Eccur Deus per os Osee prophetæ diceret: *Non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum?* (Osee 1. v. 6.) Optimè equidem scio, oblivionem in Deum cadere non posse, ipsumq; ob illimitati intellectus sui magnificentiam, omnes res sibi habere præsentissimas, distinctèq; easdem in puncto æternitatis videre: Et tamen scripturæ divinæ, Deum nonnunquam, velut magnorum quorundam peccatorum oblitum, introducunt, eo quod ita se erga illos habeat, velut si illos ne quicquam attenderet, ipsosq; à sua mente proscripsisset. Et tales sunt cœci illi, quibus in præsenti loquimur, quorum causa, quia certo quodam modo desperata videtur, obliti à Deo, sive terra oblivionis esse dicuntur: *Nunquid cognoscentur mirabilia tua, in terra oblivionis.*

16. O quam cupidus est Deus, ut nobiscum utatur ingẽti misericordia! adeò ut magnæ gloriæ ac reputationi ducat, veniam peccatoribus cõdonare posse: ut mille adinventiones excogitet, ut pius & clemens in nos esse possit: ut cum in cunctis perfectionibus & attributis suis infinitus existat,

stat, nihilominus in pietate, & benevolentia paterna videatur excedere. Verum enimvero, quid diceretis, Dilectissimi, si casum quendam vobis adducerem, in quo Deus peccatum nequaquam dimittit? quid diceretis, si vobis facti ostenderem contingentiam, in qua Deus, ut ita dicam, necessitatus esset, ut rigorosum se, severumq; exhibeat? quid diceretis, si efficerem, ut Deum, qui tantopere misericors existit, videretis omni destitutum misericordia. Audite nonnihil, illud Isaiæ Prophetæ oraculum, qui nescio de quibus peccatorib⁹ loquēs, formidabilia hæc, & tremenda pronuntiat verba: *Non miserebitur ejus, qui fecit eum, & qui formavit eum non parcet.* (Isaiæ 27. v. 11.) q.d. Nullam habebit misericordiam, non condonabit, nulla omnino clementia utetur, obliviscetur. O minas tremēdas! O atrocissimas miserias! O malorum omnium pelagus! *Non miserebitur, non parcet.* Sed ô si daretur tantæ severitatis, adeoq; rigorosæ justitiæ intelligere causam? Hanc ergo ab eodem Isaia allatam auscultare: *Non enim est populus sapiens, propterea nō miserebitur ejus, qui fecit eum & qui formavit eum non parcet.* Mentis cœcitas id efficit, ut sua Deus ordinaria pietate & compassione uti nequeat. Tenebræ cordis, ipsum ex dulci & amabili, cujusmodi est ex natura sua, quasi contra naturam severum faciunt & terribilem. Intellectûs nostri insipientia, ipsum veluti cogit, ut ad extraordinaria immittenda supplicia, & inusitatas pœnas infligendas manum suam apponat, atq; ut obliviscatur is, in quē nulla aliàs cadere potest oblivio. Ratio autem hujus justissimæ iræ Dei est manifesta, primum enim, quod ad obtinendam Dei misericordiam requiritur, est, ut homo suam recognoscat miseriam, cœcus autem illam recognoscere non valet, ac proinde nequit à miseria sua liber esse, & absolutus. Hanc doctrinam Gaufridus Cardinalis S. Priscæ, hisce verbis tradidit: (Opusc. 14.) *Vnicuiq; peccatori, de magna Domini miseratione, indulgentiam sperare licet, si se cognoverit peccatorem:* Eandem (In Ps. 50.) quoq; docet Augustinus, de cujus ore Deus loquitur, ac dicit: *Si tu agnoscis, ego ignosco.* Peccator cœcus, suam non agnoscit iniquitatem, nō ergo mirū, si eandem Deus non ignoscat, utpote cujus misericordia, à nostro recognoscere nolle opprimitur, & quasi annihilatur. (Ps. 6. v. 6.) *Nunquid cognoscentur mirabilia tua in terra oblivionis? In inferno autem, quis confitebitur tibi?* inquit Rex sanctus. (Aug. in Ps. 6.) *Infernum dixit animæ cœcitatem* sic explicat S. Augustinus. Infernus idem est quod *terra oblivionis*, unde idipsum voluit David tum quando dixit: *In inferno, quis confitebitur tibi?* tum etiam quando ait: *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?* Propheta, ad explicandā animi cujuspiam excœcati miseriam, nihil invenire potuit oportunius, quam appellando cœcitatem, infernum: Et multam magnamq; profectò, cœcitas cordis cum tenebroso illo, squalido, & fœtenti carcere habet conformitatem. Infernus est domus tenebrarum: *antequam vadam ad locū tenebrarum*, quænam autem majores inveniri possunt tenebræ, ipsis cordis alicujus excœcati tenebris? Infernus pœna est pertinacium: cœcitas contumacium est supplicium. Infernus flam-

flammarum locus est: cæcitas concupiscentiarum est fomentum. Infernus habitaculum est dæmonum: cœcitas eorundem est Dominium, quippe, qui ut modo dicebamus rectores vocantur tenebrarum. Infernus procul à Dei visione remotus est: cæcitas propinquissima ac vicina est jacturę fidei, quę Deum nostrum manifestat. Nullus in inferno ordo existit: *ubi nullus ordo*: Cæcitas disordinis & confusionis est mater. In inferno nullum est effugiũ; in cæcitate nullum est remedium. In inferno Deus infælicissimorum illorum hominum obliviscitur: *ultra nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt*, inquit Eusebius Emissenus. In cæcitate constitutos Deus quoq; oblivioni totaliter tradit, ut proinde vocentur *terra oblivionis*. *Nunquid cognoscentur mirabilia tua, in terra oblivionis*. Atq; hi erant dolores illi, illaq; pericula, quæ sanctum Israelis regem circumdederant, dum in hæc verba plangebat:
Ps. 114. v. 3. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Sed qua de causa, vocabantur pericula inferni, ea, quibus cingebatur Propheta? Quia erant pericula irremediabilia, pericula desperata, pericula omnis refugii omnisq; remedii expertia. Atq; ideo dicitur, quod pericula Davidem invenerint, non vero quod David invenerit pericula, quippe qui ea, ob cæcitatem mentis, nec videbat, nec cognoscebat. Sic hunc locum explicat
Aug. in Ps. 114. Augustinus: *Pericula inferni invenerunt me, quæ nisi aberrantem à te non invenirẽt me: nunc autem illa me invenerunt, ego vero illa non inveniebam, quia gaudebã prosperis sæculi, in quibus plus fallunt pericula inferni.* Pericula invenerunt me, non autem ego inveni pericula. Præsentiã mihi erant, & ego videbar mihi procul ab iis remotus: *Illa me invenerunt, & ego illa non inveniebam.* Eheu quot sunt, qui in evidenti salutis æterna versantur periculo, nec id tamen advertunt: unum pedem in inferno habent repositum, nec id vident: innumeris cincti sunt inimicis, illi autem sũt in pace: à vertice usq; ad plãtas pedis vulnerati sunt, ridentq;: spoliati sunt gratiæ thesauris, neq; tamen suum deprehendunt infortunium. *Illa me invenerunt, ego vero illa non inveniebã.*

17. De spiritualibus hisce cæcis, meritò Propheta dicebat: *Usq; in æternum non videbit lumen* quod idem est, ac si diceret, temporales illas tenebras, cũ æternis continuabit; incipiet non videre, ut nunquam videat. *A tenebris somniorum, excipient eum tenebræ tormẽtorum*, dicebat S. Augustinus. Transibit à tenebris interioribus, ad exteriores; à temporalibus ad æternas; à tenebris somniorum ad tenebras tormentorum. *Et quare hoc*? subjungit S. Doctor, respondetq; eodem in loco Propheta *quia homo cum in honore esset, non intellexit.* Cum dotatus esset homo gradu intellectuali, qui Deo illum similem reddebat, hujus non eam, uti par erat, rationem habuit, sed ad insensatorum jumentorum se conditionem dejecit. Et ideò *in æternum non videbit lumen, à tenebris somniorum, excipient eum tenebræ tormentorum.* Hæc est magna illa ira Dei, & furor Omnipotentis, adversus peccatorem, de quo regius Propheta loquebatur in Psalmo: *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*: *Ira Dei est, non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia,*

Ps. 48. v. 20.

Aug. in Ps. 48.

Ps. 2. v.

tentia, ita explicat S. Cyprianus. Majorem Dei iram non invenio, quam sit permittere, ut homo visum amittat interiorem, atq; ut non videndo culpam, nullam quoq; agere possit pœnitentiam, nam uti S. Hieronym. (Contra Vigilant.) dicebat: *Qui peccare se nescit, corrigi non vult. Qui dolorem vulneris non sentit, salutis remedia non requirit*, dicebat Greg. (3. Parte Pastoralis.) *Tu existimas aliquid de remedio cogitare eos, qui mala sua virtutũ loco numerant?* dicebat Seneca gentilis. (Seneca Epist. 28.) *In æternum* ergo *non videbit lumen*. Pertinaces in peccato suo erunt, cujus turpitudinem non vident, ac proinde hanc non videntes, illam quoq; detestari nesciũt, nec possunt Prisci quondam sapientes pertinaciam, filiam noctis esse dixerunt, (Cicero de Natura Deorum.) siquidem ex nocte & obscuritate intellectus nascitur obstinatio & pertinacia in culpa. Unde S. Hieron. in illa Oseæ verba: (Sopho. 1. v. 17.) *Ambulaverunt ut cœci, quia Domino peccaverunt*, hæc tremenda verba habet: *Ambulabunt ut cœci, id est, locum pœnitentiæ non habebunt.* Unum idemq; est ambulare ut cæcus, & locum pœnitentię non habere. *Usq; in æternum non videbit lumen.*

18. Ehem! quam eleganter id Christus Dominus docuit, cum flevit supra civitatem Jerusalem. *Videns Civitatẽ flevit super eam.* Verum quid plangis, ô increata Dei sapientia? Fortè civitatis illius crudelitatem, atq; barbariem, quæ in Prophetarum sanguine manus suas abluere satagebat? Aut fortasse inhonestatem, homicidia, rapinas, quæ ibidem committebantur quotidie? Fortè magistratum injustitiam, avaritiam Judicum, principum tyrannidem? Forte sacerdotum Hypocrisin, ambitionem Pontificum, Ecclesiasticorum rapacitatem? Fortassis conjurationem, qua omnes adversus tuam cõspiravêre Personam, cæcũq; ac rabidum furorem quoad mortem te quærebant? Minimè. Nil horum deplanxit Dominus, sed hoc duntaxat deploravit, quod omnium harum malitiarũ fons erat, & origo, *eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*, ita me Greg. Papa edocuit. (Hom. 28. in Evang.) *Plangit eos, qui nesciunt, cur plangantur: qui juxta Salomonis verba, lætantur cum malè fecerint.* Quod si ergo sapientia Dei vestram deplorat cæcitatem, cur vos illam nõ deplangitis, ô peccatores! ô cæci! quantumvis solis istius videatis lucẽ, quæ ad ipsas formicas usq; videtur ab omnibus, solis justitiæ lumẽ, quod adeò vobis vicinum habetis interea nõ videntes. *Quid profuit oculis videre istum, & mente non videre illum?* dicebat S. Augustin. Quid vobis solem vidisse refert, & non videre Christum? lucis videre radios, & gratiæ lumen non videre? videre oculis, & non videre corde? *Quid profuit oculis videre istum & mente non videre illum?* (In Ps. 96.) Egredimini de tenebris iniquitatis, atq; ei, qui vera lux est, appropinquate. *Quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Cum devotione dicite illi id, quod alter quondam cæcus dicebat: *Domine ut videam:* Dicite ipsi cum S. Davide: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Deus meus, illumina tenebras meas.* Rogate illum, ut iterata in vobis vice dicat, quod olim in prima mundi Creatione dixit: *Fiat lux.* Quod si digna adhoc vobis non occurrant verba illis S. Augustini verbis unanimi, dicentes: *O verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est* (Soliloq. Cap. 3.)

nihil: verbum quod eſt ante omnia, ante quod nihil, verbum creans omnia, ſine quo omnia nihil: verbum regens omnia, ſine quo nihil ſunt omnia: verbum quod dixiſti in principio fiat lux, & facta eſt lux. Dic etiam mihi: *Fiat Lux, & facta ſit lux: Et videam lumen, & cognoſcam quidquid non eſt lumen, quia ſine te mihi tenebræ lumen.*

PARS SECUNDA.

Tertium Punctum. 19. Hucuſq; vidimus, quam ingens infirmitas, ſit cæcitas cordis, nũc cauſas illius nonnihil diſpiciamus. S. Bernard. duas adfert: *ut corporeus nobis ſenſus, aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditus, ſic & intuitus ſpiritualis interdum quidem propriæ carnis illecebra, interdum curioſitate ſæculari, & ambitione turbatur.* (Serm. ad Clericos c. 25.) Adeoq; cæcitas, aut naſcitur ab aliquo, quod oculo intrinſecum ſit, aut ab aliquo exteriori injecto in oculum. Humor ſuperfluus excæcans, delitias ſignificat carnis, præ quibus neſcio, an aliquid ſit, quod majores tenebras ſpirituales cauſare poſſit. *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum*: dicebat Rex David. Qui modus dicendi, præſagium eſt, non verò comminatio, in quo id, quod futurum eſt, prædicitur: non verò id, ꝗ veller fieri, aut eſſe explicatur. Sic indicat S. Auguſt. (Aug. in Pſ. 34.) *Quæ figura optandi dicuntur, animo prophetandi explicantur.* Sic dicitur: *Fiat*, id eſt, *Fiet. Horrenda via! tenebras ſolum, quis non horreat? Lubricum ſolum, quis non caveat? In tenebris & lubrico, qua is? ubi pedem figis? ſunt iſta mala, malæ pœnæ hominum. Tenebræ eſt ignorantia. Lubricum eſt luxuria.* Videte quomodo ſimul conjungantur hæc duo, tenebræ & via lubrica, ſemper enim delitiis ſenſualibus, conjuncta eſt ignorantia mentis, ſemper is, qui ſenſualis eſt, cæcus eſt. *Fiant via eorum tenebræ & lubricum.* S. Greg. notat, cũ in nube illa, quam vidit Ezechiel, ignem conjunctum fuiſſe. (Hom. 1. in Ezech.) *Et nubes & ignis involvens*, dicitq; nubem repræſentare cœcitatem Hebræi, ignem verò crudelitatem innuere. *Nubem ſequitur ignis, quia in eis cœcitatem mentis, ſecuta eſt crudelitas perſecutionis.* Verum commodè etiam per ignem illum, nubi conjunctum, ignis concupiſcentię intelligi poteſt. *Nubem ſequitur ignis.* Cõcupiſcentia carnalis, aſſociata ſemper eſt inſipientiæ caligini, quippe non eſt gens ſtolidior magiſq; inſenſata, carnalibus hominibus. *Nubem ſequitur ignis.* Et fortaſſe idipſum quoq; Propheta expreſſit, illo loquendi modo, quo utitur in Pſalmo 57. (In Pſ. 57.) *Supercecidit, & non viderunt ſolem.* Hic ignis ſecundum interpretationem Auguſtini, nihil eſt aliud, quàm ignis concupiſcentiæ carnalis: *Concupiſcentia mala quaſi ardor eſt ignis. Ignis conſumit veſtem, libido adulterii non conſumit animam? Geſtas in ſinu prunas, perforatur tunica: geſtas in corde adulterium, & integra eſt anima?* Hic ignis igitur excæcat, efficitq;, ut ſol juſtitiæ conſpici nequeat. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Quem ſolem?* dicit Auguſt. *non iſtum, quem tecum vident & pecora, & muſcæ, & boni & mali &c. Eſt & alius ſol, de quo dicturi ſunt illi: Et ſol non ortus eſt nobis. Quare? niſi quia ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem? vicit illos concupiſcentia carnis.* Hinc eſt quod is, qui apud S. Lucam, uxorem duxerat, per (Luc. 14. v. 20.) quem ſenſuales repræſentantur, non

ſe,

se, velut alii excusabat, quo minus ad convivium sequi posset, neq; dicebat: *habe me excusatum*, sed cum ingenti rusticitate dixit: *Non possum venire*: nam uti advertit Stephanus Durantus: *Luxuriosi non excusant se, quia non habent cor.* Incontinentes cor non habent, ideoq; civilitatis, bonorumq; morum terminis uti nesciunt. Nunquam profectò Plautus, majorem pronuntiavit veritatem, quam dum in continentem quendam introducens juvenem, hæc ori illius verba inseruit: *Nullam mentẽ animi habeo. Vbi sum, ibi non sum, ubi nõ sum, ibi est animus.* Quod idem fuit, ac si diceret. Ne vel uncia sapientiæ, aut prudentiæ mihi reliqua est. Nec min⁹ sapienter Philo Hebræus dixit: *Dum voluptas vincit, exultat ratio.* Et Seneca Philosoph. *Mortifera ingeniis luxuria est.* Optimè esgo David dixit: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.*

Rationale divin. offic. lib. 6. c. 106.

20. Accidit nonnunquam, humorem illum abundare in oculis, à teneris unguiculis, sive ab utero matris, atq; ita nascuntur cæci à nativitate, velut miser ille erat in hodierno Evangelio. *Vidit hominem cœcum à nativitate.* ô quot reperiuntur in mundo, hoc modo ab ipsa nativitate spiritualiter excæcati, qui suos habere Patres, qui malis exemplis illos reddidere cæcos, aut perversis doctrinis, perniciosis consiliis, pessimis instructionibus, maledictis sæculi consuetudinibus. Hi talesq́ à nativitate cæci sunt, ideoq; sanatu difficillimi & quasi omnino incurabiles. Quando Dæmoniacus ille, qui à spiritibus infernalibus adeò affligebatur, coram Christo positus fuit, apud Marcum, interrogavit eum Dominus: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit*, & responsum est illi: *Ab infantia.* Verum an Christus, qui temporis Dominus est, nesciebat, quanto tẽpore misellus iste adeò tortus fuerit? Utiq; id sciebat, volebat autem, ut alii quoq; idipsum rescirẽt: *Requirit Passionis tempus, auctor temporis,* Dicit Petrus Chrysol. *Medicus Passionis tempus requirit, non ut nescius, sed ut sciens nescientibus prodat.* At verò, quid, obsecro, Christus per cognitionem istam prætendebat? *Deniq; interrogatione tali tempus aperit, ætatem pandit, revolvit infantiam, ut tanti mali causa, non tangat sobolem, sed parentem.* Ad hoc, ut unusquisq; audiens infortunatum hũc, id quod perpetiebatur, ab ipsis inde fasciis & cunis pati, authorem mali illius, patrem, quam Prolem esse intelligeret. Quot hodie conspiciuntur juvenes, spiritualiter Dæmoniaci, seu Energumeni. Et unde illis infortunium istud? A parentibus illorum, *à nativitate* hi causa fuerunt, cur illi à pueritia sua, Dæmone existant obnoxii, propter malam illis impensam educationẽ, propter exiguam curam, ob perversum exemplum. Tu illos ad omnia divina cæcos vides, sed tales à patribus suis facti sunt *à nativitate.* Cœcus erat juvenis ille, cui nomen erat Gualtherus, qui Deo sese in religione consecrare statuerat, sed matris amore, ab hoc sancto proposito, retinebatur, cui proinde S. Bernardus huncin modum transcripsit: *Verum si multum eam diligis, desere potius ipsam, propter ipsam, ne sic Christum deseras, ut manens cum ipsa, propter te pereat & ipsa. Alioqui male meruit de te, quæ te peperit, si propter te perit, quæ ipsum quem peperit, perimit.* Si benè vis matri tuæ, bene fa-

Marc. 9. v. 20.

Serm. 51.

Epist. 104.

faciasilli: id quod non præstas, dum permittis, ut illa Christum aufferat tibi. Cœcus es, si ad hoc, ut cum ipsa permaneas, eligis non esse cum Deo, aut si non esse displiceas genitrici, displicere præeligas Creatori. Cura, ut maturè satis dimittas illam, hoc enim uno eodemq; tempore, & tibi utile erit, & illi. Illi quidem, utpote quæ tui causa non morietur: tibi verò, qui propter ipsum vitam non perdes æternam. *Desere potius ipsam propter ipsam, ne si Christum deseras, ut maneas cum ipsa, propter te pereat & ipsa.* Vos, ô parum cauti, ac prudentes parentes, qui discolos & stultos habetis filios vestros, sine Dei cognitione, sine rerum cœlestium luce, sine optimarum instructionum ducatu, vos inquam, dicite mihi, quosnam cum illis discursus facitis, eo tempore, quod eidem vobiscum mensæ accumbunt? Quos lateri illorum servitores adhibetis? quibus illos imbuendos consignabitis magistros? Quibuscum illos conversari sinitis sodalibus? Quos manibus illorum terendos committitis libros? Quas eisdem, in libertate vitæ suæ, morumq; licentiositate, impenditis correctiones? Neq; jam amplius mirum videatur, si toto vitę suæ tempore cæci sint, cum tales à vobis veluti procreati sint, si cæci sint à nativitate, eo ipso enim, quo iisdem lucis hujus corporeæ dedistis usum, lucis cœlestis eosdem privastis usura. Aristoteles inquit: *gignuntur læsi ex læsis, verbi causa, ex claudis, & cœci ex cœcis.* Eheu, quàm verè de spirituali cœcitate dicitur, *gignuntur cœci ex cœcis.* Patres cæci sunt, filiosq; cæcos faciunt. Illi sunt prorsus sine Deo, hi Dei planè

Lib. 6. c. 7. Historiæ Animaliū.

obliti: Illi iracundi, hi vindicativi: Illi incontinentes, hi inhonesti, ac infames: Illi mundani prorsus ac sæculares, hi turpissimarum pessimi mundi hujus consuetudinum tenacissimi. *Gignuntur cœci ex cœcis.*

21. Dixi cæcitatem secundum doctrinam S. Bernardi nasci *ex humore interiori*, per quem, aut incontinentia, aut alii quicunq; à parentibus, in filios, derivati mali mores significantur. Nunc vobis sufficiat, si hisce addatur id, quod Philosophus docuit, videlicet cœcitatem, non ex sola humorum nasci superabundantia, sed etiam ex humoris persæpè defectu oriri, prouti accidit in senibus, qui ut plurimum, ex nimia siccitate, patiuntur ex oculis, sæpeq; cæci fiunt, adeò, ut una ex cæcitatis causis, sit ipsa senectus. Eodem modo, spiritualiter loquendo, dico: Consuetudinem pravam, atq; in culpis inveterascentiam, solitam esse in cordibus cæcitatem causare & insipientiam: En habes hac de re, Eusebii Emisseni præclarū testimonium, dicentis: *Habet hoc infœlix consuetudo peccandi, ut quanto amplius quisq; peccaverit, tanto minus peccata ipsa intelligat.* Sic Hebræorum perfidia, peccandi diuturnitate, ad talē redacta est cæcitatem, ut mortem Dei filio inferens, ingens tamen scelus istud minimè viderint, seu notarint. Unde Dominus in cruce dixit: *Non sciunt quid faciunt.* Verum enimverò, qua ratione id nō sciebant, cum Christus ipsis idem, tanta cum claritate ac perspicuitate dixerit: *Et me scitis, & unde sim scitis?* Respondebit Arnoldus Carnotensis: Judæos per diuturnā in perfidia sua protractam moram, ad

Arist. lib. 5. de gen. Anim.

Emiss. Hom. 7.

Luc. 23. v. 34.

Tract. de septem verbis.

talem devenisse cæcitatem, ut ne quidem rem adeò manifestam, tamq; contra omnem decentiam commissum facinus, quale erat, in personam ipsiusmet Dei gloriæ, manus violentas injicere, videre, aut recognoscere potuerint: *Vsq; adeò in suo malo voluntarii, ut voluntas consuetudinem, & consuetudo faceret necessitatem: necessitas verò usq; ad illam vecordiam erumperet, ut nesciret, quid faceret.* Hoc perspicuè in semetipsa vivendum exposuit, illa à Christo sanata mulier, quæ octodecim annis incurvata, & terram versus inclinata fuerat: *Habebat spiritum infirmitatis, annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Cui tametsi Dominus dixerit: *Mulier, dimissa es ab infirmitate tua,* illa tamē Caput suum minimè levabat. Sed cur ita? quia in consuetudine, inquit Gregorius, adeò inveterata fuit, ut ne quidem receptum agnosceret beneficiū. Unde opus erat, ut Christus manu illam propria sublevaret: *Et imposuit illi manum, & confestim erecta est. Visitata culpa*, sunt verba Greg. *obligat mētem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur & labitur, quia ubi diu sponte persistit, ibi cum voluerit, cadit.* Notastisne verba illa: *Visitata culpa obligat mentem.* Quibus innuit, longam consuetudinem, adeo alligare mentem, ut operari, prouti convenit, omnino nequeat. Unde Isidorus Pelusiota, dum Zosimo in peccatis inveterato, mentis oculos aperire non posset, eidem dixit: Insensatus instar bestiæ indomitæ mihi factus esse videris: *Nec regnum te incitat, nec gehenna rursus terret? Feram & indomitam belluam incantamus.* O quam lachrymabilis est ista miseria, per malum peccandi consuetudinem eo cæcitatis redigi, ut culpam non æstimemus, non cognoscamus, non videamus.

Arist. lib. 5. de gen. rat. Anim.

Lucæ. 13. v 11.

Greg. in Catena.

Lib. 1. Epist. 134.

22. Ultima deniq; cæcitatis causa est, dum oculus impeditur, *exteriori pulveris injectione*, inquit Bernardus, *id est curiositate sæcularium:* Cui S. August. fumum quoq; adjungit: *Pulvis, pituita, fumus, peccata & iniquitates sunt. Tolle ista omnia, & videbis.* Fumus & pulvis, res signant terrenas, divitias, ambitionem, sæculi istius gloriam, fœlicitatem carnis hujus, quæ visum impediunt spiritualem. Hoc est, quod sapiens dixit: nimirum *Terrena inhabitatio, deprimit sensum, multa cogitantē:* quia ut docebat Gregor. *Quanto mens circa terrena plus satagit, tāto in his, quæ sūt cœlestia, minus videt.* Ibat quōdā sponsa Domini, per noctes, & circuibat, quærens dilectum suum, in certos autem incidit custodes, qui pallium auferunt ab illa: *Tulerunt pallium meum, qui custodiunt civitatem.* Per palliū istud, S. Ambrosius cunctas commoditates terrenas intelligit, per custodes vero Angelos. Sed qua ratione fieri potest, ut Angeli furum aut prædonum peragant officium? *Quomodo igitur isti custodes Angeli sunt, qui casta animæ pallium tollunt?* Respondetq; S. Doctor per excellentiam: *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christū propinquat, ut Deum visura, mundo corde gradiatur.* Auferendo à sponsa res temporales, visionis quoq; Dei impedimentum pariter aufertur: Deum videbit, si terra bona non viderit, quæ excæcant, nec videre sinunt: Oculum mentis,

Tract. 1. Joan.

Sap. 9. v. 15.

Ambr. lib. de Virgin.

divinitati contemplandæ, aptum habebit & idoneum, si à rerum terrenarum pulvere illum habuerit purgatum, *ut Deum visura, mundo corde gradiatur.* Non faciet sponsa, sicut illi, de quibus rex sanctus loquebatur, dicens: *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Quomodo proponent Deum ante conspectum suum*, ante quorum conspectum, non est nisi sæculum? dicebat more suo solito præstanter S. Augustinus. Excæcati sunt à divitiarũ pulvere, & à fumo ambitionis: quomodo igitur videbunt illum, qui non nisi mundis atq; purgatis videri oculis valet? *Quomodo proponent ante oculũ suum Deum ante quorum oculum, non est nisi sæculum. Verba mea auribus percipe*, dicebat David, *intellige clamorem meum.* Sed quidnam, ô sanctissime Monarcha, facturus es, ad hoc ut Deus ad suam te admittat præsentiam? *Mane astabo tibi.* Quo loco notat S. Augustinus, non dixisse Prophetam: *Iacebo*, sed *astabo. Astabo quid est, nisi non jacebo?* In pedibus consistam, non verò in terra prostratus ero, id est, totus tibi, tuisq; rebus attentus ero, quàm possum minimè res contingens terrenas. *Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur.*

Aug. in Ps. 53.

23. Hactenus dilectissimi, cœcitatis spiritualis intellexistis mala, causas quoq; ejusdem percepistis, nũc utiq; desiderabitis, credo ego, ejusdẽ quoq; intelligere remedium. Quis ergo aut qualis erit tam ingentis mali medicus? *Ille homo qui dicitur IESVS.* Hæc infirmitas uti diximus est quasi incurabilis; attamen licet nostræ infirmitati sit incurabilis, sua tamen omnipotentia curabit eandam *ille homo qui dicitur IESVS.* Probè equidem novi, quod quisquis voluntariam hanc pertingit insipientiam, indignus sit, qui ab illo respiciatur, attamen suam is potius bonitatem respiciet, non verò indignitatem nostram. *Ille homo qui dicitur IESVS.* Neminem equidem, in quem aliquam fiduciam collocare possim, habeo, bene id video, libésq; confiteor, nusquam enim aliquod tam ingenti temeritati reperio effugium, sola & unica spes, & fiducia cordis mei est *ille homo qui dicitur IESVS.* Ad hunc Salvatorem, ô peccator cœce, & insipiens, recurrere potes, tametsi enim tu nihil, unde extremo malo tuo medearis, habeas, ille tamen est lux illa, *quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Devotè ac fiducialiter illi unà cum S. Propheta dicito: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Tu ô benignissimè Domine, lucem tuam super hasce meas voluntarias emitte tenebras, ut effugata cordis mei ignorantia, videre possim fidei tuæ veritatem, sanctitatem legis tuæ, judiciorum tuorum profunditatem, præmiorum tuorum magnificentiam, atq; suppliciorum tuorum acerbitatem. *O lux quæ illuminat omnia*, dicamus omnes cum Augustino, *tota simul, semel, & semper, absorbe me in charitatis abyssum, ut videam undiq; te in te, & cuncta sub te.* In Soliloquio cap. 13.

CON-



CONCIO XXVI.

In Feriam V. post Domin. IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ, & hæc vidua erat. Lucæ. 7. v. 12.

ARGUMENTUM.

Mortis Corporalis memoria, duplicis vitæ animæ causa est, vitæ scilicet Gratiæ: & vitæ Gloriæ.

SUMMARIUM CONCIONIS.

An Mors timoris potius materia esse debeat, an verò gratiarum actionis? Peccati pœna, vel frenū? Effectus justitiæ an misericordiæ? S. Augustini dubium, & acumen. *num.* 1.

Synopsis concionis. ibid.

Primum punctum. *Memoria mortis efficax ad omne bonum: sicut & ad acquirendas virtutes morales. num.* 2.

Multorum populorum, non solum fidelium; imo & infidelium exempla, pducta. ib.

Locus Ecclesiast. à Chaldæo Paraphraste *enucleatus. num.* 3.

Descriptio hominis totaliter nequam, & desperati. Verba Job adducta. *Cui pessimo, nullum superest remedium, nisi unum, scil.* Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit. *aureum Iobi oraculum. num.* 4.

Sponsa tepida, ad fervorem reducitur per tactum myrrhæ, quæ mortis est symbolum. num. 5.

Ipse sponsus recreationis causâ vadit ad montem myrrhæ, qui mortem circumfert in semetipso, ut notat Gilbertus. *n.* 6.

Tam insignis Iobi innocentia, qua fretus, dicebat: Non peccavi, *originem traxit ex mortis consideratione. num.* 7.

Perfecta vita est mortis consideratio. *ait S. Gregorius. Ibid.*

Ridicula quorundam peccatorum apud Isai-

I. QUis hodie ad infœlicis illius in virescentium annorum suorum vere, ab acutissima mortis falce, ex horto viventium recisi pueri triste funestumque spectaculum non timebit? Quis malè consultam Progenitorum nostrorum præsumptionem, non detestabitur, qui absque ullo, Deo debitæ Reverentiæ, respectu, adeò justum, ac rationabile rumpendo præceptum, in suam reprobatam posteritatem, gravem adeò superinduxere pœnam? Quis à bono judicio, rectaque ratione adeò alienus erit, qui ad conspectum, certi adeò & inevitabilis supplicij, aut demonstrationis divinæ vindictæ adeò manifestæ, aut denique cuiusdam omnibus Adæ filijs adeò communis & universalis plagæ, intimè non moveatur? Hæc est miseriarum humanarum caput, quæ in uno veluti momento divitias involat, honores, delitias, Patriam, Domum, parentes, amicos, omnem spem, ipsam denique vitam auffert. Hic est locus ille, in quo illi etiam timent, qui ob nullum unquam eventum visi sunt timuisse: ubi fortissimi quique, omnes suas vires deperdunt, omneque quantumvis animosum, ac ferox cor, humillimè

Job.38. v.11. sese dedit. Ad hunc terminum usque, superbæ humanarum cogitationum undæ pertingunt, ibidemque ad modicæ terræ aggerem franguntur ac pereunt, irrefragabili omnipotentis Dei domitæ, ac victæ imperio, velut si iisdem diceret: *Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quæ tametsi ita sint, dubium tamen mihi movet S. Augustinus, an videlicet mors, timoris potius materia esse debeat, an verò gratiarum actionis? ad eum fere modum, quo haud adeò facilè est decidere, num mors peccati pœna, aut verò frænum dicenda sit? effectus Divinæ Justitiæ, an verò misericordiæ partus? à Deo in nos ex odio fulminata, an verò ex amore permissa sit? Cuius dubitandi ratio est, quia si mors ex una parte, tandem corporis huius fabricam, quæ quædam animæ mansio est, destruat; certè eadem altera ex parte, priusquam corpus destruat, conclave animæ, quæ quædam est Dei immortalis aula, prius, ædificat; Quod si homines ex hoc mundo, atque ab amicorum chara, grataque conversatione, proscribit; prius tamen eosdem, pro futuro sæculo, Angelorum societate dignos efficit: Quod si carnem intra modici monumenti claudat angustias; anticipate tamen spiritum, à passionum laqueis, eundem infestantibus, dissolvit. Quod si culpæ originalis dirum est supplicium; eadem tamen etiam, contra mille philtrorum, ad malè agendum continuò provocantium, venenum, securum est antidotum. Quod si vitam hanc velocissimè transeuntem auffert: insuper tamen efficit, ut eam desideremus vitam, q̃ omnis defectus expers, durabit æternùm. Omnes idipsum, ex ore S. Augustini, velim audiamus: *Ipsa pœna vitiorū, transit in arma virtutū* (loquebatur a. de primis parẽtib⁹ nostris) Lib. 3. de Civit. Dei cap. 41.

mortui sunt illi , quia peccaverunt ; non peccant isti, quia moriuntur : factum est per illorum culpam , ut veniretur in pœnam : fit per istorum pœnam , ne veniatur in culpam. Tantam Deus fidei præstitit gratiam , ut mors , quam vitæ constat esse contrariam , instrumentum fieret , per quod transiretur ad vitam. Adeò ut mors (quis id crederet ?) duplicis nobilissimæ vitæ mater existat , vitæ scilicet gratiæ , & vitæ gloriæ. Primæ quidem, quia mortis consideratio , efficax contra omne peccatum , quod quædam gratiæ mors est, remedium existit: Denique secundæ , quia morte mediante, omnes res terrenæ , ac transitoriæ contemnuntur, ipsaque consequenter, ad inquirendas res permanentes, in quibus vita gloriæ consistit, stimulus est acerrimus.

Secundū. Punctum

2. Atque ut à capite exordiar: *Pœna vitiorum , transit in arma virtutum;* siquidem nullum est , sive pro acquisitione virtutum , vel pro destructione vitiorum ; aut ad charitatem accendendam , aut ad extinguendam concupiscentiam; sive ad placendum Deo , vel ad non displicendum proximo , potentius , & efficacius remedium , ipsa mortis memoria. Unde meritò hortabatur Augustinus , ut pœna nostra, prudenter in commodum nostrum uteremur, atque ex mortis veneno , salutarem conficeremus vitæ theriacam : *Vtatur ergo homo pœna sua fratres ; & bene utatur malo suo, ut proficiat bono suo.* Utatur homo morte , ad acquirendam vitam; rerum temporalium privatione, ad comparandam sibi bonorum spiritualium possessionem : utatur, inquam miserabili isthac pœnitentia, ad impetrandum à Deo , benignam quandam , & misericordem prorsus indulgentiam. Porrò, nisi infinitas haberem propositi mei probationes, aut nisi ad devotos eiusmodi fideles, in præsentiarum mihi sermo esset, quibus jam dudum , magnam veritatem istam penitus persuasam esse scirem , profectò ad Paganismum vos ablegarem , quibus inter adeò densas ignorantiæ tenebras , huius adeò salutaris doctrinæ lumen nihilominus illuxit , ita ut intelligere potuerint , qua ratione mors, pro maiori, virtutum mortalium parte acquirenda ,utilis existat. Ad Platonem, , sapientum omnium Coriphæum , vos remitterem , qui dicere solebat , omnem sapientis vitam, in mortis meditatione consistere, Ad Democritum , sepulchrorum perpetuum incolam, vos amandarem, hic namque vobis utique protestaturus esset , se in iisdem mortuorum monumentis , maiorem sibi adscivisse sapientiam , quàm in cunctis Græciæ Scholis. Vos ad illos destinarem populos , qui in monetis suis effigiatam habebant mortis imaginem , idque , ut equidem credo, ut quemadmodum monetam manu sua perpetuò terunt , sic quoque continuam in cordibus suis mortis haberent memoriam. Ad Æthiopes vos mitterem , qui referente Herodoto, mortuorum suorum cadavera , per civitatis circuitum , supra muros collocabant ; insinuare nimirum volentes, tunc se benè custoditos fore , atque de-

Serm. 11. de Temp.

defensos, cum à corde suo mortis nō amisissent memoriam. Ablegarem vos ad Troianos, quibus in more positum fuit, ad portas civitatis mortuos suos reponere; ut insinuarent, hac utili mortis cogitatione, firmius, fortiusque protegendos, muniendosque se fore, quàm valido aliquo armatæ legionis exercitu. Ad Nasamonios Libiæ populos vos expedirem, qui gravem aliquam, maximique ponderis facturi deliberationem, sese ad captandum somnum, super maiorum suorum statuebant sepulchrum, credentes, ab eorundem memorijs, aliud sibi provenire non posse, nisi prudentiam, mentisque sagacitatem. Vos dimitterem ad illam novæ Hispaniæ gentem, quæ Regem electura, eundemque in regij sui status actualem possessionem repositura, eundem veste quadam induebat, mortuorum ossibus distinctá, & veluti phrygiatam: ut per hanc cæremoniam innuerent, Principes suos, tunc providè, prudenter, atque fœliciter gubernaturos, si mortis nunquam deponerent memoriam. Videte ergo, quomodo apud ipsos quoque gentiles, in quibus lumen intellectus, adeò obfuscatum erat erroribus, nihilominus *Pœna vitiorum transierit in arma virtutum.*

3. Veruntamen, potius facturum me credidi, si ad sapientissimum Salomonem vos destinarem, qui cunctos terræ Philosophos, sapientia sua immensum antecessit, præterquā quod insuper de cœlo miraculosè fuerit illuminatus. Hic ergo perspicuè dicit: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum cōvivij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.* q.d. Longè melius est, eo se recipere, ubi mortuus plangitur, quàm ubi convivium apparatur. Hic multa in unum coacta reperies fercula, ad fovendam carnem: ibi solidarum contemplationum præparata vi-debis pascua, ad consolandum spiritum. Hic corpus enutries, quod nimirum paulò post, esca futurum est vermium: ibi mentem cibabis, eo destinatam, ut pascatur cibo visionis Dei. Hic generosa delibabis vina, quę grossis tibi fumis, seu vaporibus, obscurabunt rationem: ibi verò subtilissimas probabis cogitationes, quæ ex huius mortalitatis nostræ vilitate te sublevent. Hic cantatur quidem, sed cantus in planctu finitur: ibi plangitur, at planctus æternorum gaudiorum preciosum est semen. Hic memoria Dei proscribitur, solaque vivit vanitas sæculi: ibi verò omnia mundana in oblivione sunt, solusque ibi mundi Monarcha, in bona sui memoria, & recordatione viget. Hic ut plurimum perditur conscientia: ibi verè vel semper, aut quasi semper acquiritur. Hic miserabile fit gratiæ naufragium; ibi eadem securissimè manutenetur, & cōservatur. Hic vivendo moritur, ibi moriēdo vivitur: *Melius est ire ad domū luctus, quàm ad domum convivii.* Pharaphrastes Chaldæus autem, hoc loco, id quod hucusque diximus mirum in modum explicat, dicens: *Ponet in corde suo verba mortis, & si est in illo aliquid mali, dimittit illud, & convertetur ad pœnitentiam in conspectu Dominatoris sæculi.* Ad hoc ut quis videat statum vitæ suæ, quē antea non vide-

Ecclesiast. 7. v. 3.

videbat, aliud non requiritur, quàm ut is cor suum, ab antiquis cogitationibus exinaniat, illudque novis adimpleat propositis; totumque Deo detur, quod antea vix Deum recognoscebat, quippe cum plus quàm certum sit, illud S. Augustini monitum, videlicet: *Nihil sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis meditatio: Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivij.*

Lib. 2. de Genesi contra Manichæum.

Job. 21. v. 13.

4. Patientissimus ille Job, fœlicem quendam sed sceleratum (qui omnia alia propter solum Deum cordi sibi esse sinebat, quique naturâ suâ rationalis existens, ad modũ insensati, omnisq; rationis expertis jumenti, sine ratione, contraque naturam vivebat) describere aggreditur, dicitque: Quid talis aliquis unquam faciat, ut è tam profundo lethargo evigilare possit, in quẽ mille habitus vitiosi eundem sepelierunt? Quomodo talis corrigere se aliquãdo poterit, à tot sceleribus, in quę, sine ullo Dei timore, sine aliquo remorsu conscientiæ, sine vllo legis respectu, effrænis sese præcipitem egit? Quisnam adeò fœlix Magister, tantam aliquando habiturus est dicendi efficaciam, tantumq; sermonis vigorem, ut Jaspidei cordis illius se rũpere posse duritiem sperare valeat? *Quis arguet coram eo viam eius? & quæ fecit, quis reddet illi?* Talis quispiam coram oculis nostris, totus desperatus esse videtur, siquidem beneficia illum insolentem reddunt, supplicia impatientem, prosperitas elatum, adversitas perversum; ad internas inspirationes surdus est, ad externas autem creatoris voces insensatus. Apud eiusmodi hominem, nec scripturæ authoritatem habent, nec verbum Dei pondus aliquod, nec vim aliquam sapientum consilium obtinet: *Quis arguet coram eo viam eius?* Sit fortasse nonnemo, ô Christiane, in hisce regionibus nostris, adeò perversorũ morum, vitæque tam malignæ ac sceleratæ, quique in suo morbo, adeò pertinaciter hæserit, ut inveteratis plagis suis, nullum quasi habeat remedium, possitque de illo, istud sapientis dictũ verificari: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Esto, forte, infœlix aliquis, qui adeò profundè, in putrido culparũ fœtore submersus, eousq; pertigerit, ut quodcunq; sibi oblatum, respuat, cõtemnatq;, auxilium? qui gratiæ baptismalis, per q̃ in fideliũ album conscriptus est, immemor existat; Sãguinis Christi, quo fuit redẽpt⁹, contemnat pretium; pedibus suis legem conculcet Evangelicam, q̃ professus; Christiani nominis gloriæ, qua quondam honorabatur, renuntiet; dorsum vertat Ecclesiæ, in cuius gremio vivit; spem gloriæ, ad quam vocatus est, perdiderit; jamque, uti Propheta loquebatur, cum morte & inferno fœdus pepigisse videatur; aut aliquis ex illis mundi pestibus esto, qui in publicum prodire nesciunt, sine scandalo; aut verbum proferre, sine blasphemia; aut sine injustitia, tractare negotium; aut obtutũ figere, sine lascivia; aut ingredi templum, sine sacrilegio; aut sine dissolutione, mẽsæ accumbere; aut minimam recipere injuriam, quin vindictam mox spiret; aut movere pedem, absq; enormi communis Domini offensa?

sensa? *Quis arguet coram eo viam eius?* Unicum duntaxat, inquit Spiritus sanctus, supererit remedium ad tollendam ab eiusmodi desperato homine, finalem desperationẽ, id, quod sacer textus mox subjungit, dicens: *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit.* ô potentissimum, & efficacissimum medicamentum! quod adeò graviter infirmanti; plagis, seu vulneribus adeò pertinacibus, & antiquis; adeò deniq; insanabilibus morbis, adferre salutem potest! Sola mortis memoria, adeò potentis veneni remediũ erit. Evigilabit talis impius, ad tacitum duntaxat mortis silentium, qui inter sonoros tot admonitionum clamores, dormire potuit. In Magistros, mortuos accipiet, qui viventium respuit magisterium; docere se sinet, in Schola sepulchrorum, qui disciplinam, atque instructionem contempsit, ac vilipendit omnium scholarum: docebitur inter lugubris amictus, fuscas tenebras, qui inter divinarum chartarum splendores discere non novit. Expugnabitur à tenebris, mortuorumque ossibus, qui ad vim rationũ, argumentorumq; nervum sibi oppositũ, sese dedere noluit: *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit: si aliqua ratione adduci potest huiusmodi Princeps*, inquit Author Catenæ Græcæ, in Job, *ut ad sanam redeat mentem, maxime id efficiet mortis consideratio.* Si aliquod, pro eiusmodi homine, superest remedium, id profecto erit unica mortis memoria. Ecce hoc quod dicebamus: *Ponet in corde suo verba mortis, & si est in illo aliquid mali, dimittes illud. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivij.*

Catena Græca in Job.

5. Quod si non dormierit, profecto ad minus dormitavit, illa à Salomone in sacris canticis, depicta anima, quando post multos ictus, & tactus, & blãditias à Christo sponso exhibitas, nequaquam excitabatur: aut vero, si etiam excitata erat, tanto plus se tepidam ostendebat, & dormiturientem; dissimulans scilicet, illi aperire fores, qui ad easdem, ut intromitteretur, tanta cum anxietate pulsaverat. Et profecto, quas non multiplicat laudes, ad hoc, ut aperiatur sibi? Quas non adducit rationes? quas convenientias non adfert? *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Nec tamen ipsa nequaquam se movit. Imo quod peius est, mille adferens excusationes frivolas, & impertinentes dicebat: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Eadem vero sponsa, immediatè post, nescio quo fervore correpta, è domo egreditur, dilectũ suum inclamat, eundemque infinita cum anxietate, per plateas inquirit, adeo ut neque armatæ etiam illam sistere potuerunt custodiæ, quæ spoliaverant, verberibusque illam ac plagis oneraverant: *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, tulerunt pallium meum.* Et quomodo hæc eadem sponsa, repente adeo, ex tanta tepiditate, in tantum fervorem conversa est? Quomodo nulla nunc vulnera timet, quæ paulo ante modicum timebat, incommodum? Quomodo nunc tota animosa, & vivax currit, quæ mortua quasi jam jam jacebat & somniculosa? Quis alas ei addidit, aut generosum

Cant. 5. v. 2.

adeò illi inseruit animum? Scitis quis id fecerit? Fecit id memoria mortis. Reperit fores suas, à cœlesti sponso suo, pretiosissimæ Myrrhæ unguento inunctas, ex qua ambæ manus eius, omnino imbutæ manserunt: *Manus meæ distillaverunt myrrham primam, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Myrrha autem, uti nostis, mortis est symbolum: *Myrrha mortis symbolum*, inquit S. Gregorius Nyssenus. Adeoque illa, quæ ad sponsi sui amabiles blanditias, tepida erat, ad mortis memoriam, novo implebatur fervore; Ea quæ surda fuit, ad vocem Christi, qui Verbum est Dei Patris; vocem audit mortis, quæ muta est, omnisque vocis expers: Quæ paulò ante, lectiti-mebat perdere quietem, per mortis memoriam, adeò generosa efficitur, ut ipsiusmet quoque mortis subeundæ non habebat formidinem; nihili facit persecutiones, & vulnera, quæ tanti antea requiem æstimabat, & somnum. Audite pulcherrima Nysseni verba, cuius est nobilis hic conceptus: *Anima per mortem à morte resurgit: Nam si non moriatur, semper manet mortua; at moriendo vitam consequitur, omni mortalitate deposita.* ô novitas! ô stupor! Anima moritur, nisi moriatur; si verò moriatur, vivit; mortis namque consideratio, veram adfert vitam spiritualem: vita autẽ, quæ delitias inter & gaudia agitur, vera quædam mors est, conformiter illi S. Pauli oraculo: *Vidua, quæ in delitiis est, vivens mortua est.*

Nyssenus in Cant.

Cant. 4. v. 6.

6. Hæc est illa myrrha, à qua Deus ipsemet allectus, dicebat *Vadam mihi ad montem myrrhæ.* q. d. Pro recreatione mea, & animi gratia, ad montem myrrhæ me conferam, qui, teste Gilberto Abbate, aliud non significat, quàm hominem justum: *Bene mons myrrhæ, qui mortem circumfert in semetipso; non in parte, & quasi respersam, sed uberem, & continuam, & eminentem; nec ad horam, & quasi veterascentem.* In hoc monte, qui ut mox dicebam, hominem justum significat, myrrha nascitur, id est, mortis consideratio; non in una duntaxat parte, sed passim per omnia dispersa, mens namque eius profundis eiusmodi considerationibus abundat: in loco eminenti, quia magnam hanc Philosophiam, ibi natam & radicatam (quia mortis memoriam nō transeunter, sed continuo sibi & permanenter habet infixam) apertè omnibus prædicat: *Beatus planè mons, qui huius myrrhæ germine vestitur. Quomodo non beatus, qui Christum ad se trahit, in sui odore aromatis? ô beatum montem ad quem vadis, JESV bone, ad quem venis, per quem ambulas, quem inhabitas, inhabitas in finem, quem solus inhabitas!* Ad hunc montem, ingenti cum affectu Dominus currit, quia dum ipsum myrrha plenum invenit, pariter quoque sanctitate plenum deprehendit, mortis instructũ memoriâ & Dei cinctum præsentiâ, domum luctus, & domum beatitudinis, hospitium mortis, & contra mortem antidotum. *Ponet in corde suo verba mortis, & si est in illo aliquid mali, dimittet illud.*

Serm. 28. in Cant.

7. Extraordinaria profectò, fuit illa Jobi fiducia, & nisi de ingenti huius servi Dei sanctitate certus essem, eandem dicerem esse temeritatem, quando nimirum ipsemet, coram Deo, qui cor-

Job. 17. v. 2.

corda ſcrutatur, & renes, rariſſimæ innocentiæ ſuæ dans teſtimonium, dixit: *Non peccavi.* Atque ne fortaſſe nonnemo ipſi opponeret id, quod benedicto Redemptori noſtro oppoſitum fuit; *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum verum non eſt*, huius ſui pronuntiati infallibile ipſius Dei adjunctum habet teſtimonium, qui Sathanæ, de hoc ſervo ſuo, non dubitavit dicere: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis, in terra, ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* (Job 1.v.8.) Sanctiſſimus profectò, & innocentiſſimus Athleta, cuius virtutem, & ſanctitatem, tota huius mundi potentia, cuncta Sathanæ rabies, tota inferni vis & violentia dimovere non potuit. Qui ex infinitis tribulationibus, generosè toleratis, velut puriſſimum aurum ex flam̄is, ſplendidior exiit, ſyncerior magiſq; illibatus. Qui in totius ampliſſimæ hæreditatis ſuæ jactura, nequicquam de perfectione ſua deperdidit; in lamētabili numeroſæ prolis ſuæ morte, generoſior robuſtiorque extitit, quam aliàs unquam; ſub infœlicitate, quàm ex falſis habuit amicis, fœliciſſimus ſibi ſemper eſt viſus; innumeris corporis ulceribus & plagis obnoxius, ſanum vigoroſumque quaſi videri ſe fecit. Aſt ô ſancte, generoſiſſimeque Heros, dic mihi, ſodes, quodnam, contra adeo mortales ictus, habuiſti ſcutū? Quodnam, adverſus tot, tamque graviū perſecutionum obſidionem, habuiſti remedium? Quis in adeo acerbarum miſeriarum medio, tantæ conſtantiæ magiſter tibi extitit? Quis in tam abjecto, ac humili ſtatu, ſublimes adeo, generoſoſque te mores edocuit? Quis ad tam honorata verba pronuntianda, os tibi aperuit? Quis linguā, ad tam glorioſos enuntiandos cōceptus, cōmovit? Quis ad tam pulchras cortuū direxit intētiones? Quis in medio Gentilitatis, ſanctum te fecit, adeo, ut in ipſiuſmet Dei, qui cordium cogitationumque ſcrutator eſt, conſpectu, tanta cum libertate dicere potueris: *Non peccavi?* An enim noſti (ô Chriſtiane) quid ſignificet: *Non peccavi?* Idem videlicet, ac ſi diceret: Ad minutiſſimū punctum uſque totam obſervavi Domini legem, adeo ſanctam, ut nullum proſus admittat defectum; adeo rigoroſam, ut omnia mala caſtiget, ad ipſa uſque verba otioſa; adeo exactam, ut ab ipſis quoque cogitationibus, puritatē expoſcat; adeo aſſiduā, ut de omni vitę momēto, rationē expoſtulet; adeò inexorabilē, ut nulli unquam condeſcendat prætextui; adeo punctualem, ut nullius generis recipiat dilationem. Viridis ætatis ſuperavi inexperientiā; inordinatas licentioſæ juventutis, edomui paſſiones; ſuperfluam virilis ætatis ſollicitudinem; multas ſæculi iſtius diſtractiones; erga proles immoderatum affectum; continuam voluptatum ſenſualium pugnam; blanditias carnis; Sathanæ nunquam interruptas inſidias; injurias inimicorum; fortunæ inexpectatos caſus. Erga Deū religioſus ſemper fui; pius erga proximos; erga me ipſum humilis; in vivendi ratione temperans; exemplaris in converſatione; in precibus devotus; liberalis in proprio; alienorum nequaquam avidus, aut cupidus; purus in cogitationibus; in vita omnino irreprehenſi-

hensibilis. Talis, inquam, S. Job extitit, dum inquit: *Non peccavi.* Hisce adde, quod cuncta hæc servus Dei operatus fuerit, inter Idololatriæ tenebras, in medio Paganismi, inter tot malorum exemplorum incentiva, absque ducatu scripturarum, sine Prophetarum documentis, sine perspicua Evangelij luce. Sed ut eo unde declinaveram, revertar, peto, unde tanta in homine pagano & gentili, nata sit innocentia, quæ efficere potuit, ut tanta cum animositate diceret: *Non peccavi.* Profectò non aliunde, quàm à mortis consideratione. Ex ipsiusmet Jobi ore idipsum audite: *Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum, non peccavi.* Sepulchrum, à peccato me liberavit; ex cæmiteriorum cinere, adeò peregrinæ progerminarunt virtutes; contemplatio mortis corporis, cordis mihi contulit vitam. Hæc est magni illius Papæ Gregorij animadversio, cujus hæc sunt verba: *Perfecta vita, est mortis meditatio, quam dum justi sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt. Unde & beatus Iob, quia dies suos considerat breviari, & solum sibi superesse sepulchrum, pensat, apte subiungit: Non peccavi.* Quod ego non peccem, dicit S. Job, mortis id meditationi debeo; quam ante oculos meos semper habeo. Hæc passionum mearum frœnum fuit. Hæc patientia mea in adversis, hæc in morbis meis est medicina. Mors linguam rexit, mors direxit affectus, innocentiam mors continuavit, mors denique vitam produxit: *Ponet in corde suo verba mortis, & si est in illo aliquid mali, dimittes illud.*

Lib. 1. Moral. cap. 16.

8. Meritò S. Augustin⁹, discursum illum, ridebat, quem apud Isaiam, stulti illi faciebant, dicentes: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Quid ais? inquit Augustinus, *Repete. Manducemus & bibamus. Age quid postea dixisti? Cras enim moriemur. Terruisti, non seduxisti. Audi tu contra à me. Imò jejunemus, & oremus, cras enim moriemur.* Terruisti me, non verò decepisti. Venenum quidem obtulisti mali, simul tamen cum veneno mihi exhibuisti antidotum. Preciosa offerendo fercula, & generosa vina, ad delicias invitasti me, per mortis tamen memoriam, nō permisisti, ut in illis complacerem mihi. Ad peccatum me allexisti, eodemque tempore ab eodem procul me removisti. Rete tetendisti mihi, idemque mihi mox detexisti, adeo ut verbis tuis territus potius, quàm deceptus sim. *Terruisti, non seduxisti.* Unde S. Zeno Episcopus Veronensis dicebat: *Crede mihi, non habet concupiscentia locum, ubi mors timetur.* Ibi extinctus est concupiscentiæ ignis, ubi timor est mortis, atque recordatione huius cæterorum omnium homo mox obliviscitur. *Terruisti, non seduxisti.* Corpus Moysis ab ipsomet Deo sepultum fuit, in valle Phegor: *Mortuus est Moyses servus Domini, & sepelivit eum in valle terræ Moab, contra Phegor.* Procopius Gazeus dicit; In eadem valle, Idolum voluptatis, & lasciviæ, nomine Phegor sive Beelphegor erectum fuisse, atque in hoc eodem loco, Deus cadaver Moysis reposuit, *ut imposturam Idoli cohiberet, atque frœnaret.* Voluit Deus, ut ubi erat sensualitatis Idolum, ibi quoque cadaver Moysis pariter esset sepultum, ut hoc

Isaiæ 22. v. 13.

Aug. in l. s. 70.

Hom. de continent.

Deut. 34. v. 6.

ut hoc esset, illius quam Idolum operabatur, & imposturæ, ac delusionis, velut frœnum ac retinaculum. Unde si quis in delitiosam hanc, imposturæ ac probitatis, Idoli Phegor, & Mosaici cadaveris, Altaris Dæmoniaci, & Patriarchalis sepulchri Vallem subingressus fuisset, modo aliqua præditus fuisset prudentia, utique illud S. Augustini dictum repetiisset: *Terruisti, non seduxisti.* Uno eodemque tempore, ad delitias me vocatum cerno, & ad mœrorem, & fastidia repulsum; inter persequentes me inimicos, & inter defensionis præsidia me protegentia; ab incontinentiæ obfuscatum tenebris, & à cognitionis luce eruditum; allectum ad culpas, & revocatum ab illis; inter lethalissimi veneni pericula, & potentissimorum remediorum antidota. Verè stultus esset, qui seductus ibi potius, quàm territus esset. *Terruisti, non seduxisti.* Atque hanc ob caussam, postquam Blanca Comitissa ad Deum per Petrum Damianum conversa esset, ipsa autem mulier esset altissimæ nobilitatis, exquisitæ pulchritudinis, copiosarumque facultatum, magnus ille Cardinalis, maximi ponderis monitum quoddam in hæc verba eidem transcripsit: *Confœderabuntur adversum te, & prosapia generis, & flos ætatis & venustas formæ & memoria facultatis abiectæ. Ad evitanda sane istorum tela certaminum, nullus mihi videtur validior clypeus, quàm meditatio mortis.* Haud dubiè in te opprimendam, integer insiliet cogitationum exercitus, qui validè te impugnabit, à quibus tamen facile, unius tantum cogitationis scuto munita, evades, estque cogitatio sola mortis. Hanc enim si mentituæ seriò impresseris, inter pompas sæculi, & cineres sepulchri reposita, minus facere nequibis, quàm ut mundo dicas: *Terruisti, non seduxisti.* — Epist. 143.

9. De Joseph Patriarcha, Sapiens non dubitavit dicere, ossa eiusdem prophetasse post mortem: *Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Verum quales prophetiæ fuerunt, quæ à sancti Joseph egrediebantur ossibus? Ossa Joseph, uti nostis, accepta sunt atque per Moysen de terra Ægypti ad terram promissionis translata fuerunt: *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum.* Unde Lipomanus optimè dicit Hebræos, velut modica prudentia aut ratione præditos pueros, auro argentoque Ægypti sese onerasse: Moyses autem cœlesti perfusus sapientia, incomparabilem ossa Joseph thesaurum æstimavit: *Iudæi infantibus similes, aurum atque argentum detulerunt: Moyses verò, intemerati animi vir, Ioseph ossa deportavit,* adeò, ut in tota illa quadraginta annorum peregrinatione, una cum arca testamenti, arca illa deportata fuerit, in qua Joseph ossa requiescebant; unde dicitur, *quod ossa eius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Verum inquiramus, obsecro, qua ratione intelligendum sit, quod ossa Joseph, post mortem eius, prophetias ediderint. Prophetæ in populo Dei vocabantur universi prædicatores; id quod ex divinis scripturis certum est, atque indubitatum, adeò, ut alia probatione non indigeat. Ergo *ossa eius post mortem prophetaverunt;* idem est, ac si diceret: Muta Josephi mortui ossa, plus prædicabant populo, quàm

Ecclesiastici 49. v. 18.
Exod. 13. v. 19.
Lipom. in Caten.

quàm facunda Josephi vivi eloquentia. Validiores pectori humano inflixit ictus cineribus suis, quàm dictis. Plus adhibitum fidei est feretro, quàm Umboni, seu Pergamo; plus populus ipsum mortuum videndo, profecit, quàm eundem conspiciendo vivum: *Et ossa eius post mortem prophetaverunt.*
1. Reg 6. v, 12. Quãdo Arca Testaméti, à Philisthæis remissa fuit populo Dei, dicit Scriptura, quod vaccæ illam trahentes, *ibant in directum per viam, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Id quod ingens profectò miraculũ fuit, vaccæ hæ namque, vitulos domi reclusos habebant, quorum mugitus, illas meritò à via obliquare debuisset; præterquam quod Scriptura teste, vaccæ istæ nunquam currum aliquem traxerint, aut jugũ portarint, & tamen *ibant in directum per viam.* Quis ergo easdem, cum tanto stupore, in directum deducebat per viam, qua ibant? Respondet Origenes: id haud dubiè opera Dæmonis factum fuisse, quia interea Arca passim per terram Philisthinorum circumducebatur, *fiebat pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Domini.* Dum Arca circuiret, strages illas, in Scriptura divina enumeratas, causavit, unde omnes ingẽs timor mortis invasit, adeò, ut ob eum multi mores relinquerent antiquos, & cõverterentur ad Deum, id quod Diabolus invidens, procuravit, ut à Philisthæis Arca ad populum Domini transiret. *Quis ergo in his, si diligenter inspiciat*, sunt verba Origenis, *de boum directione, vel fortuitam dicet, vel aliqua arte compositã, & non operatione quadam Dæmonum ministratam?* Certum igitur esto, hoc merum fuisse Dæmonis opus, qui probè sciens, cuius & quanti emolumenti spiritualis, sit memoria mortis, illam quoadusque potest ab oculis, fideliumque cordibus, tollere procurat. Corpora illa, potentissima Dei manu extincta, in gentilitatis medio, maiori cum efficacia prædicabant, quàm Propheta aliquis faceret; illamque in pectoribus humanis sibi fidem conciliabant, quàm non obtinuerat hactenus, prodigiorum in populo suo operatorum, explicata series. Atque ij, qui magnorum miraculorum, ab Arca Domini, in templo Dagonis patratorum, voci non crediderant, mutæ cadaverum, per omnes passim vicos dispersorum cedebant eloquentiæ, facundoque silentio. Ecce ergo, qua ratione mortui prædicent, & quomodo prophetent ossa ipsorum. *Ossa illius post mortem prophetaverunt.*

10. Ego autem eo cum respectu debito, qui doctis literæ istius debetur expositoribus, illa utar licentia, eandem, ea cum simplicitate interpretandi, quam sonus secum portat verborum, dicamque ossa boni illius Joseph prophetasse, quia sicut Prophetia, ob divini testimonii authoritatem infallibilem, suum semper assequitur effectum; ita quoque mortis memoria, infallibiliter quasi, emendationem obtinet illius, qui eandem in corde suo conservat. Ossa ergo Josephi, totius populi conspectui exposita, Reverentiam prophetârunt erga Deum, utpote, qui perfectum adeò in vitas nostras habet Dominium, qui tot hominem modis, ex

eiusdem exturbare valet possessione. Prophetarunt timorem sanctum, dum commonstrant, tam rigorosa culpam castigatam esse pœnitentia. Cordis prophetarunt humilitatem, utpote, cui omnem superbum conatum, exprobrare videbantur hisce verbis: *Quid superbis terra & cinis?* Prophetarunt suiipsius notitiam, dum ex eorum intuitu, unusquisque, quo res decurrant humanæ, evidenter videt. Mundi prophetarunt contemptum, nec non & omnis mundanæ prosperitatis, tantæ instabilitati ac inconstantiæ subjectę despectum. In summa, prophetarunt ossa Joseph, quoniam quicquid docuerunt, quicquid persuaserunt, quicqid dixerunt, id totum, ob eventus certitudinem, veluti prophetia quædam fuit. An nō ille quondam Dei servus, apud Joannem Climacum dixit: *Nemo memoriam mortis habens, poterit aliquando peccare?* Cur inquit, *non poterit?* quia dictum illud, est veluti quædam Prophetia, quæ necessariò suum consequitur effectum. An non sapiens dixit: *In omnibus operibus tuis, memorare novißima tua, & in æternum non peccabis?* Qua de causa dixit; in æternum? Quia id, quod prophetatur, non adimpleri non potest. An non David Rex, certam censuit cuiuscunque demum conversionem peccatoris, eo quod mortis recordatione tangeretur: *Reminiscentur, & convertentur, universi fines terræ?* Ecquales autem sunt ij, qui in finibus terræ existunt, inquit S. Bernardus? Illi nimirum, qui cogitationes suas, in vitæ finem, sive mortem defixas habent: *Recordabuntur, quod pulveres & cineres sunt, & convertentur ad*

Gradu 6. de memoria mortis.

Ecclef. 7. v. 4.

Psal. 21. v. 28.

Bernard. in Meditat.

Dominum. Simul sunt duo hi termini: *Reminiscentur & convertentur.* Concludo ergo, quod si mortis memoria, mutationem vitæ dicit, morum dicit reformationē, dicit conversionē ad Deum, certè ossa Joseph prophetarunt utiq; quia intentū suū infallibiliter obtinuerunt. *Ossa ejus post mortē prophetaverunt.*

II. Equidem, si mortis memoria, est veluti Propheta quidam, fortasse probatu non erit difficile, eundē quoque nobis quendam quasi Apostolum esse. S. Paulus in Urbe Troade existens, prædicavit ibidèm in mediam noctem usque, *protraxit sermonem usq; ad mediam noctem.* Accidit autem, juvenem quendam, cui nomen Eutychus, somno oppressum, cadere de tertio domus solario, totumq; membris confractis luxatum, in totius præsentia populi, qui modicus non erat, suam claudere vitam; *ductus somno, cecidit de tertio Solario, & sublatus est mortuus:* atq; ita Apostolus, simul cum fine & clausula vitæ juvenis istius longum quoq; suum finivit, clausitque discursum. Miratur hic S. Joan. Chrysostomus, quomodo gentium Apostolus, non fuerit prædicando Verbum Dei progressus, eo vel maximè, quia ob improvisum illud accidens, populus totaliter cōmoveri debebat, ideo q; tanto magis ad Verbum Dei ritè audiendum præparatus, aptusque ad fructificandum. Verum accuratè S. Doctor respondet. Non fuisse Apostolo ultra opus, ut quicquam loqueretur amplius, ibi, ubi mortuus quidam aderat, & mortuus quidem juvenis. *Ipse casus pro Doctore fuit.* Sufficienter sine prędicatore edocebuntur, siquidem efficacius

Actor. 20. v. 7.

Hom. 42 in Act.

prædicit juvenis mortuus, quàm Apostolus vivus. Idem efficiet juvenis cuiusdam extincti silentium, quod generosus sonus insignis illius tubæ Spiritus sancti: æqualiter Dei nomen portabit frigidum illud cadaver, ac magnum illud vas electionis. Non plus Paulus efficiet, per illam, quàm in tertio cœlo didicit, doctrinam, quàm facturus sit Eutychus defunctus, atque in feretro extensus, atque expositus. *Ipse casus pro Doctore fuit.*

12. Ecquinam sunt ij, qui missi sunt, ut invitarent ad nuptias magni illius illius Patrisfamilias? an non sancti Apostoli, qui per ferventem prædica-

Matth. 23. v. 9. tionem, frequentia miracula, atque illustria vitæ Exempla, populos ad nuptias advocabant Evangelij? Et tamen nequaquã auditi fuerunt, ipsorumq; invitatio inciviliter rejecta fuit. Sed quinam fuerunt ij, qui se ingenti adeò beneficio dignos effecerunt? In quosnam Apostoli, suos fructuosè collocarunt labores? A quibus tandem obedienter fuere auditi? Ab illis, qui in fi-

Albert. Magnus Serm. 74. nibus morabantur viarum. *Ite ad exitus viarum.* id est, inquit Albertus, ad eos qui per mortis cõsiderationem, cogitando velut in fine viæ vitæ erant. Hi virtute rerum mundanarum distracti non erant; Hi ad Christianismi nuptias velocissimè currebant: *Illi qui sunt in exitibus viarum, mortem suam jugiter prospiciunt; & qui se credunt quotidie morituros, certè tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur. Quicunque enim mortis suæ efficaciter recordantur,* student esse patientes, continentes, obedientes. Hoc sensu S. Augustinus illa regij Davidis verba intellexit: *Si habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Mare præsens est vita, si habitavero in extremis maris, id est in extremo vitæ, per cogitationem, & considerationem, tunc certè Christus, qui dextera Dei manus est, per Evangelij sui viam, & semitas legis suæ deducet me. Audite ipsamet verba Augustini: *Volemus quousque finiatur mare, & illum finem præmeditemur. Non amemus mare, sed volemus in extrema maris.* Non dicit S. Propheta: si Apostolorũ audivero oracula, si miracula ipsorum videro, si fuero sufferentiæ ipsorum ingentiumque tormentorum testis, si perspectas habuero excelsas, atque heroicas ipsorum virtutes, tunc vestigia Christi insequar, suique Evangelij amplectar doctrinam. Ecquid ergo dicit? si habitavero in extremis maris, si novissimum vitæ meæ recogitavero quadrantem, si extremum dierum meorum, contemplatus fuero, si curavero, ne mortis meæ è mente evanescat memoria. *Non amemus mare, sed volemus in extrema maris.*

13. Plus ultra Rupertus Abbas progreditur, cum dicit, mortem, non tantum Patriarchæ alicuius, aut unius Prophetæ, vel alicuius Apostoli, esse posse vices gerentem, sed ipsiusmet quoque locumtenentem Dei. Deus quondam ex terra Chaldæorum, Idololatriæ contagio contaminata, Abraham vocaverat, eundemque ipsusmet in vera Religione instruxerat, ipsique tot repetitis apparens vicibus, divinis ipsum verbis suis, altissimoque Magisterio, vivum quoddã, omnium virtutum & perfectionis, reddiderat exemplum. Accidit autem, ut veneranda

randa consors eius moreretur, quam ipse domi suæ propriæ, in spelunca duplici, ab Ebrone, qui illius antea erat Dominus, comparata, sepelivit; atque ab hoc deinceps tempore, Deus servo suo nunquam amplius apparuit. *Notandum quod Deus*, inquit Rupertus, *ulterius Abrahæ apparuisse non dicitur.* Ecquid autem novi est istud? Ergone fidelissimum servum suum dereliquit fortasse? Forte fastidire cœpit illum, qui amore eius patriam suam dereliquerat? Qui manib⁹ suis, in unigeniti filij sui sanguinem, involare promptus erat? Qui ob raram virtutum, & sanctitatem suam, meruerat esse origo domus venturi Messiæ? Non profectò. Sed eccur igitur, subitaneum istud admisit divortium? *An quia tam impensa cura & sollicita cogitatio de sepulchro & morte, vices gessit divinæ protectionis?* inquit ingeniosus aliquis interpres. *Ac si mortis memoria, substituerit vicarias vices Dei, crebro illi apparentis. Ipse casus pro Doctore fuit.* Mortua consors, mea in domo Abrahæ locumtenens erit, inquit Deus. Hæc in cineres abeuntia ossa, ipsum id edocebunt, quod docebam ego: Non minus Magistra mors, Abrahæ utilis erit, ac fuerim ego, qui vera ac æterna sum vita. *Ipse casus pro Doctore fuit.* Tres mortuos Christus resuscitavit, filium videlicet viduæ, atque hunc reddidit matri suæ, absque eo, quod eidem aliud quippiam diceret: *Dedit illum matri suæ.* Filiam Archisynagogi, quam, curando ut eidem daretur nonnihil ad manducandum, reliquit in pace, *& jussit illi dare manducare*: Denique Lazarum, quem pariter nihil eidem dicendo sol-

Didacus Gelada in Judith.

vi fecit, atque in domum suam abire jussit, *solvite eum, & sinite abire.* Non sic cum aliis egit infirmis, quibus salutem corporis restituit; Illi quondam triginta octo annorum Paralytico, dixit: *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*: Leprosis; *Ite, & ostendite vos Sacerdotibus*: Centurioni, infirmum domi servum habenti: *Non inveni tantum fidem in Israel, vade, & sicut credidisti, fiat tibi*: Cœco nato: *Credis in filium Dei?* Et sic de aliis discurrere licet. Quid est, inquit Augustinus, quod nullum mortuis resuscitatis, dederit documentum, & tamen tot postea aliis infirmis documenta subministrarit? *Quia pro Domino loquebatur mortis affectus.* Mortis memoria, vice illius loquebatur, qui Dominus est vitæ. Alio illis Magistro opus non erat, qui docebantur à morte. Ecce ergo, qua ratione verum sit id, quod dicebamus, videlicet *Ponet in corde suo verba mortis, & si est in illo aliquid mali, dimittet illud.*

14. Meritò igitur S. Propheta dixit, quod cinere haud aliter, quàm pane pasceretur. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Quando re aliqua frequenter utimur, tanquam admodum necessaria, proverbialiter dicere solemus; Re tali haud minus, quàm pane indigeo: Ita quoque David, mortis memoriam, adeò sibi judicabat necessariam, sicut quotidianum panis usum, quo in communi vita semper utimur: *Cinerem, tanquam panem, manducabam, id est, memoriam infirmitatis, & conditionis meæ*, dicit Balduinus, *qua memini me pulverem, & cinerem esse, panis mihi est, refectio mea est.* Et sicuti

pane vita sustentatur corporis, sic mortis memoriâ continuatur, imò acquiritur, vita gratiæ spiritualis. *Anima per mortem, à morte resurgit.* Et nisi id verum esset, qua ratione verum esset, quod Job nequaquam dubitavit dicere: *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus?* Alium ego sive patrem, sive matrem, non recognosco quàm putredinem, & vermes sepulchri, hi enim largiuntur mihi, mihique conservant vitam spiritualem. Hoc sensu S. Hieron. prædictum Jobi locum interpretatus est, dicens: *Quemadmodum quispiam mortalium, sine parentibus non potest existere, ita & ego factus sum, quasi sine putredine & vermibus esse non possim.* Parentes sunt, qui dant esse homini; ego autem esse meum spirituale, à Putredine accepi, & vermibus; hi ergo parentes mei sint necesse est. Feretrum fuit loco cunarum nativitatis meæ, tuncque esse incæpi, quando non esse meum consideravi. Tunc verè vixi, quando me non vivere consideravi; & quando corporis mortem in corde habuero vitam quoque animæ rehabebo, quia *Anima per mortem à morte resurgit.*

Job. 17. v. 14.

15. Adjuro te ô Christiane, per Deum vivum, ut hoc humanæ infirmitatis speculum, mentis ob oculos statuas, in quo videas id, quod fuisti, id quod es, denique id quod eris. Eris nihil, modicus es pulvis; & succus eris vermium. Principia tua abjecta sunt, progressus humiles, finis denique probrosus & inhonoratus. Quid facies igitur? Quid cogitas? Quid prætendis? Si morimur, quomodo peccamus? Si corporis hui⁹ ruinosa fabrica corruit, cur adeò illi adblandiris? Si putrefiunt hæc membra nostra, cur ex illis iniquitatis conficimus instrumenta? Si collabascit languens hæc pulchritudo, cur igitur à nobis adoratur? Si perduntur hæ delitiæ, cur tanti æstimantur? Si hæc vita finitur, cur illam non inquirimus vitam, quæ nunquam finitur? Ergone adhuc superbiæ & fastui locus super erit, in tantæ abjectionis medio? Ergone ad cœlum levari poterunt oculi, in tantæ confusionis barathro? Audebisne una cum Deo, conjungere creaturam, adeò vilem, imò nihilum? Ehem ne dormias obsecro, ubi vigilantia adeò est necessaria: Ne illud negligas negotium, quod tanta dignum est cura. Atque si vita gratiæ adeò pulchra est, & gratiosa, ut omnem superet dicendi magnificentiam, omnemque cogitatus sublimitatem, maius adhuc in nobis illius acquirendæ insit desiderium. Et si eadem vita mortis acquiritur memoria, mortem semper cogitemus; ut in pacifica vitæ possessione conservari semper valeamus.

Psalm. 1.6.

PARS SECUNDA.

16. Transeamus nunc à vita Gratiæ, ad gloriæ vitam, quæ est vita æterna, quæ ab iis solum quæritur, desideratur, ac tandem quoque obtinetur ab iis, qui continuò mortem considerant. Sicut è contra ab amatoribus vitæ præsentis, oblivioni traditur vita æterna. Abeamus non nihil, ut Davidem inveniamus, qui coram Deo pulchram perorabat orationem, quæ in Psal.

Punctum Secundum.

A. Ps.

Psalm. 38. v. 6. Psal. 38. registrata cernitur: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea, tanquam nihilum ante te. Veruntamen, universa, vanitas, omnis homo vivens: thesaurizat & ignorat, cui congregabit ea.* Mensurabiles ô Domine, atque modicissimis terminatos confinibus, fecisti dies meos, quippe, qui unico in momento transeunt. Esse meum, in conspectu tuo, velut nihilum est, nostraque hæc humana vita, omnis vanitatis est plena. Unde optimè adverto, quàm ingens sit illorum stultitia, qui intra angustos adeò consistentes terminos, accumulandis semper invigilant thesauris, cum quis eorum futurus sit possessor, ignorent. Sed qualem ex præmissis prædictis sanctus Propheta facit consequentiam? *Et nunc, quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Esse mei consideravi fragilitatem, dierum meorum brevitatem, vanitatem vitæ meæ, cursus mei velocitatem, thesaurorum meorum inconstantiam, omnis boni mei fugam. Et ideò ad vitam illam inquirendam convertar, quæ nunquam emoritur, dies illos, qui nunquam transeunt, bona illa quæ semper durant. *Transilivi quædam, & veni ad quædam*, inquit S. Augustinus, *& ea, ad quæ veni, meliora sunt eis, à quibus transilivi.* Hæc fragilitas mea, hoc tam inconstans esse, hæc vita adeò fugitiva, violenter quasi coegit me, ad dies illos transire æternos, ad permanentes illos thesauros, qui non moriuntur in æternũ: *Transilivi quædam, & veni ad quædam.* En id, quod in principio cum Augustino dicebamus: *Tantam fidei nostræ Deus præbuit gratiam, ut mors, quam vita constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod perveniretur ad vitam.*

Punctum Secundum.

Aug. in Psal. 38.

17. Dicit Scriptura divina, Filios Israel, ex Ægypto, ad terram promissionis egressos esse armatos: *Armati ascenderunt filij Israel, de terra Ægypti.* Erantque profectò necessaria arma, pro tot bellis, quibus cum feris ac truculentis illis nationibus, confligendum erat. Veruntamen, ubinam Hebræi, qui in Ægypto veluti mancipia serviebant, ibidem arma acceperunt? ubinã ferrum illud repererunt, quod tantæ gentium multitudini armandæ sufficiat? Qua ratione Pharao, Zelotypia plenus, permisit, ut ij sese obarmarent, à quibus tantopere sibi timebat? Theodoretus & Nicolaus de Lyra respondent, armaturas illas populum Dei accepisse, ex cadaveribus Ægyptiorum illorum, qui in mari rubro submersi ab undarum fluctibus, una cum armis, quibus induti erant, ad littus fuerant projecti: *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, ut haberent arma eorum*, inquit Lyranus, *ad defendendum se contra hostes.* Et Theodoretus clarius hunc locum interpretatur dicens: *Cum Ægyptij demersi essent, eorum corpora, una cum armis in littus depulsa, quæ illi spoliantes, ad bellicos usus sumpserunt*, adeò, ut sicut videtis, cum armis à mortuis acceptis, in terram se receperunt promissionis. ô quàm verum est, mortuos subministrare arma, ad parandam inter tot nobiscum confligentes inimicos viam, qua pervenitur, ad fœlicissimam illam viventium terram, & ad varios repellendum insultus, qui ad impediendam possessionem beati illius climatis in quo

Exod. 13. v. 18.

Exod. 14. v. 31.

Theod. Q. 34.

quo torrentes lacte & melle immortalium delitiarum manantes, occurrunt. Tumuli, Cenotaphia, & Cæmiteria, vera sunt armamentaria, è quibus fideles, exercitus Christi milites, muniuntur, ferroq; & chalybe providentur: sepulchra, officinæ sunt in quibus inhonestarum cogitationum, mille temperantur frameæ & jacula. Feretra mortuorum, potentissimæ sunt machinæ, quibus omnia illa, à carne & sanguine contra nos ipsos erecta propugnacula solo adæquantur, & dejiciuntur; sunt nigræ, atræque militares tesseræ, ac nostri exercitus vexilla, quibus in cœlum concedentes, cunctos deterremus inimicos infernales, qui id invident nobis.

Psalm. 48. 17. 18. Ad hoc cœleste armamentarium, perducit fortunatus ille Athleta, qui dicebat: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.* Vides nonnunquam hominem, in hac terra prosperum, bonorum huius sæculi abundantem, honoratum in Patria, amicis clarum, nobilem progenie, complexione sanum, fortunatū in uxore, in filiis fœlicem, remotum atque omninò à periculis alienum, denique fortunæ absolutum veluti Dominum. Eheu quot ad conspectum talis hominis, admirabundi, stuporeque pleni consistunt! Quot sunt, qui bonorum obliviscuntur Paradisi, ob miserabilem illam terræ huius fœlicitatem? Quot sunt, qui veræ sempiternæque vitæ oculos claudunt? Jam ergo David dicit: En ostendo tibi in isto conflictu, stratagema quoddam, tam concinnè conceptum, ut dubium esse nequeat ullū, quin eo utēs victor sis evasur⁹: *Ne timueris, cū dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.* Sed qua ratione nō movebitur, imò non cōmovebitur q̄s, inter bona adeò pulchra, blāda, grata & accepta? *Quia cū interierit, non sumet omnia. Quare ne timueris?* inquit Augustinus, *quia cum interierit, non accipiet omnia. Vides viventem, cogita morientem.* ô fortissima & inexpugnabilis defensio, adversus mundum, & bona mundana, quæ ab æternis Paradisi bonis distrahunt! *Vides viventem, cogita morientem.* Finitur fœlicitas, transeunt gloriæ, terminantur lætitiæ, voluptates fugiunt, flaccescit seu elanguescit pulchritudo: thesauri deficiunt, fabricæ in ruinam præcipites fiunt, sepeliuntur memoriæ, vires debilitātur, evanescit fama, omnia deniq; emoriuntur. *Vides viventem, cogita morientem.* Regem vides in sublimi throno elevatū? Vide eundem in vili quondam feretro humiliatum. Vides Capitaneū in campo triumphantem? respice eundem in mortuorum incumbentem ferculo detriumphatum, vides prædives eius in Palatio famulitium? Vide eundem in monumento mortis servitorem. Vides de sua pulchritudine valde superbientem seque aliis præferentem mulierem? Vide eandem mox prorsus fastidiosam factam, saccum videlicet stercorum, & vermium pabulum. Vides in cathedra virum doctum & literatum qui mundi huius quoddam sit veluti, oraculum? Vide eundem in sepulchro quodam putrido & ruinoso, veluti ipsissimam mundi miseriam. *Vides viventem, cogita morientem,* Tuncque intermit-

Aug. in Psal. 91.

Can. c. 13.

termittere nequibis, quin ab instabili isthac, ærumnarumque plena mundi habitatione velut exturbatus, ad alteram te recipias, quæ permanens gaudiorumque sit plenissima dicasque: *Et nunc, quæ est expectatio mea? Nonne Dominus?*

Aug. in Psal. 38. 19. O quam nova atque insolita fuit illa commendatio, qua Salomon Christi Domini laudavit labia dicens: Cant. 5. v. 13. *Labia eius sicut lilia distillantia myrrham primam!* Quanta est lilium inter myrrhamque differentia? Lilium spei est Hieroglyphicum; myrrha verò immortalitatis symbolum, lilium sol quidam est florum omnium; Myrrha sepulchrorum condimentum. Lilium quidam est verni temporis veluti risus.; myrrha verò arborum planctus: lilium candidissima vestitum est bysso, myrrha verò atrum præsefert melancholicumque colorem: Lilium quædam est divinæ providentiæ pictura, Myrrha verò corruptionis humanæ figura: Lilium totaliter lætitiam refert, myrrha nil nisi amaritudinem; Lilium est imago vitæ, myrrha mortis repræsentatio. Et tamen dico illa tam diversa simul & unitim in labijs Christi conjunguntur, lilium & myrrha: *Labia eius sicut lilia stillantia myrrham primam.* At verò in promptu est responsio; videlicet Christus frequenter Regnum cœlorum in ore suo habebat; verum & terræ exilium pariter sæpè ore suo ingeminabat; Thesaurorum Paradisi frequens à Christo fiebat mentio, sed nec infrequentior sepulchrorum pulveris; Immortalitatem prædicabat, sed prædicabat pariter & mortem; spei lilio alliciebat, sed terrebat quoque rigore pœnitentiæ; desideriorum nostrorum offerebat finem, nempe beatitudinem, sed & eundem finem acquirendi proferebat medium, scilicet mortificationem, ex mortis memoria in nobis causatam. Hic est conceptus Angelicus quia non meus, sed Aquinatis Angeli S. Thomæ: D. Thom in Cantica. *Per labia sponsi Verba Domini* JESV *accipiuntur quæ lilijs comparantur, quia candoris æterni præmia nuntiant: distillant myrrham primam, quia per carnis mortificationem ad hæc perveniendum docent.* Adeoque cœlum cogitabis, si terram contemplatus fueris; gloriam inquires æternam, si temporalem meditatus fueris miseriam; Lilia placebunt tibi, si myrrham ob oculos habueris. Idipsum hoc modo intelligebat Rex sanctus, quando Deo hanc proponebat supplicam: Psalm. 38. v. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est.* q.d. Hunc ô Domine mihi favorem concedito, ut finem meum in corde semper habeam repositum, & modicum dierum meorum numerum in mente. Sed cur ô sancte Propheta, finem tuum, dierum tuorum numerum men:i tuæ impressum habere cupis? *Vt sciam quid desit mihi:* Temporalium dierum istorum numerum scire desidero; ut sciam numerum sine numero dierum æternorum: Cupio istius sæculi intelligere brevitatē, ut sæculi futuri æternitatem cognoscere queam: huius vitæ meæ temporalis brevitatem penetrare intendo, ut veritatis vitæ æternæ capiar amore; Myrrham volo ut lilia assequar. Sic locum istum interpretatur os illud

Chrysost. in Psal. 38. Joannis Chrysostomi aureum: *Numerum dierum suorum sibi orat significari, non ut peteret eis aliquid addi, sed ut sciret quid deesset sibi.*

20. Estque res hæc eiusmodi, quod ut certa sit, & indubitata, probatione non egeat, videlicet; quod amor dierum temporalium, affectionem auferat dierum æternorum, atque rerum terrenarum affectio, à corde affectum tollat rerum cœlestium. Eheu quot in via Dei inveniuntur tepidi! Quot sunt, qui in via mandatorum Dei, non tantum non currunt, sed nec moventur quidem! Quot in negotio propriæ salutis, negotio videlicet, maximi inter cuncta mundi negotia ponderis, desides vivunt & otiosi! Unde meritò David à Deo petebat, ut se in via sua vividum redderet: *In via tua vivifica me.* Sed quid significat hoc, esse vivificatum in via Domini? Sunt nonnulli, qui versus cœlum vivaciter ambulant: alij verò, qui sine vivacitate, & cum tepore eo contendunt; illi cum fervore, hi cum ignavia: Illi velociter currunt, hi vix se movent. Dicit ergo Propheta; concede mihi, ô Domine, ut ego cum vivacitate ac fervore, viam tuam perambulem. Verum, quodnam erit, ad vivaciter, & cum vigore, & spiritus alacritate ambulandum, medium? Ecce dixerat idipsum Propheta *Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.* q.d. Hosce mihi, ô Domine, custodias & cooperias oculos, ne à mundanis distracti sint vanitatibus, quæ à te me distrahunt, meque lentè ac tepidè in cœlum progredi faciunt. Peregrinus aliquis in itinere actuali constitutus, in nonnullas in via novitates incidens, periculum incurrit, se sistendi millies, sive ad pratum aliquod jucundè floridum, sive ad crystallinum aliquem fontem, sive ad nemus frondosum, aut ad superbum ædificium, sive ad refertum fructibus pomarium, &c. Ita nos quoque qui peregrini sumus, frequenter in via, quæ cœlum versus tendit, sistimur, à voluptatum amœnitate; à lumine gloriæ & honorum; ab auri fulgore & pulchritudine; ab humanarum laudum grata Musica; à ciborum suavitate; à creaturarum pulchritudine abrepti. Remedium ergo erit, ut Deus oculos cooperiat, neque videri sinat, quod iter impedit, atque retardat; atque ideò *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Floridus quidam exercitus, apud Xenophontem, per horrida Scythiæ deserta ducebatur, eo præcipuè tempore, quo nives copiosæ omnia contexerant; ne tamen in extremo illo nivis candore, milites visum deperderent, ideoque tardius, tepidiusvè castrametarētur, prudentissimus eorundē Capitaneus, de quodam pulli coloris velo, illis providit, quo obvelatis unicuique oculis, ad designatam sibi operam, animosè profecti sunt. Nix, huius sæculi prosperitatem significat, quæ bellatores Domini, sæpe moratur, ac sistit, ne in regno cœlorū acquirēdo, progrediantur animosius. Quidnam hic ergo erit remedij? *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Oculos tu meos atro consideratæ mortis velo, obtegas, quo mediante, ego omnia fusca, pulla, atra, tristia, id est, corruptioni subjecta, conspiciam, quæ mun-

Psal. 118. v. 37.

Xenoph. in Pedia Cyri.

mundus mihi candida, hoc est, prospera repræsentat, & fœlicia. *Averte oculos meos.* Oculos ô Domine, sepulchri nigredine mihi contegas, ne vanitates hasce adeò despicabiles, alicuius appretier, ne me mundi huius impediant recreationes, & gaudia, delitiæ carnis, honorumque vanitates, quo minus expeditè, atque vivaciter cœlum versùs progrediar!

21. Utebatur hoc remedio, Prælatus quidam magnus Episcopus nimirum Bizantinus qui inter multas, quas in Ecclesia sua erexerat Fabricas Capellarum, Hospitalium, Monasteriorum aliorumq; piorum locorum, sepulchrum quoque suum pariter ædificaverat, unde magnopere à Cardinali Petro Damiani hisce verbis dilaudabatur: *Illud a. fateor, mihi præ omnibus placuit, quia sepulchrum tuum mihi tunc ostendisti, à te velut hodie suscipiendum, accuratißimè præparatum.* Epist. 50. Redditque sanctus Cardinalis rationem, cur inter cætera spectabilia, prudentis Prælati illius, ædificia, illus præcipuè placuisset sepultura: *Placuitque mihi sepultura tua, quam tibi velut memoriæ signum, ante oculos posuisti, ut dum illa conspicitur, malè florentis huius vitæ tibi vigor arescat, ac de futuris cogitare, mens in se collecta solerter incipiat.* Præ cæteris fabricis, tuum mihi placuit sepulchrum, quod oculis tuis objectum, recentem sæculi istius virorem disparere, atque exarescere faciet, neque impedimento erit, quo minus magnis ad Deum passibus progredi possis, neque opus habiturus Deo continuò dicere: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

22. Postremò ergo, omnes prudens illud Augustini auscultent monitum, qui nostras nobis ob oculos statuit miserias, ut easdem attentè videntes, nostras deplangamus calamitates, hocque fastidientes exilium, Patriam requiramus: *Attendamus, & perpendamus, unde cecidimus, & ubi jacemus; & perdidimus, & quid invenimus. Ut ex utroque intelligamus, quantum nobis in hoc exilio lugendum sit.* Lib. 1. de Spiritu & cit. c. 45. Consideremus, unde ceciderimus, & ubi jaceamus; quid perdiderimus, quid item repererimus. Perdiderimus integritatem, corruptionique subjecti simus, ceciderimus à Justitia, jaceamusque in peccato, deseruerimus immortalitatem, & mortem incurrerimus. Cur nobis cum terra ista semper esse volumus negotia, videntes, illam corruptioni & morti esse obnoxiam? Cur intentionem nostram, & cor nostrum ad cœlum non convertimus, prouti Hebræi in civitate Babyloniæ, ubi mancipia fuerunt, faciebant? *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cum recordaremur tui Syon. Flumina Babylonis,* dicit Augustinus, *sunt omnia quæ hic amantur & transeunt.* Ibi incolæ Syon & mundi huius peregrini, dicunt: *O sancta Syon, ubi totum stat, & nihil fluit! Quis nos in ista præcipitavit? Quare dimisimus cōditionem tuam, & societatem tuam? Ecce inter labentia & fluentia constituti, vix quisquam raptus à flumine si tenere lignum potuerat, evadet. Sed eamus super flumina Babylonis, non intra flumina Babylonis.* Plangamus nunc, ô dilectissimi, quando stabilitatem Syon videmus, & Babylonię mutabilitatem;

Ibi omnia durabilia, hic defectuosa sunt universa; ibi in regno imortalitatis, hic in mortis Dominio. *Inde oportet, ut fleas, recordando Syon. Multi enim flent fletu Babylonico, & gaudent gaudio Babylonis, quia gaudent lucris, & flent damnis: utrumque de Babylonia est. Flere debes sed recordando Syon. O pax illa, quàm videbimus apud Deum! ô pax illa, & sancta aqualitas Angelorum! ô illa visio & spectaculum pulchrum!* ô chara & amata mansio! ô gloriosa Patria! In te sola veri permanentesque reperiuntur thesauri, apud nos omnia transitoria sunt atque fallacia. Apud nos ad modum velocissimi fulguris, pertranseunt omnia, tu verò semper es stabilis. Nostri dies ex brevissimis contexti sunt periodis, tu verò æternus es. Vitæ nostræ, mortis falce irremissibiliter sunt recidendæ, tu verò immortalis es. Nostra bona, furibus subjiciuntur, qui illa rapiunt; tempori, quod deteriora illa efficit; corruptioni, quæ destruit illa: tu verò secura es semper. Ver nostrum, mille nimbi obfuscant, mille turbines desolantur, hortos nostros, serenum nostrum mille nubes intercludunt, deprædantur flores nostros mille tempestatum procellæ, mille ardores virorem nostrum exsiccant, tu semper illibata & intacta, tu semper florida, ridens, & jucunda. *O sancta Syon, ubi totum stat, & nihil fluit.* Valde egregius magnusque est, ô Christiane, iste conceptus. In hac vita nostra magnalia transeunt, evanescunt honores, gloria moritur, fugiunt thesauri, delitiæ deficiunt, intercidunt subsidia, ætates evolant, pereunt provinciæ, atque in paucis periodis habitatores pariter & nomen perduntur. Obliviscantur ergo omnes, confusæ istius Babyloniæ solumque cœlestis Syonis memores simus, dicamusque continuò. *O sancta Syon, ubi totum stat, & nihil fluit!*

CON-



CONCIO XXVII.

In Feriam VI. post Dominic. IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania,
Ioan. 11. v. 1.

ARGUMENTUM.

Circa tria prodigia, quæ in hodierni Evangelij reperiuntur historia, præcipuè discurritur; suntque Amans, qui odit; Mortuus, qui vivit; denique hilaris, & jucundus, qui plangit.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Recapitulatio eorum quæ in Evangelio hodierno continentur. *num.* 1

Synopsis concionis. *ibid.*

Qui amatur à Deo omnia possidet bona. Loci Canticor. Ipse est amicus meus; *pulcherrima Paraphrasis.* *num.* 2.

Summarium encomiorum Samuelis *est, quod dicatur.* Dilectus à Domino Deo suo. *Ecclesiast. locus.* *ibid.*

Qui amatur est Dominus & patronus amantis. *ibid.*

Amoris & correctionis nexus. Multa sacra loca huc flexa. *num.* 3. Punctum Primum.

Ioseph abscondit scyphum aureum in sacco Beniamini, ut eum maiori honore afficiat. *num.* 4.

Plagæ Pharaonem instruunt; ante verbera Dominum nescit: verberatus Dominum rogat, *acutè* Origenes. *ibid.*

Sapientia jugulat filios suos, *juxta septuag.* Sapientia vitã filiis suis inspirat; *sic habet vulgata. Mortis & vitæ nexus. ibid.*

O bonam matrem, quæ idcirco occidit, ne moriatur, quem occidit! *gravis & acuta Tertulliani exclamatio. nu.5.*

Lucta Iacob nocturna cũ Angelo à Guerrico Abbate *denodata, & ab* Augustino *illustrata. num.6.*

Punctum Secundũ. *Lazarus erat mortuus vivens. num.7.*

Lazarus & filia Archisynagogi, erant mortui hominibus, sed Domino tantũ dormiebant. num.8.

Locus Davidis: Pro nihilo salvos facies, *explicatus. ibid.*

Alexandro interroganti, quî fieri posset, ut homo pro Deo haberetur, prudenter à sapientibus responsum; si ea fecerit, quæ fieri non potest, ut homo faciat. *num.9.*

Mors justorum dulcis somnus est, grata quies. num.10.

David expensus: Non videbit interitũ cum viderit Sapientes morientes. *Paradoxum à. SS. August. & Gregorio mirabiliter explanatum. ibid.*

Mors servorum Dei, non est vera mors, sed quasi mors. Exempla Gorgoniæ, Marcellæ & Nepotiani, *qui moriendo canebant. num.11.*

Intelligeres eum non emori, sed emigrare, & mutare amicos, non relinquere, ait Hieron. *ibid.*

Expergiscimini qui habitatis in cinere. *Isaiæ locus.* Ergo mors, non mors sed somnus. *Hieron. conclusio. num.12.*

Ecclesia mortem justorum vocat natalem. O quã bene moritur, qui moriendo oritur! *Petri Damiani exclamatio. ibid.*

Mors vocatur somnus, propter quietem, quæ eam consequitur. Sapiens adductus. *num.13.*

Vita est peregrinatio periculosa, & exiliũ; mors autem eius terminus, finis miseriarum, laborum meta, &c. Blesensis. *ibid.*

Vita est cõflictus, detruncatio, crudelitas: mors sola remediũ. Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? *Augustini effatum. ibid.*

Ergo vitæ brevitas, miseris est remedium, *concludit Blesensis. ibid.*

Lazarus & omnes justi, licet mortui, dormiunt, quia promissa illis resurrectio, & consolatio. Pauli oraculum. *num.14.*

Multi gentilium funera sua celebrabant, cum jocis & convivijs: hæc in sugillationẽ nostri dicta sint, si non præstat fides, quod exhibuit infidelitas Hieron. effatum. *num.15.*

Patientiæ speculũ oculis nostris exhibitũ, ut in eo inspiciantur contemptus mortis, & spes resurrectionis. ibid.

Mors Lazari diversimodè considerata, causat in Christo diversos affectus, nimirum gaudij & mœroris. num.16. Punctum Tertium

Summa Dei miseratio, si enim gaudet, hoc facit propter nos: si tristatur, eodem motivo ducitur. Appensus Jeremias. *nu.17.*

Creato homine requiescit Deus. nu.18.

Verba Christi: Hæc locut⁹ sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit. *à SS. Augustino & Laurentio Iustiniano explicata ibid.*

De drachmæ perditæ inventione, Angeli ad congratulandum invitati, non drachmæ vel homini, sed ipsi Deo, quasi homo, Dei Deus esset, & quasi sine ipso beatus esse non posset. S. Thomæ angelica Cõceptio. *ib.*

Consolantẽ me quæ sivi & nõ inveni, *ait Dominus, id est, bene operantẽ per pœnitentiam.* ut explicat Rupertus *num.19.*

Nihil est quod ita Deum lætificat, ac conversio nostra. ibid.

Plangit Christus ob proximorũ amorem & propter amorem Dei, & ex zelo honoris paterni. num.20.

Ad hæc verba Psalmi: Rugiebam à gemitu cordis mei; *duplicẽ esse gemitum,*

carnis scil. & cordis asserit Augustin. *ibid.*

Malæ lachrymæ. Multi gemunt, gemo & ego, & hoc gemo, quia malè gemũt. *ait Augustinus. num. 21.*

Eodẽ sensu accipiendus Psalmi locus: Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit. *num. 22.*

Quid miserius misero nõ miserante se, & flente Didonis mortem? *Augustini confessio. ibid.*

Dominus plangit, & quare? Lachrymæ David. à tãto viro plus culpa, q̃ ærumna defletur. Ambrosiana sententia. *nu. 23.*

Eliciebat lachrymas ab oculis Ieremiæ, separatio populi à Deo. ibid.

Grande quid est peccatum, quod ab oculis filij Dei lachrymas elicit. num. 24.

Super hoc plangam & ululabo, *de Christo intellecta. ibid,*

Peccatum venenum amarißimum, quod Dei cor vulneravit. num. 25.

Verba Pauli: Nolite cõtristare spiritũ sanctum *à. SS. Patribus explicata. ibid.*

Lachrymatus est JESVS, *quasi diceret, miserere animæ tuæ. Vide pietatem erga te Domini nostri, &c. num. 25.*

Utinã ad hoc monumentũ meum digeneris accedere Domine JESV! Si illachrymaveris pro me, salvus ero. *Exclamatio, & desideriũ fervẽs* S. Ambr. *n. 26.*

1. ACcidit mihi hodie, quod stellas Firmamẽti, sereno cœlo, cõtẽplantib⁹ evenire solet, qui in tanta cœlestiũ luminũ multitudine, nesciunt, in quodnã eorum, obtutum suum determinatè figere debeant: aut ꝙ evenit, pspicientib⁹ delitiosi horti alicuius divitias, ubi mille ridentes flores, ambiguũ atq; perplexũ, & cui præcisè intendat, nescium oculum, dulci quadam ad se violentia trahunt: aut ꝙ cõtingit, regiæ cuidam, valdeq; sumptuosæ mensæ accumbentibus, in qua paratorum ferculorum pretium, famẽ suspendit convivarum, utpote nescientibus ex illis eligere ibi, ꝙ melius est, ubi quicquid est, optimum est. Simili enim modo inter tot, tamq; rara hodierni Evangelij mysteria, cœlesti Joannis Evangelistæ calamo ad vivũ depicta, nequeo faciliter resolvere, in quodnam illorum, oculorũ obtutus figendus mihi sit, aut quodnam, discursui præsenti, eligendum sit argumentũ. Nihil est in Evangelio præsẽti, ꝙ extraordinaria quadam admiratione dignum nõ sit: sororũ Lazari legatio; Domini responsio; promptitudo discipulorum; languentium infirmitas; Salvatoris lachrymæ; Marthæ fides; fervor Magdalenæ; Christi potentia; stupor & admiratio Hebræorum; defuncti obedientia; circumstantium conversio. Verũ enimvero, ne ordinaria dictionis nostræ excedamus confinia, operæ pretium erit, ut inter mirabilia, atq; stupenda, discursus huius limitemus materiam. Vellẽ igitur, si tamen & vobis ita quoq; arrideat, ut in copioso hoc & abundanti subjecto, tria quædam præcipua seligeremus prodigia, quæ inter cætera, quàm maximè elucent; Eruntq; sequentia, videlicet: Amans quidam, qui odit; Secundo, mortuus, qui vivit. Tertio, hilaris, atq; jucundus, qui plangit.

2. Amans ille qui odit, est Christus Dominus, summum bonum nostrum: *Diligebat autẽ* JESVS *Marthã, & Mariam sororem eius, & Lazarum*, inquit Evangelista; *Ecce quem amas, infirmatur. dicunt pientißimæ sorores: Lazarus amicus noster dormit,* Primum Punctum,

dormit, dicit Christus ipsemet: *Ecce quomodo amabat eum*, dicunt turbę. Etenim persuadere mihi nequeo, aliquid in nobili illa Lazari domo, maiori dignum esse invidia, q̃ ꝙ illa Redemptoris nostri amore digna extiterit. Glorientur equidē huiusce sæculi familiæ, de ea, quæ à maioribus in ipsos derivata est, nobilitate, de factis militaribus, de triumphis & victoriis, de antiquis opib⁹, de titulis honoratis, de gloriosis muneribus, sive officiorum functionibus; Familia tamē Lazari, nullius prærogativæ alterius rationē, quicquam æstimat, omniaq; velut evanescunt, in cōparatione amicitiæ Salvatoris. Enimverò me quod attinet, perderem utiq;, quicquid amittere quis posset, sive in vita præsenti, sive in futura, ut solius amoris Christi mihi lucrū compararē. Cum hoc lucro, beatum me reputarē, nec superesset ex omnibus divinæ munificentiæ bonis, ꝙ desiderari insuper posse judicarē. Hunc unicum mihi cōcedito thesaurum, libensq; renuntiabo omnibus, quæ in terra, & quæ in cœlis reperiuntur, quæ homines, aut quæ angeli possident, quicquid sive ipsemet Creator, sive creaturæ dare possent. Id ꝓbè Ecclesia Domini, sacratissima Dei sponsa intelligebat, quando in sacris Canticis, cœlestis sponsi sui excellētissimas prærogativas sigillatim recēsens, atq; collaudās, omnia tandē hisce verbis concludit: *Et ipse est amicus meus*. Hęc est fœlicissima sors mea, atque unica beatitudo, ꝙ sponsus aliquis adeò amabilis, adeò gloriosus Rex, Dominus tam potens, amicus meus sit. Amantissimus hic, longeq; charissimus Dominus. Dona quidem mihi dedit cœli & terræ, Creaturarum visibilium & invisibilium, corporis & spiritus, præsentium & futurorum; ego verò, nihil ꝓfectò tanti æstimo, inter omnia, q̃ ꝙ ipse sit amantissimus amicus meus: *Et ipse est amicus meus*. Gratiæ, quas mihi semper fecit, sunt raræ, ea quæ in me contulit beneficia, innumera sunt; Quę modicis laboribus meis præparata habet præmia, sunt inenarrabilia; verum omnia isthæc nihil facio, in comparatione amoris sui, quo me dignatus est dignā reddere. *Et ipse est amic⁹ meus*. Placent equidē mihi, gratiosissimi sponsi huius oculi, id est, ꝓvidentia specialis, quam de rebus omnibus habet creatis. Placent mihi os, ac labia gratiarū plenissima, quibus verba vitæ æternę pronuntiat. Placet mihi eius Cæsaries, atq; venerādi capitis sui capilli, qui sunt infinitæ sapientiæ suæ altæ cogitationes, & considerationes ꝓfundæ. Placent manus, quibus nunquam alias in mūdo visa operatur miracula; nec nō & pedes, qui sunt synceri ei⁹ affect⁹, & gressus purissimi cordis sui. In summa totus mihi placet, quia totus gratus est & desiderabilis: *Totus desiderabilis*. Inter hæc tamen omnia adeò placentia, nihil mihi adeò placet, quantū mihi amor suus placet. *Et ipse est amicus meus*. Porrò nunquid pias hasce sorores, Marthā & Magdalenam hodie audistis, dicentes Christo: *Ecce quem amas infirmatur?* Et quasi omnium aliorum essent oblitæ, illius duntaxat recordātur, ꝙ in domo sua peculiarissimum censent, quod est amor Domini: *Ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt veni*, inquit S. Augustinus, *amanti enim tantummodo nuntiādum fuit. Sufficit ut noveris, non enim amas & deseris*.

Cant. 5. v. 16.

Aug. in Joann. Tract. 49.

deseris. Sic quoq; Scriptura divina, magnum Samuelis Prophetæ dictura encomiũ, antequam diceret, quod Hebræorum renovasset imperiũ, seu Magistratũ, illum ab Aristocratia, in Monarchiã transferendo; quod Reges unxisset, & cõsecrasset; secundũ legẽ Dei, gubernasset populum, nõ verò secundũ mũdanam seu sæcularẽ politicam; fidelissimũ sese, veridicumque exhibens Domini Prophetam; debellatis Tyrijs, ac Philisthæis, honoratissimas reportasset victorias; horridas excitasset tẽpestates in cœlo; homines miraculosis terruisset tonitruis, fulminũq; sagittis; se omnis semper cupiditatis exhibuisset expertẽ, adeò ut ne unquam quidẽ, sive magnũ, sive parvũ, à quoquam acceperit; prophetasset post ipsam quoq; mortẽ, siquidẽ infœlici Sauli apparens, finem eidẽ miserabilẽ prædixit, quẽ simul cũ jactura Regni, filij, ipsius deniq; vitæ habiturus esset; priusquam, dico, sacra scriptura aliquod ex prædictis prodigijs, & mirabilibus à Samuele Propheta operatis, retulisset, toti populo hæc ferè verba proposuit: *Dilectus à Domino Deo suo, Samuel Propheta*. Quasi dicere vellet, haud difficile erit, quod aliquis miraculis, ab hoc magno Propheta operatis, fidem adhibeat, modo intellexerit, ipsum Deo sũmè dilectum fuisse: *Dilectus à Domino Deo suo*. Amor namq; fons, & origo est omnium bonorum, quæ in creaturam aliquam derivantur: atque cum amore Dei, pari passu procedet, Dei in hominem actualis, & per opera exhibita beneficentia: quod si amatus fueris, beneficiis pariter prævẽtus eris, nam ut dixit S. Gregorius: *Probatio dilectionis exhibitio est operis &c. nunquã est amor otiosus, operatur enim magna, si est. si vero operari renuit, amor non est*. Et S. Hieron. dicere non dubitavit, quod is, qui veraciter vehementerq; amatur, Dominus quoque est, ac Patronus voluntatis amantis: *Grandẽ vim obtinet vera dilectio, & qui perfectè amatur, totã sibi amantis vindicat voluntatem*.

Eccl. 46. v. 16.

Hom. in Evang.

Epist. ad Celantiam.

3. Quod cum certum sit, ac indubitatum, quomodo ergo Domus Lazari tantopere amata à Christo, hodie deseritur à Christo? *Ecce quem amas infirmatur*. Quis est amor ille qui otiosus est? Imò quis est ille amor, qui est pernitiosus? Quis est amans ille, non amans? Imò, quis est amans ille, qui odit? Si Christus amat Lazarum, cur illum veluti non amatum tractat? Si vult illi bene, cur ergo non bene facit eidẽ? Imò si illi vult bonum, cur permittit illi malum? An non familia ista, justè illis fortissimi Gedeonis verbis, conqueri potuit: *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Si Deus nobiscum est, quomodo nobiscum est eius indignatio? Si nobiscum est Deus, qua ratione nobiscũ non erit bona fortuna? Si Deus nobiscũ est, cur procul à nobis est eius beneficentia: sed puerorum profectò est iste discursus, qui de rebus in recto sensu judicare nequeunt. An non memor es eius, quod Christus in Apocalypsi dicebat: *Ego quos amo, arguo, atque castigo?* Bene ergo mutuo concordant, amor, & supplicium. An tibi excidit illud sapientis: *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio, complacet sibi?* Non minus ergo amicus est Deus, dum corripit, quam cum benefacit. An nescis, quid pius ille Tobias dixerit:

Judic. 6. v. 13.

Apocal. 3. v. 19.

Prov. 3. v. 12.

Tob.13. v.2. *Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum, quoniam tu flagellas, & salvas; deducis ad inferos, & reducis?* Pietas ergo, & misericordia, non rancor & odium, flagellari à Domino. An non aliquando ad illud sancti Regis
Psal. 118. v.71. reflexisti Canticum. *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam mandata tua.* Adversitas igitur beneficium est, non infortunium. Nunquid in scripturis hunc aliquando textum legisti: *In tri-*
Psal. 4. v. 2. *bulatione dilatasti mihi.* Cum ergo tribularis, amaris. Optimè ergo infirmitas nostra, Dei cum amore subsistit: *Ecce quem amas infirmatur.* Non minus se Deus amantissimum exhibet Patrem, corrigens, quàm blanditiis demulcens. Unde Rex sanctus, Deum æqualiter in omni eventu, in omni contingentia, in omni tempore atque
Psal. 33. v. 2. occasione laudare paratus erat: *Benedicam Dominum in omni tempore*, haud ignorans, dicit Augustinus, tam adversitatis tempus, quam aliud prosperitatis, in bonum accommodum filiorum suorum, nec non ad consecutionem Gloriæ Paradisi esse directum. *Gaudes?*
August. in Psal. 54. *Agnosce Patrem blandientem. Tribularis? Agnosce Patrem emendantem. Sive blandiatur, sive emendet, eum erudit, cui parat hæreditatem.*

4. Quàm erat gravis illa, pauperculorum fratrum Joseph afflictio, quando à quadam ministrorum, seu satellitum, lictorumque cincti caterva, omnes in regiam reducebantur captivi? Et quando Beniamin, in cuius sacco, scyphus aureus Regis inventus est, mancipium factus est carceris, omnesque confusione pleni, præsentati sũt Justitiæ, deq; turpiori & fœdiori, quod in mundo reperibile est, peccato convicti, quale erat illud, in tanti benefactoris domo, perpetratum furtum? Mentem, obsecro, Gregorij Papæ, hac super re auscultate: *Mittitur, ut reducantur addicti in servitutem: decernitur, apud quem Scyphus fuisset inventus. In sacco ultimi fratris invenitur. Tunc Beniamin reducitur, afflicti fratres sequuntur.* Hom. 21. in Ezech. O quam mœsti, capiteque in terram prono, infœlices isti juvenes ambulabant? Quam dolorosæ mentem illorum transadigebant cogitationes? Quam amaro animo, illa ipsis in faciem dicta, auscultarunt improperia? Et tamen, hoc totum, effectus quidam erat tenerrimi amoris Josephi, quo is amatum ad se Germanum attrahere studebat, quem à latere suo divelli, sufferre minimè poterat. *O tormenta misericordiæ; cruciat & amat*, exclamat Gregorius. Tormenta quidem hæc sunt, verum amoris tormenta; Pœnę sunt, sed à misericordia causatæ; effectus sunt odij, sed odij à dilectione inventi. Et ecce tibi artem, qua Deus noster utitur, ad capiendam cordis nostri possessionem, atque ad attrahendum ad se animas nostras, easdemque ab omni alia re mundana retrahendas; Et tamen adeò nos cœci sumus, ut veluti B. Salvianus Presbyter Lib. 2. de Provid. dicebat: *Amoris testimonia, in odij argumenta mutemus.* Hæc est (si forte id nescis) ingeniosissimi amoris Dei nostri ars subtilissima, & singularis suæ charitatis inventio, atque rarum providentiæ suæ stratagema. Vulnerat, ut sanet; premit, ut sublevet; spoliat, ut locupletet; debilitat, ut fortificet; infirmos facit, ut sanet. *O tormenta miseri-*

cordiæ,

cordiæ; cruciat, & amat. Sic Pharaonem Regem flagellavit, qui dicebat: *Quis est Dominus, ut audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* At verò sub Dei nonnihil ferula exerceatur, illumque mox totaliter mutatum conspicies; Ille enim, qui dicebat: *Nescio Dominum;* dicet: *Orate pro me Dominum. Ante verbera, Dominum nescit, verberatus Dominum rogat*, dicebat in hunc locum Origenes. Ante pœnas, non cognoscit Dominum, cognoscit autem eundem post pœnas irrogatas. Bene fæliciterque agens, illum blasphemat, flagellatus autem eundem rogat. Sanus nihili Deum facit, verberatus autem, velut Dominum eundem recipit & agnoscit. *O tormenta misericordiæ; cruciat, & amat.* Sic Ezechiel Propheta, Deum introducit omninò furibundum, & cholericum, adeò, ut supplicia populo suo durissima comminetur: *Non parcet oculus meus, & non miserebitur.* Hic se opponit Hieronymus, dicitque: Qua ratione fieri potest, ut Deus ille, *cui proprium est misereri semper, & parcere*, ex ore suo diras adeò emittere possit comminationes? *Non parcet oculus meus, & non miserebitur?* Qua ratione lux efficere potest, ut non illuminet? aut ignis, ut non calefaciat? aut cœlum, ut non moveatur? aut flumen, ne dimanet? vel bonum, ut non communicetur. Agedum ergo, dicit Hieronymus, non ignoscet, ut possit ignoscere; misericordia non utitur, ut misericordiæ suæ tanto magis augeantur. Faciet ad instar Medici, qui ignem & ferrum non nemini infirmo adhibet, seque crudelem commonstrat, ut pius sit: *Clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes & cariosa vulnera adurere, non parcit, ut parcat; non miseretur, ut magis misereatur.* Sunt ergo hæc tormenta pietatis, & misericordiæ. *O tormenta misericordiæ; cruciat, & amat.*

Exod. 5. v. 2.
Exod. 8. v. 8.
Hom. in Ezech.
Orig. in Exod.
Ezech. 7. v. 4. & 9.
Lib. 2. de Provid.
Hieron. in Ezech.

5. Nescio, an quispiam ex vobis unquam animadverterit, quod advertit Tertullianus, videlicet; quod æterna sapientia, quæ Christus est, in Scriptura sacra homicida vocetur, propriorumque filiorum suorum jugulatrix: *Qua ratione etiam ipse plusquam homicidam se pronuntiavit ex Sophiæ suæ persona voce Salomonis. Sophia, inquit, jugulavit filios suos.* Ita ipse secundum septuaginta interpret. legit, ubi vulgata legit: *Sapientia, vitam filijs suis inspirat*: sed quantum à se mutuò differt, dare vitam, & tollere illam. Hæc est crudelitas inimici, illa matris est pietas. Filios à matre occisos esse, vix credi potest: Matrem autem filijs ministrare vitam, res quotidiana est & ordinaria. Qua ratione ergo dicitur, æternam sapientiam, quæ tam ardenter filios suos amat, eosdem tam crudeliter occidere? *Sapientia filios suos jugulavit.* Acutè respōdet Tertullianus, quod *sapienter jugulavit, dum in vitam; & rationabiliter, dum in gloriam.* Sapienter illos occidit, ut veram illis vitam donaret; vitam corporis sustulit illis, ut vitam animæ eisdem donaret. Temporaliter eos mori fecit, ne morerentur æternùm: *O parricidij ingenium! ô sceleris artificium! ô argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur, quem occiderit! ô bonam matrem, opto & ipse, in filios eius redigi, ut ab ea occidar. Opto occidi, ut filius*

fiam. Nuſquam culpa ſine culpa reperitur, præterquam iſta, nec pientior crudelitas, nec malefactum factum probius. Quis mihi det, ut bonæ illius matris filius ſim, ut ab illa ſpiritualiter occiſus, mundo vivere deſinam, ut totus Deo vivam? Quis mihi det, ut ſim veluti Paulus, qui dicebat: *Quotidie morior per veſtram gloriam.* Aut veluti alij apud Pſalmiſtam, qui cum Deo ſuo hunc in modum loquebantur: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis? ô bonam matrem, quæ idcirco occidit, ne moriatur, quem occiderit.* Unde nec mirum eſt, quod ſervis Dei, cum generoſa ac magna illa Apoſtoli anima dicant: *Cum infirmas, tunc fortior ſum;* quia ſicut Chryſoſtomus in hæc verba dicebat: *Vbi afflictio, ibi & conſolatio.* Ubi plus reperio afflictionis, plus pariter conſolationis ibidem invenio; atque ubi abundant paſſiones, ſuperabundant & ſolatia, & ubi atrociora ſunt tormenta, ibi dulciora ſunt & gaudia. O ingens divinæ Sapientiæ fortitudo, quæ modum invenit, quo dulces redduntur amaritudines, charæ injuriæ gratæ & deſideratæ; adeò ut Jeremias dulciter cantare in lacu valeat, Stephanus in medio lapidum imbre, ſeu grandine gaudere, Apoſtoli ſe æſtimare beatos, videntes ſe publica cum ignominia flagellatos. *O tormenta miſericordiæ; cruciat, & amat.*

Pſ. 43. v. 22.

2. Cor. 12. v. 10. Hom. 26. in 2. ad Corinth.

6. Nolite ergo cogitare, dilectiſſimi, malè vobis velle Deum, quando non benefacit vobis. Memineritis tormenta ſua, miſericordiæ eſſe tormenta, ad noſtram directa ſalutem. Credatis item, quia ipſe vos amet, etiam quando non amat vos; hoc eſt, quando apparentes vos deſerit, quando vos pœnis ſinit eſſe expoſitos, quando vos non defendit in periculis, tunc enim, vos defendit quàm maximè, tuncque vobis vel maximè aſſiſtit, quando procul à vobis remotus eſſe videtur: *Miſericordia eſt, ſubtrahere miſericordiam*, dicebat optimè S. Bernardus, ingens Dei eſt miſricordia, interdum non uti miſericordia. Et quid exiſtimatis, innuiſſe luctam illam Angeli cum Jacob Patriarcha, niſi bellum, quo Deus votis & deſideriis noſtris obſiſtit? Ita hunc locum explicavit Guerricus Abbas: Tu rem aliquam impensè vis, & deſideras, Deus impedit; tu negotium aliquod ordinas, & dirigis, ipſe diſturbat; tu ut mundus in conſpectu ſuo appareat, multum laboras, & Deus laborem omnem repudiat; tu ingenium acuis ad opera gloriæ ſuæ perficienda, ipſe te inſipientem videri facit; clamas, nec te audit; appropinquas illi, & fugit à te, te humilias, & ipſe te contemnit; promittis nec te curat, offers & non acceptat: *An non tibi cum Angelo, imò cum Deo ipſo luctari videris, quando quotidie præpoſteris tuis votis reſiſtit? Laveris te velut Aqua nivis, & ipſe ſordibus intingit te, dicis ſapiens efficiar, & ipſe longius recedit à te: clamas ad eum neque audit te: vis accedere ad eum, & repellit te: decernis rem, & in contrarium tibi cedit, & per omnia fere in duritia manus ſuæ adverſatur tibi.* Hic eſt ſtylus Dei noſtri; hæc ars divinæ ſuæ ſapientiæ, tametſi frequentiſſimè à nobis minimè penetrata. Exclamet ergò Guerricus, & dicat: *ô Diſſimulatrix clementia, quæ duritiam te ſimulas; Quanta pietate pugnas*

Serm. cō̃tra vitium Ingratit.

Guerricus Abbas.

Aug. Pſal.

Bib. ral. Aug. Pſal.

pugnas adversus eos, pro quibus pugnas. Et quid tandem Angelus Jacob Patriarchæ fecit? Ipsum enervavit & claudum reddidit: nonne id verum est. Verùm sistas hic aliquantulum, dicit S. Augustinus: si enim claudus est factus, factus quoque est benedictus: si ab ipso decertatum est, blanditiis quoque delinitus est: Si perdidit prælii victoriam, non tamen benedictionem amisit. Ut proinde etiam postquam jam claudicaret, Angelum adhuc fortiter constrictum teneret, ab eodem, omni cum instantia, benedici postulans: *Non dimittam te, donec benedicas mihi.* Videte qualiter una cum vulneribus, pari quoque passu favores procedant, beneficia cum adversitatibus, cum pressuris aliisque impedimentis benedictiones: August. in Psal. 75. *Magnum Sacramentum: eundem hominem unum, fecit & benedictum & claudum,* quæ sunt verba S. Augustini qui ad hoc propositum, Sapientis dictum subjungit: *Flagellat omnem filium, quem recipit,* ac tandem dicit: *Si flagellari detrectas, recipi quare desideras?* A Deo flagellatum esse, signum est, eum Dei filium esse, & consequenter, ad ejus hæreditatem jus habere: *Si filii, & hæredes.* Quam ingens ergo bonum est, cui annexi sunt thesauri Paradisi? Liceat mihi proinde repetere: Lib. 1. Moral. cap. 6. *O tormenta misericordiæ! cruciat & amat. Optima virtutum custos, est infirmitas,* dicit S. Gregor. Papa. August. in Psal. 94. Et Augustinus adjungit: Infirmitatem, non tantum esse Animæ custodem, sed etiam perfectionem: *sint tentationes, sint tribulationes, consummaris eis, non consumeris. Ecce ergo, quem amas, infirmatur.* Ecce, is quem amas, amoris tui quoque probat effectus. Amatus est, & tribulatus est, quia custoditus est, & defensus. Est amatus & infirmus, quia perfectus est, & consummatus. Et hoc est, quod Rex sanctus innuebat, quando verba illa, alias à nobis explicata, dicere non dubitavit: *Deus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis: Paterna destructio, quæ sic destruxit, ut reædificet,* dicit vener. Abbas Berengos. Sermon. in Nat. Martyrum. Hæc tam omnimoda destructio, non ab inimico venit, sed à Patre, non enim destruit, ut destruat, sed ut perficiat: non destruit ex malevolentia, sed ex misericordia. *Iratus es, & misertus es nobis.* Benedicta est Dei nostri indignatio, & felicissima cholera, quæ totaliter in charitate & amore est absorpta; quæ non movetur passione, sed compassione excitatur, directa ad emolumentum nostrum, non ad ruinam; ad Lucrum, nō verò ad jacturam nostram. *O ira misericors & salubris indignatio, per quam fructuosa fit omnis infructuosa conversatio! O ira misericors, quæ sic irascitur ut subveniat: sic minatur ut parcat: sic aufert, ut restituat: sic tradit, ut eripiat: sic destruit, ut muniat: sic abjicit, ut recipiat. O quam salubris indignatio, quæ sic aspicit ut respiciat: sic claudit, ut aperiat: sic exigit, ut dimittat: sic dejicit ut erigat: sic perdit ut requirat: sic amittit, ut custodiat.* Hāc ergo hinc Conclusionem facito: Posse videlicet Lazarum amicū esse, & simul infirmum. Bonum quid esse, miseriam à Deo immissam, quia cum misericordia illius semper est conjuncta. *Quem amas infirmatur.* Bona ergo est corporis infirmitas, quæ me sanat in corde. *Melioratur enim vita supplicio,* dicebat S. Zeno Episcopus. Serm. 7 de trib. pueris. Temeraria ergo sunt lamenta, & contra Dei providentiam allatæ querelæ. Melior est

ergo infirmitas, ipsa sanitate: cum enim hęc homini frequenter noceat, illa semper juuat eundem. Beata ergo sunt tormenta, quia tormenta sunt misericordiæ. *O tormenta misericordiæ! Cruciat. & amat.*

Secundũ punctum. 7. Vidimus hactenus Amantem, qui simul odit: transeamus nunc ad considerandum mortuum, qui vivit. *Lazarus amicus noster dormit.* En vivum ipsum, *Lazarus mortuus est*, Ecce mortuum. *Si dormit, salvus est.* En vivum: *Dixerat autem Iesus de morte ejus.* Ecce mortuum. *Vado ut à somno excitem illum*, En vivum: *invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.* Ecce mortuum. *Infirmitas hæc non est ad mortem.* En vivum: *Domine jam fœtet, quatriduanus est enim.* Ecce mortuum eundem. Agedum ergo Lazarus est mortuus quidam, & vivus.

8. Et Primò quidem, mortuus erat Lazarus, quoad Naturam, sed Naturæ Domino dormiebat: mortuus erat hominibus, dormiebat Deo. Vtrumque verum est, inquit S. Augustinus; Et mortuus erat, & dormiebat; *Verum est, Hominibus mortuus erat, Domino dormiebat.* Veluti illa Archisynagogi filia, de qua Evangelista dicit, quod erat mortua; Christus autem dicit, mortuam non esse; *Discedite non est mortua puella.* Vtrumque est verum inquit S. Hieronymus, *mortua est vobis, mihi dormit, utrumque est verum.* Et ratio est, quia eadem cum facilitate Dominus Lazarum à morte suscitare poterat, qua nos hominem è somno suscitare valemus. Atque ita benedixit Dominus, quod *Infirmitas hæc non est ad mortem, quia ipsa mors, non erat ad mortem, sed potius ad miraculum*, dicit Sanctus Augustinus. In hoc sensu Rex ille sapientissimus dicebat: *Pro nihilo salvos facieteos.* Quid sibi vult, dicendo, quod fideles suos Deus pro nihilo salvaturus sit? vult dicere: Ad hoc nullum conferet Laborem, non habebit difficultatem, non inveniet oppositionem, operabitur, velut si non operaretur, adeò modicum ad hoc impendet, ut videri possit, velut nihil impendere. Ita hunc locum interpretatur Augustinus: *Sic illos salvos faciet, ut nihil tibi, id est, nullus labor tibi sit. Hominibus desperati sunt, sed tu verbo curas. Non laborabis in curando, quamvis non stupeamus in aspiciendo.* Tu, ô Domine, verbo unico, adeò rara efficies prodigia, quantum est, mortuum è sepulchro eruere: & mortuum quidem putrescentem, & quatriduanum, atque hinc manifestaberis, absolutus rerum omnium Dominus, atque ipsiusmet quoque mortis Dominator, ac magni Dei filius: *ut glorificetur filius DEI per eam.*

In cap. 4. Marci

Psal. 55.

Aug. in Psal. 55.

9. Refert Clemens Alexandrinus, Alexandrum Magnum, postquam ad Indiarum appulisset confinia, ingēti ibidem cum curiositate, cum iis Gymnosophistis, qui terræ illius habentur sapientes, tractare cœpisse, ac tandem eosdem interrogasse, qua ratione fieri posset, ut Homo è modicis Humanitatis Limitibus, & ab iis angustis spaciis, ad quæ à Natura sua constrictus esset, egrediens, eousque pertingere posset, ut Deus quidam haberetur, eidemque admodum prudenter respondisse sapientes: *Si ea fecerit, quæ fieri non potest, ut Homo faciat.*

Si

Si quis ad id faciendum pertingeret, quod ab hominib. impossibile est fieri, in talis pro Deo meritò habendus est. Sic ergo Dominus, plagæ illi, quæ inter nos mortales est irremediabilis, remedium inveniens, & morti, quæ omnibus dominatur, præcipiens, seque omnipotentem exhibens, dum omnes homines adeò sunt impotentes, gloriam suam clarè & evidenter manifestat, seq; verum ostendit esse Deum *ut glorificetur Filius Dei per eam. Non laborabis in curando, quamvis nos stupeamus in inspiciendo.* An non meministis illius, quod Principes Sacerdotum dicebant: *Quid faciemus, quia hic Homo multa signa facit? Hominem audis,* dicit Ambrosius, *sed supra hominem intellige.* Plusquam Homo erat, qui potestate plusquam humana operabatur: Plus quàm homo erat, qui id faciebat, quod nullus præstare poterat Homo: Plusquam homo erat, qui opera patrabat divina. Adeo ut *in ipsa Naturæ humanæ affectione Majestatem liceat spectare divinam,* dicebat S. Ambrosius, *Lazarus ergo amicus noster dormit. Hominibus mortuus erat, Domino dormiebat.*

Amb. in Instit. virgin.

Lib. 4. de Fide cap. 3.

10. Imo, Mortuus ille, erat mortuus quidam, vivus & dormiens, siquidem mors justorum, dulcis quidam somnus est, grata requies, atque desiderabilis ad veram vitam transitus. Accedite Regem sanctum, qui vos docebit, justi alicujus mortem, nequaquam vocandam esse mortem. *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt.* Quando videris sapientem morientem, mortem non videbis, tametsi eandem bene sis visurus, quando stultum aliquem & insipientem videris mori. Dices: Magnum aliquod Paradoxum est istud: Qua enim ratione fieri potest, ut quis mori videatur, nec tamen videatur mors illius? Quod si eum mori conspicio, nunquid eundem à morte invasum & superatum esse video. Ergo mortem video. Aut si mortem non video, quomodo mori illum conspicio, si nullus absque morte mori valeat? Sic in initio dubitabat S. Augustinus: *Quid est, Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes? Nunquid non est mortuus Sapiens.* Verum respondet Sanctus, atque dubium mirabiliter resolvit dicens: *Videt illum mori, & non videt quæ sit mors,* datque exemplum illorum, qui videbant, dum Christum qui justorum est Caput, morientem conspicerent: *Non videntes, quid sit interitus: si viderent, quid sit interitus: se viderent. Ille moriebatur temporaliter, ut reviviesceret in æternum, illi vivebant temporaliter, ut morerentur in æternum, sed quia illum videbãt morientem, non videbant interitum, id est non intelligebant, quid esset verus interitus.* Id quod coincidit cum eo, quod S. Gregorius Papa docuit: *Non videbit interitum, quos enim visibiliter mori conspiciunt, invisibiliter vivere posse non credunt.* Justus ergo quando moritur, vivit, & iniquus, quando vivit, moritur. Ille moritur sine morte, hic vivit, sine vita: Ille moriendo non moritur, hic vivendo non vivit. *Videt illum mori, & non videt quid sit mors: Non intelligebant, quid sit verus interitus.* An non meministis quàm id clarè dixerit Salomon hisce verbis: *Iustorum Animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt*

Psal. 48. v. 10.

Aug. in Ps. 48.

Lib. 26. Moral.

Sap. 3. v. 1.

sunt in oculis insipientiū mori, illi autem sunt in pace? Super quem locum Sanctus
Serm. 2. in festo Apostolorum Bernardus optimè dicebat: *Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed oculis sapientium, judicantur potius obdormire. Denique & Lazarus dormiebat, quia amicus erat.* Morientur quidem amici Dei, non tamen sentient tormentum mortis, videbuntur stultis mori, reipsa tamen mors illorum mors vera non erit, sed dulcis quidam & suavissimus somnus.

11. An non auditis Paulum Apostolum, qui dicit: *Quasi morientes?* Mors enim servorum Dei, vera mors non est, sed velut somniata, & ficta: non est mors dolorosa, & afflictiva, sed dulcis, & recreativa, veluti quidam, post diuturnum superatum laborem, dulcis somnus. *Lazarus amicus noster dormit.* Unde Gregorius Nazianzenus, de Gorgonia sorore sua refert, quod cum jam jam Animam suam Creatori redditura esset, plena gaudio, & vero jubilo, illa Psalmistæ verba repetierit: *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam. Hæc autem à te*, dicit Sanctus
Orat. de obitu Pat. Psal. 4. v. 9 Doctor, *O mulierum præstantissima & canebantur, & contingebant, & Psalmodia id erat, quod fiebat: conjunctumque cum discessu, Epitaphium erat.* Idipsum quod dicebas. ô præstantissima Matrona, pariter faciebas. Cantasti dormire volens, teque ad dormiendum suauiter composuisti, tuumque nobis, ex hoc mundo discedens, reliquisti Epitaphium. Sic gaudens, ridensque, teste Sancto Hieronymo, moriebatur Sancta Marcella, plangentibus interea omnibus, qui circumastabant, quippe, quæ Conscientiam opulentis meritis, & Cor, solida spe plenum, refertumque habebat. *Dum inter lachrymas tuas, illa rideret, Conscientia utique bona & præmiis futurorum.* Ad Principiam de Marcella in Epitaph. Eadem prorsus cum serenitate moriebatur Nepotianus, In Epitaph. Nepotiani prouti idem attestatur Hieronymus, qui inter charorum astantium lachrymas, ore suo risum & jubilum referebat. Unde non tam videbatur morti soluisse tributum, quàm ingens à morte recepisse emolumentum, nec amicos perdidisse, sed commutasse: *Latus erat vultus, & universis circa plorantibus, solus ipse ridebat. Intelligeres illum non emori, sed emigrare, & mutare amicos, non relinquere.*

12. Sed quid refert, plura hic congerere testimonia, ut ostendatur mortem amicorum Dei, non mortem, sed dulcem somnum esse? An non Isaias Propheta, mortuis dicit: *Expergiscimini, & laudate qui habitatis in Cinere.* Isa. 26. v. 19 Qui euigilat, utique dormit, dicit Sanctus Hieronymus. Hieron. in cap. 8. Isa. Ergo mors non mors, sed somnus est: *Quia mors eorum somnus est, nequaquam resurgere, sed expergisci, & evigilare dicuntur.* An non Sanctus ille Cytharœdus cantabat: *Dextera Domini fecit virtutem, Non moriar?* Sed quomodo se dicebat non moriturum, interrogat Basilius, quando latum est indispensabile de morte decretum, *nam statutum est omnibus hominibus semel mori?* Verùm sapientissimè Sanctus respondet, quod illud: *Non moriar, ostendit, mortem non esse mortem.* Quia mors servorum Dei

Dei, non mors, sed somnus est: valde bene ergo Propheta dicit: *Non moriar:* Quid amplius? An non Ecclesia Dei mortem justorum, vocat Natalem? Idque uti credo, quia tunc nascuntur, dum moriuntur mundo: tunc felicitati vivere incipiunt, cum præsentis vitæ miseriis moriuntur. Unde meritò B. Petrus Damianus exclamabat: *O quam beatè moritur, qui moriendo oritur. Quam feliciter temporalem vitam finit, qui vivere perpetualiter incipit. Hinc est, quod S. Ecclesia, dies emigrationis sanctorum, natales vocare consuevit, quia protinus in Cœlo nascuntur, cum in terra visibiliter moriuntur: & tunc verè incipiunt vivere, cum mortalem videntur vitam finire.* An non advertitis, Davidem Regem, una cum morte Sanctorum, quam somnum appellat; Cœli conjungere hæreditatem, dicereque: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Super quæ verba S. Gregorius dicit: *Omnis qui dormit, in morte perdit hæreditatem, sed cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini, quia electi Dei postquam pervenerint ad mortem, tunc inveniunt hæreditatem.* Qui moritur, hereditatem temporalem perdit, sed qui velut amicus Dei moritur, acquirit æternam, adeò, ut mors servis Dei non obsit, sed prosit: nil aufert, sed donat, non privat facultatibus, sed potius omnibus locupletat bonis. *Quia electi Dei, postquam perveniunt ad mortem, tunc inveniunt Hæreditatem.* Dicamus ergo, *Lazarus amicus noster dormit.*

Serm. de S. Vitali Martyre.

13. His adde, mortem meritò vocari somnum, qui enim dormit, quiescit; & qui moritur, ab infinitis laboribus, & præsentis vitæ molestiis, liber existit. *Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit,* dicebat Sapiens. Quiescit, qui moritur, ab omnibus vitæ laboribus, qui numerum non habent, in uno namque momento, simul & semel eximitur, à tentationibus Sathanæ, à pugnis côcupiscentiæ, à peccandi occasionibus, ab insidiis sensuum, à Corporis pondere, à bello veteris hominis, à malorum exemplorum Scandalo, à peste pernitiosarum Conversationum, à perversorum Consiliorum deceptione, à veneno amoris proprii. Tertullianum quoque audite, qui sepulchrum, appellat asylum refugii, Libertatis domicilium, ubi solum, à tot nos obsidentibus malis, reperitur effugium. *Nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie Sepulturæ, de asylo quodam mortis jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant,* atque ita discurrit, loquens de crudelitate gentilium, qui adeò barbarè adversus Christianos furebant, ut ne post mortem quidem iis parcerent, eruendo eosdem ex sepulchris, quæ omnib. Libertatis locus, & Securitatis asylum existunt. *Modicum plora super mortuum, quia requievit.* Si vita miserabilis quædam captivitas est, quia in crudelissimorum inimicorum manibus, malè continuò tractati, & oppressi retinentur, mors Carceris nostri vincula dissolvit, ut proinde optimè dixerit Ambrosius: *Non timemus mortem, quoniam requies est corporis, animi autem vel libertas vel absolutio.* Si via nostra periculosa quædam nauigatio est, in qua omni hora intolerabiles sustinentur

Eccles. 22. v. 10.

In Apologia cap. 37

Libr. de Jacob. & Ani ma.

tur Labores, timenturque naufragia ineuitabilia, mors eandem ad portus securitatem perducens, ab omni for-

Lib de bono mortis cap 4.

midine & jactura liberat: *Mors portus quidam est eorum, qui magno vitæ istius jactati salo, fidæ quietis stationem inquirunt,* dicit idem quoque Ambrosius. Si vita est commercium & negotiatio quędam, in quo sub mille deceptionum periculis, vertitur à Deo nobis commissum talentum: Mors mercedem seu lucrum negotiationis perdit: *Quid accusamus mortem, quæ aut vitæ pretium luit, aut abolet ejus dolorem, atque cruciatum?* Si vita peregrinatio quædam est, in qua ad inambulandas vias parum securas, plenasque latronibus constricti sumus: mors est adeò peri-

Epist. 137.

culosæ & dolorosæ viæ terminus: *Attendatis sollicitè*, sunt verba Petri Blesensis, quando *mors nihil est, quàm peregrinationis terminus, finis miseriarum, laborum meta.* Si vita lachrymabile quoddam est exilium, in quo degimus, à Patria, atque ab amicis procul remoti: Mors exilii nostri miserias terminat, portasque aperit terræ natalium nostrorum: *Mors exilii limes, janua Patriæ, nativitas vitæ, principium beatitudinis, primitiæ præmiorum,* dice-

Blesens. lib.

bat idem Blesensis. Si vita est truculentus quidam conflictus, in quo paulo minùs quàm inermes & nudi cum crudelissimis inimicis nostris, visibilibus & invisibilibus dimicamus: Mors è campo nos subtrahit, longasque ac pertinaces velitationes detruncat. Ecce Gregorium idipsum hisce verbis ex-

Lib. 8. Epistol. 41.

plicantem: *Quantas detruncationes, quantasque crudelitates vidimus, quibus mors sola remedium, & erat vita tormentum?* In summa, quid est vita nostra, præterquam Crux quædam & afflictio continua? unde quanto vivimus diutius, tanto longiùs, atque prolixiùs cruciamur. *Quid est diu vivere, nisi diu torqueri,* dicit Augustinus, cui sapientissimus consentit Seneca, cuius hæc sunt verba: *Altius veritatem intuenti, omnis vita supplicium est.* Ergo, concludit Petrus Blasensis, si tota vita tormentum est, beneficium erit subito finire vitam. Si sine continuis anxietatibus & passionibus vitam agere non valemus, qui viuere desinit, desinit pati. Si Homo vivendo, præter miserias nihil aliud degustat, Mors certum erit, miserabilium remedium. *Qui peccando fecerat se miserum, mortalis factus est in miseriæ remedium. Cum enim miseria sit miserum esse, gravissima esset sarcina, sine fine miseriam adesse. Vitæ brevitas, miseris est in remedium qui hoc ipso, quod citò moriuntur, tolerabiliùs cruciantur.* Ergo sapiens optimè dicebat: *Modicum plora super mortuum, quia requievit.* Ergo Lazarus non est mortuus, sed quiescit & dormit, *Lazarus amicus noster dormit.*

Serm. 27. de verbis Dom.

Consol. ad Polib. c. 2.

Serm. 5. de Adventu.

14. Tandem finaliter, dormit Lazarus Dei amicus, tametsi sit mortuus, quia resuscitandus erat. Dormiunt omnes justi, quibus carnis promissa est resurrectio, Corporumque suorum gloria. Hæc est Consolatio, quam Paulus discipulis suis dabat, dicens: *Nolumus vos ignorare fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent:* Et sic consequenter Resurrectionis Corporum illis explicat mysterium, & deinde cõcludit: *Itaque consolamini invicem, in verbis istis.* Non vos terreat hoc, quod est mori, quando tam ingentem habetis contra mortem Consolationem. Plā-

1 Thessal. 4. v. 12.

gas

gat, qui sperare nescit: à vobis autem spes lachrymas detergat. Si dolet quis cogitando, quod moriens omnia perdat, qui tantum lucrari moriendo se novit, minima doleat. *Detergatur luctus ex animo*, monebat ibidem S. Augustinus, *fides depellat dolorem. Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio.* Quãobrem, rationabilis erat illa Hieronymi admiratio, quando Tharasio cui filia quædam, ab ipso tenerrimè amata, atque ideo inconsolabiliter deplorata, mortua erat, scribens, inquit, Miror, quod pectus aliquod Christianum, adeò factum sit debile, ut à dolore flecti, & moveri se sinat: Quod fidei propugnaculum, quod ob Resurrectionis spem, inviolabile esse debebat, se vilter, & abjectè ad modicos mœroris insultus sese dedat. Ergone fieri potest, ut Resurrectionem credens, plangere possit occasum corporis, velut si illam non crederet? *Admiratus sum, Christiani pectoris, in te ablatam virtutem fuisse, ut animum flecteres ad dolorem. Stupeo, murum fidei penetratum vulneribus orbitatis, quem sepire debuerat spes Resurrectionis cœlestis. Resurgere credimus mortuos, & plangimus? Quid faceremus, si mori tantummodo, sine Resurrectione praciperet Deus? Pereat, pereat contristatio, ubi tanta est consolatio.*

Serm. 33. de verb. Apostol.

Epist. ad Tharas. inter opera Hieron.

15. Annon legistis, Dilectissimi, in scriptis prophanis & sæcularibus, multorum Gentilium usum, ac consuetudinem, qui mortuorum suorum funeralia celebrabant in jocis: ludis, Cantibus, conviviis, & diversis aliis lætitiæ signis? Et tamen, dicit Hieronymus, hi nullam Resurrectionis habebant rationem, imo eandem æstimabant impossibilem, id quod omnium Academiarum suarum dogma erat: *Hæc in sugillationem nostri dicta sint, si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas.* An nõ omni digni essemus contumelia, si non pertingeremus isthuc per fidem, quod Pagani assecuti sunt per infidelitatem? Ipsi inter ignorantiæ tenebras intellexerunt, mortem nequaquam deflendam esse, & nos in medio tantæ cognitionis luce, lachrymis & planctui finem non imponemus? *Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio. Quem dolorem non soletur Resurrectionis gratia?* dicebat S. Ambrosius, *quem non excludat mœrorem, si credas, nihil perire morte, imo potius celeritate fieri mortis, plus perire ne possit.* Hæc patientissimi Job, in medio acerbissimorum dolorum, unica erat Consolatio: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea, videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Audite nunc super allegata Jobi verba S. Hieronymi mentem: *Quid hac prophetia manifestiùs? Nullus tam apertè post Christum, de Resurrectione loquitur.* Advertit etiam Sanctus hic Doctor, quod Job de Resurrectione loquens, primò dixerit, optare se, ut hæc sua dicta, æterno quodam veluti monumento, se se perpetuarent in mundo, atque hoc fine, vel recenserẽtur in annalibus, aut scriberentur in libro, stylo ferreo, vel in plumbi lamina inciderẽtur, aut durissimæ insculperentur silici: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo,*

Libr. de fi-de Resurrectionis.

Adversus errores Ioan. Hierosolym.

Iob 19 v. 23

& plumbi lamina, vel celte, sculpantur in silice, vult verba sua in perpetuum durare, dicit Sanctus Doctor, *& ut nulla possint vetustate deleri, exarari vult ea in plumbi Lamina, & sculpi in silice.* Vellem ut hæc verba mea essent æterna, tanti enim sunt momenti, tantæque consolationis: *In novissimo die de terra surrecturus sum.* Non est reperibilis in præsenti vita, ulla consolatio, pro iis ego in magna hac fortunæ meæ Catastrophe patior, unicum duntaxat, spectans ad vitam futuram, confirmare, & solari me potest, videlicet: *quod in novissimo die de terra surrecturus sum*, quasi dicat, Irreparabiliter nunc tot ærumnarum pondere pressus, succumbo, id tamen quod Cor meum erigit & sublevat, est: quod norim fore tandem diem aliquem, quo è sepulchro meo, ad longè beatiorem subleuandus sim vitam. *In novissimo die de terra surrecturus sum. Rursum circumdabor pelle mea. In Carne mea videbo Deum meum. Puto, quod non loquatur quasi amator Carnium*, subjungit S. Hieronymus, *quas putridas, fœtentesque cernebat, sed ex fiducia resurgendi contemnit præsētia, solatio futurorum.* Portemus igitur mortificationem Christi in corpore nostro, ad hoc, ut in corpore quoque nostro, manifestetur pariter aliquando vita Christi: *Iustum enim est, ut qui semper mortificationem Christi, in corpore nostro circumtulimus, vita quoque IESV manifestetur in Corpore nostro mortali, id est, in Carne mortali secundum Naturam, æterna autem secundùm gratiam.*

Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio.

PARS SECUNDA

16. Postremò videamus hilarem ac lætum, qui tamen plangat, estque hic Christus Redemptor noster. Hic enim inprimis est hilaris, nam ideò dicit: *Gaudeo propter vos quia non eram ibi*: Est quoque plangens, ideò namque Evangelista testatur, quod *Lachrymatus est IESVS*: adeò ut una eademque mors Lazari, diversimodè considerata, diversos in Redemptore causet affectus, diversosque effectus, Lætitiæ videlicet, ob utilitatem, quæ in discipulis resultare debebat: Doloris verò, ob infœlicitatem desolatæ & perturbatæ familiæ, atque ob ingens hoc mortis supplicium, per peccatum in hunc mundum introductum.

Tertium punctum.

Hieron lectem.

Io. 1.6.v.

17. Et primò quidem Christus Dominus lætatur: *Gaudeo propter vos.* O verbum ingentis profectò consolationis. Ergone tu ô Domine propter me gaudes & lætaris? Nunquid Dominus Majestatis, & Deus gloriæ tu es? Ego autem, nunquid puluis sum & cinis? Et Tu, ô magne Deus, ob rem, quæ adeò modica est, & veluti nihilum, gloriaris? tu, qui extra temetipsum nulla re indiges, de te ipso, & in te ipso beatus, nihilominùs nostris insistere potes emolumentis curandis, atq; dum hæc incremētum accipiunt, vis pariter, ut tua etiam inde accrescant gaudia, ut à nobis meritò dici possit illud, quod quondam dixit Propheta tuus. *Gaudium etenim Domini, est fortitudo nostra Gaudeo propter vos.* Nunquid ipsum perspicuè edixit apud Jeremiam Prophetam hisce verbis: *Cumque eis benefecero lætabor?* Imò

Hier. 6. Hie

Ier. 32.

verò, contrarium fortè intendis dicere. Fortè cogitas dicere, quod ipsi lætificabuntur, cum videlicet à te benefactore, ipsi beneficiis ac favoribus affacti fuerint? Minimè id volo, dicit Deus, imò verò, magis lætabor ego, salvando illos, quàm ipsi lætificandi sint, recipiendo Salutem. *Gaudet quippe,* sic interpretatur Hieronymus, *quia videt Creaturam suam esse salvatam; Vnde & gaudium est Angelorum in cœlis, super uno peccatore Pœnitentiam agente. Gaudium etenim Domini, est fortitudo nostra.* Atque idemmet Jeremias, introducit Deum, conjungentem emolumenta sua, cum nostris, ac sic loquentem: *Filia populi mei, accingere Cilicio. & consperge te cinere: Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repentè veniet vastitas super nos.* Septuaginta interpretes, uti notat Hieronymus, non fuere ausi dicere: *veniet super nos*, sed dixerunt; *veniet super vos vastitas. Septuaginta, super vos, posuerunt, cum multo Deus misericordiùs dixerit super nos, ut quicquid super suum venturum est populum, super se quoque venire testetur.* Malum vestrum, veluti meum æstimo, sicuti de omni bono vestro non minùs gaudeo, quàm si meum esset. *Gaudium etenim Domini fortitudo nostra.*

Hieron. in Ierem. 32.

Ier. 6. v. 26.

Hier. cap. 6. Hierem.

18. Propiùs nonnihil Regem sanctum conveniamus, hic enim conceptum hunc optimè confirmabit, verbis illis, quæ habet *Psal. 27. Salvauit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus.* Advertistisne, dicit S. Basilius, dictionem illam (*sibi*) salvavit populum sibi, hoc est, pro se, & ad suum commodum, ad suum inde resultans gaudium: *Immensa verò benignitate usus, mortalium vitam suā dicit esse emolumentum, propterea non dixit: Salvavit eos; sed salvavit eos sibi*; Quasi Deus, dum populum suum salvavit, sibimet salutem impertiretur: Nos à miseriis liberat, quia autem cum infinito id gaudio suo facit, videtur quodammodo, Liberationem nostram, suum esse emolumentum, ideoque *non dixit salvavit eos, sed salvavit eos sibi.* Propterea, ita advertit S. Ambros. Deus post creatum hominem, quievisse dicitur. Sed quid in Deo hæc talis requies significat, nisi complacentiam & gaudium conceptum inde, quia videlicet Deus Creaturam talem condiderit, in quam gratias, & beneficia sua collocare possit? Audite ipsissima Ambrosii verba: *Gratias ergo Domino Deo nostro, qui hujusmodi opus fecit, in quo requiesceret: fecit Cœlum, non lego, quod requieverit: fecit terram, non lego quod requieverit. Sed lego, quod fecerit hominem, & tunc requievit, habens cui peccata dimitteret.* Quantum tibi, ô pientissime Deus, debemus siquidem tuam reputas, requiem nostram; Et cum bene est nobis, tu id bonum tuum interpretaris. Jubilas in lætitiis nostris, & gaudes in gaudiis nostris. *Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Sic quoque in sermone illo, quē Christus ante Passionem suam habuit: adferens rationem, cur tam prolixè de amore locutus fuisset, inquit: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit*, id est, ut interpretatur Cornelius à Lapide, *ut ea facientes gaudio me afficiatis. Quod est gaudium Christi in nobis*, explicat Augustinus, *nisi quo dignatur gaudere de nobis*? Ad instar cujusdam amantissimi Patris, qui majorem nequit habere lætitiam, quàm filios suos videndo virtuosos, optimeque morigeratos. Sic locum istum explicat Lauren-

In fascicu- tius Justinianus : *Agit erga fideles suos*
lo Animæ. *Dominus, sicut quisque Pater, in unicum*
cap.9. *sibi agere consuevit charissimum. Se quippe, carnalis Pater, amat in filio: in ipso vi vere sesperat.* Similiter, quando Dominus Parabolam illam retulit, de drachma perdita, ac postea reinventa qua Naturam humanam significat; per peccatū lapsum, per merita verò Christi recuperatam, cum ingenti jubilo,
Lucæ 11. inquit: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam meam, quam perdideram.*
Opusc. 63. *Notabile est*, inquit S. Thomas, *quod nō*
cap 7. *dicit, se emisse, sed invenisse, licet pretioso sanguine, & aspera passione, genus humanum comparaverit.* Non dicit, se illam comparasse, sed invenisse, ob ingentem Lætitiam, quam in illius acquisitione persensit. *Similiter* subjungit S. Thomas, *notabile est quòd omnes Angelos convocat, non drachmæ non homini, sed sibi ad congratulandum: quasi Homo Dei Deus esset, & tota salus divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non posset. Gaudeo propter vos. Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra*

19. *Consolantem me quæsivi*, dicebat quondam Dominus Psalmo 63. *& non inveni* O bone Deus, nunquid Pater misericordiarum, & Deus to-
Psal. 63. tius consolationis tu es? *Pater miseri-*
v.21. *cordiarum & Deus totius Consolationis.* Nunquid tu fons es, & origo omnium benedictionum, quæ ab humano corde desiderari possunt, de quo scriptum est: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione?* Nunquid omniū gaudiorum inexhausta es abyssus? *Delectationes in dextera tua usque in finem?* ut quid ergo opus est tibi, tuam à paupertate nostra mendicare Consolationem, ut dicas: *Consolantem me quæsivi?* Respondet Rubertus Abbas *consolantem, id est, benè operantem per Pœnitentiam*, quia ut S. Joannes Chryso- Hom.15.
stomus docet, *Nihil est, quod ita Deum* in Genes.
lætificet, ac conversio nostra. Dicat ergo hodie Dominus, *gaudeo propter vos.* Summam persentisco lætitiam, ob insignem utilitatem, quas in animas vestras redundare video. Agedum ergo, ô Christiane, quàm barbarus es, & inhumanus, quam rusticus & incivilis, quia cum possis ipsummet Creatorem tuum consolari, id tamen minimè facis? Ne modicum solamen istud, quod à te postulat, abnuas, quippe cum ipse excessiva liberalitate sua, torrentem tibi concesserit cōsolationum quarum fructibus perfrueris, tametsi numerum scire nequeas: Des velim ipsi, hanc meritissimam gaudendi de te Materiam, siquidem ipsæ tibi sempiternæ lætitiæ, in Paradiso, Materiam offert.

20. Verum, enimvero à Lætitia Christi, ad dolorem ejusdem transeamus, à Iubilo ad lachrymas. *Lachrymatus est IESVS.* Sed cur plangit is, qui Lætitia est Angelorū, totiusq; cœlestis curiæ gaudiū? Profectò prægnantissima ratio sit, oportet, siquidem plangit is, qui Dei est Sapientia, quiq; decipi non potest. Plāgit ob proximorum amorē, & propter amorē Dei, ex compassione erga sorores Lazari, & ex zelo honoris paterni: ob mortem tēporalem amici, & ob mortem spiritualem in temporali morte repræsētatam. Ob hasce duas causas, rationabiliter fūdūtur lacrymę nostrę, quotquot autē aliis de causis spargūtur, in terrā projiciuntur

tur

tur. Hinc S. Aug. supr. illũ Davidis Regis locum : *Rugiebam à gemitu cordis mei*, notavit, duplicem esse planctum; Cordis videlicet planctũ, & planctum Carnis. Planctus Carnis est, qui emittitur
Aug. in Psal. 37. ob res terrenas : planctus verò cordis, qui fit pro rebus spiritualibus, & cœlestibus : *Propterea, inquit rugiebam à gemitu Cordis mei, quia homines, si quando audiũt gemitum hominis, plerumque gemitum Carnis audiunt, gementem à gemitu Cordis nõ audiunt.* Quot sunt, qui plangũt, quia litem perdiderunt, aut quia infirmantur in corpore, aut quia ablatæ sunt iis divitiæ, aut quia speratam consecuti nõ sunt dignitatem, & honorem, aut quia exclusi sunt à potẽtum gratia, aut quia à delitiis, quas ambierũt, destituti sunt. Quænam hæ lachrymæ sunt, nisi Lachrymæ Carnis? *Gemitum Carnis audiunt*
In Psal. 101 *gementem à gemitu cordis non audiunt.*

21. Tales erãt Lachrymæ, de quibus S. August. loquebatur, dicens: *Multi gemũt, gemo & ego, & hoc gemo quia malè gemunt. Amisit nummum gemit: amisit Fidem, non gemit. Ego appendo nummum & fidem, & invenio majorem gemitum, de malè gemente aut non gemente.* O quot sunt qui plangunt, sed malè plangunt, plangunt bonorum temporalium jacturam & non plangunt jacturam æternorum bonorum. Ideoq; ii, qui sic plangunt,
Serm. 45. de Sanctis. digni sunt, qui plangantur, quia videlicet id deplangunt, quod plangere non licet. *Iustus plorat veraciter: plorantes steriliter*, dicit August. *Plorat plorantes, plorat ridentes, quia & qui plorant de rebus vanis inaniter plangunt & qui rident de rebus malis malo suo rident.* Hoc lachrymarum
Malac. 2. 13 mũdialium genus, rejicitur à Deo, apud Prophetam Malachiam : *Et hoc rursum fecistis, operiebatis lachrymis altare Domini, fletu & mugitu.* Insuper hanc malitiam fecistis, atq; criminibus antiquis hoc quoque scelus adjunxistis. Ecquid nam? Altare meum lachrymis operuistis. Itane? Ergone peccatum erit id offerre Deo quod adeò placitum est illi? Ergone sacrificium aliquod est, Cœlo & Cœli Domino charius & gratius, ipsis lachrymis? Et tamen Deus sacrificium istud, Sacrilegii loco habet, totusque iratus, atque indignatione plenus dicit: *Non respiciam ultra, ad Sacrificium neque accipiam placabile quid, de manu vestra.* Rupertus meritò admirabundus, hic interrogat: *Quales sunt lachrymæ qualis fletus, qualis mugitus miserorum, qui tam graviter offendit misericordiæ Dominũ?* Quales sunt illæ lachrymæ, quæ ei non placent, cui tantopere placere consueuerunt? aut quis ille miserabilium planctus, qui misericordiarum Dominum tantopere offendere valeat? *Sed ne miremur*, respondet Rupertus, *nam istorum fletus, sceleratus, & criminosus est, quia venit de amore præsentis sæculi, contemptum habens futuri.* Plangunt ob sua emolumenta, non ob zelum Honoris Divini, plangunt, ob nimium erga bona terrena affectum, non ob thesaurorum Paradysi desiderium, plangunt, captu amore mundi, Cœlorum autem obliti. *Gemitus Carnis audiunt, gementem à gemitu Cordis non audiunt.*

22. Rex Sanctus, Christi nomine, Psalmo 67. hæc verba dicit: *Et sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit.* Sed quomodo hoc? Ergone M. Magdalena non est contristata, cui dixisti *Mulier quid ploras?* An non plangebant mulieres illæ, qui-

bus

busprohibuisti,ne plangerent,dicens: *Nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros flete?* Nunquid tristitia pleni erant Apostoli,quos ob vim doloris & mœroris dormiturientes reperisti? *Invenit eos dormientes præ tristitia.* Qua ratione ergo dicit: *Sustinui, qui simul mecum contristaretur?* Respondet S. Augustinus: *Intendamus diligentiùs, & videbimus, eum sustinuisse, qui simul contristaretur, & non fuisse. Contristabantur enim illi carnaliter, de vita mortali, quæ mutanda fuerat morte, & reparanda Resurrectione.* Christus autem conturbabatur,ob peccata Crucifixorum suorum, qui velut Phrænetici, se se contra Medicum suum erigebant, eos curare volentem: *Ille volebat curare, illi sævire. Hinc tristitia Medico. Quære utrum invenerit hujus tristitiæ comitem. Non enim ait: sustinui, qui contristaretur, & non fuit, sed qui simul contristaretur, id est, ex ea re, qua ego contristabar, & non inveni.* Et Sanctus demum optimè concludit: *Ergo in tristitia, quam habebat Dominus, nullum comitem invenit, qui simul contristaretur, & non fuit, prorsus non fuit.* O quam verum est istud, raros videlicet esse eos qui simul plangant cum Christo,id est, ob peccati malitiam, ob Dei offensam ob divinæ gratiæ jacturam, ob æternæ damnationis periculum, ob virtutum defectum, ob peccatorum ruinam,atque ob passionum victoriam. *Gemitum carnis audiunt, gementem à gemitu Cordis non audiunt.* Tales erant illæ Sancti Augustini lachrymæ, quas fudit, priusquam converteretur ad Deum, De semetipso enim dicit; quod mortem Didonis, apud Poetam quendam legens, lachrymas continere non potuerit, semetipsum interea minimè plangens, qui per peccatum Deo mortuus erat. *Flebam Didonem mortuam, quæ se occidit, ob amorem Aeneæ, cum interea meipsum, in ipsis à te morientem, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero, non miserante, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Aeneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te?*

Aug. in Psal. 68.

August. in Confess.

23. Non sic hodiè Dominus plangit; sed vel mortem plangit, per peccatum introductam, uti Cyrillus sentit: vel peccatum, per mortem repræsentatum, uti docet Augustinus vel Judæorum duritiam & incredulitatem, qui tam ingens videntes miraculum, quale erat quatriduanum resuscitare mortuum, inde magis magisque pervertebantur, uti vult Andreas Cretensis. Quicquid sit: *Lachrymatus est IESVS* ob damna spiritualia, atque ad Animam spectantia. Sic quoq; Sanctus ille Cytharœdus regius, plangendo, in memoriam reuocat, ingentem illam Aquarum,seu Lachrymarum copiam, quæ adeò abundanter ex oculis ejus derivabantur, ut duo veluti flumina oborta viderentur, *Exitus Aquarum deduxerunt oculi mei* Habuit autem ut dicit Ambrosius, varias quidem plangendi causas, utpote infinitas domi suæ habens adversitatum procellas; *Et habuit quidem multa quæ fleret, vel incestum filiæ, vel interitum filiorum. Sed hic non hoc flevisse dicitur, sed quia non custodierunt legem Domini.* Non plangit Dauid filiæ suæ incestum, sed pro-

Psal. 118. v. 136.

Ambr. Psal. 1…

Lib. … mibu…

Th… 16.

Ar… cit…

proprium potius defleuit adulterium: non sanguinis sui indoluit discordias, sed dolorem suum excitauit Concupiscentiarum, suarum præposterus ordo: Non est lamentatus Vasalli sui persecutionem, sed quod Carnis suæ pateretur infestationem; Non propter falsorum amicorum conjurationes, & tradimenta, lachrymas sparsit, sed ob Dei perditam & amissam amicitiam. Vnde solidè concludit Ambrosius: *A tanto viro, plus Culpa, quàm ærumna defletur.* Optimè namque sciebat id, quod monuit Petrus Cellensis, scil. *sterilis est omnis effusio lachrymarum, quæ non effunditur propter regnum Cœlorum: Flendum solummodo est, aut pro peccato commisso, aut pro Paradiso amisso.* Tales erant lachrymæ Jeremiæ, qui in medio Passionum durissimæ cujusdam servitutis constitutus, omnium obliuiscens, solùm Dei lamentabatur absentiam, & derelictionem, dicebatque: *Ego plorans, & oculus meus deducens Aquas.* Eccur ita? *Quia longè factus est à me consolator.* Ecce tibi S. Ambrosij Glossam: *Non abductum se esse de terris suis dolebat, sed à Christo populum relinquendum, consolationemque futuræ vitæ, cernebat amissum. Hæc est rete dolenda Captivitas, quæ æternæ spei libertate privata videbatur.* Hæc est sola servorum Dei amaritudo. Hic planctus fiet Domini nostri simillimus *Lachrymatus est IESVS. A tanto viro, plus Culpa, quàm ærumna defletur.*

Ambr. in Psal. 110.

Lib. de Panibus

Thren. 1. v. 16.

Amb. loco citat.

Psal. 118. v. 6.

24. Qualis ergo res esse debet peccatum, O Christiane, quod ex oculis Filii Dei lachrymas valet elicere? Quale quid est, Sanctitati & gratiæ mori & defungi, si mortem hanc Christus adeò persentiscat, ut illam dirè defleat, & plangat. Quale infortunium, perversæ consuetudinis sepulchro clausum teneri, si gaudium ac Jubilus Paradisi, tam acutū illius experiatur sensum? *Lachrymatus est IESVS.* De Deo S. Hieronymus illa Micheæ Prophetæ verba intellexit: *Super hoc plangam, & vlulabo, vadam spoliatus, & nudus & faciam planctum quasi Draconum, & Luctum, quasi Struthionum.* Spoliatur, ut ita dicam, Rex Cœlorum, illa Majestatis suæ iuexplicabili magnificentia, atque luminoso illo gloriæ pallio, quo obtegebatur, denudatur, ad amarè plangendum se componit. Sed cur hoc? *Quia desperata est plaga filiæ populi mei.* Itane? Ergo Christus pro me planget, & non plangam ego pro meipso nihil sollicitus ero? *Et lachrymatus est IESVS.* Scribit Q. Curtius, Alexandrum in morte uxoris Darii Regis, valdè planxisse: *Crederes Alexandrum, inter suas necessitates flere, & solatia non adhibere, sed quærere.* Et tibi non videbitur, inter suas necessitates, suosque dolores, plangere Christus? aut non potius solatium quærere, quam dare, aut non magis ex propriis, quam alienis miseriis cruciatus videbitur: *Crederes inter suas necessitates flere, & solatia non adhibere, sed quærere. Et lachrymatus est IESVS.*

Micha. v. 8

Curt. lib.

25. O peccatum, venenum amarissimum, quod etiam ipsiusmet Dei amaricare potuisti pectus? O inimice crudelis, & barbarè, qui ipsiusmet Omnipotentis & immortalis Dei cor vulnerare prævaluisti! O tenebræ funestæ & tartareæ, quæ Paradisi obnubilastis serenitatem! O lachrymabile infortunium, quod ipsam quoque

plangere fecisti lætitiam Angelorum! *Et lachrymatus est IESVS.* *Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in die redemptionis*, dicebat Paulus, *perinde est, ac si dicat Apostolus*, dicit Benedictus Justinianus, conformiter Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, & Theodoreto; *nolite ea facinora perpetrare, quibus ille quasi mœrore & tristitia affectus à vobis recedat.* Nolite contristare spiritum Dei, qui per Ezechielem perspicuè dicebat: *In omnibus istis contristabas me.* Peccatorum tuorum me contristabas amaritudine, adeò, ut ad plangendum me cogerent. *Et lachrymatus est IESVS.* Videtur autem Christus, hisce lachrymis suis, tibi dicere velle, inquit B. Salvianus hæc sequentia verba: *Miserere animæ tuæ.* Et subjungit: *Vide pietatem erga te Domini nostri, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat. Miserere, inquit, animæ tuæ; hoc est, dicere, miserere etiam tu illius, cujus vides miseratione me frangi. Miserere illius tandem, cujus misereor ego. Miserere tu saltem animæ tuæ, cū misereri me cernas alienæ.* Ego aliena deploro mala, tu propria deplange. Cōpassionem illius Animæ habeto quæ tua est, quippe cum ego illius compatior quæ mea non est: Tu, tua tandem aliquando persentiscas vulnera, cum ego, tametsi ab omni vulnere defensus, & semotus, ea vivaciter persentiam. *Et lachrymatus est IESVS.*

Ephes. 4. v. 30.

Ezech. 16.

Lib. 3. ad Eccl. Cathol.

26. Veni igitur, ô bone JESU, sic cum S. Ambrosio concludam, ad fœtidum isthoc sepulchrum meum, lachrymis tuis salva me, quippe qui è visceribus meis ipso silice durioribus, tantas nequeo extrahere lacrymas, quæ sordibus meis abluendis sufficiant. Si tu super me planxeris, salvus efficias: Si lachrymis tuis dignus effectus fuero, mundus ero: si adeò pretiosum illud lavacrum effuderis, ego è monumento egrediar, atq; relictis peccati tenebris, ad gratiæ tuæ lucem propius accedam. *Vtinam ad hoc monumentum meum digneris accedere, Domine IESV, tuis me lachymis laves, quoniā è durioribus oculis, non habeo tantas lachrymas, ut possim mea lavare delicta. Si illachrymaveris pro me, salvus ero. Si dignus fuero lachrymis tuis, fœtorem abstergam delictorum meorum. Si fuero dignus, ut paulisper illachrymes, vocabis me de monumento hujus corporis, & dices: Exi foras, ut non intra corporis hujus angustias, inclusa teneantur cogitationes meæ, sed egrediantur ad Christum, in lumine versentur, ut non cogitem opera tenebrarum, sed opera lucis.*

* *
*

CON-



CONCIO XXVIII.

In Domininicam Paſsionis.

THEMA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. v. 46.

ARGVMENTVM.

In Chriſto fuerunt in eminenti gradu, Sanctitas morum, & veritas Doctrinæ: quæ ſunt duæ proprietates, cuilibet Magiſtro, aut Legis divinæ Prædicatori, neceſſariæ.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Sanctitas & Doctrina duæ excellentiſsimæ Qualitates Chriſti, de quibus Hebræi & peccatores non curant, num. 1.

Synopſis Concionis. Ibid.

Punctum primum. *Sanctitas Chriſti his Pauli verbis indigitata: Sanctus, innocens, impollutus. Pulchra eorum paraphraſis, num. 2.*

In deſcriptione Salvatoris omnia incomparabilia deſignantur. Ibid.

Chriſtus eſt ille juſtus, qui in via peccatorum non ſtetit: Arbor fœlix ſuper Aquas plantata. Ipſe dilectiſsimus ſponſus, qui ſemper ſtat poſt parietem noſtrum. Ipſe Athleta cœleſtis, ab Iſaia deſcriptus. Tranſibit in pace, ſemita in pedibus ejus non apparebit. Hic eſt vivus inter mortuos. Hic eſt quietis locus. In quo Spiritus Sanctus requieſcit. Eſt myſtica ſcala Iacob. Et Agnus ſine macula &c. num. 3.

Non poterat Chriſtus offendere, quia totus Divinitate delibutus erat, num. 4.

Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ ſola ſine pulvere eſt. Bernardi expoſtulatio. Ibid.

Chriſti Sanctitas omnem ſanctitatem abſorbet, ſicut lumen Solis, aliorum Planetarum

Angelis. Ezechiel priusquam mitteretur ad instruendum populum, volumen devorandum ei porrigitur. num.17.
Politici sciũt veritatẽ, sed dicere nolũt.n.18.
Sapientia hujus mundi eleganter à Gregorio descripta. ibid.
Terrena, Animalis, Diabolica à S. Iacobo vocitata. ibid.
Vera sapientia à Seneca genuinis coloribus delineata. ibid.
Parasiti & adulatores, sciunt veritatem, & tamen illam non dicunt. Eleganter omnino eos describit Nazianzenus. n. 19.
Va cum benedixerint vobis homines. Christi anathema contra adulatores. ibidem.
Mali consiliarij sciunt veritatem & nolunt eam dicere. Hi maxima inferunt damna Regibus & Reipublicæ. num. 20.
Iudices etiam & Advocati mali sciunt veritatem, & eam dicere nolunt: Imo contra ipsum favore, amicitia sive muneribus innocentem condemnant. n. 21.
Sunt qui veritatem sciunt, & dicere volunt, sed non possunt, improbitate vitæ impediti. Fabulæ videntur verba sine operibus. Diserte Isidorus Pelusiota. n.22.
Moyses plus profecit erga Israelitas vitæ sanctitate, quam loquendi facundia. Philo adductus. ibid.
Philosophia non in verbis, sed in factis. Sapienter Seneca. ibid.
Vox tua dulcis, & facies tua decora: Tuam amplector doctrinam, quia mores tuos approbo ut explicat Bernardus. num. 23.
Verba Psalmi: ut destruat inimicum & ultorem: Et ut vertit S. Gregorius: Defensorem inimicus quippe est & defensor qui Deum, quem prædicat, moribus impugnat. Ingeniosè idem sanctus. ibid.
Solus Christus scivit, voluit, & potuit veritatem dicere, num. 24.

1. QUod si sanctitas morum, & veritas doctrinæ, duæ sunt nobilissimæ, & singulares prærogativæ, ex quibus quilibet Magister, miram sibi suæq; doctrinæ, fidem acquirit, cur ego benedictus Redemptor noster, apud perfidum Hebræum, fidẽ non obtinet: utpote, qui una ex parte, perfectissima, & irreprehensibili, dotatus erat innocentia, ex altera verò parte, omnium divinæ sapientiæ thesaurorum possessor? Si de sanctitate loquamur, adeò ipse fuit innocẽs, & perfectus, ut se suorummet hostiũ syndicatui, ac judicio exponere, ne quicquã dubitaverit: *Quis ex vobis, arguet me de peccato*: Si de veritate: hanc ipse tam perspicuè mundo patefecit, ut ingentis prodigii loco habeatur, ipsam à suismet contradictoribus receptam non esse, unde meritissimam hanc illis improperat querimoniam: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Verum enimvero, imprudenter omnino fuerunt infœlices isti, cum enim dignum esset, ut sanctitatem laudibus extollerent, ipsi blasphemiis eãdem impetentes, contempserunt: cũ veritatis lucem, cum reverentia, cum applausu, recipere tenerentur, ipsi summa cum temeritate, & sacrilegio, pedibus eandem conculcarunt, ejusdemq; magistrum, jactis in eum lapidibus, expulerunt: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum*, Sed ô stulte, & insane, quid in tot domesticarum tenebrarum medio, abſq; solis tui præsentia faceres? Aut qua ratione promittere tibi potes, victurum te in bona salute, quando à finibus tuis proscripsisti Salvatorem? ô ingrata Synagoga; quæ ad tantam pervenisti pfidi-

diam, & oblivionem, ut protervo & inverecundo visu, seu vultu, Messiam tuum respuere non dubitaveris. Totaliter cæca, omnisq; expers cognitionis, quæ adeò raræ virtutis, morũq; tam laudabilium atq; cælestium, videre nequivisti splendores. ô Temeraria, quæ cum judicio adeo stolido, totiusq; mundi commune bonum, nequicquam æstimans, emolumento tuorum bonum privatum simul contempsisti. Deus, ô dilectissimi, ab enormi adeo nos scelere custodiat, ne pietas Christiana, cum Judaica conjungantur perfidia; quia potius, veluti nobis adeo magistri, grati discipuli, quantum equidem nostræ concessum est fragilitati, divinum hoc commendemus magisterium, utpote ob sanctitatem rarum, singulare verò propter doctrinam.

Primum punctum. 2. Et ut à sanctitate incipiamus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis adeo reperiatur argutus, & sagax, qui in impeccabili, reperire peccatum: aut culpam, in viro inculpato, reperire possit? qui ab Apostolo, gloriosos hosce obtinuit titulos: *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus?* Cavete ne

Hebr. 7. v. 26.

purum cum contaminatis, justum cũ iniquis, cœlis excelsiorem, cum abjectissimo totius terræ homuncione, præsumatis confundere. Ipse totaliter sanctus est totaliter innocens, atq; omni ex parte impollutus, *Sanctus, innocens, impollutus.* Sanctus, cum Deo; Innocens, cum proximis: cum semetipso impollutus. Sanctus p pietatẽ synceram, p charitatem perfectam, innocens; impollutus, p puritatem illibatam. Sanctus, absq; rerum terrenarũ districtione, innocens, absq; ullius mortalis hominis querela: sine humanæ naturæ congenita fragilitate, impollutus. Sanctus, in verbis, innocẽs, in operib[9]: impollutus, in cogitationibus Sanctus, à patre semper dilectus: Innocẽs, à mundo in admiratione semp habitus: Impollutus à propria semper cõmendatur conscientia. Sanctus, sine termino: iñocens, sine modo: impollutus, sine mensura. *Non est sanctus ut est Dominus,* dicunt & optimè quidem, divinæ scripturæ: adeo enim ingens est Redẽptoris nostri sanctitas, ut in hoc mũdo, nullos habeat fines, qui metiantur eandem: nullam habeat comparationem, quæ eandem adæquet, quæ illam repræsentet: Et prouti S. Greg Papa affirmabat: *In descriptione Redemptoris, omnia incomparabilia designantur.*

Can. 2. v. 9. — Serm. in Can. — Isaiæ. v. — In lib. Reg Cap. 1.

3. Hic est justus ille, à Regio Davide descriptus, ex mente S. August. qui in via peccatorum nunquam stetit: *In via peccatorum non stetit.* Quia tametsi p viã peccatorum, nascens venerit, ut eos liberaret; non tamen in illa, aliquo inquinatus peccato fuit: *Venit quidem in via peccatorum, nasc ẽdo sicut peccatores, sed nõ stetit, quia non eum tenuit illecebra sæcularis.* Hęc est fœlix illa arbor secus aquas humanæ corruptionis plantata, dicit Ambr. non verò intra easdem Aquas: *Et erit tanquam lignum, quod plantatũ est, secus decursus aquarũ,* tametsi enim per passiones carnis, nostris vicinus fuerit miseriis, non tamen in nostris culpis fuit submersus. *Rectè juxta decursus describitur, non in ipsis decursibus, ut finitimum, non demersum intelligas.* Hic est amantissimus ille sponsus, dicit Bernardus, qui in pedes semper erectus, & eleva-

Aug. in Ps. 1.

Cant.2. v.9. elevatus, retrò post carnis nostræ stetit parietem: *En ipse stat post parietem nostrũ.* quia in ista, cui se voluntariè submisit, fragilitate, nunquam visus est cadere: *Appropriavit Parieti, cum adhæsit carni &c.* Serm. 55. in Cant. *Et benè stãs, quia solus reverà in carne stetit, q carnis peccatũ nõ sensit.* Hic est Athleta, & pugil ille cœlestis, ab Isaia Proph. descriptus, inquit S. Thom. qui bella nostra prãsiens, pacificus semp fuit, atq; Isaiæ. 41. v. 3. in viarum nostrarum cœnũ pedem figẽs, nullum ibi sui reliquit vestigium. *Tansibit in pace, semita in pedibus ejus nõ apparebit.* à divinę namq; gratię abundãtia, & imẽnso charitatis fervore, alleviatus erat. *Sicut qui leviter incedit, quasi vestigiũ non derelinquit.* Hic est vivus inter mortuos, apud S. Hierosol. regẽ, Psal. 87. v. 6. inquit Epiphani⁹, aut ille inter servos, seu mãcipia liber, *inter mortuos liber.* Nũquam enim peccati serv⁹ extitit, quoadusq; inter peccatores dimorat⁹ est, neq; inter mortuos vivens, gratiæ unquam mortuus fuit: *In hujus vitæ statu, inter peccatores liber erat à peccato.* Hic est quietis locus, dicit Greg. Papa, in quo imaculata spiritus sancti columba, delitiosum reperit nidũ, in quo habitet Joan. 1. v. 33. æternum: *super quem viderit spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat.* Quia cum in cunctis aliis fidelibus, spiritus sanctus nonnũquã requiescat, nonnunquam verò dispareat, in solo redemptore ppetuum, & imutabile fixit domicilium: *In cunctis fidelibus venit, sed in solo Mediatore semper manet.* Et sicut Rupertus Abbas dicebat: *Spiritus Domini, qui adhuc in magna sylva generis humani requiẽ non invenerat, tandem super hunc florẽ requievit, in quo æterna statione permanens, nullam alicujus vitii repulsam pertulit.* Hæc est illa mystica Jacobi scala, inquit Bern., qui calce terram premebat, supremo autem sui fastigio cœlos tangebat: in qua Angeli, per contẽplatiõnẽ infirmitatis carnis, descendunt: ascendunt autẽ, per sublimis & incomprehensibilis Majestatis admirationem: *Ascendunt & descendũt, quod in uno eodemq; homine Christo IESV, & infirmitatem foveant, & stupeant Majestatem.* Hic est Agniculus, sine macula: Exod. 12. v. 5. *Erit Agnus masculus, absq; macula;* vel secundum literam septuaginta: *Erit Agnus irreprehensibilis?* aut juxta aliorum versionem: *Erit perfectus:* Quia nullus, sive in Christi divinitate, sive etiam in humanitate, quicquam contẽplari valet, quia res sit perfectissima, & cõsũmata: *Perfectus autem, non modo propter divinitatem, quo nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam.* Hic est serpens ille æneus, inquit Hugo Cardinalis, qui in aëra sublevatus, cum ipse omnis expers esset veneni, omnes tamen sese intuentes, veneni toxico imbutos sanabat: quia Christus ab omni prorsus peccato immunis existens, in forma tamẽ peccatoris, coram nobis comparens, gratia sua peccatores liberat. *Similitudinem serpentis habebat, venenum serpentis non habebat.* Hic est ille Candor Lucis æternæ, & divinæ bonitatis imago, inquit Tertullianus, quia in divinis operibus suis, & in verbis suis cœlestibus, gressus & mores æterni Patris sui, ad vivum retulit: *Vicarium se Patris ostendit, per quem Pater, & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in filio, facta & verba Patris administrante.* Hic est Nazaræus ille, cujus memini ... leri-

scripturæ, dicit S. Hieronymus: *Dictum est per Prophetas. Quoniam Nazaræus vocabitur. Quia Nazaræus interpretatur sanctus: Sanctum autem Dominum futurum omnis scriptura commemorat.* Hic est levissimus ille Capreolus, qui saliebat super montes, inquit, Glossa, quia tametsi natus fuerit Christus à Patriarchis, omnibus tamen Patriarchis levior extitit, quia peccatum non commisit: *Veram Carnem de Patriarchis assumpsit, sed levior illis est, quia illi pondere peccatorum pressi, iste immunis*: Unde eandem ob causam, super caulis inambulauit, inquit Theophylus Antiochenus: *Super mare ambulabat, quia Carnis peccatum non sentiebat. Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.*

4. Et profectò, quomodo offendere aliquando poterat illa Natura, quæ à divini suppositi omnipotentia portata, fortificata, ac secura remanebat, sicut Deus? aut communibus hominum miseriis subjici ille Homo, qui non solùm Homo, sed Deus simul & Homo erat? aut peccati venenum admittere vas illud, quod divinæ gratiæ balsamo adeo plenum, prorsusque refertum erat? aut rerum terrenarum spurcitie contaminari speciosa illa vestis, quæ Divinitatis attributis distincta erat per totum? aut rem quampiam indecẽtem videre, aut indignã, oculus ille purissimus, qui Deum continuò videbat? aut à recto honestatis tramite distorqueri, illa Regula, quæ rectitudine sua, nostras d rigere debebat obliquitates? aut errare, Magister ille, qui de cœlo missus fuerat, ut corrigeret totius mundi errores? aut immaculata, & innocens illa victima maculari, quæ Deo se se offerens, nostras prorsus deletura erat maculas? aut Cœlo displicere, ille, qui admirabili pulchritudine sua, tot prædestinatas Animas, Cœlo gratas, beneque placentes, reddere debebat? *Oportet sine peccato eum esse, qui tollit peccatum*, sic docet S. Bernardus, *Ecce Agnus sine macula, Agnus qui tollit peccata mundi.* Ille solus locupletare me poterit, qui Pauper nõ fuerit: Is sustinere me valebit, qui nullo sibi opus habet sustentaculo. Illa manus oculum à luto aut pulvere liberare poterit, quæ lutulenta, aut pulverulenta non fuerit. *Quis enim peccata meliùs tolleret*, dicit alibi idem Bernardus, *quam is, in quem peccatum non cadit. Iste sine dubio me lavare posset, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo, imò iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo. Talis decebat, ut nobis esset Pontifex.*

Serm. 2. in Cant.

Serm. 4. in vigil. Nat.

5. Quam mira est Sanctitas illa Domini, quæ efficit, ut nulla in mundo compareat sanctitas, quantum vis illa magna sit, & excellens? ad eum ferè modum, quo omnia minora lumina, ad Regis Planetarum disparent præsentiam: sic ad Sanctitatis Christi præsentiã, omnis bonitas absconditur, omnis innocentia denigratur, omnis Justitia languet. Adite ipsam Dei Ecclesiam, quæ se à radiis mirabilis virtutis hujus Solis Justitiæ obscuratam, & obfuscatam esse perspicuè protestatur. Unde dicit, *Nolite me cõsiderare, quod fusca*

Cant. 1. 5.

Apud Ghisl-lerium. *fusca sim quia decoloravit me sol.* Sic locum hunc interpretantur Gregorius & Bernardus: *Decoloratum se dicit à Christo, quatenus quãtalibet alioqui fulgeat sanctitate, in comparatione tamen illius Iustitiæ solis fusca appareat, æquè, ac stellæ fulgorem amittere videntur, in comparatione solis huius visibilis.* Adeò, ut ad tantæ sanctitatis præsentiam, omnis sanctitas fusca esse videatur, & obscura; sordida innocentia Abelis; frigidus Eliæ zelus; Abrahæ devotio tepida; immemor Davidis gratitudo; Iohephi Castitas maculosa: nigra Danielis pudicitia: debilis Machabæorum fortitudo. *Quantalibet fulgeat sanctitate, in comparatione tamen solis illius Iustitiæ, fusca appareat.* Lib. 18. Mor. Hoc sensu Gregorius, illa Iobi verba explicat: *non appendetur argentum in cõmutatione sapientiæ.* Argentum, meritorum sanctorum valorem significat, qui omnes simul juncti, non sufficiunt, ut vel modicum ad valorem sanctitatis Christi, æternæ Dei sapientiæ, pertingant: Psal. 103. v. 3. *Argentum ergo, in commutatione huius sapientiæ, non appenditur, quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione tamen unigeniti filij, nullius meriti fuisse pensantur.* Atque in eundem quoq; modum, idem Lib. 19. Moral. Gregorius, illum Psalmi locum declarat: *Qui ambulat super pennas Ventorum* venti, Animas sanctorum significant, ob levitatem, velocitatem, & sublimitatem eorum, qui pro Dei servitio, alas suas pennis habent instructas, ut discurrant, quocunque illas divina gloria deportat. Super has autem pennas, & supra sublimium illarum virtutum altitudinem, ambulat Dominus, easdemque infinito intervallo transcendit: *velocitate, & sublimitate virtutum, in scriptura sacra solent Animæ designari &c. Qui ambulat super pennas ventorum, id est, qui transgreditur virtutes Animarum.* Sancti, in vigilantissimus illis designati sunt Cant. 3. v. 3. Custodibus, qui in sacris Canticis, per Civitatem agebant excubias: *Invenerũt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* Inter hos tamen, sponsa dilectum suum non invenit, invenit autem eundem, quando omnes pertransierat: *Paululum cum pertransissem, inveni, quem diligit Anima mea.* Lib. 27. Moral. Rationem autem illius S. Gregorius Papa quoq; tradidit: *Quia visionis eius mens avida, nisi Prophetarum æstimationem nisi Patriarcharum celsitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram, transcenderet, eum, qui est supra homines, non inveniret. Transire ergo, vigiles, est etiã eos, quos miratur Anima, in ejus comparatione postponere: & tunc is, qui quærebatur, cernitur, si homo quidem, sed tamen extra mensuram hominum, credatur.* Non videbis hunc Dominum, si illum cæteros inter homines videre volueris. Transcende homines, cujuscunq; etiam demum fuerint sanctitatis, aut perfectionis: Transcende Prophetarum sublimitatem, integritatem Patriarcharum; Apostolorum perfectionem; Valorem superexcede Martyrum; zelum Confessorum: virginum Puritatem; Transcende omne illud quicquid in omnibus, & singulis iustis, reperitur boni, atq; omnibus istis supereminere reperies Redemptorem. Matth. 17. v. 9. *Tunc is, qui quærebatur, cernitur, si Homo quidem sed tamen extra mensuram hominũ, credatur.* Atque hinc est, quod dum Petrus, tria quondam in monte Thabor erigere decrevisset tabernacula, pro Christo videlicet, Moyse, & ELIA, Pater æternus, in

hæc verba loquens, auditus est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quæ verba, tonitru quoddam fuerint, Apostolum omnino perterrefaciés, ipsumq; gravissimi commissi erroris commonens, siquidem is Moysen & Eliam parem decreverat facere illi, qui parem non habet: æquiparare servos, cum Domino; filios hominum cum Filio Dei. Id quod advertit Ambrosius, cujus hæc sunt verba: *Sed emendatus Dei Patris authoritate, dicentis, Hic est filius meus dilectissimus, ipsum audite, id est, quid conservos tuos, cum Domino socias tuo? Hic est filius meus: non Moyses filius, non Elias filius, sed hic filius meus.* Quam Correctionem S. Petrus adeò sensibiliter percepit, ut in terram, veluti mortuus, prorsus ceciderit: *sensit emendationem Apostolus, procidit in faciem, consternatus Patris voce, & filij claritate.*

Lib. de Fide c. 5.

6. Hic Christus, in magno illo repræsentatus est sacerdote, in scripturis divinis, appellatur *maximus inter fratres suos.* Quilibet enim aliorum, quantumvis sit magnus, in hujus comparatione Gygantis, Pygmæus esse videtur. Ita notavit Origenes: Multos olim homines, in divinis scripturis appellatos esse magnos, priusquam is, qui omnium maximus est, in hoc mundo compareret; de quo Angelus benedictæ Matri suæ dixit: *Hic erit magnus.* Postquam autem Maximus ille comparuit, nullus jam deinceps magnus vocitatur, siquidem ille sua magnitudine, omnium aliorum grandium magnitudinem sustulit, aut diminuit. Magnus vocatus est Isaac, Magnus Iob, Magnus Moyses, Magnus item Ioannes Baptista. *Isaac proficiebat, & factus est magnus; Iob Magnus inter omnes orientales; Moyses magnus dictus est; & Ioannes Baptista magnus dictus est; nunc autem IESVS magnus, & post hunc nullus appellatus est magnus.* Comparuit ille magnus, atque in ejus præsentia, nullus visus est esse magnus. Omnes divitiæ, in conspectu thesaurorum Redemptoris, depauperantur, omnis Lux, ad hujus ingentis splendoris fulgorem, obscuratur; *nunc IESVS magnus est, post hunc nullus est magnus.* Ut proinde sponsa cœlestis, bene illum, vocavit eum, qui est *electus ex millibus.* Stabit enim hic ejus dilectus, medius inter millia millium sanctorum, videbiturque inter omnes sese in altum erigere, sicut Cedrus altissima in humiles Myricas: *Millia millium cum dilecto,* dicebat Bernardus, *& decies centena millia circa dilectum, sed nemo ad dilectum. Vnxit te Deus oleo Latitiæ, præ consortibus tuis.* Canebat olim Rex sanctus. Unxit te Pater æternus, oleo sanctitatis, & gratiæ, supra omnes consortes, ejusdemque unctionis comparticipes, illis namque favores, & dona spiritus, cum mensura & limitatione communicavit, tibi verò integrè totum cōtulit spiritum, sicut illum S. Ioannes, super venerandum ejus Caput, quiescere vidit. Hoc modo S. Basilius hunc Locum explicat: *Vnxit te Deus oleo Lætitiæ, præ consortibus tuis, quoniam illis; quidē particularis spiritus participatio dabatur, super Filium verò Dei, descendens spiritus sanctus, velut Ioannes dicit, mansit super eum,* ac proinde S. Bernardus, de gratiis, & prærogativis Christi loquens, multa cum veritate dixit; *Ille solus non habet modum, qui habet totum.* Sine numero, sine pondere, sine mensura gratias habet, qui totum habet. Atque eodem

Levitici 21. v. 10.

Origenes Hom. 7. in Levit.

Luc. 1. v. 32.

Origenes Hom. 12.

in Levit.

Psal. 44. v. 8.

in Psal. 44.

Basiliu[s] c. 2. Isai[æ]

Apo[c.] 19. v.

dem quoque modo, S.Basilius, interpretatus est locum illum Capitis 2. Isaiæ: *Et erit præparatus mons Domini, in vertice montium.* Mons Domini, est verbum incarnatum, qui super aliorum montium altitudine situatus esse dicitus, quia ubi aliorum justorum finitur, & consummatur sanctitas, ibi Christi sanctitas pridem inchoatur, utpote quæ omnem excedit altitudinem, omnem eminentiam transcendit, omnes terminos transgreditur, omnemque mensuram: *Itaque præcellens, & incomparabilis prærogativa Domini, supra omnes, qui simul adjuncti, quibusdam virtutum ornamentis enituerunt, demonstrata est præeminuisse.*

Basilius in c.2. Isaiæ.

7. Atque hæc est ratio, cur Christus, in sacra Apocalypsi, visus fuerit coronas, non tantum una Corona, sicut alij Beati, sed multis; *Et in Capite ejus diademata multa.* Imò Coronis omnibus, secundum usitatam Divinæ scripturæ Phrasin, quæ sæpe per multum, omnia intelligit. *Venit filius hominis, dare Animam suam pro multis*, hoc est, *pro omnibus*, uti interpretatur Theophylactus. Sic quoque alia loca intelliguntur, videlicet: *Hic est sanguis, qui pro vobis & pro multis effundetur*, apud S. Lucam. *Ipse peccata multorum tulit*, apud Isaiam: *Per inobedientiam unius, peccatores constituti sunt multi*, apud Paulum: *unius delicto, multi mortui sunt*, apud eundem. Quib⁹ in locis, idē est dicere, multi, ꝙ omnes Sic ergo, *In Capite ejus diademata multa*, id est, *omnia.* Habuit Christ⁹ omnes, Coronas, nō solū ideò, ut dixit S.Bruno, quia Christ⁹ in omnib. coronatus est sanctis, quia eorundem victoriæ, victoriæ Christi sunt, *quia in singulis sanctis, coronatur Christus, omnis n. victoria ipsius est*, sed potius, quia ipse in omnibus & singulis virtutibus, eminentissimus fuit, atque ideò omnibus Coronis est coronatus. *Et data sunt ei diademata multa.* Adeò, ut sicut nullam Christus Dominus produxit operationem, nec tentavit consilium, nec protulit verbū, neq; cogitationem aliquā concepit, quæ extremæ, consūmatæq; non fuerit perfectionis, ita quoq; dignum fuit, ut omnibus honoraretur coronis, quæ aliquando dandæ sunt alicui justorum in Paradiso. An non illud audistis Tertulliani dictum, quod omne id, quod hactenus diximus, breviter, sed nervosè, & vivaciter exprimit, dicit enim; *Quid non cœleste, quod Domini Christi est?* Quid porrò in IESU Christo Domino nostro reperies, quod cęleste non sit, atq; divinum? Aut quid in sancto aliquo perfectissimo, & irreprehēsibili, desiderare poteris, quod per eminentiam non sit in Christo? Charitatem? Quænā major esse potest Charitas, quam laborare annis triginta tribus, pro nullam præstiti laboris habentibus memoriā, pati pro inimicis, mori pro ingratis. Patientiam? Quid vita sua aliud extitit, quā perpetuum quoddā, & continuatum Martyrium? Humilitatem? An non in stabulo inter bestias nascitur? Nunquid vivens, plebis totius fuit opprobrium? Nunquid divos inter Latrones, veluti latronum caput est mortuus? Mansuetudinem? Intuere ipsum infinitas tolerantem cōtumelias, & injurias, ab omni personarum genere, absque omni prorsus veluti sensu, aut quærela; considera eundem, conscendentem Crucem, velut Agnum, neque os suum aperientem. Zelum Animarum? Ecce ipsum, sudore prorsus madidū, juxta puteum Sichem.

Apocal. 19.v.12.

Serm.3.de Mart.

En ipsum, in porticu templi prædicatorem sollicitum: En ipsum, in Convivijs ac domibus peccatorum familiarissimum Conversatorem. Obedientiam? Obedientia ipsum ad hoc nostrũ adduxit desertum, Obedientia ipsum in horto agonizãtem, inter mortis angustias, & colluctationes, in Patris sui voluntatem resignatum prorsus reddidit; Per meram Obedientiã in mortem ipse se resoluit. *Factus obediens usque ad mortem.* Paupertatem? Vide illum, non habentem, ubi caput suum reclinet; intuere illum, ab omnibus Bethlehemiticis exclusum diversorijs; respice ipsum in Crucis trunco pẽdentem nudum. Fortitudinem? Quis absq; extraordinaria fortitudine, tantam unquam dissimulare potuisset ingratitudinem? Devorare tantas injurias? Tanta sufferre pericula ac persecutiones? Compassionem? Vide ipsum ad sepulchrum Lazari, præ teneritudine lachrymantem; juxta Hierosolymę mœnia, ob extremas infœlicissimæ illius urbis ruinas, amarè plangentẽ; in patibulo quoque Crucis Indulgentiam pro Crucifixoribus suis à Patre postulantem. Orationem? Ecce ipsum, in montibus ac in desertis, totas in vigilijs, & orationibus noctes consumentem. *Erat pernoctans in Oratione Dei.* Iustitiam? An non illum flagellis armatum, mercatores è templo pellentem vides? An non vides eundem, æternas sceleratis flammas cõminantem? An non respicis illum, plena cum libertate reprehendentem Pharisæorum hypocrisin? Liberalitatem? Quis unquam fuit aut aliquando esse potuit ipso liberalior, qui postquã omnia dedisset nobis, tãdem pro Epilogo suæ q; munificentiæ catastrophe, etiam in venerãda Eucharistia semetipsum donavit. Mihi ergo cum S. Basilio dicere liceat: *Ille quantuscunq; erat, nil nisi virtus erat.* Liceat dicere cum S. Bernardo; *Quia finis virtutum, apud Dominum virtutum.* Mihi affirmare liceat, in Christo adimpletam esse Regis sanctiProphetiam; *Et omnia quæcunq; faciet, prosperabuntur. In quo evidens, testificatio est,* dicit S. Ambrosius, *quia de Salvatore dictum est. Cujus enim, nisi ipsius facta possunt universa laudari, & prosperos habere exitus.* Liceat mihi, illud Isaiæ repetere oraculum: *Semita justi recta, & rectus callis justi ad ambulandum*; aut secundum quod legit Hieronymus: *semita justi, rectitudines.* Sed eccur dicit *rectitudines*, in numero plurali? *Quia in una Christi semita, omnes justitiæ reperiũtur.* Liceat mihi id affirmare, quod dudum ante Propheta prædixit, scilicet; *voluntas Domini, in manu ejus dirigetur.* q. d. Voluntatẽ Patris ipse manu sua diriget, suis namque virtutibus, Paternum velle totaliter adimplebit. *Vt quidquid Pater voluit, illius virtutibus impleatur*, interpretatur Hieronymus.

In Const. Monast. 4. Serm. in Cant. Ambr. in Psal. 1. Hieron. in Isaiæ 26. Isaiæ 53. v. 10.

8. O ter quaterq; beatæ vos Palestinæ regiones, quæ cælestem hanc scenam, tanto vobis tempore habuistis præsentem, in qua vivæ quasi, ac velut spirantes, omnes comparuere virtutes: quæ à tam rari & incomparabilis exempli illustratæ fuêre splendoribus. Beati oculi, qui prodigiosum illud, omnis consummatæ perfectionis, viderunt simulachrum? Dicite, sodes, & fælicissimi fortunatæ illius Patriæ habitatores, & incolæ, quales fuerint hujus Domini, in domo benedictæ matris

suæ,

suæ, adhuc pueruli infantiles mores? quales sui applicationes in obsequio & servitute sanctissimi Iosephi? quales in parcæ ac frugalis mensæ refectione, ac brevissimi somni sui requie, compositiones, ac modestia? Quinam ejus in ætate iuvenili fuerint comites atque sodales? Quis in tanti temporis cursu, beata sua honoratus fuerit Conversatione? Quales fuerint illius discursus? Qualia negotia? Quænam recreationes illius? Vos etiam Apostoli, domestici domus Dei, & hujus Domini perpetui contubernales, qui infinitorum prodigiorum, à Magistro vestro, in ultimo vitæ suæ triennio operatorum, testes fuistis, narrate, obsecro, mihi incomparabiles Redemptoris virtutes. Quorum fervore, Patris prædicarit gloriam? Quo cum peccata mundi detestatus sit zelo? Quanta cum sapientia, cælorum manifestarit secreta? Cum quanta amabilitate, & benevolentia, cum peccatoribus conversatus sit? Quanta cum fortitudine tot ob animarum amorem aggressus sit itinera. Qua cum generositate, vitia reprehenderit? Quali cum modestia, reiecerit honores? Quanta cum mansuetudine, sustinuerit probra, & injurias? Quali cum lætitia concesserit in mortem? verum enimverò, quia prævideo, me tam alto sermonis subjecto tractando, longè imparem fore, verbis utar S. Bernardi, qui ita loquitur: *Beati oculi, qui viderunt Dominum Majestatis, in carne præsentem; auctorem universitatis, inter homines conversantem; virtutibus coruscantem; infirmos curantem; mare calcantem; mortuos suscitantem; Dæmonijs imperantem; & potestatem similem hominibus conferentem; mitem & humilem corde; benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem; agnum Dei, peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures, quæ verba vitæ, ab ipsius incarnati verbi ore, percipere merebantur; quibus annuntiabat unigenitus, qui est in sinu Patris, & nota faciebat, quæcunque audivisset à Patre, ut fluenta doctrinæ cœlestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent.*

Serm. 6. de Ascensione

9. Veruntamen, inter hæc omnia, adeò cæci fuerunt Hebræi, ut sanctitatem hanc, adeò coruscam atque perspicuam, minimè viderint, quin potius ad lapides accurrerint, & silices, sanctũ sanctorum lapidare volentes, veluti sacrilegum, atque blasphemum, atque lingua sua verè diabolica dicere ausi fuerint: *scimus quia hic Homo peccator est.* O intolerabilis blasphemia, venenum infernale, verbum utique à Sathana suggestum illisque dictatum! *Hic Homo peccator est.* Ergone peccator erit, qui adeò procul semper à peccato extitit alienus? Qui in hunc mundum venit, ut profligaret peccatum? Qui prædicavit eo potissimum fine, ut peccati ostenderet turpitudinem ac enormitatem? Qui in quotidianis suis sermonibus, nihil unquam adeò, sicut peccatum, est detestatus? Qui propter peccatum, factus est victima? Qui sanguinem denique, ac vitam, ad peccatum delendum exposuit? *Nos scimus quia hic Homo peccator est.* Hiccine peccator erit, qui in omnibus scripturarum oraculis, nominatus est sanctus; in ore omnium Prophetarum, celebratur ut justus; ab omnibus antiquis figuris, ut innocens est prædicatus; cui Gabriel nondum adhuc con-

Ioan. 9. v. 24.

cepto', sancti titulum, per excellentiam, attribuit? *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur, filius Dei. Nos scimus quia hic Homo peccator est.* Porrò, qua ratione peccator appellabitur is, qui tot sanctitatis suæ habuit testimonia? Angeli ipsum velut
Luc.2.v.10. mundi annuntiant Salvatorem: *Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Salvator mundi.* Pater æternus ipsum Cordis sui nominat dilectum: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Baptista, illum velut Agnum, peccata mundi tollentem, monstravit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Petrus, ipsum vitæ suæ manifestavit esse vitam: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Martha illum filium confitetur altissimi: *Tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Populi eundem veluti ventorum & maris admirati sunt Dominum: *Qualis est hic quia mare & venti obediunt ei.* Simplices & Idiotæ, Prophetam Domini ipsum appellant: *Hic est IESVS Propheta.* Turbæ illum velut in rebus omnibus eximium prædicant benefactorem: *Bene omnia fecit.* Infantes illum, velut de Cœlo missum, benedicunt: *O sanna filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Iustitiæ ministri, ipsum in verbis suis, plusquam hominem fuisse, pronuntiant: *Nunquam sic locutus est Homo.* Iudex ipsum protestatur esse innocentem: *Quid enim mali fecit?* uxor ejusdem idipsum confirmat, jubetque dicit marito: *Nihil tibi & justo illi.* Traditor, se sanctum tradidisse hominem fatetur. *Peccavi, tradēs sanguinem justum.* Latro inter omnes clarissimè dicit: *Hic verò nihil mali gessit.* Et tamen infælices, illi dicere audent: *Nos scimus, quia peccator est.* Verè manu nostra palpamus idipsum, quod S. Paulus dixit: *Cæcitas ex* ad Rom 11.v.25.
parte contiuuit in Israel; Et quia cæcitas ex parte contigit, inquit S. Bernardus, *ideo decorum sine decore viderunt.* Quid mirum est, si is qui non videt, lucem quoq; non videat? Quod cæcus, pulchritudine nequicquā moveatur? Quod gemmæ pretiosæ, non apprētientur inter tenebras? *Quia cæcitas ex parte contigit, decorum sine decore viderunt.*

10. Non vos scandalizet, ô ignorātes, videre vos in carne nostra Christum, hoc est in hac massa infecta & contaminata, in hoc pendere, quod semper gravat, trahitque deorsum, in hoc scandalo spiritus, si quidem respōsi illius meminisse debetis, quod dat S. Ambrosius scil. quia *Carnē nostram ha-* Lib.1.de Pœnit.
bebat, sed carnis vitia nō habebat. Ferebat saccum hunc ignominiosum, quē nos omnes portamus, sed non in proprij peccati Pœnitentiam, sed in alieni criminis medicinam, & remediū. Ita me docet S. Hieronymus supra illa Davidis locum: *Conscidisti saccum meum. Quid est* Hieron. in Psal.19.
saccus Christi, nisi moralitas, quam de nobis assumpsit? Et licet habuit saccum, sed non habuit opus sacci, id est, peccatū, de quo scriptū est: Qui peccatū non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; Habuit Dominus Naturæ nostræ saccum, operationem tamen & sacci huj⁹ effectus nequaquā probavit: Carne vestit⁹ fuit, sed sine aliquo Carnis vitio, in eodem nostra minimè gravatus miseria, sed sua ornatus misericordia: *Licet habuit saccū, sed nō habuit op⁹ sacci.* An nō sępius audistis, Carnē Christi, ejusdē appellari Coronā? *Egredimini filiæ Syon, & videte Regē Salomonē, in diade-*

que

mate, quo coronavit eũ mater ej⁹, in die desp õsationis, & Lætitiæ cordis sui. Et fælix caro, inquit Gilibertus Abbas, *quã sibi Christus, non quasi Carcerem, sed quasi Coronam assumpsit: quæ fuit ornamento, non oneri. Bene quasi diadema accipitur Corpus immaculatum, Corpus triumphi, Corpus honoris, & gloriæ Corpus cujus cruore deletur Chyrographum justitiæ & salutis, & signatur conscriptio, nuptialia sunt instrumenta confecta.* Caro nostra Carcer est, sed ea quæ fuit Christi, Corona est: Illa pondus est, hæc ornamẽtum; Illa mortis, hæc fons vitæ perennis: Illa ignominiosa, hæc honorifica; Illa Instrumentum peccati, hæc peccati remedium. *Corona nobis est, Incarnatio, quam vos putatis contumeliam.*

Gilibertus serm. 10. in Cant.

11. De Christo verbum aliquod intelligitur Zachariæ prophetæ, estq; illud ꝙ de Jesu filio Iosedech loquens, dixit, *Nunquid non iste torris est, erutus ab igne?* S. Hieronymus id, quod de Jesu filio, Josedech dicitur, optimè de Jesu filio Dei intelligit: quia Caro Christi, ex universali aliorum hominum massa desumpta videbatur, cum tamen ipsa ab Igne Concupiscentiæ Babylonico libera esset, & immunis, ideoque *torris erutus de igne, quia cum in Babylone fuerit, non est Babylonico igne consumptus, nec flamma sæculi hujus attactus.* Atque ideò S. Ambrosius dicit, Christum fuisse Dominum illum de quo Isaias loquebatur, dicens: *Dominus ascendit super nubem levem.* Sed qualis est isthæc levis nubes? Caro Redemptoris. Sed cur nubes? quia gloriam cooperiebat Divinitatis. Cur autem levis? quia pondus non habuit peccati, *In nube venit, quem nebula Corporis obumbrabat: sed levis erat Caro, quam nulla sua gravabant delicta. Quomodo enim peccatis gravaretur suis, qui auferebat omnium peccata populorum?* Atque ex ejusdem Ambrosij mente David Christi nomine loquebatur in Psalmo 40. quando dicebat: *suscepisti me de utero matris meæ,* cujus rationem S. Doctor adfert, dicens: *Ideò eum Pater suscepit, quia ortum illius, nulla Corporeæ generationis concretio usitata fuscavit &c. immaculatus ad Patrem rediit, à quo immaculatus exivit.* Denique majori idipsum cum perspicuitate S. Paulus dixit, cum ait: Deum misisse filium suum, *in similitudinem Carnis peccati.* Nota, quod dicat: Christum in similitudinem Carnis peccati missum fuisse, non quia veram non habuerit Carnem, quæ fuit Manichæorum blasphemia: *factus est, quod fecit,* sed quia nostram Carnem assumens, peccatum quoque Carnis non assumpsit, sed uti mox cũ S. Ambrosio dicebamus: *Carnem habebat nostram, sed Carnis vitia non habebat,* ideò Caro Christi fuit ad similitudinem, non de conditione Carnis nostrę, sed in similitudinem Qualitatis Carnis nostræ. Caro nostra est Caro peccatrix: Caro Christi verò innocens est; Nostra pondeus est intolerabile, illa verò Christi Ornamentum & pulchritudo; Nostra, Carcer, Christi templum; Nostra Concupiscentiæ Instrumentũ & fames, Christi verò Redemptionis humanę ministra; Nostra Corpus mortis; illa Christi, domicilium vitæ; Nostra inimica spiritus; Christi verò ejusdem socia. *Talis decebat nobis, ut esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, & excelsior cælis factus.*

Zachariæ 3. v. 2.

Hieron. in Zach.

Isa. 19. 1.

Serm. 4. in Psal. 118.

In Ps. 40.

ad Rom. 8. v. 3.

12. In-

12. Interim mille dicamus gratias illi, qui singularem hanc gratiā fecit nobis, ut nobis Magistrum daret, tanta ornatum sanctitate, adeoque raris præditum virtutibus, ut disparere fecerit, quicquid pulchrum omnibus alijs inesset sanctis. Millies glorificatus sit Pater æternus, quia adeò amavit Mundum, aliàs indignum amari, ut rarum adeò illi placuerit conferre beneficium: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Benedictus etiam sit ipsemet Christus JESUS, qui non est dedignatus, de Cœlo, in infœlicissimam hanc nostram venire mansionem, nostri exilij pertransire compita, familiariter cum minimis suis conversari servulis; Et quod potissimum est, nos tum Doctrinæ suæ luce, tum Exemplo vitæ, viam docere vitæ æternæ, sanctitatis & justitiæ ostendere semitas, atque beatissimæ cælestis Paradisi Patriæ edocere mores.

SECUNDA PARS.

13. Transeamus nunc, à Christi operibus, ad Doctrinam; à sanctitate, ad veritatem; ad sapientiam, ab innocentia: *si veritatē dico vobis, quare non creditis mihi?* Hæc est illa veritas, tantopere in mundo expectata, tamque sollicitè exquisita, ac postulata. Videbatur enim mundus iste, ante natum Iustitiæ solem, in infinitorum errorum obscurissima nocte constitutus, cum sancto Propheta dicere: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* In quem locum S. Augustinus dicit: *Ipse est lux tua, ipse est veritas tua. Hæc omnia duo res una. Quid est enim aliud, Lux Dei, nisi veritas Dei? Aut quid veritas Dei, nisi Lux Dei? Et hoc utrumque unus Christus.* Veniat veritas, & veniat Lux; veniat Christus, qui summa Lux est & summa veritas, ac tantas, caliginosæ noctis hujus, diffuget tenebras. *Emitte Lucem tuam, & veritatem tuam.* Orat, (est S. Ambrosij commentum) *ut squalorem hujus sæculi repulsura Lux, irradiaret; æterna adesset veritas, quæ fallacem imaginem hujus mundi, aboleret.* Et profectò, jure merito Sanctus Doctor, mundum hunc, imaginem fallacem appellat, in qua omnia adulterata erant, atque corrupta: mera confusio, atque fallacia, ubi passim mendacium regnabat, ubi denique negotia atque commercia omnia tenebris contaminata erant falsitatis. Templa Dijs falsis plena; pleni erroribus libri; scholæ plenæ ignorantiæ; tribunalia plena perjurijs; Pleni vanitate Magistratus; synagogæ Hypocrisi plenæ; Curiæ principum, plenæ adulatione: Regna duplicitate plena; Domus privatæ, plenæ cæco interesse, ac proprij commodi studio. Quænam in mundo veritas reperiri porterat, ubi vitium in legem abiverat; virtus habebatur ludibrio; Innocentia ignavia reputabatur; vindicta generositas; Malitia prudentia; Furor fortitudo; Insidiæ providentia? ubi adeò obfuscatum erat rationis lumen, ut ne quidem videri posset, quod passim videbatur ab omnibus, neque cognoscebatur is, qui tot se modis exhibebat cognoscendum, in Creaturis cœlestibus, & sublunaribus, in mundi, rerumque mundaanrum providentia; in ordine temporum, & motuum proportione; in causis liberis, & necessarijs; in beneficijs, & in supplicijs. Anne veritatē ibi invenies,

Ps. 42. v. 3.
Arg in Ps. 42.

invenies, ubi ipsummet Divinitate sua Deum spoliarunt, eandemque, ut sceleribus suis tanto plus adferrent authoritatis, sceleratioribus totius terræ attribuerunt hominibus; Jovi videlicet, qui erat lascivus; Iunoni, quæ invida erat; Saturno, qui propriorum filiorum erat occisor, & Carnifex: Veneri, luxuriis ac turpibus deditæ amoribus; Mercurio, qui latro erat; Baccho, qui meribibulus erat, ebriosusq; potator; Herculi, qui erat furiosus; Romulo, Parricidæ, atque raptori; Floræ Meretrici; Faustinæ adulteræ; Antinoo, qui Cinedus erat? Et quid plura? an forte expectatis, ut in medium vobis adducam, numerosam illam falsorum numinum, à fatuo mundo stultè adoratorum, cateruam, ab ipsis mortalibus, ad vilissimas etiam abjectissimasq; functiones, destinatam? Pallorem, & Pavorem, à Tullo Rege inductos, Febrim à Romanis; Risum à Lacedæmoniis; Pœnam, & beneficium, à Democrito; Necessitatem & violentiam à Corinthiis; Deum Miodum, ad Muscas pellendas, excogitatum è Græcis, & infinitos alios, ad ipsum usque Deum sterquilinium, & Deam Cloacinam. Non hic eorum recensebo officia, id namque tum loci præsentis honestas, tum eorum qui me auscultant, respectus, facere prohibet.

Lib. 1. de præscript. Hæret. 14. Poterat interea, quadantenus intelligi, quam merito jure, sapientia mundana, à Tertulliano, dicta fuerit *temeraria interpres divinæ Naturæ*, eo quod infinita quadam cum temeritate, in illud divinæ Naturæ attributum, involaverat, quod proprium eidem est, ac naturale; ex altera verò parte, eidem Divinitati varia attribuerant, eandem minimè decentia, atq; à summa & æterna illius Majestate, longissimè remota. Stulta enim mundi sapientia, ad certum quēdam locum Divinitatē restrinxerat, cum illa sit immensa; ad certum determinaverat tempus; eā, quę ęterna est, & immortalis; dividebat in partes, illam, quæ simplicissima existit; aliquibus tantum limitatis præficiebat officijs, eam, quæ præsidet omnibus; pondere gravabat corporis, eum, qui spiritualis, est; ignorātia excæcatum, fingebat, eum, qui mera est intelligentia; defectibus obnoxium, illum, qui irrepręhensibilis est; adversis subditum, eum, qui omnipotens, est. *Temeraria ergo interpres divinæ Naturæ*, est stulta sæculi istius sapientia. Extremè igitur necessarium erat, hunc in modum, supplices nos Deo fieri, ac dicere: *Emitte lucē tuam, & veritatem tuam.* Quidnam obsecro Thales Philosophiæ Princeps quondam Crœso, de Natura Dei hunc interroganti respondit? Nunquid dilationem responsi semper postulans, eundem delusum dimisit? inquit Tertullianus. *Quid ille, Princeps Physicorum, Crœso de Divinitate certum renuntiavit, Commeatus deliberandi sæpe frustratus?* Verum enimverò, postquam in mundo perspicua veritatis lux comparuit, omnes, ad ipsum usq; Mechanicū operarium, de Deo, liberè & veraciter loqui norunt, eundemq; ostendere possunt, illum nequaquam videntibus, ac deniq; singulorum, quæ de Natuta Divina interrogari possunt, reddere rationem: *Deum quilibet opifex Christianus & invenit, & ostendit: & exinde totū, quod in Deo quæritur, re quoq; assignat*, Videte igitur, an infelix mundus iste, in densissimis hisce tenebris, maximam non ha-

 buerit

buerit causam dicādi: *Emitte lucem tuā, & veritatem tuam.* Mitte, ô Domine, pulcherrimam illā Verbi æterni lucē, hæc enim manifestabit seipsam, & una secū cuncta alia. Adsit æterna, hæc veritas, quæ à fallaci hoc mundo, tantas diffuget tenebras, quæ in procelloso, cernitur, tot tātaq; manifestet pericula; quæ sanctitatē eminere faciat, invisam authorizet cōmendetq; innocentiam, justitiam verò conculcatam exaltet: Quæ Cœli revelet pulchritudinē, ut ab omnibus desideretur; vitij enormitatē, ut fugiatur; divinorū judiciorū rigorē, ut timeantur; Mercedis amplitudinē, ut tanto majoris æstimetur, rerū humanarum varietatem, & inconstantiam, ut vilipendantur; Gratiæ vigorem, ut pro dignitate sua æstimetur.

Isa.59.v.15. 15. Oblivione sepulta erat in mundo veritas, conformiter illi Isaiæ Oraculo: *Et facta est veritas in oblivionem*; Nemo quippe erat hominū, qui liberè profiteretur eandē, unde densissimę ignorātiæ tenebræ ibidē regnabant. Sunt enim nonnulli in mundo qui veritatem dicere volunt, & nesciunt dicere; Alij sciunt dicere veritatem, & nolunt; Alij deniq; sciunt, nec non & volunt veritatē dicere, nec tamen possunt. Et primo quidem dico, Multos esse qui nesciunt veritatem, quam tamen dicere & propalare volunt; Atq; tales sunt, qui summa cum temeritate, & arrogantia, Cathedris & Magistratibus sese ingerunt, atq; intrudunt, cum sint ipsi sine literis, sine sapientia, sine prudētia. Quid est, inquit Gregorius, Theologus, quod gemmæ valde pretiosæ passim non videantur subnasci, sed magni a inquirūtur & investigantur cum diligentia, atque ex regionib. remotissimis, & quasi de uno mundo ad alterū transportentur; Neque in quavis demū terra, nasci videntur ornamenta, neque in omnib. locis generosorum Equorū reperiuntur divitiæ, sed in certis duntaxat, ac determinatis Provinciis, ijsdemq; adhuc valde raris? Et tamen si de Prælato creando agatur; talis passim in omnib. locis, summa cum facilitate, invenitur, videbis enim, talem, si opus fuerit, ex rusticis nasci tuguriis, ex sordidis prodire tabernis, & fortasse ex fori strepitu, aut etiam militari Palæstra & Campo: *Qui fit, ut magni quidem pretij gemmæ, difficulter conquiri possint, & non cujusvis terræ loci, sit aromata ferre, ut equorum, itē malorū magna sit copia, cum generosos tantū domus locupletum alant: Antistes vero, facili momento reperiatur, qui nihil antea præstiterit, & novitius ad dignitatem accedat? O subitam morum mutationem! Res divinæ modo sunt; actus alearum cuborumque.* Profectò, res est, tam planctu digna, quàm frequentatione usus ordinaria, videre, ad dignitates & Prælaturas, assumptos homines indignos, atq; unico in momento, in Magistros creari illos, qui nunquam fuêre discipuli. Qui heri ensem manu sua strictum ferebat, hodie pedum gestare Pastorale, Heri in Capite Galeam habentem, hodie mitra ornatum esse; Heri ambitiosum in Curia, hodie Pastorem esse Ecclesiæ; Heri educatum in foro; hodie Prædicatorē fieri in templo, Heri Parasitorū immistum contubernio, hodie sacerdotum insertum Collegio, de quibus, uno verbo, cum sancto Doctore, dicere liceret: *Heri Simon Magus eras, hodie Simon Petrus.* Atq; istud profectò maximum

Nazianzen. Lib. Cygn. Carm.

mum eſt ſupplicium, quo Deus aliquē caſtigare poſſet populum, conformiter ad id, quod comminabatur apud Prophetam: *Dabo Pueros principes eorum; Pueros ſcilicet inſipientes, Principes, & Rectores.* interpretatur Hieronymus Oleaſter; Sicut enim Hugo Cardinalis advertit: *Pœna magna eſt habere Prælatum cupidum, vel avarum, ſed major eſt habere ſtultum.* Non poteſt majus à Deo infligi ſupplicium, quàm ſi alicui populo, Civitati, aut regno, modica prudentia præditum hominem, in ſuperiorem præficiat.

16. Invitatus quondam talis quiſpiam fuit apud Iſaiam, ut populi in ſe ſuſciperet regimen, fieretq; Rex; *Eſto Rex noſter.* Sed hic quid reſpondit? *Non eſt in domo mea Panis.* Mira reſponſio; Quomodo enim conjungũtur, Non habere Panem, & non fieri Regem? Cyrillus ad hoc reſpondebit: *Non eſt in domo mea Panis, id eſt, non eſt ſapientia.* Nolite me Regem facere, non enim mihi domi meæ, illa ſapientia eſt, atq; ſagacitas, quæ ad regimen requiritur. Nolo Rex eſſe, quia non ſum ſapiens; Nolo hoc mihi Caput redimiri Corona, quod illa caret prudentia, & circumſpectione, quam poſtulat Corona. Et ubi ergo nunc ſunt illi, qui ſine tantis reſpectibus, ad Regimina aſpirant, & Cathedras? Quod ſi cæcus es, quomodo videbis, ut dicas alios, qui non vident? ſi neſcius es, quid facturus es, ut doceas? aut qua temeritate, audebis tibi arrogare Magiſterium, qui nunquam egiſti diſcipulum? Si in domo tua Panem non habeas ſapiẽtiæ, quomodo famelicum confides tibi paſcere populũ? An non Chriſtus, ſummum bonum noſtrum, dixit: *Si Cæcus cæco ducatum præſtet, nonne ambo in foveam cadunt?* O ruina Eccleſiæ Dei irreparabilis! O intolerabilis filiorum Adæ cœcitas! nimirum. Promittere quod non habes; aut quod non es, profiteri; docere idipſum, quod neſcis; exhibere, quod non habes. *O inſignem, caliginem* exclamabat Nazianzenus, *ſi es omnino cæcus, quamobrem alios, quaſi manu ducis, ipſe nihil cernens?* Audiant, obſecro qui ſunt ejuſmodi, illud ſancti Iſraelitarum Regis oraculum: *O'ſcurentur oculi eorum, & dorſum eorum ſemper incurva.* Oculi, inquit Gregorius, ſunt Prælati; Dorſum ſive humeri, populum ſignificant, qui tunc ad peccati ſarcinam portandam incurvabuntur, quando oculi, hoc eſt, Rectores & Gubernatores, ignorantia fuerint obſcurati, adeo ut ſi illi fuerint tenebroſi, hi futuri ſint vitioſi; illi ſine luce, hi ſine virtute; illi Doctrinæ expertes, hi omnis ſanctitatis inanes: *obſcuratis igitur oculis, dorſum flectitur, quia cum lumen ſcientiæ perdunt illi, qui præſunt, profecto ad portanda onera peccatorum curvantur, qui ſequuntur.*

Matth. 15. 14.

Pſ. 68. v. 24

Georg. p. 1. Paſtoralis.

17. Hoc erat evidens iſtud periculum, quod Gregorium Nazianzenum faciebat plangere, ac dicere: *Conſpicio ſapientes diei unius momento exortos, ac manuum impoſitione Theologos factos, quibus ad ſapientiam comparandam, ſatis ſupra eſſe videtur, ſolam voluntatem adferre.* Quales ſunt illi ſapientes, qui in unico veluti momento, ſapientes facti ſunt? Quales Theologi, qui per alienarum impoſitionem manuum facti ſunt, ejuſmodi? Quales Doctores illi, qui fungi, unica nocte naſcuntur qui aliud Doctoratus ſui non habent privilegium, quam

Nazianz. orat. 24.

propriam voluntatem. Recordentur, hi, obſecro, Paulum Gentium Apoſtolorum, priuſquam ad verbum Dei prædicandum mitteretur, eruditum ab Anania fuiſſe, atque ad pedes Gamalielis, Greg. Papa in c. 1. Reg. cæleſtem didiciſſe doctrinam; Quia vero nec hoc, ad iſtud muneris impoſiti exercitium ſufficiebat, ad Cæleſtem raptum fuiſſe ſcholam, ubi arcana Dei didicit maxima. Atque ita Gregorius Papa, hunc Pauli ſolum tractans, dixit: *ante ad tertii Cæli ſecreta ſuſtollitur, & ſic terrena diſponere perhibetur.* Eodem modo Ezechiel Propheta, antequam Doctrinam cæleſtem populo ſpargere inciperet, prius à Deo iuſſus eſt, myſticum illud devorare volumen, quia, ut Hieron. in Cap. 4. Ezech. S. Hieronymus advertit: *niſi ante comederimus apertum volumen, docere non poſſumus.* Et de hujuſmodi, idem Hieronymus dicit: *cum loqui neſciunt tacere non poſſunt; docentq; ſcripturas, quas non intelligunt; & cum aliis perſuaſerint, eruditorum ſibi aſſumunt ſupercilium: prius imperitorum magiſtri, quam doctorum diſcipuli,* Hi tales faciant, quicquid etiam poterunt, tandem in populis magna ſua ignorantia aliqua præter ingentia damna in populis, nihil efficient; vocari quidem Lux mundi poterunt, ipſi tamen in ſuis ſemper remanebunt tenebris; Doctoris titulus illis quidem attribuetur, docti tamen nunquam erunt; Promulgatores ſe veritatis eſſe profitebuntur, reapſe tamen propagatores erunt erroris. Hi ergo ſunt illi, qui veritatem docere volunt, ſed neſciunt.

Greg. lib. 10. Moral. 18. Nunc ad illos veniamus, qui veritatem quidem nōrunt, illam tamen dicere ſeu promulgare nolunt. Tales primo ſunt hujus terræ Politici, qui ſecundum ſęculi hujus gubernantur prudentiam, quæ à S. Greg. Papa hiſce verbis deſcribitur: *hujus mundi ſapientia eſt, Cor machinationibus legere; ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare.* Sapientia hujus ſæculi eſt, cordis intentiones diſſimulationibus obtegere; Veritatem ſub mendacij Larua abſcondere; Pallio veritatis veſtire errorem; facere evidens, quod videri non poteſt; unam rem pro alia infirmare; chartas tibi, ut dici ſolet, tanta cum dexteritate, in manu tua vertere, ut nemo idipſum perſpiciat; fingere id, quod non eſt; id verò quod eſt, diſſimulare; plangere, ubi videatur, poſtea, ubi plangitur; cum veræ Charitatis fictione, proprium ſemper quærere ac promovere intereſſe; & cum apparentia juvandi, alterius procurare nocumentum; mentis venenum, dubium verbulorum melle condire; jucundiſque diſcurſibus, inſidioſarum technarum indulcorare amaritudines; trahere ſaxum, & retrahere manum; Centum quaſi apertis oculis, rem quampiam viſam ſibi habere, atq; perſpectam, & tamen ſe non vidiſſe fingere; de alterius gaudere malis, foris verò compaſſionem ſimulare; dare, ut tollatur, liberalitatem vero, ad ſerviendum avaro cuipiam, & ſordido lucro reſtringere fugere ut majorē quis faciat progreſſum: ſeq; timidū fingere, atq; modeſtū, ad majorē conceptæ im- Iacobi 3. v. 15. pudentiæ aperiendū aditū. *Non eſt iſta ſapientia, decurſum deſcendens, ſed terrena, Animalis, Diabolica,* dicebat, & jure mētio S. Iacobus Apoſtolus. Quænā enim eſt iſta ſapientia, quæ non tā docet, quā decipit; tenebras nō pellit, ſed venatur; nō detegit Veritatē, ſed obtegit, & obumbrat, & prorſus ſepelit? Sapientiæ

veræ

ſingula mõſtrare, ſicuti ſunt; indicat illa verò, quę non ſunt, ſed tantū apparent, mala, digito velut cõmõ ſtrare; veritatē velamētis exuit peregrinis, eandem q; qualis videri apparet, ſolidā & regiam cordibus confert generoſitatē, & magnificentiā, ſublimitatē, verò ex inflatione formatā, & amplicatā per mendacium reprimit; neq; ut inter res veræ magnas & apparenter tumidas ignoretur differentia, ulla ratione permittit: *Ad beatū ſtatū Philoſophia tendit; illa ducit; illo vias aperit; quæ ſint mala, quæ videantur, oſtendit; vanitatē exuit; meatib. dat magnitudinē ſolidā; inflatā verò, & ex inani ſpecioſam, reprimit; nec ignorari ſinit, inter magna quid interſit, & tumida.* Si ſic loquitur vir ille Gentilis, Fidelis aliquis, quomodo loqui debebi? Peſtilentem illam Politicorū ſapientiā, deteſtatur Seneca, & amplectentur illi Chriſtiani? *Non eſt iſta ſapientia, deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, Diabolica.* Terrena quidē, quia totus illius obtutus in res defix9 eſt terrenas; Animalis autē, quia cõtraria eſt ſynceritati ſpiritus; Diabolica denique quia à Patre Mendacij edocta eſt: *Facta eſt veritas in oblivionem.*

Nazianz. in Carm. 19. Sunt prætera alij, qui veritatem quidē dicere norunt, nec tamen illā edicunt, adulatores videlicet, & Paraſiti. Hi à Nazianzeno hunc in modū fuêre depicti: *Sunt infeliciores quidā in terra, & abominandæ vitæ ludibria; utramq; in partē parati; colentes temporis, non Dei leges; Euripi Doctrinæ, hinc inde fluctuantes; ramorū flexus, adulatores; dulcia mulierum venena; parvis, leones; at rerum potentibus, Canes.* Hoc eſt quoddā Gentis ludibrioſæ genus & mortifera mundi peſtilentia, quę ſemper ad uniuſcuiuſq; genium prępatata conſiſtit, ſive ad laudandū, ſive ad vituperandū, juxta quod videt placere, aut diſplicere audiēti; quæ legi temporis, non verò Dei legi deſervit: Euripus quidā Doctrinæ inquietus, uſurpans illam; nunc ad favorē, mox ad odium, unius & ejuſdē cauſæ, ſecundum quod congruū videtur, ſibiq; cõſentaneum: Hi qui ſunt ejuſmodi, ſunt veluti arboris, cujuſdā rami, qui pertinaci contorſione, & inflexura, eo continuo extenduntur, & inflectuntur, quo ſe magis protendit ſol favoris humani, aut ubi deceptionum ſuarum fructus, melius poſſũt maturari: populi minimè virilis ſed effæminati dulce venenū: leones, verſus miſeros, à quibus nihil ipſis ſperare licet, blandi autem canes verſus potentes, & opulentos quibus magno ſuo damno, gratioſitatem inſenſibiliter auffērũt. Hi ſunt, qui te mordeat, dum oſculantur; te opprimunt, cum amplectuntur; dum palpant, te, lethaliſſima tibi infligunt vulnera. Apud hoſce *veritas facta eſt in Oblivionē*, quippe, è quorum ore, nulla unquam foras prodit veritas, utpote, qui ſemper aſſueverunt laudare vitium, Paſſionem excuſare, celare periculum, contemnere honeſtum, audaciam approbare, animare ad temeritatē cuilibet indecenti condeſcēdere deſiderio. Hęc eſt maledicta illa benedictio, cui Chriſtus Redēptor maledictionē dedit, dicēs: *væ, cū benedixerint vobis homines*: cui9 rationē venerab. Beda reddit: Quia ipſa adulatio, ſicut oleum flammis, ſic in culpa ardētibus, ſolet miniſtrare fomentum. Lucæ 6. v. 26. Beda in Luc.

20. Hiſce adjungite eos, qui veritatem ſciunt, nec tamen dicere volunt, malos Conſiliarios qui maiora Principibus, & Rebuſpublicis, damna inferunt, quam integri facere poſſint ſelecti exer-

exercitus; Imo, ex mente S. Gregorij Papæ, par cum ipsis Dæmonibus damnum adferunt: *Hi qui alios ad iniquitatem fundendo pertrahunt, in semetipsos ministerium Dæmonum suscipiunt, quamvis Dæmones per Naturam non sint.* Non sunt quidem, qui tales sunt, per Naturam Dæmones; sed per officium, idē namq; malignitate sua faciunt, quod maledicti illi spiritus facere solent, nimirum ad omne scelus homines invitant. Unde idem met Gregorius, Mauritio Augusto scribens, sic eundem instruebat, dicens: *Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis Dominis, in omni quod agit, & loquitur, purus non est.* Reus est corā Deo, qui cum suo Principe, non procedit in simplicitate, & synceritate Cordis, qui illi synceram & nudam non proponit veritatem, qui Consiliis, à Carnis sapiētia, suggestis, eosdē deludit, ac decipit.

Hom. 2. in Ezech.

Epist. 53. lib. 2.

21. Deniq; prædictis adjungendi sunt, qui veritatem sciunt, & dicere nolunt, exiguæ videlicet, seu potius, nullius Conscientiæ Iudices, qui contra expressam veritatem, quam apertè cognoscunt, in favorem iniqui sententiant, sive à potentia terrefacti, sive inclinati ab amicitia, sive à donativis aut muneribus corrupti. Quibus associantur Advocati, qui accipiuntur ad defendendum causam iniquam, non obstante ꝙ optimè sciāt, cunctas sibi leges esse contrarias. Id quod lōgè pejus est, inquit S. Zeno Episcopus, quam si apertè circumvenirent hominem, aut prædarentur cum violentia; siquidem id quod violēter alicui rapitur, nonnūquam recuperatur, illud autem, quod sub legum Iustitiæ ve prætextu eripitur, irremediabiliter amissum cēsetur. *Illud quod vi rapitur, nōnunquā repeti potest, quod legū circumscriptionibus, non potest.* Omnes ergo isti, veritatem quidem sciunt, sed dicere nolunt, atq; ideo *veritas facta est in oblivionem.*

Zeno sermon. de Iustitia.

22. Restant ij, qui veritatem sciunt, & dicere quidem volunt, sed dicere nō possunt. Sed equinam sunt hi, quibus vis infertur talis, ut veritatem proferre non possint, tametsi id magnoperè desiderēt? Hi videlicet, qui optimo à Deo donati sunt intellectu, plurima legerūt studendo, omnia antiquorum & modernorum scriptorum revolverunt Volumina: Et quidem qui sunt hujusmodi, repositi sunt in Cathedras, & collocati in Prælaturas, habentq; pro officio, veritatem annuntiare populis, id quod tamē ab improbitate vitæ impediti facere nequeunt, utpote quæ in tantum omnem eis fidem diminuit, ut quicquid demum dicant, sit, velut si dictum non sit, aut quædam Circumcellionum sit fabula. Sic Isidorus Pelusiota dicebat: *Fabulæ videntur, verba, sine operibus.* Esto Oracula dixeris, annunties Prophetias, prædices ipsam Evangelij medullam, si tamen hæc omnia prǫstiteris, citra sanctitatem morum, viteq; integritatem, nulla tibi unquā, tuisque dictis, fides adhibebitur, *nam fabulæ videntur verba sine operibus.* Sic Philo Hebræus, de Magno Moyse refert, quod illā tantā, quā sibi apud Populū, Dei conciliaverat fidē, nō tam illa prodigiorū quę, fecit, multitudo aut ea quam ipse prædicabat, quæq; ipsiusmet Dei digito in duas conscripta fuerat tabulas, Doctrina aut illa, quæ omnib. perspicua erat, quamq; cum supremo mūdi Monarcha Deo habebat intima familiaritas acquisierit, quantū morum suorū integritas, atq; vitæ, quā agebat,

Lib. 1. Epist. 114.

Lib. de vita Moysis.

agebat, excellentia; Siquidem Moyses, ipsis quoq; operibus, eam quā docuerat, referebat sapientiā, mentemq; suā verbis exprimēs, verba sua, per exēpla authorizavit, fideq; debita donavit. *Animo malebat vivere, quam corpore. Philosophiæ præcepta, quotidie factis repræsentabat, mentem verbis exprimēs facta dictis accommodans.* Primo opus est, ut una cū Christo dicere possis: *Quis ex vobis, arguet me de peccato?* tunc n. deinceps dicere quoque poterit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi:* Imo Seneca etiam Philosophus, docuit sapientiam non esse quoddam per ostentationem inventū artificium, sed potius in factis & operibus, quam in verbis repositum esse: *Nō est Philosophia populare artificium nec ostentationi paratū, nō in verbis, sed in reb. est.*

Seneca Epist. 16.

23. En veritatem istam, in sacris Canticis clarè, atq; perspicuè expressam, ubi cœlestis spōsus, Ecclesiam hisce verbis alloquitur: *Sonet vox tua in auribus meis,* sed cur? *vox enim tua dulcis, & facies tua decora,* q. d. Valde cuperē audire vocē tuā, utpote, quæ dulcedinē plena est, tanto autē dulcior est, atq; suavior, quanto facies tua est pulchrior; Verba tua mihi pulchra videntur, quia pulcher quoq; est tu⁹ ille aspectus; Tuā amplector Doctrinā, quia mores tuos approbo; Libenter te audio, quia libenter te video; sic locum istum, valde ingeniosè, more suo solito, glossat, ac exponit S. Bernardus: *Quantum sponso placeat, cum puritate mentis, prædicatio veritatis, ostendit cum dicit: vox enim tua dulcis; & facies tua decora. Quia enim non placeat vox, si displiceat facies, demonstrat, cum illicò subdit; & facies tua decora. Ergo veritas facta est in oblivionem,* quando à flagitioso quodam, veritas prædicata est, quando cum bonis sententiis, non simul procedunt bonæ operationes, quando quicquid verbis asseritur, per malitiam & improbitatem contradicitur; *In gravibus namq; peccatis, quis positus,* sunt verba Gregorij, *dum sua premitur, aliena non diluit,* Atq; in hoc sensu, idem Gregorius, illa Psalmi octavi verba exponit: *ut destruas inimicum & defensorem,* nam sic ipse legit, ubi nos juxta vulgatā, legimus: *Inimicum & ultorem.* Sed quomodo idem et, inimicus, vocatur, & defensor? *Inimicus quippe, & defensor est, qui Deum, quem prædicat, moribus impugnat.* Hic talis veritatem prædicat, & simul impugnat eadem dicit, & cōtradicit; monstrat & abscondit; exaltat illam & deprimit.

Cant. 2. v. 14.

Serm 22. in Cant.

Præfat. Moral. c. 4. Psal. 8. v. 3.

24. Solus igitur Christus scivit, voluit, & potuit veritatem docere; scivit quidem, quia sapientia erat æterni Patris, voluit, quia Charitate plenus est: potuit denique, quia irrepræhensibilis erat. An non audistis id, quod ipse apud Sanctum Ioannem Evangelistam protestatur: *Ego ad hoc natus sum, ut testimoniū perhibeam veritati.* O Magistrorum Magister: omnisq; Magisterii secura ac perfectissima norma, Sācte in operibus, in verbis verax, in manib. lucē absconditam tenes, in labiis diffusam habes gratiā, omnia facinora tua mera sunt miracula, omnia dicta tua mera sunt oracula. Qui in te nō credit, bellua quędā est; Qui non amat, lapis est: Qui te nō audit, stultus est; qui te non imitatur, cæcus est. Qui tuā nō observat Doctrinā, est reprob⁹: desperatus a. qui tua nō imitatur vestigia. Hodiè nōnulli ex populo Israelis perfidi, lapidib. te è tēplo ejiciunt, perversi autē Christiani te fugant per obstinationē & Cordiū duritiā. Avertat Deus, O Christiani, scelus tā enorme à nobis, sua nos gratia, ab adeo nos lachrymabili infortunio tueatur. Avertat Cœlum, ne oculis nostris nō respiciamus illustria illa exēpla, & cœlestē illius Domini Doctrinam, qui *sanctus, innocēs, impollutus* est, *segregatus à peccatorib. & excelsior cœlis factus.* CON-

Ioan. 18. v. 7.



IN Feriam II. Post Dominicam Passionis

CONCIO XXIX.

Quæretis me & non invenietis. Iohan. 7. v. 36.

ARGUMENTUM.

Unde nascatur quod Deus qui tantopere desiderat inveniri à peccatoribus, ad hoc ut suam eis conferat gratiam, ab eisdem tamen postea quæsitus minimè inveniatur.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Formidabilis Christi comminatio contra synagogam, verbis thematis expressa. numer. 1.

Infinita Dei misericordiæ descriptio. ibid.

Verba allegata, quam discrepantia ab aliis: Quærite & invenietis. ibid.

Remedia contra thematis comminationem, sunt verba Isaiæ: Derelinquat impius viam suam &c. ibidem.

Synopsis Concionis. Ibid.

Punct. 1. *Deus ita est nostræ salutis cupidus, ut ad ignoscendum nobis, quamplurimis utatur motivis.* nu. 2.

Gaudet, cum nobis ignoscit. Huc adductum Sophoniæ Oraculum. numer. 3.

O ingeniosa simplicitas, manifestare delictum. Cassiodori exclamatio. Ibid

Deus Levit. 28. *vocat* dies suos, *in quibus donat.* num. 4.

Inventa ove perdita, ait bonus Pastor: Congratulamini mihi, *& non ovi,* ait Gregorius. ibidem.

Iuveni ardentissimis amoribus capto, Deus comparatur ab Areopagita. num. 5.

Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Non possum cum hæc lego, non summopere mirari *ait* Folengius. Ibidem.

Descriptio eorum, quæ fiunt ab amore capto: multo majora à Deo fiunt, ut nos in sui amorem alliciat. Plura sacra loca adducta. num. 6.

Tanto nos amore Deus prosequitur, ut separationem ab ipso per peccatum à nobis factam, æstimet innumeros dies. Ieremias

1. MIrabile profectò eſt prodigium, quod Chriſtus Redemptor, infelici Synagogæ hodie comminatur, videlicet, fore, ut ab oculis illius, adeò ſi conſtãter ſubducat, ut quantumvis ipſum induſtriè atque ſollicitè requiſierit, nũquam ipſum ſit, inventura. *Quæretis me, & non invenietis.* Ergone nõ ſe permittet inveniri is, qui ut tanto facilius inveniri poſſet, ab altitudine Cœli, ad hujus noſtri infortunati exilij humilitatem, atque miſerias deſcendit, ſeq; per infinitam potentiã ſuam, à Majeſtatis ſuæ ſe exinaniens magnitudine, vili exuviarum noſtrarũ mortalium habitu, coopertum, videndum ſe præbuit? Ergone faſtidioſus à nobis fugiet, qui noſtrũ amore captus, nos adeò ſollicitè quæſivit? neq; oculis ſuis aſpicere dignabitur, qui nos vitæ ſuæ impendio redimere dignatus eſt? adeoq; tã ingentis ſũmæ capitalis, quæ nec pretium habet, nec taxam, erogatio quacunq; id demũ ex cauſa fiat, inutilis reddetur, & vana? Ergone non invenietur à quærentibus, qui non quærentes, tanto cum ſtudio, invenire conatur? atq; tantæ pietatis fontes, qui otioſis quoq; & negligentibus patent, clauſi deinceps erunt ſollicitis, & diligentibus? Ecquis ſibi unquam rẽ adeò novam, miramq;, de infinita Dei noſtri miſericordia, perſuadere potuiſſet? ſi illa eſt ſtadium quoddam non habens terminos, pelagus neſciens fundũ, incendium inextinguibile, aurifodina inexhauſta, theſaurus, qui omne pretium, omnemque ſuperexcedat exiſtiomationem? ſi illa ſive ob gravitatem culpæ, ſive ob ſcelerum numerum, ſive ob frequentiam offenſarum, ſive ob longã cõſuetudinis diuturnitatem, ſive ob obſtinationis protervіam, ſive ob malitiam ingratitudinis, peccatoribus nunquam abſcondatur? Si tenerrim⁹ hic Chriſti noſtri amor, qui in mũdo parẽ nõ habet nec exemplũ in terra, ad prima contriti cordis ſuſpiria ſuperari ſe ſinat, ſeq; victum, ac detriumphatum, peccatori dedat, ad primos ſinceræ alicujus Confeſſionis accẽtus? Quàm longè diverſa, ac diſcrepans, eſt acerba hęc comminatio: *Quæretis me, & non invenietis*, à dulci illa promiſſione: *Quærite, & invenietis*? Et tamen, utriuſque author, eſt una, eademq; increata, æterna, & infallibilis veritas. Profectò, triſte hocce nuntium, peccatoribus haud dubiè, deſperationis foret Materia, niſi Iſaias Propheta, debili, ac proſtratæ ſpei ipſorum, vitam reaſpiraret, Iſaiæ, 55. v. 7.
fęliciſſimo hoc ſuo nuntio: *Derelinquat, impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominũ, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Hodiernus itaque diſcurſus noſter, in eo ſe occupabit, ut examinetur, quia ratione, de Deo noſtro, duæ hæ propoſitiones, verificari poſſint; *Multus eſt ad ignoſcendum.* Et *Quæretis me, & non invenietis.*

2. Et primò quidem *Multus eſt ad ignoſcendum*; Quia cum homines ſuis ſeſe accingant operibus, vel à voluptate, ſive delitijs illecti, aut ducti à Natura; aut à neceſſitate tracti; aut excitati ab intereſſe lucri ſive emolumenti; aut à gloria permoti; Deus noſter, boni atque utilitatis noſtræ, tam eſt percupidus, ut certo quodam modo videatur, quod ad benefaciendum nobis, culpasq; noſtras remittendas, ab omnibus dictis motivis, nec non ab omni impulſus ſive impetus genere rapiatur,

piatur, quod in aliqua reperiri poſſit operatione; atque ideo *multus eſt ad ignoſcendum.*

Conc. 21. n. 9. 3. Exordior à delitiis, ac voluptate, quia Deus à peccatoribus quæſitus, & remiſſionem culparum ſuarum ab iiſdem rogatus, afficitur. Etenim textũ quendam habemus alibi à nobis, in alia quadam occaſione, ex Sophonia Propheta allatum, qui ita habet: *Noli timere Syon, non diſſolvantur manus tuæ. Dominus Deus tuus, in medio tui, fortis, ipſe ſalvabit; gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in Dilectione ſua, & exultabit ſuper te in Laude.* Dominus, poſtquam ſalutem attulerit tibi, magnam inde capiet Lætitiam, & requieſces, ubi ſe tuo amore dignum factum viderit, imo ejuſq; gaudium iſtud augebitur, ut exultabundus, ob ingentis gaudij exceſſum in Cantici ſive Hymni de te concepti erumpat modulos: *Exultabit ſuper te in Laude. Pœnitentia* (ita interpretatur P. Caſpar⁹ Sãcius) *in precatoris cauſa, Dei vocem infenſam obſtruit, & quem habiturus eſſet Iudicem, reddit Patronum.* Tacebit Dominus, dicit Propheta, *Silebit in dilectione ſua*, ex altera vero parte loqui etiam audietur: *Exultabit in laude.* Tacebit ſicut Iudex, loquetur ut advocatus; Tacebit culpas, cantabit laudes; tacebit minas replicabit promiſſiones; tacebit veluti cui facta ſit omnis ſatisfactio, omnemque completum deſiderium, cantabit autem, uti feſtivus, & jubilans. Videte ergo, an non ingentem exclamandi rationem habuerit Caſſiodorus, in Pſalmi 33. verba: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. O ingenioſa ſimplicitas, & omni tergiverſatione cautior puritas, manifeſtare delictum. Illis non Iudex, ſed advocatus eſt Chriſtus, qui ſe propria Confeſſione damnarunt.* Quamnam majorem illâ reperias Lætitiam, quæ ex ipſomet Dei ore, laudes elicit peccatoris, atque per exceſſivum cordis jubilum, Pſalmiſtam facit ac Cytharœdum eundem Deum? *Exultabit ſuper te in laude.*

Sophon. 3. v. 16.

Saucius in Gen.

Caſſiod. in Pſ. 33.

4. Legite, obſecro, divinas ſcripturas, in illis namque invenietis, Dominum Deum, certa præcepiſſe ſibi à populo offerri ſacrificia, ad Cœli gratias impetrandas, obtinendamque in certis determinatiſque diebus peccatorum remiſſionem: Sed quia ratione hi tales dies à præcepti ſunt? ab ipſomet idipſum audite. *Offeretis diebus feſtis meis.* Sed heus Domine, fortaſſe dicere vis, in diebus feſtis noſtris, non verò tuis? Nos enim ij ſumus, qui hanc dierum feriatorum, ſeu feſtivorum, & prophanorum, ſeu labori manuum deſtinatorum, habemus viciſſitudinem, Tua vero divina Majeſtas, uni ſemper continuæ, nec unquam interruptæ aſſiſtit feſtivitati, ac ſolemnitati, ſemper in gaudio ſtabilis es, & inauriatur, neque creſcere aut diminui potes. Qua ergo ratione dicis *In diebus fecis meis*? Reſpondebit Origenes, qui eandem, quam nos adduximus, adfert objectionem ac dicit: *Habet ergo Deus dies feſtos ſuos? Habet.* Et quales ſunt illi dies feſtivi Domini noſtri? Illi videlicet, in quibus populus Deo ſacrificans, eundem ad remittendum culpas commiſſas obligabat. Itane? Sed hinc potius noſtrum, quam tuum, celebrandum

Origin. Hom. 22. in Num.

venit festum. Nequaquam, inquit Deus, potius dies remissionis culpæ vestræ, meus, quam vester festus est dies; plus enim ego de concessa vobis peccatorum remissione, gaudeo, quàm vos de recepta gaudere possitis. *Est enim ei magna festivitas humana salus. Per singulos, qui convertuntur ad Dominum, festivitas oritur Domini. Quomodo, putas, Lætificat eum cum is, qui fuerat impudicus, fit castus; & qui fuerat injustus, justus, justitiam colit, & qui fuerat impius, efficitur pius? Istæ omnes quorumcunque Conversiones, festivitates generant Deo.* O benignissime Domine, qui lucra nostra, tuam reputas voluptatem! O amantissime Pastor, qui inventam ovem perditam, humeris tuis, velut charam & amaram deportas sarcinam, atque ob eandem, infinita quadam cordis tui lætitia jubilas, & exultas, dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quam perdideram.* Notate obsecro, dicit S. Gregorius, quod non petat, congratulationem fieri, inventæ oviculæ, sed Pastori invenienti. *Notandum, quod non dicit Congratulamini inventæ ovi, sed mihi, quia, videlicet, ejus gaudium, est vita nostra, & cum nos Cœlis reducimus, solemnitatem lætitiæ ejus explemus.* Videte ergo, quale sit Dei nostri festum, atque solemnitas. Quale gaudium, suique spiritus plena acquietatio? Qualis desiderij sui satisfactio? Aliud profecto nihil, præterquam vita nostra, nosterque ad Cœlum reditus.

Luc. 15. v. 6. 9.

Hom. 24. in Evang.

5. Deum nostrum, iuveni cuidam, ardentissimis amoribus capto, comparare minime erubesco: nec enim id facere erubuit, magnus ille, sapiens, vereque Divinus Areopagita, qui divinis de Charitatis excessibus loquens, ita discurrere instituit: *Amanter adhæret his, qui se deserunt, contendit, rogatque ne indignus habeatur amore, ab his, quos amat.* Per amorem adhærescit ijs, qui ipsum deserunt, neque ad humiles descendere preces dedignatur, supplicareque, ut amore dignetur ab ijs, quos ipse, tametsi amore indignas, tantopere nihilominus amat. An non stulto velut amore captus est ille, de quo Rex David loquebatur, dicens: *Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ?* videtur Deus veluti incantatus, atque nimio amore, ut ita dicam, insanus, post Animam aliquam currere; idque non semel tantum, aut paucis diebus, sed per totum vitæ cursum talis animæ. *Non possum, cum hæc lego,* merito dixit doctissimus Folengius, stupore plenus, *non summopere mirari, tum immensam Dei in electos benignitatem, tum eorundem ipsorum indignitatem.* Sed in quonam, obsecro, posita est hæc Dei benignitas? *Suo fugitivo, sese ultro obijcit, eum rogat, urgetque, ut se, vel rogantem saltem, capere non gravetur.* Animam fugitivam insequitur, illam rogat, conjurat, sollicitat, constringit, ut ipsum admittere acquiescat, ipsumque non respuere dignetur: *Siquidē ea Dei erga nos semper fuit bonitas ut nō tanto studio nos nobis, ut bene sit, quæramus, quāto ipse ut benefaciat; & quærit, & rogat; & illud quidē omnibus diebus vitæ nostra. Quid aliud faceret sæcularis amator?* dicit

Epist. ad Demophon.

Psal. 22. v. 6.

Io. Bapt. Foleng. in Psal. 10.

La Cerda in Tertull,

dicit eruditiſſimus quidam ſcriptor, Quid ultra faceret amator mundanus; ijs flammis ardens, quæ ex ſordida, atq; impura Cordium noſtrorum naſcuntur Concupiſcentia ?

6. Probè ſuo, fatua eſſe ea, quæ ij faciunt, quotquot amore capti ſunt terreno, & ſenſuali. Enimvero, in quot ſe formas; non immutat Cæcus amator? ad quas ſe non humiliat abjectiones? Quibus non utitur precibus? Quæ non profert juramenta? Quas quærimonias non ſpargit? Quæ donativa non promittit? Quas non produxit pecunias? Quam non oſtentat nobilitatem? Quas non exaggerat divitias? De quibus non gloriatur glorioſè factis? Quæ effugia non adinvenit? Quæ non tentat haſtiludia? Quos conflictus non aggreditur? Quas non cumulat laudes? Quas non ſuffert repulſas? Quos non tolerat labores? Quibus ſe ponit periculis? Quam conſtantiam non exhibet? veruntamen, hæc omnia, in immenſum minora ſunt, eo, quod tu, o amantiſſime Deus, efficis, atque moliris, ut cujuſdam elatæ, atque fugitivæ Animæ lucreris amorem. In Divinis ſcripturis, video te omni & cuicunque Conſilio manum admovere, omnemque tentare inventionem; videlicet nunc regiam tuam collaudas domum. *O Iſrael, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* Nunc tuas magnificas, atque extollit divitias: *Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia.* Nunc tuam commendas nobilitatem, atque progeniem: *Ego ex ore altiſſimi prodivi, primogenita ante omnẽ Creaturam*; aliquando inenarrabilem tuam prædicas pulchritudinem: *Cujus pulchritudinem ſol & Luna mirantur*; Nunc gloriam tuam exaltas & honorem: *In omni gente, & in omni populo primatum habui.* Nonnunquam Converſationis tuæ adducis ſuavitatem, atque dulcedinem: *ſpiritus meus, ſuper mel dulcis, & hæreditas mea, ſuper mel & favum*; Mox in tuis incipis ſuperbire ornamẽtis, ac glorioſis Veſtibus: *Veſtimenta eius alba, ſicut nix, amictus lumine, ſicut veſtimento*: aliquãdo de immutabili tua gloriaris permanentia: *Ego ſum alpha, & omega, principium, & finis; qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotẽs*; Mox tua multiplicas promiſſa: *Qui vicerit, faciam illum ſedere in Throno meo: dabo illi edere de ligno vitæ; faciam illum Columnam in regno meo. Quid aliud faceret ſæcularis amator?* Nunquid tu in propriam et perſona, ad portam pulſas amatæ? *Ego ſto ad oſtium. & pulſo: vox dilecti mei pulſantis.* Nunquid tu ipſe es, qui teneras illas, & affectuoſas proponis petitiones totus rore cœleſti conſperſus & madidus? *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, Columba mea, immaculata mea?* An non tuæ ſunt, illæ tam benignæ, & urbanæ invitationes? *ſurge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: Columba mea, in foraminibus petræ, in Caverna maceriæ; oſtende mihi faciem tuã, ſonet vox tua in auribus meis. Quid aliud faceret ſæcularis amator?* Tunc ille, qui dulcia illa ſuſpiras Lamenta: *Nunquid iraſceris in perpetuum, aut perſeverabis in finem?* Nunquid tu gratas illas proponis admonitiones? *A modo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es:* Nonne tu pijs hiſce verbis dulci-

dulciter errãtes revocas? *Revertere, Revertere Israel, & nõ irascar in perpetuũ. Quid aliud faceret sæcularis amator.* Nonnũquã Animabus exponis, te Cœlos pulcherrimo lucis ornasse encausto: *Ego feci, in Cœlis, ut oriretur Lumen indeficiens,* te velut universalem Dominum, in Cœlo, terra, atque abyssis, pedem tuum figere: *Gyrum cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctib. maris ambulavi, & in omni terra freti;* te Maris vastitatem intra arenarum conclusisse margines: *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum:* Quæ dum hoc modo exponis, quid aliud facis, quam quod tua exaltes facinora, ut hæc amoris sint stimuli, ac incentiua? *Quid aliud faceret sæcularis amator?* videte ergo, Auditores, an non merito hoc loco illa S. Petri Chrysologi utamur admiratione, dicamusque: *Quo te Christe trahit amor tuorum?* O Amor Animæ meæ, quo te nõ perduxit amor? qui velut extaticus, aut incantatus, post animam peccatricem curris, idq; omnibus diebus vitæ tuæ, idq; tanto cum gustu, atq; delectatione, ut sæpe cujuscunque omnium mundi rerum, imo nisi audacter nimis hic loqui videar, tuæmetipsius personæ oblitus fuisse videaris. *Quo te Christe trahit amor tuorum?*

7. Enimvero, tanto erga peccatorem amore captus, ut quemadmodum nos amico dicere solemus, postquam eundem, aliquanto temporis spatio nõ vidimus; sæculum mihi abijsse videtur, ex quo te non vidi, sic Deo modicum illud tempus, quo per peccatum à Divina Majestate sua separamur, æternitas esse videtur. Ecce tibi quoad hoc, clarum atq; perspicuũ Hierémiæ Prophetæ textum: *Nunquid obliviscetur virgo ornamẽti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus autem meus oblitus est mei diebus innumeris? Quid hoc est bone Deus?* (& est reflexio Fernandij) *ut dieb. innumeris oblitum esse hominem tui dicas? Quid in hominis* vita infinitũ est? Nunquid momẽtum est lata vita nostra? An nõ magnus ille servus tuus dixit *Breves dies hominis?* Imo an non dies vitæ adeò ipsi visi sunt breves, ut dicere non dubitarit, il- Ierem. 2. v. 32.
los veluti nihilum aliquod esse, *Nihil enim sunt dies mei?* Nunquid David ceci- Fernand. in Gen. c. 32.
nit, dies nostros adeò breves esse, atq; succinctos, ut palmo mensurari potuerint? *Ecce mensurabiles posuisti dies meos; Ecce palmares posuisti dies meos*, legit alia quædam versio. An non Iacob Patriarcha protestatus est, non obstãte, quod decrepitus esset, paucos nihilominus esse dies suos: *Dies mei pauci & mali?* Quomodo ergo ô Domine dicis: *Populus meus oblitus est mei diebus innumeris? O immensum Dei erga nos amorem! Deo impensius nos amanti, breve ipsum, quod vivimus, spatium infinitum videtur, cum Dei sumus immemores. Longum enim videtur amanti, quamdiu præsentia & consuetudine rei amatæ non fruitur.* Amor, quo erga nos Deus ardet, effecit, ut Deus oblitus, ut ita dicam, fuerit Naturæ æternitatis suæ, & permanentiæ sempiternæ, sive ut melius dicam, amor illum fecit oblivisci brevitatis vitæ nostræ. Amor modica brevissimæ vitæ nostræ momenta, in immensam quandam & infinitam commutavit longitudinem: Amor pauculos hosce dies nostros, veluti & brevissimas hasce, fragilis & laboriosæ durationis nostræ, metas, veluti interminatum Deo repræsentavit esse sæculum. *O immensum Dei erga nos amorem!* ergone igitur

tur hic Dominus, qui tantam, condonando delicta sua peccatoribus, haurit voluptatem, postea cum fastidio se à nobis requiri, intelliget, dicetque: *Quaretis me & non invenietis?*

5. Verùm enimvero, sistite hic nonnihil, nihil enim etiamnum dixi. Plus ultra progreditur Divina clementia; Quod enim peccatoribus benefaciat, iisdemque sua peccata dimittat, in hoc ipsum ab instinctu quodam fertur Naturæ. *Multus est ad ignoscendum.* An non auditis, quid Ecclesia Dei, in divino Missæ cantet sacrificio: *Deus cui proprium est, misereri semper & parcere;* Quia, uti affirmat Gregorius Theologus; *cū multis nominibus, admirabilis nobis, & suspiciendus occurrat Deus, nihil tamen tam habet, quam omnes beneficiis afficere.* Idq; adeò est verum, ut ipsemet David Rex judicarit, Dei naturam in nullo alio consistere, quam in salvando & benefaciendo: *Deus noster, Deus salvos faciendi,* aut sicut originalis litera legit: *Deus noster, Deus ad salutes.* Ad eum fere modum quo ignis est ad comburendum, & ad illuminandum Lux est, sic ad aliud Dei Natura pertinere non videtur, quā ad salvandum. *Deus noster, Deus ad salutes.* Audite circa hoc Docti cujusdam expositoris Glossam: *Addicit vates Deitatem beneficentiæ & benignitati; ac si dicat, ad salvandum, & benefaciendum, Deus est, & in salute hominum impertienda, Deitatis vires exercet.* Ideò saluti humanæ se totum impendit, & ad salvandum duntaxat factus est, atque totum id, quod est, totum quod habet, est pro salute nostra. Videtur quod Deus aliam non habeat habilitatem, neq; aliud facere sciat, aut, possit: *Deus salvos faciendi. Deus ad salutes.*

Ierem. 1. v. 32. Fernand. in Gen. c. 32.

Nazianz. Orat. 26.

Psal. 67. v. 21.

Valasquez. in Epist. ad Phil.

9. Hinc est, quod qui à Deo tollit benefacere, atque salvare, pariter essentiam tollere videatur, ac vitam. Duæ maximæ blasphemiæ, contra Majestatem Dei, apud Psalmistam reperiuntur. Prima est in Psalmo 12. *Dixit Insipiens in corde suo, Non est Deus.* Secunda est in Psal. 92. *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Una dicit: Non esse Deum: nullam rerum nostrarum habere curam. Una essentiam illi adimit, Providentiam altera, una ipsum vita, altera amore privat: *Non est Deus. Non intelliget Deus.* Nunc igitur dicit Salvianus Presbyter Massiliensis; Quod me attinet, ego unum idemque esse existimo, negare Deo vitam, atque essentiam; & negare affectum Deo, atque amorem; atque opinione mea, qui dicit illum non esse beneficum, pariter ipsum non esse dicit. *Nam qui nihil à Deo videri affirmant prope est, ut qui affectum adimunt, & substantiam tollant & dicant, omnino nihil esse.* Sed cur ita? Quia est *Deus salvos faciendi, Deus ad salutes;* Si neges de illo salvare, pariter & esse de illo negabis. Perspicuè idipsum Clemens Alexandrinus dixit: *Nam cum Deus sit bonus, si cessaret unquam benefacere, cessaret Deus esse.* Deus essentialiter bonus est, desinat igitur facere bene, & mox quoque desinet Deus esse, quia esse, est Dei vita, & bene facere. *Deus ad salutes. Pluviam voluntariam, segregabis hæreditati tuæ Deus.* Hebræus Legit: *Pluviam Liberalitatum.* Et quidem juxta literam, loquitur isto loco Deus, de beneficiis, quæ Deus populo suo fecit,

Psal. 13. v. 1. Ps. 93. v. 7. Lib. 1. de Providentia.

Lib. 6. Stromatum.

fecit, quando ei legem dedit, atq; hoc ipsum, vocatur pluvia voluntaria, vel pluvia liberalitatum, hæc namq, beneficia, cõformiter inclinationi, cordiq; divino, facta erant. Ubi advertendũ est id, quod magno cum acumine Philo advertit Hebræus, videlicet, Deum nullam legis transgressoribus statuisse aut promulgasse pœnam, eo quod Deus esset, cujus instinctus, & natura est, beneficium procurare, non vero damnum: *Deus erat, & consequenter bonus Dominus, solum bonorum auctor &c. nihil magis naturam suam decere existimavit, quam ut salutaria præcepta daret, non ad mixtis pœnarum terroribus: Deus noster, Deus ad salutes.*

Ps. 67. v. 10. Lib. de vita Moysis.

10. Tertullianus de dogmatibus Scholæ Epicureorum loquens, inter alia dicit: *Epicurei asserunt Deum otiosum, & inexercitum, & ut ita dicam, neminem hominibus.* Et optimè quidem dixit, eum, qui Deum benefactorem negat, eundem similiter pernegare esse, & consequenter, quod si Deum haberemus non beneficũ, sicuti illũ Epicurei depingebant, merito talẽ vocare possem9 *neminẽ hominibus*, quia ut jã dicebamus, *si cessaret benefacere, cessaret Deus esse.* Hinc est, quod idem Tertullianus, considerans Christum, in illa triginta annorum spatio, velut otiosum, nihilq; ad beneficium generis humani operantem, donec adveniret tempus illud, saluti totius mundi congruum, & oportunum, ipsum appellaverit injurium, & veluti contumeliosum sibimetipsi. *Adultus nõ gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est*, utpote, qui tot annorum spatio, misericordiæ suæ fontes occlusos tenere potuit, suæq; naturæ violentiam

In Apologetico Cap. 4.

Lib. de pœnit. Cap. 3.

facere, seq; monstrare *neminem hominibus. Si cessaret benefacere, cessaret Deus esse.* Atq; hæc est ratio, uti advertit S. Augustinus, cur David rex, Deum purè appellaverit misericordiam. *Adjutor meus, tibi psallam, quia tu Deus, susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea. Non invenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum,* dicit Augustinus, *O Nomen sub quo nemini desperandum est.* Quomodo appellat illum Deum? *Misericordia mea.* Quia solum est misericordia, quia in Deo nil aliud, præter misericordiam invenio. *Nihil enim acerbum habet*, dicebat S. Hieronymus super illa verba: *Laudate Dominum, quoniam suavis est Dominus.* Laudate eum, quia totus suavis est: Laudate eum, quia totus est misericordia; Laudate eum quia est *Dominus in salutes.*

Aug. in Ps. 58.

Hieron. in Ps. 99.

11. Propterea facere, Dei in sacris paginis, idẽ significat, ꝙ benefacere, & operari, idem quod dare salutẽ. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam,* dicit Psalmista regius: *Laudate cœli, quoniam Dominus fecit,* dicit Isaia Propheta. *Si iniquitates nostræ responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum,* inquit Jeremias. *Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac,* ait Daniel. Sed quidnã petitur, ut faciat Dominus Deus? Faciat misericordiam, quia Dei fare est facere bene, & beneficia & conferre creaturæ suæ. *Hoc est enim Dei facere,* benefacere explicat Cassiodorus facere, & bene facere, apud Deum unum prorsus & idem est: ipse namq; facere nequit, nisi conformiter suæ essentiæ ac naturæ, quæ purè ac omnino est misericordia, atq; consequenter ad nostram salutem directa.

Ps. 118. v. 126. Isa. 44. v. 23. Jerem. 14. v. 7. Daniel. 9. v. 19.

Cassiod. in Ps. 118.

Reve-

Psal. 36. v. 5. *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Non dicit, quid faciet*; subiungit Hugo Cardinalis; *vnde intelligendum est, de proprio eius officio, quod est misereri, hoc est, dare veniam.* Hoc est Dei mysterium, Hæc Naturæ suæ proprietas, hæc inclinatio essentiæ suæ: *Dominus noster, Dominus ad salutes.*

Aug. in Ps. 58. 12. Vtiq; meministis illius, quod tantopere David Rex Sanctus exaltabat, ac deprædicabat, post tot tantaque à Deo recepta beneficia, præcipue vero, quod ab humillima Opilionis conditione, ad eam sublimatus esset Celsitudinem, ut Rex inclytus fieret. Rex, sed opulentissimus, quem vnquam mundus viderit, qui solus, plures ac præstantiores possideret thesauros, quã omnes temporis sui Reges simul iũcti. Rex, sed gloriosus adeo, vt nomẽ eius, inter omnes gẽtes celebratissimũ, stupore repleverit totã terræ amplitudinẽ. Rex, sed potens adeo, vt nobilius magisq; floridũ extiterit regnũ eius quam hactenus visum sit inter mortales. Rex, sed ita victoriosus, vt in multis congressibus bellicis, de inimicis suis triumphaverit semper, suaque passim trophæa, atq; palmas reportatas plãtarit. Rex, sed amantissimus, ac vasallorum suorum gaudium, & Corona, vtpote qui vitas suas pro Rege suo mille evidentib. periculis, imo ipsimet quoq; morti, non dubitassent exponere. Rex, sed beatus in filiis, quippe qui Regni sui successorem hominem habuit sapientissimum, qui vnquam visus sit inter homines, qui verus ævi sui stupor fuerit, ac prodigium. Rex, sed prosper quoad sanitatem, vtpote qui ad decrepitam vsq; ætatem, vigorosus semper vixit. Sed, obsecro, verba ipsiusmet audiamus: *Quis sum ego, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Et quid adijciet David vltra loqui ad te?* Nescio, quid ulterius à te, O Domine, postulare possim, adeo namq; tuis me cumulasti beneficiis, vt nihil quod poscere possim, deinceps supersit. Verum quod motivũ, aut quẽ Deus tantæ beneficentiæ in Davidem cõferendæ, habuit stimulum? Tu id, O Rex Sancte, edicito, si dicere id possis: *Propter verbum tuum, & secundum Cor tuum, fecisti omnia magnalia hæc.* q.d. Hoc totũ fecisti iuxta inclinationẽ Cordis tui, & voluntatis tuæ, tuumq; in hoc secutus es geniũ. *Secundum Cor tuum fecisti omnia magnalia hæc.* Servit mihi hoc loco, quod adeo certa ac indubitata sit veritas ista, vt ne ipsis quidẽ gentilibus, celata fuerit, aut abscondita. *Quæris, quæ causa Deo benefaciendi? Natura:* dicebat Seneca. *Errat, qui eum putat nocere, velle non potest.* An non isthæc Senecæ sententia, prophetico illi simillima est oraculo: *Deus noster, Deus ad salutes?* O pientissime, & amabilissime Deus, cur adeo te peccatoribus clementem exhibes, vt hoc vnicum cordis tui sit gaudium, recõciliari cum ipsis? vt tanta illos cum longanimitate, & patientia præstoleris, vt videatur, non ipsos à Maiestate tua, sed te à vilitate & humilitate ipsorum, lucrum expectare? vt infinita patientia tua, mille excogitesin-

Margin notes: Hieron. in Ps. 99. — 2. Reg. 7. v. 18. — Ps. 118. v. 126. — Is. 44. v. 23. — Ierem. 14. v. 7. — Daniel. 9. v. 19. — Cassiod. in Ps. 118. — Seneca de Benefic.

tes inventiones, ad retrahendũ eosdem, à cœpto perditionis suæ cursu? vt vulnera, & plagas corundẽ sanes, imo ipsas quoq; Cicatrices, ea ratione totaliter submoveas, vt inter iustos & innocentes recenseri merito possint? Vt nullum reiicias peccatorem, quantumvis is sit, vel ob multitudinem peccatorũ magis onustus; vel ob diuturnitatẽ consuetudinis, magis inveteratus; vel ob culparum enormitatem, magis fastidiosus; vel deniq; ob recidivæ inconstantiam magis indignus? vt tanta facilitate, antiquæ illũ restituas amicitiæ, imo post commissum remissumq; peccatum, civilioribus, tenerioribusq; illum prosequaris blanditiis, amabilioribusq; illũ digneris amplexib⁹? vt modicum adeo, pro tantarum satisfactione iniquitatum exigas, imo ad primam lachrymæ stillam, quæ ab oculis dimanat, atque ad primũ è pectore resonans suspirium, satisfactum tibi esse existimes? Nullam, nullam prorsus, tantæ misericordię, præter iam insinuatam, inquirite rationem: *Propter verbum tuum, & iuxta Cor tuum, fecisti omnia magnalia hæc.* Ipsa tua Natura te ad hoc induxit, Cor tuum ad hoc te impulit, inclinavit te eo proprius genius tuus. Et hic talis Dominus, cuius Natura ad iuvandum, adferendamq; salutẽ, prorsus est prona, se deinceps inveniri non permittat, *dicetque Quæretis me & non invenietis?*

13. Est ergo, cur merito ingenti huic benignitati ipsius Dei, erga iniquos peccatores, subiungere debeamus. *Multus est ad ignoscendũ*, videtur n. quodammodo quod vis eo ipsum trahat, necessitas eo constringat, violentia ipsum eo adigat. *Nunquid obliviscetur misereri Deus*, dicit Regius Propheta, *aut continebit in ira misericordias suas.* Ps. 76. v. 10. Legi equidẽ, quod Deus iram suam, intra misericordiã suam contineat; sed misericordiam, in iræ sinu, veluti incarceratam, nec lectum, nec visum est vnquam. *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.* Est singularis S. Ambrosij in hunc locum animadversio, Prophetam ibidem bis posuisse misericordiam, iram vero duntaxat semel: *Bis misericordiam posuit, semel iustitiam. In medio iustitia est, gemino septo inclusa misericordia.* Orat. de obitu Theodosii. Ecce iustitiam detentam, ac veluti incatenatam à misericordia. Verum, poteritne ẽt aliquando hoc modo reclusa esse misericordia? Minime gentiũ. Cur ita? Quia hæc talis est, vt vim faciat omni violentiæ, imo violentiæ & robori ipsiusmet Dei. *Nunquid continebit in ira sua misericordiam suã?* Adsit nunc S. Hieron. suumque in hoc propositum, commentum adferat, atque id ipsum quod hactenus diximus, ad stuporem vsq; confirmet: *Non potuit pulchrius dicere. Quamvis se teneat, vt non misereatur, tamen vincit eũ misericordia sua.* En tibi hic apertam violentiam, en contra Deũ obtentam victoriam. Vellet equidem suam Deus continere misericordiã, ast illa veluti confligendo vincit, illique è manibus elabitur, nec ab illo retenta aut cõstricta esse potest. Adeo, vt tametsi ipse eam retinere lit, & ab vsu misericordiæ abstinere vellet,

velLet, videatur quodammodo, id sibi permissum non esse, nec habeat suo modo aliquam id faciendi potestiam is, qui infinita potentia valet. *Vult Dominus*, inquit Fernandius, *aliquando nostris offensus sceleribus sese continere, ne videlicet accurrat, opemq; ferat, sed vrget tamen eum misericordia, & si liceat ita loqui, quasi cunctabundũ, ac repugnantem, accurrere & misereri compellit.* Si nonnunquã Deus vim sibi faciat, ne misericordia vtatur, vim tamen illam repellit misericordia. Ipse se retrahit, misericordia autem attrahit; Ipse se subducit Misericordia illum propellit; Ipse indurat, misericordia vero emollit, & violentat. *Nunquid continebit in ira sua misericordiam suam.*

Behed. Fernand. in Genesin.

14. Hoc est, quod David Rex docebat dicens: *Præcinite Domino in Cõfessione*: Notat S. Theodoret. septuaginta interpretes hanc literam ita vertere: *Incantate Deum in Confessione*; id quod fit, dum *Sanctis Carminibus, & precationibus, ab ira in peccatorẽ concepta, avellitur Deus.* Confiteamini Deo culpas vestras, hoc enim erit potentissima quædã incantatio, per quam idem facietis, quod facere solet Magi alicuius ligatura, quę cogit & vim facit illi, qui applicatur. O Divinæ pietatis magnitudo! An non videtur vobis Deus, incantato alicui esse similis, dũ peccatorum oblivifcitur, qui omnia sibi habet præsentissima? Culpæ enormitatem non videt, qui summa est sapientia? Maximas debitorum summas dissimulat, qui Iustitia est infinita? amorib' capitur, & ardet hominum, ad ipsos usq; publicanos, latrones, Meretrices, qui summa est puritas? Cũ hominibus conversatur inhonoratis, & vituperosis, qui tam nobiles & gloriosos habet aulicos in Paradiso? Currit post flagitiosos, qui ipsum fugiunt, qui habet iustos, qui sedulo ipsum requirunt? Tanta cum anxietate homines quærit desperatos & perditos, qui nullius indiget? vtique omnia ista accidunt, *quia Sanctus Carminibus ab ira avellitur Deus.* Sic Deus quondam vni ex incantatoribus istis dicebat: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne obsistas mihi.* q. d. Noli violentiam inferre mihi, ne te opponas conatibus meis, ne per vim illatam constrictum me retineas. Notate, inquit Gaspar Sancius, *tantum inesse virtutis, viri iusti precibus, vt Deus vim afferri sibi, ab oratore iusto fateatur.* Deus ingenue fatetur, se per violentiam victum, & veluti incantatum esse, ex vi & fortitudine precum. Ita Moysi dicebat: *Dimitte me, vt irascatur furor meus.* Ergo, cõcludit S. Hieron. si Deus dicit, Dimitte me, sine me ire, certe fatetur violenter se teneri constrictum. *Cui n. dicitur, Dimitte me, ostenditur, quod tenendi habebat facultatem.* Et in Epistola ad Gaudentium: *Qui dicit, dimitte me, ostendit se teneri posse.* Atque ideo, de ingenti hoc miraculo, merito obstupescit S. Bern. *Feriendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit.* Quis te tenet, O potentissime Deus? Quis vim tibi infert, *cuius potentiæ nemo resistere potest?* Nihil profecto aliud, quam tua, O Domine, misericordia. Hæc te revera exarmat, hæc imbellem te facit, hæc fla-

Psal. 146. v. 7.

Ierem. 7. v. 16.

Exod. 32. v. 10.

Hier. in ca. 13. Ezech.

Serm. de S. M. Magdalena.

gellum tibi è manu tua eripit, hęc te ligat, te incantat, te violentat, hæc ad indulgentiam ac veniam concedendam te constringit.

15. Atque hæc est violentia illa, de qua Redemptor noster loquebatur, cum diceret: *quod à diebus Ioannis Baptistæ, regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* (*Matth. 11. v. 12.*) Cur n. à diebus Ioannis Baptistæ? Quia videlicet hic, Baptismum prædicavit Pœnitentiæ, atque ita modum, violenter rapiendi, & expugnandi Cœlum, edocuit. Ecce tibi S. Ambrosij in hunc locum pulchram declarationem: (*Ambros. serm. 15.*) *Regnum Cœlorum, non nisi Christus est Dominus, &c. rapimus ergo Cœlum, & vim facimus Domino, non compellando, sed flendo; non provocando iniuriis, sed lachrymis exorando; non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur, &c. quisquis violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo.* Ambrosio consentit Gregorius Papa, eundem textũ exponens, qui dicit: (*In Psal. 6. pœnit.*) *si dißimulat audire, quem rogas, esto raptor, vt regnum cœlorum accipias: esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas Cœlis. Quid hac rapina locupletius? Quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed iuvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona violentia, qua non quæritur lucrum cito periturum, sed regnum acquiritur, sine fine mansurum.* Hæc est beata illa violentia, quæ iniuriam Christo non irrogat, sed honorat; non provocat illũ ad indignationem, sed stimulat ad pietatem; Non illum inimicum reddit, sed benevolum. O violentia, qua Cœlum acquiritur, cui ipsa omnipotentis victam se dedit potentia, cui eius fortitudo cedit, cuius fortitudini cedunt vniuersa: *Cum tu me inquiris, tu me acquiris*, dicit Deus ex ore S. Augustini. (*Orat. de 5. hæres.*) Sanctus quoque Hieronymus, rationẽ reddens, cur S. Anastasius Papa, postquam paucis diebus sedem Petri gubernasset, ex hoc mũdo sublatus fuerit per mortem, inquit: *Quem diu Roma habere nõ meruit, ne orbis Caput, sub tali Episcopo truncaretur. Imo idcirco raptus, atque translatus est, ne semel latam sententiã, precib. suis flectere conaretur.* (*Hieron. E-pist. ad Princip.*) q. d. Deus illum ex hoc mundo sustulit, ne Roma, Mundi Caput, à Wandalis, sub tali Pontifice, aut truncaretur, aut vastaretur, atque insuper, ne eousque superstes, Deum ad sententiam, contra populi Romani scelera iam fulminatam, cogeret revocandam. Vnde hæc Dei fuisse videtur cogitatio; Homo iste, mihi vim inferre potest, aufferamus ergo illum de medio ne inferat. Si illum inter vivos reliquero superstitem, is me meam non permittet exequi sentẽtiam, tollamus ergo eundem ex hac vita, vt exequi valeam, quod statui; adeo ipse fortis est, ac valid⁹, vt nodo polleat inermem me constituẽdi, moriatur ergo, ne inermem me faciat: *Ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* Quod si ergo violentia Deo inferri, & ipse ad benefaciendum cõstringi & cogi possit quasi violenter, quis dicere au-

re audebit, quod quæsitus nequeat inveniri? aut quis credat dicenti: *Quæretis me & non invenietis?*

16. Hisce addendum quod Deus ipsemet, in omnibus emolumentis, & lucris nostris, partem sibi vendicet, adeo, vt dum benefacit nobis, videatur benefacere sibi ipsi, aut quando noxam aliquam dimittit, videatur quasi donum accipere à nobis: atque ideo *multus est ad ignoscendum.* An non meministis, quod Deus ipse dixerit, populum illum, cui Deus tot, tantaque Beneficia & gratias contulerat, gratam sibi requiem esse? *Quoniam elegit Dominus Syon, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi.* (*Psal. 131. v. 13.*) Sed qua ratione requies Dei esse potest, quædam tot culpis contaminata Anima? *Dei verba sunt,* inquit August. (*August. in Psal. 31.*) *requies mea, ibi requiesco.* Imo vero, O Domine, nos sumus, qui verã recipimus requiem, eo ipso, quod ad nos venias habitaturus nobiscũ, nõ v. tu, qui in teipso & de temetipso fœlix es, atq; beatus. Veruntamen, ingens quo erga nos ardet amor, efficit, vt sibi videatur requiescere, cũ requiem à nobis exposcit. *Quantum nos amat Deus, fratres, vt quia nos requiescimus, se dicat requiescere?* An nõ recordamini Verbi illius, quo Moyses in sacra Genesi inquit: (*Gen. 2. v. 2.*) *requievit ab vniuerso opere, quod patrarat?* Quomodo requievit, inquit Augustin. (*Tract. 17. in Ioan.*) si non laboravit? Requies est post laborem, Deus aũt non laboravit. Ergo non requiescit. *Non n. defecerat Deus, operando Creaturam suam, vt indigeret requie sicut Homo. Quomodo defecerat, qui verbo fecerat.* Et respondet, Deum requievisse, quia requiescere fecit, adeo, vt requies Dei alia non sit, quam requies nostra, ille semetipsum beatum existimat, quia beatos fecit, in delitiis nostris ipse complacentiam habet maximã, gaudetq; de gaudiis nostris. *Dicitur Deus requiescere, cum nos requiescere facit,* inquit August. (*Lib. 4 de Genesi ad Lit.*) Redeo igitur ad dicendum: *Quantũ nos amat Deus, fratres, vt quia nos quiescimus, se dicat requiescere.* S. Ambros. insuper addit Deum non in Cœlo, aut stellis, (*Lib. 6. Hexaem.*) nec in terra, aut quavis alia Creatura requievisse, sed in solo homine: *Habens cui peccata dimitteret. Gratias ergo Domino Deo nostro, quia cum hominem fecit, tunc requievit habens cui peccata dimitteret.* O pientissime Deus! O Deus misericordiarum, omnisque fons dulcedinis? Quando nobis peccata remittis nostra, id requies est, non tua, sed nostra; cum gratias largiris, nostrum, non tuum, est emolumentum; nostra, non tua vtilitas: Cum tu cum peccatoribus reconciliari dignaris, ipsorum hoc beneficium est, non v. lucrum tuum. Verũ, i.e. dicit Augustin. (*Lib. de spiritu & litera.*) attamen adeo nos amat, vt dũ gratias donat, gratias recipere sibi videatur, sicuti ẽt plus ipse culparũ sentire videtur pondus, quã ipsemet id sentire possit peccator: *Tardius videtur Deo, peccatori veniam dare, quã peccatori veniam accipere. Sic enim festinat Deus, absolvere reum, à tormento Conscientiæ, quasi plus eum cruciet compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui.*

17. Nihil est eorum, quæ Deus mundo

mundo donavit, in quo homo eam invenire possit requiem, & solatiũ, sicut illã habet in augustissima Eucharistia, de qua docti multi, illum
Isaiæ 14. v.30. Isaiæ locum intelligunt. *Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent.* Enimvero, acute valde notat S. Ioannes Chrysost. Christum Dominum, in institutione sanctissimi sacramenti, elevasse oculos in cœlum, atque pro gratia aut beneficio adeo extraordinario, plurimas æterno Patri egisse gratias: *Et elevatis oculis suis, gratias agens benedixit, & fregit.* Imo voluisse, vt hoc sacramentum, Eucharistia diceretur, id est, bona gratia, quasi Christo non suffecisset, æterno Patri suo vnica duntaxat vice egisse gratias, in illo videlicet procinctu, cum gratum hoc præpararet ferculum, sed perpetuo deinceps, Deo gratias agi voluisset. *Vides, quomodo omnia peragat, & panem frangat & gratias agat,* inquit Chrysost. Verum, ad quos, obsecro, pertinet hoc loco, agere Deo gratias, ad nos an v. ad te O Domine? Profecto ad nos id spectat, nobis enim tanti amoris conferebatur pignus. Cur ergo contrarium accidit, vt gratias referat is, qui dat, taceat v. qui accipit? Cur tu, O Domine, discipulis tuis nõ dicis: Agedum filii mei, pro tanto beneficio, quod collatum vobis est hodie, quo maius nunquã dedi, nec dare possum deinceps, gratias Patri meo referte condignas? Nunquid nos sumus ii, qui requiem inde, cordiumque nostrorũ percipimus gaudium, *pascentur primogeniti pauperũ, & pauperes fiducialiter requiescent?* Omnino Verũ est; Christus est, qui confert gratiam, ipse tamen quoq; gratias refert, siquidem dum gratiam illam nobis conferret, non tã dare, quam recipere sibi videbatur, dumq; tam pretiosa nobis pascua subministraret, adeo se inde lætum ostendit atq; hilarem, tanquam si ipsemet pastus fuisset, atq; vti S. Bernard. advertit, *dũ pascit, pascitur: Quã-* Serm. 71. In Cant.
tum nos amat Deus, fratres, vt quia nos requiescimus, se dicat requiescere.

18. Eundem hunc nostrum Cõceptum, perspicuè magis invenie-
Ierem. 15. v.10. mus, apud Prophetam Ierem. *Væ mihi mater mea,* dicit Dominus per os Prophetę: *quare genuisti me, virũ rixæ, virũ discordiæ in vniuersa terra? Non fœneravi, nec fœneravit mihi quispiã: oẽs maledicunt mihi.* Hic locus ab Hieron. de Christo Redẽptore nostro intelligitur, qui lamentatur, se neminẽ in mundo isto reperisse, qui aliquã gratiarũ, à Deo nobis collatarum, rationẽ, aut respectum aliquẽ haberet, sed quod potius ab omnib. sibi contradiceretur: væ mihi mater mea, cur in vitam istam genuisti me, vt ab omnib. contradiceretur mihi? *Positus est hic in signum, cui contradicetur: Non fœneravi, neq; fœneravit mihi quispiam.* Loquitur veluti mercator aliquis, qui in nundinarũ seu Pãtopolii fine constitutus, se nullum cũ aliquo emptorum habuisse commerciũ, nec pretiosas suas distraxisse merces queritur, septuaginta interpretes vertunt: *Non profui, nec profuit mihi quisquam.* Quod Deus dicat: *Nõ profui,* hoc transeat, nam vt S. Hieron.

Hierom. in Ierem. ron. dicit, nemo nostrũ adeo cupidus est recipiendi, quantum Deus donare desiderat. *Nullus enim tantum voluit accipere, quantum ego tribuere desideravi:* Verũ quod postea addat: *Nec profuit mihi quisquã,* hoc est quod omni dignum stupore existit. Nunquid enim Iob dixit: *Quid prodest Deo si iustus fueris? aut quid ei confers si immaculata fuerit vita tua:* Verum optime S. Hieron. respondet, Id à Deo ideo dici, quia lucrum nostrũ, Dei revera lucrum existit. *Salus n. Creaturæ, lucrum est Creatoris.* O quam pius revera es O Deus qui dum homini auxilium adfers, ab homine te adiutum esse existimas: Lucra nostra, tuæ sunt divitiæ; nostrumque bonum, tuum semper est emolumẽtum. Et qua ratione ergo dicere potes, O Domine. *Quæretis me, & non invenietis.* Si te quæsitum esse, tuum reputatur esse lucrum? aut condonare peccata, tuum est beneficium, aut si tua requies & solatium sit, aliis salutem impertiri? Iob. 21. v. 3.

19. Tandem dico, Deum peccata remittere, atque peccatores qui ad ipsũ recurrunt, recipere, ꝓpter gloriã & exaltationẽ suam, dumq; gratiam illis largitur, id facit motus ob honorem suũ & reputationẽ. Ecce clarum Prophetæ Evangelici textũ: *Expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicii Dominus.* Deus exaltatus existimabitur, & glorificatus, mox vt peccata remittere potuerit; prout clare insinuatum est ex visione, quã Esdras propheta habuit, cui monstratus est Dominus, Coronas gloriæ Sanctis suis distribuens; tunc autem dicit, ipsum quam maxime exaltatum fuisse. *Ego Esdras vidi in monte Syon turbam magnam, quã numerare non potui, & omnes Canticis collaudabant Dominum. In medio eorũ erat iuvenis, statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitib. imponebat Coronam, & magis exaltabatur.* Quando Dominus servis suis Coronam impertitur misericordiæ, tunc exaltatur, & magnificatur. Tametsi enim Deus, infinitè magnus, ideoque maioris magnitudinis incapax sit, attamen nescio, qua ratione, dum gratias nobis largitur, magis magisque augescere, & magnificari videatur: *Singulis eorum capitibus, imponebat Coronam, & magis exaltabatur.* Conceptum istum cõfirmat ille Gentiũ Apostolus, dicẽs: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.* Quid putatis Apostolum sibi velle, dũ dicit, quod omnes homines, ad hoc, ut à peccatis suis, quæ contraxerũt, liberẽtur, opus habeãt gloria Dei? Innuere vult, necessariam illis esse pietatẽ, & misericordiam Dei, ꝓ ꝙ ipse mirum in modum gloriosus efficitur. S. Cypr. legit: *Et egent claritate Dei.* Opus habent vt Deus gratiam illis conferat, quę ab Apostolo gloria vocatur, eo ꝙ Deus se, ꝓpter ipsam, gloriosum & claritudine plenũ existimet; *Et exaltabitur parcens.* Verũ enimvero, Isaiã velim iteratò audite, qui Dei gloriã & incremẽtũ, ꝙ ex remissione peccatorũ obtinet, ad vivum repræsentat. *Propter nomẽ meũ, longe faciã furorem meũ, & laude meа infrænabo te, ne intereas. Propter me,*

Isa. 30. v. 18. 4. Esdra 7. Rom. 3. v. 23. Isaia 48. v. 9.

me, propter me, faciã, vt non blaſphemer & gloriam meã alteri non dabo. Propter gloriam, & magnum nomen meũ, quod conſecuturus ſum iracũdiam meã tẽperabo, omnemq; populo meo cõdonabo offensã, atque ob maiorem laudem meã, inordinatarum Paſſionum ſuarum infrænabo impetum. *Ob laudem mei infrænabo te, vt me quaſi iumentum, & Equus infrænis, ſequaris invitus,* interpretatur S. Hieron. *Propter me, propter me faciam, & gloriam meam alteri non dabo,* id eſt, totum hoc, ad emolumentum & intereſſe honoris mei directũ erit, quia ſufferre nequeo, vt peccatum, gloria me deſtituat, faciendo videri, ipſum plus ſua prævalere malitia poſſe, quam ego per gratiam meam. *Gloria Dei eſt, ſervare, & miſereri, & poſſe omnibus dominari,* inquit Cyrillus Alexandrinus.

Hieron. in Iſaia 48.

Lib. 4. in Iſaiam.

Num. 14. v. 20.

20. In divinis ſcripturis, illã, obſecro, optimi Moyſis conſideremus Hiſtoriam quæ contigit, quando is pro obtinenda populo Dei peccatorum indulgentia, qua prorſus ſe indignum reddiderat, quod Deo ſuo rebellis exiſteret. Dicit enim ſcriptura Divina, quod Sanctus hic Populi Iſraelitici Dux, eodemmet puncto temporis, quo Deum hoc modo obſecrabat, hæc Domini Verba audierit: *Dimiſi, iuxta Verbum tuum.* Poſtea vero immediatè ſubiungit: *Vivo ego, & implebitur gloria Domini, vniverſa terra. Audi, quæſo,* dicit Hieronymus Oleaſter, *qua gloria vult Dominus omnem terram implere, non gloria potentiæ ſuæ, qua cuncta creavit; non ſapientiæ, qua cuncta gubernat, ſed miſericordiæ.* Per vitam ego meã iuro, dicit Dominus, gloria, & nominis mei fama, tota nunc terræ implebitur magnitudo, cum hanc Populo Dei noxam condonavi. O miſericordiſſime, & clementiſſime Deus, magnus profecto in magni huius mundi Creatione extiſtis, ſed longe maior es, in parvi illius mundi reformatione. Glorioſus, quia ex infæcundo nihili ſinu, vaſtiſſimam hanc mundi extraxiſti molem, glorioſior tamen, quia ex ſteriliſſimo Culpæ nihilo, Animas noſtras eripis: Excelſus in operibus Naturæ, ſed excelſior in ordine gratiæ. Equidem in hac honorificentiſſima reformationis peccatoris operatione, per diaphanum hunc aerem non extendis lucem, obſcuri tamen & cœci Cordis illuminas Cœcitatem; Non quidem globorum cœleſtium ſtellas attingis, & Planetas, veruntamen Animæ, dona ſupernaturalia inſeris & virtutes; Ad terrę huius humectandam ac irrigandam ſuperficiem, non quidem fontes prodis, ac flumina, attamen ad extinguendos Concupiſcentiæ ardores, lachrymarum aperis rivos, ac imbres; Non quidem per vtilem quandam Symmetriam, diſponis ac ordinas Elementa, veruntamen Paſſiones noſtras, incredibili quodam ordinas auxilio; Terram, veluti mundi huius Baſin, in centro quidem ſuo non firmas, Cor tamen noſtrum, in perſeverantiæ ſtabilis firmitudine. Caſtæ ibi Cogitationes, ſanctæque intentiones progerminant, non pulchri flores aut viridã-

tes

tes herbæ: Locupletatur Conscientia operibus virtuosis, non vero sapidorum Copia fructuum Agri; Non ibi, conformiter ad ordinariã hanc mutabilitatem, diescit, aut noctescit, sed fœliciori quadam vicissitudine, omni se conatu homo applicat modo ad activæ vitæ opera, modo vero ad quietem contemplativæ, *Audi quæso, qua gloria vult Dominus omnem terram implere? Singulis eorum imponebat Coronã, & magis exaltabatur.*

21. Neque etiamnum, quę hac de re dicenda veniunt, ad finem vsque perduxi, quia superest, vt dicam, quod dum Redemptor noster culpam remittit, non temporalem dũtaxat gloriam consequi videatur, sed etiam certo quodam modo æternam. *Tota merces est visio*, dicit S. Augustinus, atque hæc quidem visio, Christo promissa est, in præmiũ eius, quod ipse pro lucrandis animabus fecit. Quænam autem est visio isthæc? Certe non alia, quã qua videt peccatores Cœlo lucratos, aut sceleratos, gratiæ comparatos & acquisitos. Audite Isaiam: *Si posuerit pro peccato Animam suam, videbit semen longævum, &c. pro eo, quod laboravit Anima eius, videbit & saturabitur.* Vbi glossa ordinaria, quidnam Christus, in præmium illorum laborum, quos pro reducendis ad Deum Animabus, sustinuit, visurus sit, declarat, dicens: *videbit fideles in perpetuum regnare.* Visio Dei ita satiat, vt quemcunque alium tollat appetitum, visio peccatorum saluté æternam consequentiũ, omne Dei desiderium, satiabit plenissimè: atq; ideo gaudens, pro peccatoribus salvandis, patietur, vt ingentem hanc adipiscatur sibi competentem mercedem. O pietas! O Amor! Christo Paradisus aliquis esse videtur, dum amicos suos in gratia videt constitutos. *Videbit & saturabitur. Vbi Iesus videbit semen longævum*, dicit doctissimus Forerius, *Saturabitur: id est, bene sibi satisfactum putabit, hoc vno sui laboris præmio, affatim contentus erit. Hæc sunt viscera Dei nostri, vt tunc bene habere dicatur, cum res nostræ bene habent, tunc comedat, tunc quiescat, tum delitiis affluat.* Adeo, vt Christo videatur, se plenè perfecteque gloriosum, atque beatũ non esse, nisi Cœlum, societate suorum stipatus, possideat, eosdemq; gloria dignos videat. Vtique meministis verborum illorum, quæ Christus discipulis suis, priusquam ad Passionem subeundã sese accingeret, dixit: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscũ, novum, in regno Patris mei.* Quid obsecro per vinum illud novum significatur. Vinum Gloriæ? Cur gloria vinum dicitur? Quia *Pacificat Cor hominis.* Verum, cur ergo Christus dicit, se vinum illud glorię novum, nõ nisi in societate suorum bibiturũ, si semper idipsum bibit, Deum nãque videt semper, semperq; beatus est? Mirum in modum Cyrillus Alexandrin. respondet, quod tametsi Christus semper gloriosus, atque beatus existat, nihilominus non videatur sibi,

Isa. 53. v. 10.

Franc. Forerius in Isaiam.

Matth. 26. v. 29.

Lib. 3. in Levit.

sibi, gloria illa perfectè gaudere, donec eadem gaudeat vna cum electis suis fidelibus. *Quamdiu nos non ita agimus, vt ascendamus ad regnum, non potest ille bibere vinum solus, quod nobiscum se bibere promisit. Est ergo tādiu in mœrore, quamdiu nos persistimus in iniquitate.* Hinc est, quod Christo in Cœlum ingrediente, dicatur, eo veluti peregrinus quidam ingredi: *sicut Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, &c.* Verum, quod si in cœlis existens, in domo est Patris sui, quomodo peregrinus erit? Quomodo advena esse dicetur, si in Patria sua itidem commoretur? si cū Angelis Palatii sui ministris & domesticis conversatur? Respondet Author operis imperfecti: *Commendat Christus dilectionem suam: ascensurus enim ad regna cœlestia, & ad Patriā illam iturus, vnde descenderat, peregre iturum se dicit, propter Charitatem eorum, quos relinquebat in terra.* Videtur Deo, se in Cœlo, velut extraneum, atque peregrinum esse, donec in amicorum suorum grata nō fuerit societate: atque per Charitatis suæ excessum, se Paradisi gloria perfectè gaudere non iudicat, quoadusque eadem, vna cum fidelibus suis, gavisus non fuerit. Concludo ergo, O Deus meus, quod si ad cōdonanda peccata alliciaris à voluptatibus, quas inde percipis ab ingenito Naturæ tuæ instinctu, à violentia necessitatis, à lucri vtilitate, à lucro & incremento famæ & gloriæ, qua ergo ratione dicere potes, Quod quæsitus inveniri minime poteris. *Quæretis me & non invenietis?* En in promptu est responsio.

Matth. 25. v. 14.

Imperfectus in Matthæum.

PARS II.

Secundum Punctum.

22. Dico ergo, quod quærendo Deum, multis possit modis turpiter errari, prout optime idipsum advertit S. Bernardus, dicens: *Quid est, quod non invenitur quæsitus? Sed attendite, tres causas esse, quæ interim occurrunt, & quærentes frustrari solent: cum aut videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non vbi oportet.* In tempore ergo, modo, & loco peccatur.

Serm. de diligendo Deo.

Et primo quidem, erratur in tēpore. Hoc Isaias propheta clare expressit: *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.* Quærite Deum, dum inveniri potest. Est ergo tempus, quo inveniri nequaquam potest. Ita S. Bernardus locum illum Isaiæ exponens, affirmat dicens: *Erit enim tempus, quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabili siccabitur siccitate.* Scitisne, quibusnam fons ille misericordiæ reddatur exsuccidus, & siccus? Eis videlicet, quibus nulla Deum quærendi cura est in vita præsenti, sed illum in mortis articulo, inventuros se cogitant, atque confidunt. Qui in morte pœnitet, non voluntarie, & vltro pœnitet, sed necessitate coactus: nec ipse Culpas deserit, sed hæ potius deserunt illum. Ita S. Salvianus Presbyter discurrit: *Peccare non desinit, quem in extremis situm, recedere à criminibus, sola tantum facit impossibilitas, non voluntas.*

Isaiæ 55. v. 6.

Lib. 1. ad Eccl. Cath.

voluntas. Qui enim à malis actibus, tantum morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus. Ac demum subiungit, quod si suum exquiratur iudicium, circa peccatorē aliquem, qui in vitæ suæ fine convertitur, Salvandusne sit talis, nec ne? in causa eiusmodi, adeo perplexa, & ambigua, nescire se, quid demum dicturus sit. Siquidem ex vna parte durum videtur, & inhumanũ, eiusmodi hominem, ab inquirendo remedio retrahere, ex altera vero parte, tali securitatem ꝓmittere, res est prorsus temeraria: *Quid dicam nescio, quid promittam penitus ignoro. Revocare ab inquisitione vltimi remedii periclitantes, durum, & impium, spondere autem aliquid, in tã sera curatione, temerarium.* Ratio autem huius est, quia Passiones illæ, quæ toto vitæ tempora durarunt, non deficiunt in morte, tametsi n. quoad effectum deficiant, quoad affectum tamen minime desinunt. Hæc etiam est mens S. Augustini *Fornicarius senescit, in quo libido non senescit.* Lascivus antiquatur, & senescit, non tamen lascivia, quã in sua semper conservat iuventute. Peccãdi vires amittit, non vero peccandi voluntatem; Deficit ipsum lasciviæ opus, non tamen illum desiderium deserit, aut peccandi affectus. *Fornicarius senescit, in quo libido non senescit.*

Serm. 18. de verbis Apost.

Gen. 19.

23. Atque ad hoc propositum, advertit S. Ambrosius, Domũ Loth iusti, à pueris, ad ipsos vsque senes decrepitos, fuisse circundatam, animo videlicet, suam, cum Angelis, quos pulcherrimos existimabāt esse iuvenes, complendi libidinem: *Viri Civitatis vallaverunt domũ, à puero, ad senem, omnis populus simul.* Sed ehem, quid facitis vos O lascivi senes? Ergone possibile est, quod sub tam Canæ Comæ nive, adeo ardēs conservari possit flamma Concupiscentiæ? Ergone possibile est, quod viridi deficiente ætate, vigor affectus iuvenilis languescere non potuerit? Ergone vna cum senectutis frigore, possibile est, non simul infrigidari ardorem libidinis? *Qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum,* dicit Ambrosius, *Effœtæ vires senum, sed mens plena libidinis.* Vnde iusta erat illa S. Bernardi comminatio, dignissimaque ponderari, ab iis præsertim, qui temeraria quadam confidentia, in mala vita, ad finem vitæ vsque semper perseverant: *Væ illi, qui tunc habet terminum luxuriæ, quando & vitæ,* talis namque si peccare desinit, id facit, quia vivere desinit, non vero quia peccati desiderium desinit, quod durabile in ipso est, atque interminatum. Ergo *quærite Dominum, dum inveniri potest: Quæretis me, & non invenietis.* Quæretis me in fine vitæ, quando non me quæretis ex corde.

Gen. 19. v. 4.

Lib. de ord. vita.

24. Quod si in morte tantum Pœnitentiam egeris, valde dubito an non tua illa Pœnitentia, eo tempore facta, quo tu infirmaris, ipsa pariter infirma futura non sit: dubito an non te moriente, pariter & ipsa commorietur. Pœnitentia

 (si id

(si id nescis) est actus quidam heroicus, ideoque difficillimus, qui Gigantæis viribus opus habet. Quid ergo tunc Pœnitentia tua infirma, ac moribunda præstabit, ad grave adeo pondus gubernandum, ad satisfaciendum Deo & hominibus, ad tot peccatorum enormitatem prouti par est, detestandam, ad sufficientes inveniendum lachrymas, quibus Conscientiæ tuæ laventur turpitudines, ad solvendũ per Capitale adeo modicum, summam adeo ingentem & magnam; idque inter vehementer Corporis dolores, inter mortis angustias, inter cordis puncturas, inter illam, de familia ordinanda, sollicitudinem: inter parentum lachrymas; inter Sathanæ tentationes, qui in eo momento omnes suas artes, cunctasque vires vsurpat. Hic est S. Augustini discursus: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est Pœnitẽtia, timeo ne & ipsa moriatur: sanus ergo Homo agat Pœnitentiam, in sæculo, vt sanus valeat esse in futuro.* Nequaquam ad Deum, eo recurres tempore, quod adeo breve erit, quod adeo amarum erit, ac dolorosum, quod tot plenum erit ærumnis, quod tot subiectum erit periculis. *Audiant omnes*, dicit idemmet Augustinus, *Verba recito scripturæ divinæ. O male dilator, & crastini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi scripturam sacram prædicantem: Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem; subito enim venit ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Nunquid ego scripsi hoc? Nunquid delere illud possum? Si delevero, timeo deleri. Illud possum tacere, timeo tacere, prædicare cogor, territus terreo. Timete meum, vt gaudeatis mecum.* Audiant omnes Verbum Dei, Divinæ scripturæ oraculum, ipsiusmet comminationem veritatis; Hanc silere non possum, territus terreo, tacere timeo, id, quod formidine me replet, si taceo. *Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diẽ, subito enim venit ira illius.* Quot sunt, qui ad somnum capiendum se recipientes, somnum continuarunt cum morte? Quot sunt, qui manducantes moriuntur, dumque sustentarent vitam, perdiderunt eandem? Quot ceciderunt repente, irreparabili Apoplexiæ ictu tacti? Quot dies suos clauserunt in mundanæ fastigio lætitiæ constituti, ab incognito videlicet morbo sagittati? Quot ex melancholia creparũt, intellectum eorum atque rationem subito involante? Hi ergo, quomodo Deum invocare poterunt? Quomodo eum poterunt inquirere? Quomodo gratiæ suæ gaudere poterunt auxilio? *Audi Dominum dicentem. Audi Scripturam Sanctam prædicantem, ne tardes converti ad Deum. Quæretis me, & non invenietis.*

Aug. Serm. 57. de temp.

Hom. 15. de verbis Apost.

25. Et hoc quidem inprimis ex parte hominis ita se habet, qui persæpe, imo vt plurimum, circa instans mortis momentum, in tali se statu constitutum depræhendit, in quo Deum requirere, & investigare minime potest: Nunc ex parte ipsius Dei, aliam rationem audite, oportet

oportet enim quærere eum, *dum inveniri potest.* Semei, prout nostis, maledictis atque iniuriis lacessebat Davidem, imo Saxa in eum coniecerat, eo præcipuè tempore, quo è Civitate regia, inde ab Absalone filio suo pulsus, fugere debuit. Redeunte autem Davide ad fortunam pristinam, imo meliorem, in pacificam is regii status sui possessionem sese reimmisit. Tunc ergo Semei humiliatus, hisce verbis, Misericordiam à Davide deprecabatur: *Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum servi tui, in die qua egressus es, Domine mi Rex, de Ierusalem. Agnosco enim servus tuus peccatum meum.* Ad quæ verba Abisai indignatione plenus respondit: *Nūquid pro his verbis, non occidetur Semei, qui maledixit Christo Domini?* Quid ergo eheu nos dicemus, quando nobis sermo est, non de vnica duntaxat transgressione, sed de criminibus infinitis, tot videlicet, quot sunt totius vitæ peccatoris elapsa momenta? quando loquimur de iniuria, facta, non ab vno homine, alteri homini, sed quæ Deo, ab homine quodam, irrogata fuit, de infinitis machinationibus, traditionibus, dolis, insidiis, structis nō Principi cuipiam, à vasallorum suorum nōnemine, sed Creatori à sua Creatura? Hic ergo talis, qui se mille Infernis reum ac dignum reddiderat, si in ipso mortis imminenti articulo, quando iam securim Collo suo adpositam habebit, plus ex pœnarum timore, quam ex Reverentia erga Dominum suum, ad Deum conversus, ore suo dixerit: *Peccavi Domino*, num remissionem & indulgētiam à Deo impetrare debebit? *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei?* Hiccine inveniet Dominum, quem in totius vitæ suæ decursu quærere nunquam curavit. Anne ad tot innocentum consortium, in Domo Dei tantus admittendus erit traditor? Nequicquam charissimi, nō enim eousq; vt tale quid cōcedatur, divina pertinget Iustitia, quæ tunc iustè dicet: *In terra Sanctorum iniqua gessit, tollatur impius ne videat gloriam Dei.* O quanta fuit Magi illius stultitia, inquit Oleaster, qui cum Diabolus quidam incarnatus esset, non tamē dubitavit, mortem iustorum à Deo exposcere: *Moriatur Anima mea morte iustorum, & fiant novissima mea horum similia. Vtinam*, inquit supradictus Author, *diceret potius; vivat Anima mea vita iustorum. Dominus non consuevit dare mortem iustorum nisi iustis.* Ioannes Torres, in Libro quodam, quē scripsit de commodo Principis Christiani, refert, qua ratione Philosophus quidam, ad forum Atheniense veluti Asinum sibi comparaturus, concesserit, concurrebant igitur, vti fieri consuevit, omnes Asinorū Venditores singuli sua eidem deferentes obsequia, simulque Asinas suas, quoadusque poterant commendando, & extollendo. Ipse interea totam Asinorum ibi præsentem catervam pertransiens, accuratè & curiosè respexit, & probavit

[Margin notes: 2. Reg. 19. v. 19. — Num. 23. v. 10.]

vit multos, denique reiecit & respuit omnes, causatus semper ex toto illo numero nullum se iuxta animi sui invenire sententiam. Sed qualem ergo, dic sodes, dicebat Agasonum illorum nonnemo, tibi habere Asinum optas? Quibusnam præditum Qualitatibus? erit enim forte vt optioni & voluntati tuę servire possemus. Cui Philosophus: Quæro Asinum, Cauda Pavonis decorum & præditum. Quod audientes circumstantes, quorum plurimi erant, effusissimum in risum prorupere omnes. Itane? inquiebat Philosophus. Ergone vos ridetis me, dum Asinum quæro, Cauda Pavonis exornatum, cum sitis vos magis ridendi, qui vitam degentes Asinina turpiorem, mortem tamen sperare audetis fælicem, & Campos Elisios, quo tamen nulli præterquam virtuosi admittuntur assequi prætenditis? An non hoc idem est, quod Asino caudam Pavonis attribuere. Mi Christiane, Hic gentilis huius Philosophi conceptus, te vehementer deberet confundere, nec non & securum reddere, fore, vt si vita tua Asinina fuerit, Asinina pariter & mors tua futura sit, quia *Dominus non consuevit dare mortem iustorum, nisi iustis. Quæretis me, & non invenietis.* Non eum suo debito quæsivisti tempore, & ideo eundem quoque minimè invenisti. Nunquam illum invenisti in vita, ac proinde neque in morte tibi illum indulgebitur invenire, ita namq; decernunt iustissima, & æquissima illa Dei Iudicia. Certissimum namque est, illud Augustini dictum, videlicet: *Hac animadversione punitur impius, vt moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. Ergo Quærite Dominum, dum inveniri potest.*

26. Porro attonitus rigesco, & toto Corpore tremo, quoties formidabilem illam audio comminationem, quam in Proverbiis æterna Dei fulminat sapientia: *vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui respiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.* Sed heus O Domine vt quid adeo indignaris? Certe ipsi statuerunt, in morte sua pœnitentiam peccatorum suorum cōdignam agere, tunc te, omni cum diligentia, quærere proposuerunt. Et ego, inquit Deus, consilia ipsorum suo tempore ridebo, quippe qui cum in toto Cursu vitæ suæ, impie me spreverint, temere nihilominus sibi persuadere audent, ob vnicam pectoris tunsionē, ob quatuor, in commodum, & vtilitatem suam: non vero ob gloriam meam; ex suppliciorum meorum timore, & formidine, non vero ad divini reparationem honoris mei, effusas lachrymas, transire ad Cœlum. *Ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Prov. 1. v. 24.

27. Secundo erratur in modo quærendi Deum: *Non quærunt, sicut oportet.* Qua enim ratione vos illum invenire posse putatis, si illum eo modo non quæratis, qui, vt inveniatur, est necessarius? Sed quis est ille

ille Deum inveniendi modus? *In simplicitate cordis quærite illum*, dicit Salomon. Intuere, num simplex sit cor tuum, an vero duplex: Considera, num vna cum Dei amore, proprius in te quoq; habitet amor: An ibi sit arca illa Testamenti, sed simul cum Dagonis Idolo, an vna cum Christi legibus, Antichristi quoque leges à te profiteantur. *In simplicitate cordis quærite illum.* Quærite ipsum, sine societate admixtionis cuiuscunq;, in puritate cordis quærite illum, quærite illum ab omni alio humano interesse procul remoti. *Si quæritis, quærite*, dicebant apud Isaiam nonnulli. *Quid est, si quæritis quærite?* inquit Bernardus: *In simplicitate cordis quærite illum. Non aliud, tanquam illũ; non aliud, propter illum; non aliud, post illum. Simplex Natura, simplicitatem cordis exquirit.* Hebræi quoque quærebant Dominũ sed quia ab eo in deserto saturati fuerant; neq; tantum suam quærebant præsentiam, quantum panem suum quærebant, atque ideo reprehendebantur: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis.* Non propter gloriam meam, me quæritis, sed propter vtilitatem vestram quæritis me. Non ea, quæ feci miracula, vos respicitis, sed Panem, quẽ manducastis. Quæritis me, non tamen vt me quæratis, sed vt quæratis vos ipsos. Ecce tibi S. Augustini in hanc rem commentum: *Quæritis me propter aliud, quærite me propter me.* Eheu! quot sunt, qui in Curiã Romanam, vbi norma est fidei veræq; religionis fundamentum, sese recipiunt, At quid prætendunt? Forsitan nominis Christiani propagationem? Fortasse Animarũ Christi sanguine redemptarum salutẽ? Forte Doctrinæ Christianæ stabilimẽtum? Forte Christi gloriam ac servitutẽ. Minime gentiũ. Omnia alia in corde suo habent, sed non Christũ. Quid quærunt igitur, si Christũ non quærunt: Substantiam Christi quærunt, Panes Christi quærunt. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus meis. Quæritis me propter aliud, quærite me propter me. Non aliud tanquam illũ, non aliud propter illum, non aliud post illum. In simplicitate cordis quærite illum.*

Sap. 1. v. 1.

Isai. 21. v. 12.

Serm. de Diligendo Deo.

Ioan. 6. v. 26.

Tract. 25. in Ioan.

28. Hic est error ille, qui hodie passim in mundo invaluit, Res nãq; cœlestes, cum terræ hujus bonis consociare volumus; legem Evangelij profiteri, una cum istius sæculi legibus; Servire Deo & iniquo Mammonæ: *Duas gentes odit Anima mea*, sunt verba Ecclesiastici, *& tertia, non est gens, quam oderim.* Maximum erga duos populos horrorem habeo, tertius autem populus, quem plus cæteris odio prosequor, Gentis nomine appellari minimè meretur. Siquidem qui dicit gentes, homines dicit, illi vero potius ut bestiæ, quàm uti homines vivunt. Ast quales sunt hi tres populi? *Qui sedet in monte Seir, & Philisthym, & stultus populus qui habitat in Sichimis.* Primi erant Idumæi, atq; juxta Rabani Mauri expositionem, quia ex sanguine Abrahæ descendebant populum Hebræum significãt. Secũdi sunt Philisthæi, qui Paganos repræsentant, Idololatriæ deditos: ultimi

Eccl. 50. v. 27.

ultimi denique erant Samaritani, partim Idololatræ, partim veri Dei cultores, & adoratores. Dicit ergo nunc Sp. S. Odi equidem vmbras, ac Iudæorum Cæremonias, neque Hypocrisin eorundem videre vlterius prævaleo; odio insuper mihi est Gentiliũ superstitio, qui terga verterunt Cœlo; Super omnes tamen istos, odio ꝓsequor Samaritanos, qui una cum cultu nominis mei, Idolorũ admittunt adorationem. *Et stultus populus qui habitat in Sichimis.* Merito autẽ Populus stultus vocatur, vt notavit Cornelius à lapide: *Vocat hanc gentem stultam, quia cum Deo vero Israelitarum, colebat Idola Assyriorũ.*

29. Postremo deniq;, non invenitur Deus, quia erratur in loco: *Nõ quærunt vbi oportet.* Vnde hanc August. ad Deum orationem instituebat: *Et nunc Domine Deus, tu doce cor meum vbi te quæram.* Tu me erudias vbi invenire te possim Deus meus. *In manuali cap. 9.* Porro non in Carnis invenitur cõmoditatibus, multo minus in mollitudine, sensuumq; delitiis, sed Cruces inter & Passiones: *Non invenitur in terra suaviter viventium*, dicebat quondam iustus ille. Non illũ in lecto sponsa invenit: *Quæsivi, & non inveni.* Sed eos inter illum invenit, qui vulnerabant, & spoliabant eandẽ: *Paululum cum pertransissem eos, inveni, quem diligit Anima mea.* Monet S. Ambr. *Si vis & tu tenere Christum, quære iugiter, nec pœnam metuas. Inter n. supplicia frequenter Corporis, inter ipsas persecutorũ manus, Christus melius invenitur.* Christus inter inimicorũ invenitur persecutiones, inter Calvariæ Cruces, inter vitæ rigores, & asperitates. *Lib. 3. de virginit.*

30. An non Deum suũ iustus ille forte non quærebat, qui dicebat: *Da nobis auxiliũ de tribulatione? Non dixit da nobis auxilium de delitiis*, dicit S. P. Hieron. *sed de tribulatione. Ad Dominum cum tribularer, clamavi, & exaudivit me. Non dixit cum essem in delitiis clamavi, aut dormiens clamavi, vis exaudiri à Domino. Esto in tribulatione, clama & exaudieris. Si quis ergo non est in tribulatione, auxilium Dei invocare non potest.* *Psal. 107. v. 13. Hieron. in Psal. 117.* Deniq; concludendo dico. Non invenitur Deus, si inter cõmoditates & delitias nostras illum quæramus. Agedum ergo Christiani mei: *Si quæritis, quærite.* Si illũ quęrimus, quæramus, dum inveniri potest. Eo modo quæramus, quo se inveniri permittit: Deniq; quæramus ipsum, vbi inveniri potest. Cõsidera bene, agitur hic, aut de perdẽdo, aut de lucrando Deo: cum de rerum agitur iactura, quid non facimus, vt illam evadamus, Et tamen cũ de Dei iactura aut perditione agitur, nec quicquam movemur. Ipse profecto nil aliud à nobis requirit, quam vt nos ipsum requiramus, qua te igitur ratione excusabis, si illum non inveneris. *Quærite, quærite, & invenietis.* Quære illum, & mox invenies, nil enim aliud desiderat, quam tandem aliquando vel semel à nobis inveniri. Quære Deum tuũ, Quære bonum tuum, Quære illum sine quo vivere non potes. Quære illum, qui in præsenti vita fulcrũ tibi futurus est, in futura vero Corona immarcescibilis.

CON-



CONCIO XXX.

In Feriam III. post Dom. Pasſionis.

THEMA.

Erat dies festus Iudæorum, Scenopegia, &c. vos aſcendite ad diem festum hunc. Ioan. 7.

ARGUMENTUM.

Per Festivitatem tabernaculorum, docere voluit Deus, quod in hoc mundo mansionem permanentem minimè habeamus; sed illa in alio mundo potius à nobis inquirenda sit.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Magna & deploranda miseria, quod cum res mundanæ, sint tam viles & trāsitoriæ, tantoperè accendant humanas mentes, quæ pro divinis & æternis acquirendis tepidæ, imo & frigidæ remanent. num. 1.

Ionadab præcepit posteris, ne ædificarent domos &c. quod exactè servaverunt. ibid. *Synopsis Concionis.* ibid.

Punct. I. Non habemus hic manentem Civitatem. n. 2.

Peregrinus via regia incedit, nō declinat ad dexterā, nec ad ſinistram &c. Ib.

Omnes sancti ſeſe ut peregrinos in hoc mundo habuerunt. Quamplurima testimonia hîc congesta. n. 3. 4. & 5.

Væ super omnes habitatores terræ. *Quæ verba amatoribus ſæculi applicantur.* n. 6.

Væ qui dormitis in lectis eburneis. *Sicut David:* Putaverunt se habere vasa Cantici, *quæ ultima verba ſic à 70. leguntur:* stantia putaverunt & non quaſi fugientia. *Quæ verba ponderantur.* n. 7. 8. & 9.

In Asia sunt loca quædam, quæ dicuntur ſaltantia, teste Majolo. *Talia sunt mundana.* n. 8.

Res mundanæ fluvio labenti comparantur. Ibid.

Græci Imperatorem ſuū coronaturi, duo illi vaſa offerebant, unum Cinere, aliud stupâ plenum, & quare? n. 9.

Prosperitas mundi ſylvæ cuidam comparatur, & quare? n. 10.

Descriptio Tyri per comparationē navis optimè instructæ. Momento mare vertitur,

titur, eodemq́ die, ubi luserunt navigia, sorbentur. n. 11.

Humana Natura fœno & flori comparata. n. 12.

Talis est jucunditas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent. Simul enim & cernitur & interit. n. 12. & 13.

Inconstantia mundi quanta sit; aliquando nos delectatione retraxit à Deo: nunc tantis plagis plenus est ut ipse mundus mittat ad Deum. S. Gregorii sententia. n. 14.

Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? *Non vis ut turbẽte positã in sæculo, & peregrinã adhuc à domo Dei mei?* S. Augustini responsio, n. 15.

Mœrens incedebam, *ait Iob*, in prosperitatibus. *& quare?* Ibid.

Ad Deum clamat David tota die, quia tribulatio est, & quando bene est tribulatio est. ait. S. Augustinus. n. 16.

Punct. II. *Votum pro adimpletione oraculi, quo dicitur:* Similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est. n. 17.

Bona pascua vita æterna dicitur. Ibi nulla herba arescit; Totum viret, totum viget. S. Augustinus. Ibid.

S. Philippi desiderium: Ostende nobis Patrem & sufficit nobis. n. 18.

Suspiriũ Prophetæ: Notum fac mihi Domine finẽ meũ, & numerũ dierũ meorũ, qui est, *ut vertit* S. Aug. Ibid.

Descriptio Beatitudinis, & ad illam ardentia proferuntur desideria. n. 19.

In festivitate Tabernaculorum fasciculum deferebant de quatuor arborum generibus, quæ quatuor virtutes Cardinales repræsentant. n. 20. usq; ad 30.

Secundũ verbum tuũ da mihi intellectum, *non secundũ Philosophos, non secundum causidicos.* acute Augustin. Ibid.

Moyses Israelitis insipientiam exprobrabat his verbis: Gens absq; consilio & sine prudentia &c. *quod posset merito in Christianos retorqueri.* n. 21.

Locus sapientis: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. *Optime dilucidatus. Hic pulchra de prudentia & imprudentia.* n. 21. & 22.

Secundus fasciculus componebatur ex Cedro, vel malo aureo. Hæc autem est typus Iustitiæ, cujus excellentia cognoscitur ex contrario. n. 23.

Vidi servos in Equis, & principes ambulantes super terram, quasi servos. *Locus excussus.* Ibid.

Insignis stultitia & injustitia Heliogabali qui tanto amore Equum suũ deperibat, ut ipsum convivã in mensa sua admiserit; Imo decreverat eum in Collegam in consulatu expetere, quod optimè quadrat iis qui sui corporis sunt mancipia. num. 26.

Tertius Ramus erat ex palma, quæ fortitudinem significat. De qua plura. Et specialiter in perferendis adversitatibus. num. 27. & 28.

Sumus in via Dei debiles, & tamen peccatores sunt adeo fortes deambulando in via mundi. n. 29.

Huc flexus Iobi locus: Levis est (scilicet peccator) super faciem Aquæ. *S. Thomæ explicatio.* Ibid.

Quartus ramus erat ex Myrtho, quæ ob temperatam Qualitatem temperantiam designat, quæ quidem virtus in vita hujus peregrinatione valde est necessaria. num. 30.

De

De modo quo corpus nostrum tractare debemus, hic agitur. Ibidem.

Imitari debemus Gedeonis milites, qui manu ad os admota lambebant Aquas. num. 30.

1. ADeo excrevit in nobis humana cæcitas, ut rationis lumen, à negligenti inadvertentia, communiq; abusu, obfuscatum, aut præsentem veritatem nõ videat, aut manifestum non advertat errorem. Volant res humanæ, levissimi venti instar; sicut fugaces evanescunt umbræ; velut undæ marinæ fluctuant, sibiq; minime cõstant; deludunt uti somnium quoddã nocturnum, veluti tenuissimus quidã vapor disparent & intereunt: & nihilominus, nescio quo modo in tantum miserorũ mortalium accendunt pectora, eademq; ardentissimis adimplent cõcupiscentiis. Econtra vero, res est digna planctu, atq; querela, quod Gloriæ bona, quæ secundum esse suum, vera sunt, & realia; quoad magnitudinẽ, immensa; inæstimabilia, quoad pretiũ; quoad durationem, æterna, in confusa hac nostra Mundi Babylonia, modicum adeo æstimẽtur. Perversum istud in populo suo Judicium, Dominus corrigere voluit, ideoque Festivitatem Tabernaculorum instituit, cuius in hodierno Evangelio fit mentio; Ut videlicet certo quodam, atque à lege determinato dierum spatio, sub iis tentoriis, atque ex frondibus contextis tabernaculis, habitantes, per transitoriam illam habitationem, brevemque adeo sub iis moram, de fugitivi mundi istius inconstantia, & vanitate, redderentur memores, atque hac ratione id, quod fragile, momentaneum est, atq; caducum, contemnentes, docerentur, permanentia prout par est suspicere, & sempiterna. Et quis scit, An non hoc fuerit sapientissimi illius Jonadab, Rechabitarum Patris intentum, quando iis, qui eiusdem cum ipso familiæ erant, severissimum statuit interdictum, commodas delitiosasque non inhabitandi domos, alia vero ex parte, ut rustica tabernacula, fragiliaque incolerent tuguria iisdem præcepit. *Domum non ædificabitis &c. sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.* *Ier. 35. v. 7.*

2. Ut igitur à primo ex punctis propositis exordiamur: *Vos ascendite ad diem festum hunc.* Celebrari volebat Deus festum Tabernaculorum, ut intelligeretur, nos in hac vita, non habere Civitatem permanentem: *Non habemus hic manentem Civitatem.* In mundo hospites sumus, non vero Cives; advenæ & peregrini, non domestici; extranei, non ad illum pertinentes incolæ; *Prima virtus est, imo tota virtus peregrinum esse, & hospitem super terram,* dicebat Joannes Chrysostomus. Prima virtus, imo omnium virtutum summa in eo consistit, ut se quis huius terræ hospitem & peregrinum esse recognoscat. Hospes hospitii amore minime capitur, quantumvis id amœnum sit, & delitiosum, eo quod paucis horis tantum, in eo degendum *Punctum I. Primum.* *Chrysost. in Matth.*

sibi sit: Non sibi res illius, velut proprias, usurpat, utpote, quarum illi, ad breve tempus, usus tantum concessus est, non vero Dominium: Non se negotiis immiscet diu duraturis, utpote noscens, fore, ut tam brevis sit vitæ, ut eas ad finem perducere, illi non liceat. Nullas inibi contrahit amicitias, quippe quæ in adeo brevi mora pacisci nequeunt: Non se rebus onerat superfluis, ut ad conficiendum itineris seu viæ suæ residuum, Liber sit & expeditus: Temperanter mãducat, haud ignorans, fore, ut tandẽ omnia, ad ipsum usque, quem spirat, halitũ, exsolvere teneatur. Appellente hora discessus, haud invitus, sordidũ atq; immunditia plenum deserit hospitium: *Peregrinus via regia incedit*, sunt verba Bernardi, *non declinat ad dexterã, neq; ad sinistram. Si forte jurgantes viderit, non attendit: si nubentes, vel choros ducentes, nihilominus transit, quia peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus. Ad Patriam suspirat, ad Patriã tendit, vestimentum & victum habens, non vult alijs onerari. Beatus plane qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domino: Advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes Patres mei.*

Serm. 8. in capite jeiunij.

3. Hæc fuit constans semper, omnium justorum, cunctorumq; servorũ Dei, opinio, de quibus Paulus Apostolus illud reddit testimoniũ: *Iuxta fidem, defuncti sunt omnes justi, nõ acceptis repromißionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini sunt, & hospites super terram.* Sic Jacob Patriarcha, corã Pharaone rege loquebatur, dicens: *Dies peregrinationis vitæ meæ, centũ triginta anni sunt, boni & mali*; sic pariter sanctus ille Hierosolymorum Rex cecinit: *Advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei.* Sic filius eius Salomon: *Peregrini sumus apud te, sicut omnes Patres nostri.* Hæc erat exhortatio, quam S. Petrus Apostolus suis faciebat discipulis: *obsecro vos, tanquã advenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs.* Videte, qua ratione omnes servi Dei, festum celebrabant Tabernaculorum, & uti sanctus notat Gregorius, Modico illo quod pro corporis necessarium erat sustentatione, utebantur refocillamẽto, sed veluti peregrini? Corpore quidem tenus illic quiescẽtes, Mente tamen alibi occupata. Itineris gaudendo contrarietatibus, ne à via in Patriam directa impediamur: *Iusti sic temporali refoventur subsidio, sicut viator in stabulo utitur lecto. Pausat & recedere festinat: quiescit Corpore, sed ad aliud tendit mente. Nonnunquam vero, & adversa perpeti appetunt, in transitorijs prosperari refugiunt, ne delectatione itineris, à patriæ perventione sequestrentur: ne gressus Cordis in via peregrinationis figant, & quandoq; ad conspectum cœlestis Patriæ sine mora perveniant.*

Heb. 11. v. 13. Gen. 47. v. 9. Ps. 38. v. 13. 1. Paral. 29. v. 15. 1. Petr. 2. v. 11. Lib. 8. Moral.

4. De S. Basilio Magno, refert intimus quidam eiusdem amicus, & consacerdos, ipsum cum à Valentis Imperatoris præfecto, pœna intentaretur supplicii, hæc memoria dignissima verba respondisse: *Nihil horum, quæ dixisti, curo, ipse*

Orat. de Laud. Basilij.

ipse me, ob spem regni cœlestis, proscribens. Nihil vero possidens, ab exilij metu liber sum, unam omnium cognoscens esse Patriam, Paradisum, Domini est terra & plenitudo ejus. q. d. Tu ne mihi minaris exilium? An igitur nescis, quod egomet ultro, me ab hac terra, in exilium proscripserim? Patria me privare vis? Sed ego nunquam aliam, præter Paradisum, cognovi Patriam? In Patrias fortasse remotas, atque in procul dissitas, longinquas, diversissimasque me, ablegabis regiones? O stulte, in quem locum tu ablegare me poteris, ubi ego Deum meum non inveniam? Tu meis fortasse me exues facultatibus, pauperemque, omnis auxilii derelinques expertē? Verum scito me semper voluntariè fuisse pauperem, nec quicquam unquam idipsum æstimasse, ꝙ commodatum, non vero donatum mihi esse, cognovi. In summa, nullam ego per tuum contra me enuntiatū Exilium, recepturus sum pœnam, sed potius commutabo eandem, atq; ab uno exilio, in alterum: atq; ab ea peregrinatione, cui de facto insisto, ad eam, cuius à te cōdemnor, commigrabo. *Incola ego sum, sicut omnes Patres mei.* Quid? tu mihi hodie Patriā nominabis aut propones? Audi Hugonem Victorinum, hic namq; pariter cōfutatum percipies communem vulgi errorem: *Delicatus est admodum, cui Patria dulcis est; fortis autē cui omne solum patria est: perfectus vero, cui totus mundus exiliū existit. Ille mundo amorem fixit; iste sparsit: hic extinxit.*

Lib. 2. de Didasc. erud. c. 20.

Eodem prorsus modo, Gregorius Thaumaturgus, referēte id Gregorio Nysseno, moriturus rogavit, ne propriam sibi post mortem pararēt sepulturam, sed curarent, ut corpus suum, ex uno loco, ad alium abveheretur, quocunq; illud casus deportaret; Dicebat enim, ꝙ cum tempore vitæ suę semper veluti peregrinus extiterit, sibi nequaquā grave videri, si mortuus quoque peregrinaretur: *Peregrinus vitam transegi, ne post mortē quidem inquilinatus mihi dedecori erit.*

5. Magnis hisce viris, consentit Olympius Abbas, apud Sophronium, qui à juvene quodam serviendi Deo cupido, rogatus, ut certam quandā, idipsum faciēdi, magnumq; sibi perfectionis tot tamq; diversis modis, atq; à tot inimicis impugnatæ, profectum acquirendi Regulam se edoceret, in hęc verba eidem respondit: *ubicunq; æstima te peregrinum, & ubicunq; sederis, dic: Peregrinus sum super terram.* Hæc est unica omnis perfectionis Regula, hoc est omnium virtutum breve compendium, hæc est totius Evangelii summa, meminisse videlicet, hospitem se & peregrinum esse super terrā. Quod si n. talis fueris, similemq; perfectionē habueris, avulsus quoq; eris ab hoc sæculo, ꝙ adeo est labile; Liber ab opum divitiarumque sollicitudine, quæ adeo sunt fugaces; longus à fumo Honoris, qui adeo est vanus, temperans in voluptatibus, quæ tantū sunt momentaneæ; famæ minime cupidus quæ adeo est transitoria; Non capieris pulchritudine, quæ adeo est

Sophron. c. 12.

caduca; Non allicieris à gloria, quæ ita est fragilis. Cautus eris in periculis, in negotiis prudens, liberalis de tuo, alienorum minime cupidus: Attentus ad voces Dei, ad instigationes sathanæ surdus, præparatus ad gratiam, à culpa reparatus, cœlorumq; ardens amore: Uno verbo, dicam cum S. Augustino: Quicquid est in terris, *erit tibi instrumentum peregrinationis, non irritamentum cupiditatis, quo utaris ad necessitatem, non quo fruaris ad delectationem.* Datque idem Augustinus Exemplum in hospite, qui in Hospitio invitus moratur, indeque mox, ut fieri potest, emigrare desiderat. *Stabulum est hæc vita: Viator in stabulo utitur mensa, Calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus.* Servire tibi debet mundus iste, velut Hospitium in peregrinationem, non vero instar domus ad habitationem. Erisque hac ratione admonitus, te partem itineris tui confecisse, partem vero eiusdem adhuc habere reliquam, quodque in hoc mundo, à via nonnihil declinaveris, ut te reficias, non vero ut te perdas atque in ruinam præcipites.

Tract. 40. in Ioann.

6. Porro ij, qui ex data opera, & ex proposito, in terra ista habitant, ac velut in terra patria seu nativa commorantur, tantopere Deo displicent, ut formidabilem hanc illis intentarit comminationem in sacra Apocalypsi registratam, scilicet: *væ super omnes habitatores terræ.* Sed quomodo hoc de tot justis, qui in terra ista, inter malos permixti habitant, verificari potest? Respondebit S. Ambrosius: *Non omnes homines comprehendit: Sunt enim & in terris positi, quorum conversatio in cœlis est, sed eos, quos terrenæ conversationis affectus, ac hujus sæculi vicerit gratia: Ergo non habitatores, sed accolæ sumus terræ hujus. Accola enim temporalis diversorij spem gerit, habitator autem spem omnem, atque usum suæ illic substantiæ locare videtur, ubi habitandum putaverit. Itaque qui est terræ accola, habitator Cœli est; qui autem habitator terræ, possessor est mortis.* Adeoque illa Dei comminatio, non super homines qui inhabitant terram, cadit, sed super illos duntaxat, qui corde & affectu illinc hærent affixi; qui omnem spem suam ibi collocatam habent; qui ex data opera veluti Cives in terra habitant; diversissimos profecto, valdeque remotos à venerandis illis veteris Testamenti Patriarchis, Abraha, Isaac, & Jacob, qui tametsi terram promissam à Deo receperint, in illa tamen haud aliter, quam peregrini habitarunt. *Fide demoratus est Abraham in terra promissionis, tanquam in aliena: in Casulis habitando cum Isaac, & Iacob, cohæredibus repromissionis ejusdem*, dicit S. Apostolus Paulus. *In tabernaculis perpetuò habitarunt,* (Notat Theodoretus) *quod intelligerent cœlestem sibi Patriam quærendam esse.* Non ibi, sicut in Patria habitarunt, quia aliam Patriam inquirebant; habitabant in tuguriis, & modicæ durationis tabernaculis, quia cœlestes illas expectabant mansiones,

Apoc. 8. v. 13.

Lib. 1. de Abraham c. 7.

Heb. 11. v. 9.

nes, quæ durant æternum; Habitabant sicut in terra peregrina, quia jus Paradisi civium desiderabant. *Expectabat enim*, subjungit Paulus; *fundamenta habentem Civitatem, cujus artifex, & conditor est Deus.*

7. Notastisne aliquando, dilectissimi, rationem, cur Abraham nunquam sibi domum ædificaverit, sed habitarit semper in tuguriis? Nimirum: *Expectabat fundamenta habentem civitatem.* Quod si ergo Abraham, civitatē expectavit, fundamenta habentem, facile vobis est, consequentiā facere, ac dicere: Ergo Mundus iste civitas est, omnis fundamēti expers? Ergo caduc⁹ est & ruinosus? Ergo nihil in se habet stabile, aut permanens? Ergo amatores illius, illam Amos Prophetæ merentur re-

Amos 6. v.4. præhensionē: *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris, qui comeditis Agrum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocē Psalterij, sicut David, putaverunt, se habere vasa Cantici.* Omnia hic clara sunt, exceptis verbis illis postremis, quæ

v.6. secūdum literā (septuaginta, à Chrysostomo ita leguntur: *stantia putaverunt, & non quasi fugientia.* Putarunt hasce suas delitias, hasce voluptates, hasce dissolutiones bene fundatas, ideoq; stabiles, & nō fugitivas fuisse. *Considera verborum diligentiam* (sunt verba Chrysostomi) *cum enim illorū taxasset crapulam, & immodicam temulentiam, tunc subdidit: quasi stantia arbitrati sunt, & non quasi fugientia: Talia sunt omnia humana, nondum advenerunt, & avolarunt.* O quantū decipiuntur homines, existimando, possideri extra cœlum aliquod posse quod labile non sit & fugitivum, aut inveniri posse habitationē, quæ habeat fundamentum. *Stantia putaverunt, & non quasi fugientia.* Vos qui pauperes estis, inquit S. Aug. Diviti & potēti nolite invidere. Tu speras, quod non vides, & derideris: Ille v. possidet, quod videt, atq; laudatur ab omnibus. Veruntamen, noli ob hoc moveri, turbari noli. Considera nonnihil, & bene quidē, an is quod tenet, teneat. *Despicit te dives, quia quasi tenet, quod videt. Noli turbari, ostende si tenet: Labitur hoc ab illo qui tenet, vel ipse ab eo quod tenet.* Vel enim ipse qui tenet, moriendo perditur, aut ipsum perdit, quod tenet, quia è manibus eius, dum vivit, elabitur. Datq; sanctus Doctor Exemplum, de domo, in qua habitas. Quis enim tibi domum istam, ad dies vitæ tuæ reliquit? Dices: Fecit id Pater meus. Sed quis illam Patri tuo dedit? Avus tuus inquies. Et avo quis reliquit illam? Abavus tuus. Abavus autem tuus à quo eam recepit? Ab atavo suo, à quo autem atavo tuo relicta fuit? A tritavo. Ad Tritavum autem qua ratione devoluta fuit? *Iam nomina non potes dicere.* Audi ergo nunc elegantem S. Aug. *Conclusionem: Si ergo transitum habetis in domo vestra, statio est itinerantium, non habitatio commanentium.* Domus tua, tibi velut viatori, locus est quietis, non habitatio incolentis illam. *Stantia putaverunt, & non quasi fugientia.*

Aug. in Ps.

8. Si-

8. Simon Majolus Episcopus, in diebus suis Canicularibus refert; in Asia, certos quosdam reperiri Cāpos, qui saltuarii vocantur. Ratio a. nominis illius est, quia de uno loco ad alium transferuntur, & veluti saltantes, situm suum continuo mutāt. Adeo ut si in ejusmodi Campis, domum aliquam fabricasses aut plantasses vineam, aut hortum aliquem concinne elaborasses, volens tuis tandem frui laboribus, mox ecce hæc omnia in alium videres transiliisse situm, & locum, relicta duntaxat post se ingēti, in priori loco, voragine. Tales sunt omnes res huius mundi, quæ transeunt frequenter, saltantque de uno loco ad alterum, atq; paucis post momentis, à te in alios transferuntur possessores; *Stantia putaverunt, & non quasi fugientia.* Priusquā palatium aliquod fabricando finias, perdis illud; Moritur tibi filius, priusquam eundē ad destinatam per te dignitatē perducas, priusquam tuum assequaris intentum, jam traditus es. *Talia sunt omnia humana, nondum advenerunt, & avolarunt. Quoniam illic sederunt sedes*, dicit
Psal. 121. v. 5. David Rex. *Illic*, hoc est, in Cœlo sedent sedes. Quid autem significat, sedes sedent? Idem est, ac si dicas, habent firmitudinem, fundamentum & stabilitatem. Sic interpretatur Bernardus hunc locum: *Illic plane, non hic. Quomodo enim sedent, quas hic videmus sedes, quæ toties nutant, toties titubant, toties subvertuntur? stantia putaverunt, & non quasi fugientia.* Atque hac in parte apparet, hominem ipsis bestiis magis insensatum esse; siquidem Ælianus de muribus refert, quod dum domus aliqua ruinæ est proxima, omnes inde mures, casum præveniendo, fugiant, quippe illis Natura Magistra, naturalem quendam proxime secuturæ ruinæ sensum indidit. O Deus æterne! Nunquid nos manibus nostris veluti palpamus, Mundum istum nullum habere, cui innitatur, fulcrum, aut fundamentum? Eundem continuo velut corruere? Promissiones eius esse fallaces? Bona illius inconstantia? Insidiosas esse eius blanditias? Invitationes eius esse traditrices? Mendacem suam prosperitatem? Qua ratione ergo, sicut incauti pueri, retro post vanitatem istam currimus? Quomodo quotidianis hisce periculis, pertinaciter quasi hæremus affixi? Quomodo adeo cœci sumus, ut non videamus, quod passim videtur? Cur non & nos cum S. Augustino Serm. 31. ad fratres dicimus: *O munde proditor! cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers; promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrorem, promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito vanescit; promittis stare, sed cito recedis. Stantia putaverunt, & non quasi fugientia.* Refert Plutarchus Lib. de Solertia Animalium, magnam quandam de vulpe solertiam, & sagacitatem, estque hæc, videlicet, quod postquam in Scythia, con-

congelata sunt flumina (solent autem facile ibidem congelari, ut transitus pateat viatoribus) priusquam illa congelato se committat flumini, prius autem flumini vicinam propinquissimè admoveat, ubi verò murmurantem, & veluti bullientem subtus aquam inaudit, nequaquam transit, veluti argumentando, glaciem minimè solidam esse, atque ideò consequenter pondus aliquod sustinere non posse.
Job 38. v. 39. *In similitudinem lapidis, durantur aquæ,* dicit scriptura, *& superficies abyssi constringitur.* Noli te aquis sæculi istius fidenter committere, quæ solidæ apparent, & non sunt, auriculam admove, & ausculta attentè, ibi namque murmurantes & bullientes inaudies rerum humanarum fluxas aquas, quæ fluminis instar transeunt, ac fugiunt; Notabilque pariter & tu, quod Gregorius Papa notavit, scilicet, quod *aliud in eis intrinsecus latet, & aliud extrinsecus ostenditur.* Atque illud, quod alius
Nazianz. in sententiis. quidam Gregorius (est Nazianzenus) docuit, videlicet, quod *quisquis venientibus vicissimque abeuntibus rebus confidit, ille utique fluvio perenniter labenti confidit.* Faciamus ergo eam, quam Cardinalis Petrus Damiani fecit, conclusionem, qui postquam varios retulisset Reipublicæ Romanæ tumultus, infœlices Imperatorum mortes, Bella civilia, quæ sanguinem, ad instar rivi cujusdam, publicas per plateas manare
Epist. 129. fecerunt, tandem inquit: *Cum igitur fallax hujus mundi, fœlicitas, tot calamitatibus sit obnoxia, quis sanæ mentis, à rebus tam frivolis, tamque fragilibus animum non avertat? stantia putaverunt, & non quasi fugientia.*

9. Neque etiamnum explicando complevi illum Amos Prophetæ conceptum, quem nunc præ manibus habemus: *stantia putaverunt, & non quasi fugientia.* Legistisne aliquando quod Petrus Damianus narrat, vide- Epist. 51.
licet: quod Græci suum coronantes Imperatorem, ad latus ejusdem duos statuere soliti fuerint ministros, quorum unus vas habebat cinere plenum, alter verò aliud repletum stupa: *ut in altero debeat considerare quod est, in altero valeat videre quod habet.* Cōsidera quod es & respice quod habes: Es cinis, & habes pugnum stupa plenū. Viceturque id insinuare voluisse illud Isaiæ o- Isa. 1. v. 31.
raculum. *Erit fortitudo tua, ut favilla stupæ:* Quia, ut ibidem docuit S. Hieronymus: *Omnis fortitudo & superbia peccatorum, & sceleratorum Israel, qui dereliquerunt Dominum, redigentur in purgamenta stupæ, quæ levi vorantur incendio.* Idemque etiam Sapiens replicat hisce ver- Ecclesiast.
bis: *stupa collecta synagoga peccantium.* O- 21. v. 10.
mnis fortitudo, omnes aggeres, omnes munitiones & defensiones, omnes quas mundani falsis bonis suis adhibent custodiæ, stupæ similis est, quæ ut consumatur, unica illi duntaxat sufficit scintilla. Quænam igitur eheu stultitia est, forte æstimare illud, quod adeò est fragile, credere durabile illud, quod vix est momentaneum. *Stantia putaverunt, & non quasi fugientia. O munde immunde, promittis stare, sed citò recedis.*

19. Prosperitas nationis alicujus, à Spiritu sancto, sylvæ cuidam assimilatur, pulcherrimis altissimisque arboribus densæ. Legite Isaiam, Jeremiam, & Ezechielem, & veritatem

hanc ibidem pluribus in locis reperietis. Idque fortè ideò, quia res humanæ, arborum frondibus persimiles existunt, quæ continuò nascuntur, & moriuntur, virescunt & arescunt, pullulant & occidunt, ac tandem putrescunt, atque in sordes ac immunditias degenerant. Estque hæc veritas talis, ut ab ipso quoque Homero Poeta intellecta fuerit, quando dicit:

Persimile est foliis, hominum genus omne, caducis,
Quæ nunc orta vides, pulchrisq; virescere truncis
Autumno veniente cadunt.

Aut fortè ideò, quia arbores sylvestres, infinitis subjectæ sunt infortuniis, à fulmine cœli, à grandine nubium, à terræ vermibus, à ventorum turbinibus, ab ardoribus solis, à securibus hominum. Eodem prorsus modo, Reipublicæ alicujus bona, tot subjecta sunt infortunatis eventibus, ut numerum scire non valeamus. Atque hæc fortè causa est, cur veteres, ut Alexander ab Alexandro refert, in templis orabant, arboris ramum in manu sua deferentes. Fortè etiam ideò, quia arbores sylvarum, quantumvis benè radicatæ sint, nihilominus tamen amputantur, aut eradicantur, indeque fabricantur naves, quæ in altum mare demissæ, tot periculorum potestati committuntur: Ita quoque mundana fœlicitas, non diu florere permittitur, sed frequentibus, miserabilis vitæ hujus, est exposita naufragiis, & omni quasi momento perditionibus atque ruinis vicina deprehenditur. Quocunque tandem modo id se habeat, certè mysticæ sacræ scripturæ sylvæ, illius me memorem reddunt, quod Tristanus Caleanus refert in Historia, quam de Mediolano, Patria sua, scripsit, videlicet, quod post strages, quas passus fuerat Cannes Lucius Posthumius, designatus Consul, voluerit hic in regionem Bojorum, ubi nunc est Lodigianum, introducere exercitum quendam viginti quinque millium hominum, ut hac ratione Gallorum sese opponeret potentiæ, & viribus, qui agros ibi passim occupabant. Galli autem, id quod probabiliter evenire poterat, prævidentes, cunctas ingentis cujusdam sylvæ arbores taliter cæciderunt, & secarunt, ut trunco suo nonnihil affixæ remanentes, in pedes erectæ conservarentur, prævidebant enim procul dubio fore, ut Romani hanc sylvam pro exercitus sui reparatione, viriumque amissarum recuperatione ingrederentur, ibidemque mediante hoc stratagemate loco reparationis expectatæ, certam atque totalem sui inciderent ruinam; acciditque ad eum prorsus modum quem mente sua conceperant, Romani namque à Gallis pulsi, in sylvam illam, magna cum festinatione, ac sine ulla suspicione doli, sese receperunt, atque in prædictas arbores magno cum impetu offendentes, remanserunt ab iisdem aut intercepti & reclusi, aut oppressi, aut perterrefacti adeò ut qui arborum effugerant ruinas, ensem effugere non possent inimici. *Igitur ubi agmen intravit, ruina arborum undique facta, Romani interclusi ad unum obtruncantur.* Ecce tibi hic, rerum humanarum vivam imaginem; Ecce depicta mundi hujus fulcra

Tristanus Calius in Hist. Mediolanési.

cra & bases. Ecce vanæ spei nostræ infidelitatem. Noli ergo confidere, nec in principibus, aut potentatibus, nec in divitibus, nec in parentibus, nec in vasallis, nec in amicis, nec in servis, aut alia quacunque re mundana, quia totum istud, mera est ruina, ac præcipitium. Consideremus, velim, nonnihil à propinquo, sublimes rerum terrenarum arbores, fragilitatem ipsarum contemplemur, videamus casus illarum & ruinas, utique enim cum S. Gregorio Papa despiciemus easdem: *Considerantes quam nullum sit quidquid casibus subiacet, quicquid fine concluditur. Stantia putaverunt, & non quasi fugientia.*

Epist.23. Paschal. & const.

II. Præcepit quondam Deus Ezechieli Prophetæ, ut lachrymosum super civitatem Tyri faceret lamentum. *Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum.* Incipit ergo Propheta, magnæ civitatis illius gloriam, per navis cujusdam optimè instructæ allegoriam, minutim depingere. Tabulata tua, inquit, ex abietibus montis Sanir fabricata fuerunt. *Abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris.* De Libani montis Cedris tibi malum fecerunt: *Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum.* E quercubus Basan elaborati fuerunt remi tui: *Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos.* Ex Ebore Indico transtra tua: *Transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico.* Excubitoria & prætoriola ex Lignis Insularum Italiæ: *Prætoriola de Insulis Italiæ.* Vela ex bysso Ægypti: *Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum;* Cooperimentum ex purpura & Hyacintho Insularum Elisa: *Hyacinthus & purpura de Insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.* Remiges sive Remigium ex Sidone & Aradia: *Habitatores Sidonij & Aradij remiges tui.* Verum enimverò, scire percuperem, cur Propheta, ad describendam superbæ civitatis illius magnitudinem, majestatem, & magnificentiam, potius navis alicujus, quam cujuslibet rei alterius, usurpet symbolum? Idque eò præcipuè, quod ex altera parte non videatur Propheta, Divinum plenè executus esse præceptum, qui ei mandaverat, ut civitatis illius deplangeret ruinam, non verò ut præconiis extolleret eandem. Respondebit ad id Sancius, factum id esse, ad insinuandum, quod sicut navis quantumvis instructa sit, & exornata, maris tamen periculis atque naufragiis remanet exposita, ita quoque fore, ut civitas Tyri, quæ inexpugnabilis videbatur, variè nihilominus sinistris agitaretur casibus, tandemque ad extremas redigeretur ruinas: *Vt navis quantumcunque sit elegans, quantumcunque firma, solidaque materia compacta, quia marinis iactatur fluctibus, & lunæ, atque ventorum subest imperio, vel absorbetur à gurgite, vel cautibus allisa dissolvitur: Sic Tyri potentia, nihilo magis stabilis, ac firma, ubi adversus à Chaldæis ventus afflaverit, iactabitur variè, ac tandem soluta compage, vanescet in nihilum.* Ecce igitur tibi rerum mundanarum symbolum, quæ, quantumvis benè custoditæ, sartæ, tectæque sint, securæ tamen esse nequeunt, sed infinitis semper agitantur, & commoventur casibus, veluti ab undarum marinarum inconstantia, innumerisque, quovis momento, subjectæ sunt naufragiis; Nam uti sapienter commo-

Ezech.27. v.2.

Sãchez in Ezech.26.

net Seneca: *Neminem eò fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Momento mare vertitur, eodemque die, ubi luserunt navigia, sorbentur.* stultus igitur profectò est; quisquis sibi in mari firmitatem; stabilitatem in undis, inter ventos constantiam, securitatem in tempestatibus, se inventurum persuadet. *Stantia putaverunt, & non quasi fugientia. Non habemus hic civitatem manentem.*

12. Isaiam nunc omnes auscultent; qui idem divino jussu, tametsi per diversam demonstrat metaphoram: *Vox dicentis, clama.* Alta atque elata voce, ô Isaia, clama, dicebat illi vox quædam, lapsa de cœlo. Sed quid dicet? *Et dixi: quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, sicut flos agri.* In quem locum S. Ambrosius discurrens, ita dicit: *Dei sententia non humana est.* q. d. Tametsi illa prophetæ sententia: voce prolata sit humana, ipsa tamen quædam ipsiusmet Dei sententia est, quod videlicet omnis gloria nostra, in carne humana, velut fœnum efflorescat, sicut flos rideat, paucis tamen post momentis, exsiccetur, & langueat. *Omnis caro fœnum. Et verè*(subjungit Ambrosius) *viret enim gloria hominis in carne, & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, præmatura, ut flos, caduca, quasi fœnum, germinat vita viriditatem in specie, non in fructu soliditatem. Hilarioris vitæ quasi flos, prætendens iucunditatem, breviori spatio occasura. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, sicut flos agri.* O prodigium! Omnia tot Monarchiarum Dominia; Omnes tot statuum ditiones & territoria; universam tot pomparum gloriam; cunctam tot magnatum potentiam; omnia tot honoratorum obsequia, tot adulatorum laudes, tot sensualium hominum delitias, omnem tot fœlicium, prosperitatem, omnia inquam isthæc, quid esse existimatis? *Sicut fœnum, & sicut flos agri. Et quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est.* Invicti Xerxis exercitus, qui ingentia bibendo absorbebat flumina; Dapes Assueri, quæ sex continuis durabant mensibus; Triumphi Cæsaris qui in stuporem adegerunt universum mundum; Alexandri victoriæ, quæ omnes ætatis suæ defatigarunt scriptores; Heliogabali mollities, qui in unicam duntaxat cœnam ingentium regnorum atque Provinciarum prodigebat pretium: Thesauri Salomonis, qui omnem superarũt fidem, quid, inquam, sunt omnia ista? *Sicut fœnum, & tanquam flos agri; & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est.* Tantum superborum fastum, tantam arrogantiam ambitiosorum, tantas carnalium delitias, tot Capitaneorum ac Archistrategorum victorias, tot opulentorum prædia atque possessiones, tantos Magistratuum honores, tot in vestimenta adhibitas elegantias & ornamenta, tanta magnatum & potentatum palatia, tot famulitii inclinationes & reverentias, tantas sapientum doctrinas, tot libros, totque doctorum compositiones, tantum rumorem, atque famam literatorum, hæc omnia, inquam, quo nomine sacræ literæ appellant? *Sicut fœnum, & sicut flos agri: & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est.* Adhæc dato etiã, atque concesso, te solum possidere id, quod nunc possidetur ab omnibus

Lib. 3. Hexam. c. 37.

& singulis; te solum iis frui delitiis, quotquot in terra ista desiderari valent: tibi soli cunctas universi hujus subservire nationes; te cunctos venerari populos, omnibusque gentibus admirationi esse: neque præter nomen tuum, aliud quidpiam, ex ore audiri mortalium; nulliusque, præterquã famæ tuæ mentionem in temporum fieri annalibus; aut præter gesta, atque facinora tua, à doctis scriptorum recenseri pennis; post te quoque cunctas currere gratias, omnesque sinistros te declinare eventus; omnia tua ad minimum apicem usque compleri desideria; aut non tam locum dari consiliis tuis quam eadem præveniri: quid tandem in fine erit de omnibus hisce? *Sicut fœnum, & sicut flos agri; & gloria, quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est.*

13. O quam pulchrum, & iucundum est, circa diluculum videre florem, viridantem ac viuidum, de stylo seu stipite suo progerminari, elevatum & erectum ab auris, à roris stillicidio recreatum, depictum ab artificioso auroræ penicillo! Quàm suaviter in gratiosis iucundisque à natura sibi ministratis ridet divitiis? Quam fastuosè in pulchris suis superbit coloribus? Quàm alacris gestit & exultat in fragilissimis multiplicibusque suis varietatibus? Quàm blandè cœlestium odorum suorum allicit fragrantia? Quàm potenter, ad instar Tyranni, oculum & cor involat respicientium? Sed eheu fragilis, paucularum horarum pompa! Debile eheu opus brevissimæque durationis, apotelesma! Caducum eheu, dimidiæque fortasse diei regnum! Vix serenissimus ille Planetarum Rex nascitur, moxque ut ardentibus radijs suis, veluti totidem fulguribus, infirmam, inermemque hanc aggreditur pulchritudinem, eandem impugnat, vincit ipsam; conterit & occidit ipsam, illamque annihilat. Mox vivacissimi illi impallescunt colores, mox languent deflorantúrque florida illa atq; scintillantia encausta; Mox exsiccatur iucundissimus ille momentaneæ juventutis viror; Mox parvulus ille florum Rex pallium suum perdit & coronam; mox caput inclinat languens, idque nescio an fiat quia de subita, atque præcipitata verecundatur senectute; an verò in signum, quod necessariæ ultrò sese dedat fragilitati, rerumque humanarum vicissitudini. Huc adsit nunc Augustinus dicatque: *Quid lucidius, quid viridius? Non te delectet viriditas ipsius, sed time ariditatem ipsius. Attende florem fœni, quid citius transit? Talis est iucunditas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent* (dicebat Chrysostomus) *simul enim & cernitur, & interit.* Hæc est vera rerum nostrarum pictura; vix florent, & finiunt; vix apparent, moxque disparent; vix illas cernis; nec se iam amplius sistunt cernendas. O cœcos nos igitur, mentisque inopes, qui retrò post somnia currimus & umbras, viæ capimur amore, nec terminos consideramus; Hospitium in mansionem eligimus, & patriæ obliviscimur! *Non habemus hic civitatem manentem.* Quæramus, conformiter ad id, quod monet Apostolus, ciuitatem futuram: *Sed futuram inquirimus*: id quod erat secundus discursus nostri punct.

In Ps. 91.

14. Hæc rerum mundi hujus inconstantia, atque fragilitas, ab eodem mundo nos pellit, atque alium nos cogit inquirere mundum, ubi nullæ præsentis mundi reperiantur miseriæ. Atque sicut mundus iste, suis nos ærumnis, atq; miseriis ad Deum perducit: *Aliquando nos mundus delectiatione retraxit à Deo, nunc tantis plagis plenus est, ut ipse mundus mittat ad Deum.* Estque illa ingens Dei prouidentia, quod nos præsentis exilij malum degustare faciat, ut ad quærenda vera patriæ nostræ bona constricti simus. Tiberii Imperatoris temporibus fuit nonnemo, qui vitrum consolidandi artem inuenit, adeò, ut ad quemuis quantumlibet vehementem ictum, solidum, infractumque persisteret, neque in terram decidens, frangeretur. Huius autem tam egregiæ inventionis authorem, prout refert Cardinalis Petrus Damiani, Imperator ille Capite plecti iussit! *Quia si huius artis exquisitæ subtilitas, in communem hominum notitiam deveniret, aurum conspueretur ut lutum.* Porrò S. Augustinus nos omnesque res nostras vitro persimiles esse docet: *Inter casus ambulamus, si vitrei essemus, minus casus timeremus.* Veruntamen, cur, ô Domine, voluisti, res à te nobis donatas, adeò fragiles existere? Cur vitrum istud non consolidasti, ut à tot tantisque, qui illi imminent, casibus, esset securum? utique Dominus respondebit, id factum, *ne aurum conspueretur ut lutum,* id est, ne à nobis vilipenderetur aurum, civitatis illius aureæ, quæ patria nostra est. *Ipsa civitas aurum mundum, simile vitro mundo.* Ibi vitrum prorsus, veluti aurum, sic solidum erit, eò quod gaudia, & lætitiæ, durabiles ibi futuræ sint & sempiternæ. Omnia ergo hic, ad instar vitri, fragilia sunto, ut ad cœli bona inquirenda, nos constringant, quæ solida sunt, sicut aurum nosque cum S. Paulo repetere faciant, *Non habemus hic ciuitatem manentem. Sed futuram inquirimus.*

Hom. 17. in Evang.

Lib 4. Epist. 27.

Serm. 1. de verbis Dñ. in Matth.

15. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* dicebat ille quondam Rex sanctus. q.d. Cur non acquiescis, ô anima mea, aut cur me continuò conturbando lacessis? Quid deest tibi, aut desiderare quid potes, tu, quæ tot à Deo prosecuta es favoribus? Tibi, tot præventæ Domini benedictionibus, quid reliquum est postulare? Quid desiderare potes, cum tot bonorum creatoris tui possessor sis, ac Dominus? *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* S. Augustinus, animæ Dauidicæ vicem, respondendo obeat moreque solito, mysteria in verbo divino abscondita edicat: *Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, ubi est dulce illud, quo sic rapta sum, quasi per transitum? Non vis, ut conturbem te, posita in sæculo, & peregrina adhuc à domo Dei mei?* Hæc erat ut videtur S. Gregorio, illa Jobi Melancholia, in tot bonorum medio, quibus à cœlo locupletatus fuerat. Unde de fœlicitatis suæ tempore dicebat; *Mærens incedebam. Quis terrenæ sapiens* (verba sunt S. Gregorij) *temporalia complectens, beatum Iob, inter tot prospera, lætum non crederet? Cum ei suppeteret salus corporis, vita filiorum, incolumitas familiæ, integritas gregis, sed quia in his omnibus non gaudebat, ipse sibi testis est, qui ait, mærens incedebam.*

Psal. 41. v. 6. & 12.

In Ps. 41.

Lib. 14. Moral.

debam. Sancto enim viro, adhuc in hac peregrinatione posito, quod sine visione Dei abundat, inopia est: quia cum sibi omnia adesse electi vident, gemunt, quod omnium auctorem non vident. Hæc est justis unica lachrymarum causa, quod videlicet, in hac vitæ istius peregrinatione constituti, procul à patria reperiantur remoti; Et tametsi bonorum temporalium admodum sint divites, illa tamen omnia paupertas illis videntur, donec summum atque æternum possideant bonum. Continuas exilii vident turbulentias, atque ad æterna patriæ bona anhelant, & cum Augustino dicunt: *O Patria nostra, patria secura, à longè te videmus, ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus, & nitimur cum lachrymis, si quo modo ad te perveniamus. Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus.*

16. Hæc eadem cogitatio, ut vult Augustinus, cor Davidis Prophetæ adeò pungebat, ut eundem ad Deum hisce verbis continuò exclamare facerent; *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die.* At verò quodnam, obsecro, erat infortunium istud, acerbum adeò & dolorosum, quod ad continuò fundendas lachrymas, atque ad clamandum quovis momento ad Dominum eundem constringebat? Respondet Sanctus: *Quia tribulatio est, & quando benè est, tota die tribulatio est. Vnde tribulatio? Quia quamdiu in corpore sumus, peregrinamur à Domino. Quodlibet hic abundet, nondum sumus in illa Patria, quò redire festinamus. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio; Si amara peregrinatio, tota die tribulatio. Quidquid nobis adest præter Deum nostrum, non est dulce. Nolumus omnia, quæ dedit, si non dedit seipsum, qui omnia dedit.* Continua est tribulatio nostra, inquit David, quia continua est à Deo absentia nostra. Semper plangimus, quia semper peregrinamur. Abundet etiam hic quidvis, attamen inops, & pauper, sine Deo videbitur omnis abundantia; & donec pedem nostrum in beatissimam illam viventium intulerim⁹ regionem, ubi quicquid est, stabile est ac permanens, lachrymas spargemus in hac regione mortuorum, ubi quicquid est, instabile est, ac transitorium. *Quia tribulatio est, & quando bene est, tota die tribulatio est.* Porrò si filii Israel lachrymas continere nequiverunt, quando haud procul à ripa fluminum Babylonis stantes, recordabantur sanctæ civitatis Syon, dicebantque: in Ps. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Syon.* Cur non plangamus quoque & nos, in medio fluminum confusissimæ Babyloniæ mundi hujus, memores sanctissimæ patriæ Paradisi? Hic enim quicquid est, totum fragile est, ibi totum est stabile: hic cuncta sunt putrida, ibi florida omnia: hic merus est labor, ibi mera quies est & tranquillitas; Hic merum bellum, ibi pax merissima, hic omnia sordida sunt, ibi omnia gratiosa; hic quicquid est, moritur, ibi omnia vivunt; hîc omnia deficiunt, ibi omnia durant in perpetuum: *Miserere mei Domine, quia ad te clamavi tota die: si dulcis est patria, amara est peregrinatio, si amara peregrinatio, tota die tribulatio. Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus.*

In Psal. 85.

17. O utinam tandem aliquando is
dies adveniat, quo illud Evangelii ad-
1. Joan. 3. v. 2. impleatur oraculum, quo dicitur: *Si-
miles ei erimus, quoniam videbimus eum,
sicuti est!* Videbimus eum, ipsumque
videndo, in eundem transformabi-
mur visum: ipsum videbimus immu-
tabilem, atque per hunc adeò pul-
chrum obtutum, una cum ipso sem-
per immutati remanebimus. Ecce ti-
bi Gregorium Papam, divinè tibi idi-
Hom 1. in Ezech. psum explicantem: *Similes ei erimus,
quoniam videbimus eum, sicuti est, quia per
hoc, quod aspicimus eius essentiam naturæ, à
mutabilitate nostra liberati, figimur in æ-
ternitate. Immutabimur in ipso, quem vi-
debimus, quia morte carebimus, videndo
vitam. Mutabilitatem nostram transcende-
mus videndo immutabilitatem.* Hæc sunt
pascua illa, teste Augustino, de quibus
Joan. 10. v. 9. Dominus loquebatur dicens: *Per me
si quis introierit, pascua inveniet.* O beata
pascua, quæ cum adeò sint sapida, ut
omnem cujuslibet alteri⁹ rei gustum
adimant, magis nova recentia, semper
erunt, magisque florida, atque viridia,
nunquam verò arida aut intereuntia!
Pascua benedicta, in qua alia nequa-
quam herba subnascetur, præter-
quam ea quæ sempervivа dicitur,
de quibus pecora Domini pascen-
tur semper: *Bona pascua vita æterna dici-
tur; ibi nulla herba arescit. Totum viret, to-
tum viget. Solet quædam herba dici semper-
viva, est herba, quæ semper dicitur vivere.
Ibi solùm semper vivere, invenitur.* Sem-
perviva nullibi, præterquam in cœlo,
reperitur, ubi semper vivitur. Pascua
semperviva erunt magni Dei visio
beata. *Immutabimur in ipso, quem videbi-
mus, quia morte carebimus, videndo vitam.
Non habemus hic civitatem manentem, sed
futuram inquirimus.*

18. Eccur ergo nos etiam non con- Joan. 14.
vertimur ad Christum, eidemque v. 9.
cum S. Philippo dicimus: *Ostende nobis
Patrem, & sufficit nobis?* In terra isthac,
concupiscentia nostra, *nunquam dicit,
sufficit*, eo, quod à rebus adeò modicis,
vanis, ac transitoriis, saturari nequeat,
ostende ergo nobis Patrem, & sufficit nobis. Tract.
Quæramus ergo, ita monente S. Au- 101. in
gustino, in cœlo, quod in terra repe- Joan.
rire non possumus. *Ibi erit finis, qui suffi-
cit nobis. Neq; enim nobis sufficit finis, nisi
cuius nullus est finis.* Finis nostra com-
plens desideria, est finis ille, qui finem
non habet, illa semper viva pascua; illæ
divitiæ, illique thesauri, qui conser-
vantur in domo viventium. *Ostende
nobis Patrem, & sufficit nobis.* Hoc David
à Deo quærebat hisce verbis; *Notum
fac mihi finem meum, & numerum dierum
meorum, qui est*, ita legit S. Augustinus,
loco ejus, ubi nos legimus, *Quis est.* q. d.
Notum fac mihi, obsecro Domine,
numerum sine numero, dierum illo-
rum, qui sunt, quia æterni sunt & per-
manentes. *Desideravi numerum dierum
meorum, qui est, quia numerus dierum isto-
rum, non est.* Dies vitæ præsentis non
sunt, quia volant; non sunt, quia vi-
cissitudinibus suis immutantur; non
sunt, inquam, quia finiuntur. Illos ego
dies desidero, qui non finiuntur tem-
pore, non alternant mutationibus,
motu non alterantur, sed æterni sunt,
immutabiles, & permanentes. Dies
illos, qui Domini Dei sunt proprii, qui
propriè esse dicitur, quippe qui nul-
lum ab essentia distinctum esse habet.
Notum fac mihi, Domine, numerum die-

vum meorum, qui est. Hi sunt dies illi, de quibus idem Propheta loquebatur, ex mente S. Augustini in Psal. 80. *Ponam thronum ejus, sicut dies cœli. Alij sunt dies cœli*, inquit Augustinus, *alij sunt dies terræ. Throni regnorum terrenorum, sicut dies terræ; Dies cœli anni sunt illi, de quibus dicitur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Dies terræ succedentibus urgentur, præcedentibus excluduntur. Dies cœli semper præsentes sunt, nemo ibi expectat futurum, nemo perdit præteritum. Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus.*

19. O chara atque dilecta civitas! ô millies beata patria, in cujus laudibus, omnis præco deficit! Maximi ego te æstimo, quia unicus es navigationis prædestinatorum portus, quia generosorum victorum tu in te contines stipendium, quia fidelium servorum habes mercedem. Te maximopere suspicio, propter fœlicissimorum illorum civium altissimam pacem atque concordiam, nec non ob sapida immensæ illius mensæ fercula, ubi ipsemet gloriæ Rex ministrat, ob illos ex auro purissimo, pretiosissimisque margaritis, erectos parietes, ob suavissimam illam divinæ capellæ musicam. Extollo te, ob illos tam castos, tamque ardentes amores; ob illas tam puras, tamque raras delitias; ob societatem illam tam copiosam adeoque benè ordinatam; ob honores illos, tam varios, tamque concordes. Te quoadusque valeo commendo, quippe quæ Domus es Domini, in qua is, post omnia sua, semetipsum quoque electis suis communicat, tales enim sunt delitiæ, atque voluptates tuæ, ut omnem supergrediantur cogitationem, omnemque sermonem exsuperent. Enimverò, hoc unicum immensæ fœlicitatis tuæ est complementum, quod à gloriosis mœnibus tuis, proscriptæ semper sint, omnes rerum vicissitudines; quod gloria tua, ab annis minimè commensuretur; quodque dies tui æterni existant; denique, quod nec insidias timeas inimici, nec falsi amici tradimentum nec impulsum violentiæ, nec sollicitationem blanditiarum delinientium, nec extranei bellum, nec domestici seditionem. Hoc est, quod omnis creati boni hujus exilii nostri, oblivionem inducit, quod è memoria nostra fragilissima, hæc mundi abripit tentoria, ac momentanea illa vitæ nostræ tabernacula, quod nos quovis momento dicere cogit, cum magno illo Dei servo: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Psal. 119. v. 5. Porrò cum id verbis meis explicare non sufficiam, verba mutuabo S. Augustini, qui totus affectu ac teneritudine plenus, de æterna gloria ita discurrit: *Quando dies veniet lætitiæ, & exultationis, in qua ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, ut videam videntem me, facie ad faciem, & satietur desiderium meum? O quando veniam, & apparebo, Domine, ante faciem tuam? Putasne videbo diem illam, diem, inquam, iucunditatis, & lætitiæ, diem, quem fecit Dominus, ut exultemus, & lætemur in ea? O dies præclara, & pulchra, nesciens vesperum; non habens occasum; in quo audiam vocem laudis, vocem exultatio-* Solilоq. cap. 34.

nis, & confessionis; in quo audiam, intra in gaudium Domini Dei tui, ubi sunt magna & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum & non erit aliquod malum; ubi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Dominum meum, qui habitat in te?

PARS SECUNDA.

20. In festivitate tabernaculorum, quondam fasciculum quendam frondium, de quatuor arborum generibus, Salicé videlicet, Cedro, Palma & Myrtho decerptarum, manu sua portabant. Per frondes autem istas, quatuor repræsentantur virtutes Cardinales, quibuscum in vitæ hujus peregrinatione, ambulandum nobis est, sicuti Hebræi quondam, post octo elapsos dies, de umbraculis suis, ad templum Domini sese recipiebant. Et primo quidem portabāt salicem, quæ prudentiam refert, ab Aristotele definitam, *quod sit recta ratio agendorum.* 6. Ethic. Sicut enim salix ipsamet fructum non facit, sed aliis duntaxat arboribus inservit quæ per salicem ligantur, ut fructuosæ esse possint: Sic prudentiæ virtus, cunctis inservit actionibus humanis, ut per virtutem regulatæ existant. Magna viatori opus est prudentia, utpote, qui in itinere suo, multa sibi obvia habet pericula, necessitates multas, multos denique casus inexpectatos. Unde David, prudentiæ lumen, ingenti cum instantia, expostulabat, dicens: *Secundum verbum tuum, da mihi intellectum.* Ps. 118. 65. & 66. q.d. In hac via, ô Domine, adeò periculosa, inimicorum adeò plena, tam fallaci, ac lubrica, variisque implicita erroribus, prudentiæ numen nobis impertiri digneris. Verum enimverò, advertatis velim id, quod sanctus advertit Ambrosius, Prophetam prudentiam sibi optare, & intellectum, *secundum verbum tuum.* q.d. Nolo eam prudentiam, quæ secundum mundi regulatur politicam, aut quæ secundum sapientiam carnis, sed eam volo, quæ secundum legem tuam dirigitur. Deut. 32. v. 28. Habent & homines mundani sapientiam suam, sed secundum directionem amoris proprii regulatam. Habent suam quoque sapientes Philosophi, sed ad superbiæ suæ ostentationem. Sunt & prudentes causidici, nullo tamen alio fine, quam ut leges ad intentum suum detorqueant. Est etiam sua in mercatoribus sagacitas, sed ut facultatibus suis, etiam per injustitias, pauperumque oppressiones, adjiciant incrementum. Nolo, inquit David, aliquam sic regulatam prudentiam, sed illam non aliter, quam secundum verbum tuum ordinatam desidero. *Secundum verbum tuum, da mihi intellectum.* Luc. 1. v. 18. *Non secundum Philosophos,* (ita loquitur Ambrosius) *non secundum causidicos, non secundum mercatores hujus sæculi, sed secundum verbum tuum, quod est veræ sapientiæ, bonorumque operum fundamentum. Vt super illud, constituat Propheta aurum cordis sui, argentum sermonis sui, lapides pretiosos operationum suarum.* Hæc est prudentia, quam Moyses populo Dei desiderabat, quando dicebat: *utinam*

utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent! Prudentia, omnes temporis attendit differentias, præteritum namque respicit, ut inde edoceatur per experientiam: Præsens autem, ut actiones suas dirigat, per rectæ rationis notitiam: Futurum denique, ut pericula & emolumenta emergentia prævideat, illa quidem, ut ea fugiat, hæc verò, ut ipsa amplectatur.

21. Legislator sanctus, commisso sibi populo, magnam ejus insipientiam, hisce quondam exprobrabat verbis: *Gens absque consilio est, & sine prudentia*, hoc autem, uti existimo, majori cum ratione, populo Christiano exprobrari posset, qui tot inter inimicos, tanta cum temeritate vivit; tot inter pericula, tanta cum incuria ridet; tot inter jacturas, tanta cum obstinatione induratus; neque videt, aut videre non vult, ubi sit extrema multum videndi necessitas. Num fortè è memoria excidit vobis, stultus ille Evangelicus, qui ad nuptias invitatus, se quo minus easdem adiret excusavit, adduxit autem excusationis loco, prædium se quoddam emisse, ideoque se cogi ad egrediendum, ad videndum illud: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* Itane? villam emisti, & postea, ad lustrandum & videndum eandem, te recipis? Ergone pecuniam tuam prodegisti, adhuc ignorans num villa isthæc fructuosa futura sit tibi? Tantum solvisti emendo, neque tamen futuri census vel reditus cognitionem aliquam tenes? Hæc est stultitia, quæ universum ferè mundum hodie passim pervagatur; Quod si enim insolenti cuidam juveni, suas exprobrare cœperis dissolutiones, mox respondebit; ejusmodi reflexionibus faciendis, tempus nunc inopportunum esse, hæc se demum in senectute recogitaturum. Sed ehem hæccine tibi prudentia videtur? hoccine utile videbitur consilium? Modicas, animæ impendio, comparare delitias, ac demum dicere, hac super re deliberaturum te deinceps? Passionum tuarum, te reddere mancipium, ac tum quoque adeò evanescere, ut dicas, te longos post annos de servitutis talis redemptione sollicitum fore? Mori virtuti, mori gratiæ, mori cœlo, mori gloriæ, mori Deo, & tum demum, per somnium tibi confingere, fore, ut in aliud temporis commodius, illius instituere considerationem possis? Audi monentem te spiritum sanctum: *Nil sine consilio facias, & post factum non pœnitebis.* Id quod facturus es, primo consideres, sic namque nihil committes, cujus aliquando pœnitudine duci debeas: *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*, dicebat Salomon; Quem locum, Rabanus Maurus sic interpretatur: *Palpebræ quippe gressus præcedunt; cum operationem nostram, consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando videre, quod facit, citius corruit; quia quo pedem operis ponere debeat, per palpebram consiliis non attendit.* Porrò, quia ad Principes veritas isthæc rarò pertingit, Alphonsus Neapolis Rex, cuidam scurræ servo suo, hanc curam committere decrevit, ut cunctos totius curiæ notaret defectus, atque eorundem quotidie ad se deferret catalogum. Scurra qui satis super-

Deut. 32. v. 28.

Luc. 14. v. 18.

Ecclef. 32. v. 24.

Prov. 4. v. 25.

ſuperque liber erat, Regi optimè hac in parte deſervit, quotidie namque multarum enormium tranſgreſſionum Regi conſignabat regiſtrum, quas Rex alia via ſcire nequaquam potuiſſet. Accidit autem die quadam, ut dum abuſuum notatorum Regi deferret indicem, ipſiuſmet quoque Regis, in eodem, omnium primo loco collocaſſet nomen, hiſce ferè verbis: Rex Alphonſus factus eſt ſtultus: Cui Rex ait: Itane? Me quoque meoſque defectus tuo inſeruiſti catalogo? Imo verò ô Rex, inquit ſcurra ſeu morio idque rationabiliter admodum. Sed cur ita? ſubdebat Rex. Cui ille; Quia maximam profectò hodie commiſiſti ſtultitiam. Quid ergo mali feci? videlicet, decies mille ducatos, tali cuidam ſclavo, ſeu mancipio tuo, Turcæ donaſti (& revera idipſum fecerat) idque ut in regione ſua, tot tibi equos compararet curſorios, tantum nimirum barbaro cuidam, omnis fidei experti confidiſti, de quo probabiliter pſumi minimè poteſt, quod in tam pulchra ſe ditandi occaſione poſitus, tantam fortunam ſuam, ad te cum equis dictis redeundo, neglecturus ſit. Ecquæ ſtultitia hac major eſſe poteſt? Abſit, reſpondebit Rex, ut hoc ita, ut conjicis, eveniat: quin potiùs haud dubiè redibit. Mox morio ſive ſcurra ſubjunxit: Quod ſi fidem ſuam liberans, reverſus fuerit, confeſtim ego è catalogo meo majeſtatem tuam delebo, & in locum illius Turcam iſtum reponam, utpote qui redeundo ſtultiorem ſe præ te eſſe oſtēdit. Quid de peccatoribus dicam? An non quod ſint *ſine conſilio, & abſque prudentia*, quippe qui naturæ divitias, & bona juventutis, in manus carnis, in manus temporis temerè reponunt, ea freti fiducia, fore, ut recuperare ea poſſint, cum voluerint; id quod ſtultitia eſt ſolemniſſima, homineque, qui per diſcurſum in rebus agibilib. ſuis procedit, prorſus indigna: *Gens abſque conſilio & ſine prudentia.* Nolite tantam in probabili periculo habere fiduciam, neque id vos recuperaturos præſumatis, quod videtis quotidie, aut nunquam, aut non niſi ſumma cum difficultate, recuperari. *Secundum verbum tuum, da mihi intellectum.*

22. Salomon quondam dicebat, homines imprudentes capi hamo, aut laqueo ſicut incautæ volucres: *ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo.* Piſcis & avis, nequaquam decipulam, quæ ſub eſca abſcondita latet, reſpiciunt, ſed ad eſcam duntaxat attendunt: ſic peccator non reſpicit, niſi modicum illud voluptatis, quod culpa adfert, magnum interea damnum, quod eadem cauſat, minimè videntes; verum enimverò, ut S. Auguſtinus monet: *Veniet tempus, & ſentient, quanta tormenta, cum ſuavitate devoraverint*: Hoc, inquam, poſtea, poſtquam capti fuerint, videbunt. Sed nunquid melius eſt, videre illud priuſquam capiantur? Quis dubitat? S. Thomam Aquinatem velim conveniatis, hic namque 1. 2. Q. 49. videre vos faciet partes, quæ vocantur integrantes prudentiæ, quales ſunt memoria, qua rerum auditu, viſu, aut lectione perceptarum recordatur: Intelligentia quæ perfecta quædam re-

Eccl. 9. v. 12.

Lib. de Agone Chriſtiano.

1. 2. Q. 49.

rum

rum præsentium est notitia : Providentia, quæ quædam est eventuum futurorum, qui ex operationibus nostris consequi possunt, consideratio : Docilitas, quæ certus quidam ad discendum est affectus, & promptitudo : Solertia, quæ facultas quædam est, sine errore conjecturandi de rebus: Ratio, quæ quædam est ad discurrendum promptitudo, & facilitas : Circumspectio, quæ est diligens quædam ad omnes circumstantias attentio: Cautio, sive cautela, quæ est cura quædam, omnia evadendi incommoda, & inconvenientia, quæ in benè operando subnasci possunt. Tot ergo, tantæque ad prudentes operandum requiruntur partes, & nos in negotio tanti momenti, quale est animæ salus, adeò cæco modo operabimur? Et non potius nos quoque Deo nostro dicemus : *secundum verbum tuum, da mihi intellectum?*

23. Secundò frondem quandam ferebant *arboris pulcherrimæ*, dicit scriptura. Unde nonnulli cedri, aut Arancij, sive mali aureæ frondem fuisse conjiciunt, Quod si ita esset, per frondem illam repræsentabitur justitia; Hortulanus namque frequenter ferro tondet eandem, ubi comæ arboris huius nimium luxuriantur, amputatque ramos, ubi superfluè nimis progerminant, atque omnes illius partes, pulchra cum proportione adæquat. Et ô quantum virtute isthac opus est in peregrinatione nostra quam in cœlum nonnunquam instituimus, nec non in salutis nostræ negotiis, quæ præ manibus habemus. Eheu quot inter negotia & commercia humana, frequentissimè defectus obveniunt! De omnibus hic agere omittam, atq; de una duntaxat e[illegible] ressa iniquitate & injustitia tractabo, quæ frequentissima est in terra, estque illa, de qua Sapiens loquebatur, dicens : *Vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram, quasi servos.* O quàm frequens est isthæc in mundo inordinatio, ut videlicet Dominus pedester, post servum sequatur equitem! Ecquis in nobis est Princeps, nisi animus noster? Quis servus, nisi corpus nostrum? Et tamen nunquid videmus quotidie, corpus splendidè tractari, animum vero negligi? Corpus delicatè pasci, animum oblivione sepeliri? Corpus in equo, animum verò à pedibus. Verum ergo est id, quod sapiẽs dicebat : *Vidi servos in equis & Principes ambulantes super terram, quasi servos.* Non sic Basilius Magnus, de quo refert Gregorius Thelogus, quod cum Tyrannus eidem comminaretur tormenta, hisce eidem verbis responderit : *Iam tormenta quid agere queant, cum corpus desit?* q. d. Tu mihi minaris in corpore torquere me, ego autem corpus nullum habeo, quippe quod continua, ac rigorosa mortificatione, veluti ad nihilum redegi. O prodigium! Basilio corpus nihil erat, animus autem omnia erat; nobis autem corpus est omnia, animus nihil. Ille corporis cura seposita, animi solius tenebatur sollicitudine; nos neglecta animi cura, solam corporis servitutem cogitamus. An non hæc est illa à Salomone notata inordinatio: *Vidi servos in equis, & Principes ambulantes super*

Eccl. 10. v. 7.

Orat. in S. Basilium.

Serm. 2. in Vigil. Nativit.

super terram, quasi servos. Hi, ut S. Bernardus inquit, ut stulti meritò vellicantur, quia delectationem suam in compedibus habent, à quibus constricti tenentur; *Qui in insaniam versi, suis compedibus delectantur.* Ecquænam ergo est isthæc justitia, dicit idemmet Bernardus, *carnem diligere, & spiritum negligere? Totum dare corpori & animæ nihil? Ancillam reficere, & dominam interficere?*

Epist. ad Guiliel. Abbat.

24. Narrant Romanorum historiæ, Heliogabalum, ingens illud naturæ monstrum, inter alias suas stultitias, unam commisisse prorsus extraordinariam, atque extravagantem, fuitq; quod tantis erga equum suum captus fuerit amoribus, ut eundem in mensa sua convivam admiserit, manducantem ex vasis aureis, atque argenteis; quique eousque ipsum redegerint, ut decreverit, ipsum in consulatu suo collegam expetere. Dignus profectò tali bestia collega, qui drachmam, sive unciam prudentiæ vix unquam habuit. Verum enimverò stultiores profectò sunt, qui proprii corporis capiũtur amore, nec aliud quidquam cogitant, quàm qua illi ratione adblandiantur, delitiisque idipsum demulceant, spiritus interea immemores, qui tantopere meretur, adeoque nobilis atque ipsimet Deo persimilis creatus est. Docet Aristoteles, familiam aliquam olim, ex sequentibus formatam fuisse, & constitutam, ex patre nimirum & matrefamilias, filiis, servis, citatque Aristoteles Hesiodum, qui prædictis quoque *bovem aratorem* adjungit: *Bos enim pro servo pauperibus est*, inquit Aristoteles. Omnes res prædictæ, in mystica hac hominis familia reperiuntur, nimirum Pater, qui est intellectus: Mater, quæ est voluntas: Filii id est, potentiæ: Servi, sunt sensus: Denique bos, qui corpus nostrum significat. Quodsi autem in familia aliqua, omnes & singulos, in bovis, qui infima familiæ pars est, cura, prorsus occupatos videres, patrem videlicet, illum omni cum curiositate strigilantem, matremfamilias, eundem leniter sive molliter pectentem, pretiosisque unguentis inungentem: Filios, ventilabro quodam, muscas à tergo ejusdem abigentes, ipsumque omni possibili modo demulcentes: servos denique, curandis, ad animalis istius sustentationem, sapidissimis pascuis, totaliter deditos, utique industriam illam, maximam diceres esse mundi stultitiam. Nunquid ita? Verum incomparabiliter major fatuitas est, videre, totum hominem, pro vili isthoc corporis nostri impendi, ac superimpendi jumento, interea verò partis melioris spiritus videlicet immemorem existere. Hæc est injustitia illa, quæ ex durissimis quoque & insensatis hominis oculis, lachrymas elicere deberet compunctionis, & pœnitentiæ: *vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram, quasi servos.*

Arist. lib. 1. Polit. c. 1.

Hom. 1 in Evan

25. Tales inquit Plutarchus juxta Stoicorum sententiam (qui Epicurum reprehendebant, eo quod in carnis delitiis, fœlicitatem statuisset) Æthiopibus similes existunt, qui canem sibi in Regem acceperant, quem vestiebant purpura, in lectum collocabant aureum, delicatissimis, quos invenire pote-

Plutarch. in mor.

poterant, cibis, pascebant illum, ipsi verò interea, ad bella se accingebant gerenda, pro statu suo, sive defendendo, sive conservando vitam extremis exponebant discriminibus. At verò vos, ô stulti, quid facitis? aut quid molimini? Bella molimur. Sed cur bella moveris? Ad defensionem regni nostri? Cujusnam Regni? Regni Æthiopiæ. Sed cujusnam est regnum istud? Domini & Imperatoris nostri. Et quis est ille Imperator vester? Alius profectò nemo, quam canis aliquis. Itane? Ergo pro cane aliquo tantis agitaris curis? Pro cane tantus spargitur sanguis humanus? Verum enimverò ô Deum immortalem, quàm est longè indecentius, tot animas, quarum nobilitas omnem excedit existimationem, ad servitium adhiberi vilis illius vermiculi, seu animalculi corporis nostri? aut pro vilissimo quodam jumento, post innumerabiles vitæ temporalis labores, vitam periclitari æternam? Attendite, obsecro, dicentem Paulum: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*: Attendite pronuntiantem Christum, *Caro non prodest quicquam*. Audite exclamantem Isaiam: *Omnis caro fœnum*: Auscultate efficacia illa Magni Gregorii verba: *Quantislibet auri atque argenti molibus circumdetur, quibuslibet pretiosis vestibus induatur caro, quid est aliud, quàm caro? Nolite ergo attendere, quid habetis, sed quid estis?* Ornato, quoadusque nosti, carnem tuam; pretiosis corpus tuum vestias ornamentis; auro illud coóperias & argento, nec tamen ob id plus, quàm vilissimus quidam erit molossus.

Hom. 13. in Evang.

Plutarch. in mor.

26. De Zeuxe, famosissimo pictore, dicitur; illum præ risu nimio morte extinctum esse; causa verò illum ad tantum excitans risum fuit, quia in unam eandemque tabulam, Helenam depicturus, & Hecubam, pulcherrimam videlicet, mundi totius mulierem, & turpissimam, quæ in terra ista reperiri possit, vetulam; Hecubam quidem, anum turpissimam, adeò perfectè artificioseque delineavit, ut viva quasi spirare videretur; quippe salivosam illam, edentulam, rugosam, lippis oculis, fronte lurida, lividis labiis, genis cadentibus, raris capillis iisdemque canis eandem effinxerat: mox verò, ut se ad Helenam depingendam accinxit, impossibile sibi fuit, adinvenire modum, quo sibi ipsi satisfaceret, unde millies quidem ipsam effigiavit, milliesque penicillo delevit eandem, quod nunquam secundum libitum suum, concepta prodiisset imago. Accidit ergo, ut die quodam deforis reversus, suamque ingressus officinam, dum vetulam illam, adeò accuratè, naturalibusque depictam conspiceret lineamentis, in tam vehementem prorupe-rit risum, ut mox inde mortuus concideret. Similem, aut potius eandem, ecce vobis demonstro stultitiam, quæ in mundo frequenter accidere solet, tametsi planctu, quàm risu dignio-rem. Nunquid enim revera ita est, quod scilicet, suum homines acuere soleant ingenium, omnemque artis moliri subtilitatem, ad brutam vetulæ cuiusdam, qualis est caro nostra, curiosè depingendam effigiem? huc omne suum adhibent studium, huc omnes

mnes vires collocant, huc omne conferunt artificium, cum tamen pro anima, quæ adeò pulchra est, omnem perdidisse videantur artem, nec quicquam adhibere noverint ? *Sapientes sunt, ut faciant mala, benè autem facere ne-*
Jerem. 4. v. 22. *scierunt.* Sic illos Jeremias Propheta describit, quibuscum S. Bernardus
Serm. de miseria hum. consentit, dicens : *Mirum est de te homo miser, quod ad mala, sis totus avidus, totus promptus, totus facilis, totus sapiens, & totus sollicitus; ad bona autem, totus durus, totus piger, totus tepidus, totus stultus, incredulus, & rebellis.*

27. Tertio, Palmæ ramum in manu ferebant, quem utique fortitudinem significare, iam intelligetis. Et ô quam in hoc, quod cœlum versus agimus, itinere necessaria est fortitudo, pro tot superandis periculis, laboribusque devorandis! Hæc virtus, ab
Lib. 82. QQ. Q. 31. Augustino definita fuit, juxta id, quod Orator Romanus hunc in modum dixit : *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio*: adeoque in aggrediendo consistit, & tolerando, in aggrediendo periculo, tolerandis laboribus, animo in periculis nequaquam linqui; in laboribus, non vilescere, aut deprimi : in illis stare sine timore, sine desperatione in istis. Hoc innuere vult illa Palmæ in manibus gestatio, quæ quanto magis opprimitur, tanto plus erigitur; Homo enim fortis in periculis se magis animosum exhibere debet, in passionibus verò magis constantem. Qualis erat Paulus, qui dicebat: *Cum infirmor, tunc fortior sum*, in cuius proinde lau-
Lib. 3. Moral. dem, rationabiliter exclamat Gregorius : *O quam fortis huic viro inest infirmitas! O quam victrix pœna! O quam dominatrix Patientia! Ad arguendum, repulsione provocatus ad prædicandam salutem, plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem, pœna refovetur. Quæ ergo hunc adversitas superet, quem pœna fovet?* Ecce tibi palmam quandam, referente S. Ambrosio, inflexibilem, & insupera- Lib. 10.
bilem, Eusebium videlicet Vercellen- Epist. 11.
sem Episcopum, una cum Dionysio sodali suo, qui ab integro Imperatoris exercitu circūdati, atq; violenter, p infinitas minas ab Ecclesia foràs ptracti, nō solum nō dediderunt sese, verū Ps. 18. v.
ne minima quidē formidinis ipsis in pectore subnascebatur cogitatio : *Itaque memorabiles viri, circumdati armis,* Epist. 15.
vallati exercitu, cum raperentur de Ecclesia, majore triumphabant de imperio, quia contumelia terrestri mercabantur fortitudinem. Denique vulnerata est perfidia ut occideret, non est vulnerata sanctorum fides. Tentabantur, sed non mortificabantur.

28. Dominus in Euangelio dicit, ei, qui ipsum sequi statuisset, op⁹ esse, ut id faciat, cruce collo suo imposita.
Verum ehem! quanam opus est, ad Amb. in Luc.
crucem ferendam, fortitudine? Crucem illam, quæ sæpe tam est ponderosa? quæ frequenter, ne quidem pro uno momento, se portari permittit? quæ tamen ad ipsam usque mortem, portanda à nobis est? *Si quis vult veni-* Matt. 16.
re post me, abneget semetipsum, & tollat v. 24.
crucem suam, & sequatur me. Quid est, tollat crucem suam, interrogat S. Augustinus? *Toleret in mundo quicquid intule-* Job. 14
rit mundus. Hoc est portare crucem, v. 8.
tolerare in mundo quicquid intulerit mundus. Verum enimverò, quam non adfert mundus homini patiendi occasionem

onem? Quas non procurat ignominias, & contumelias? Quas non subinfert rerum jacturas? Quæ non in honore probra? aut quæ non circa vitam hominis creat pericula? *Toleret ergo in mundo quidquid intulerit mundus.* Palmam manu sua deferat fortitudinem tot inter contraria adhibeat. Advertendum est autem, quod non tantum dicat, opus esse, ut crucem portemus, verum insuper, ut ipsum, cruce sua onusti, sequamur. Quanam autem, ad Dominum sequendum, opus non erit fortitudine? qui *exultavit ut Gygas, ad currendam viam suam?* *Currentem non apprehendit*, inquit Bernardus, *qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest, Christum sequi, si non contingat & consequi.* Tu post currentem incedis, curras ergo necessum est, si ipsum assequi tibi animus est. Non oportet post Christum, sensim ac pedetentim incedere, veluti S. Petrus faciebat, de quo scriptum est: quod *sequebatur eum à longè. Ideo negavit, quia sequebatur à longè*, inquit Ambrosius, *neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset.* Negauit ipsum, quia sequebatur eum à longè, id est, tepidè, absque alacritate & fortitudine, & absque palma in manu.

Psal. 18. v. 6. Epist. 254. Amb. in Luc.

29. O si nos adeò essemus, in deambulanda Dei via, fortes, sicut fortes sunt peccatores, in obambulanda via mundi, quàm subitò maximi efficeremur sancti? De flagitioso quodam, inquit Job: quod *levis est super faciem aquæ.* Symmachus vertit: *supernatat aquæ.* Cum tanta incedat leuitate atque agilitate, ut super ipsis quoque aquis ambulaturus esse videretur. Ita S. Thomas hunc locum explicat: *Videtur impio, propter impetum concupiscentiæ, super aquam, & super quamcunque difficultatem, leviter transire posse, ut ad rei concupitæ fruitionem perveniat.* De Alexandro Magnus Daniel dixit: fore, ut super terram ambulaturus esset, nec tamen aliquo illam contactu allisurus: *Hircus caprarum* (per hoc autem animal, Alexander repræsentabatur) *veniebat ab occidente, super faciem totius terræ, & non tangebat terram.* Ambulabat super terram, nec tamen terram tangebat; non quod nullo illam contactu contingeret, sed quia ad conatus suos, tanto cum fervore currebat, tantaque cum agilitate, ut veluti non tangere terram videretur. An non ob eandem quoque rationem, de Camilla Poeta dixit: fore, ut illa super undas ambulare sit potens, absq; submersionis periculo, nec non super spicarum aristas, absque ulla earundem offensione?

Matth. 16. v. 24. Job. 24. v. 18. Dan. 8. v. 5. Æneid.

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina; nec teneras cursu læsisset aristas
Vel mare, per medium, fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres, nec tingeret æquore plantas.

Sic ergo *levis est super faciem aquæ*, id est, flagitiosus ille, ad suo satisfaciendum appetitui, tanta cum levitate, super ipsis quoque aquis incedet, nec tamen submergetur. Itane? Et in tuæ majestatis servitio ô sancte Deus, tantus videbitur tepor, tanta lentitudo, negligentia tanta, tam vani timores, diffidentiæ tam affectatæ, tam vanæ desperationes?

30. Postremo denique Myrthi ramum

mum portabant, qui ob temperatas qualitates suas, temperantiæ quoddam est symbolum. *Folia Myrthi*, inquit Plinius, *siccantur, ad ulcerum remedia, leniter mordaci pulvere.* Et quis non videat, quanta in vitæ istius peregrinatione, virtutis temperantiæ existat necessitas? Ne sæculi istius nos retardent delitiæ, si videlicet superfluè amentur à nobis. *Habentes victum & vestitum his contenti simus*, docebat olim Paulus. Necessaria sufficiant vobis, superfluum verò accersere nolite. Nō dixit Christus, ut non manducaremus, sed ut non crapularemur: *Attendite, ne graventur corda vestra crapula, vel ebrietate.* Notavitque S. Ambrosius, ipsummet Dominum, hanc in mundi hujus rebus mediocritatem docuisse: *Neque ignorare naturam, neque servire naturæ Dominus jubet.* q. d. Naturæ vos memores esse volo, nolo autem vos naturæ fieri mancipia; sustentate ipsam, per subministrationem eorum, quæ necessaria sunt, per superflua verò illam corrumpere nolite: Date ei, quod sufficit, quia opitulatur & inservit vobis: non verò date, unde rebellis evadat. Facite, sicut teste Æliano, faciunt canes Ægyptii, qui scientes, in Nilo crocodilos delitescere, à quibus devorari valeant, dum è Nilo bibunt, id veluti per transennam, sive transeuntes faciunt, & interruptim pauculum bibentes, moxque aliquot passus ulterius currentes, iterum ad bibendum revertuntur, semper autem cum festinatione & sollicitudine. Mundi hujus utamini quidem bonis, nec tamen abutamini iisdem, inquit S. Paulus: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Tanquam non abutantur*, legit litera Græca: q. d. Mundi vobis concedo usum, sed abusum interdico; Manducate, sed non crapulemini; Bibite, nec tamen inebriemini; lætemini nec dissolvamini, quiescite, sed sine inertia; divitias possidete, nec tamen cupidi atque insatiabiles efficiamini. *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non abutantur.* Faciamus, sicut illi Gedeonis milites, qui bibebant quidem, non tamen aquis ora sua immergendo, sed easdem ex manus vola, in aridas fauces trajiciendo: *Manu ad os projicientes aquas lambuerant, reliqua multitudo flexo poplite biberat.* Quia, uti Nicolaus de Lyra docet, qui hoc modo lambendo bibebat, significabat, quòd moderatè duntaxat libare, sive bibere, ac demum ulterius procedere vellet: *Qui manu & lingua lambebant aquas, signum est, quod nolebant ad terram procumbere, sed statim transire.* Postremò denique in memoriam revocemus id, cujus meminit Gregorius Papa: *si cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete, quæ huius mundi sunt, ut tamen per ea, non teneamini in mundo: ut terrena res possideatur, non possideat. Sit res temporalis in usu, æterna in desiderio: sit temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione.*

Lib. 15. c. 19. — Lib. 7 in Luc. — 1. Cor. 7. v. 31. — Jud. 7. v. 6. — Hom. 36. in Evang.

CONCIO XXXI.

In Feriam IV. post Domin. Passionis.

THEMA.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & vitam æternam do eis. Joan. 10. v. 27. & 28.

ARGVMENTVM.

Prædestinatus, electus est ad gloriam, sine ullo ad merita respectu, non tamen sine meritis glorificatus: Vocatus per efficacem gratiam, sed sine ulla voluntatis ad effectum ponendum violentatione: cum securitate salvationis, attamen cum sollicitudine, & timore salutis.

SUMMARIUM CONCIONIS.

O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei &c. expavet, & exclamat Paulus, sicut & SS. PP. Ambr. & Augustinus. num. 1.

Synopsis concionis. ibid.

Punctum Primum. *Divina prædestinatio est amorosa illa cognitio, de qua dicitur: Et ego agnosco illas.* num. 2.

Prædestinatio est ante prævisa merita, uti asserunt scriptura & Patres. ibid.

Verba Prophetæ: Parasti cibum illorum &c. optimè à S. Augustino explicata. num. 3.

Quis prior dedit illi & retribuetur? Nullum elegit dignum, sed eligendo fecit dignum. num. 4.

Salvum me fecit, quoniam voluit, ait Propheta. num. 5.

Cur autem hunc trahat, & illum non trahat noli curiosius quærere si non vis errare, ait Augustinus. num. 6.

Licet electio ad gloriam absque prævisione meritorum fiat, non tamen nisi per merita acquiritur. n. 7.

Vocavit nos propria gloria & virtute ait S. Petrus, *qui mox adjungit: Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate.* n. 8.

Fonti & puteo comparatur sponsa. Puteus infoditur, fons gratis fluit &c. ut notat Gillibertus. n. 9.

Ad rem nostram ponderantur verba Genes. Ecce odor filij mei, sicut odor agri &c. ibid.

Regnum cœlorum comparatur & thesauro & margaritæ, & quare. num.10.

Duo loca S. Ioannis, quod sponsa est parata, & quod præparavit se, conciliantur. ibid.

Gloria æterna modo vocatur corona misericordiæ, modo iustitiæ: modo gratia, modo merces. num.11.

Punctum Secũdum. *Efficacia gratiæ optimè convenit, cum humani arbitrij libertate.* num.12.

Gratiâ Dei humanum sanatur, non aufertur arbitrium. ibid.

Deus est omnipotens ad vincenda & expugnanda corda num.13.

Conversiones admirandæ insignium peccatorum, hîc adnectuntur. ibid.

Inclina cor meum &c. Inclinavi cor meum &c. duo Prophetæ loca conciliata. num.14.

Ad quem accedentes lapidem vivum &c. Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini. Verba Petri ponderata. num.15.

Exurgat Deus & dissipentur &c. Alia versio habet: sive exurgat Deus. num.16.

Conciliatio libertatis humanæ, cum efficaci & inevitabili decreto, quod Deus habet ad dandam gloriam quomodo exprimatur. num.17.

Deus fecit nos liberos licet ruina multorum inde proveniat, quia revera ita convenit, ut ita conservetur homo in eo principatu, in quo omnium animalium excedit cognitionem. n.18.

Infinitæ gratiæ Deo agendæ, qui cum libertate nos donaverit, coercuit tamen illam, ne excederet limites. Iob huc flexus. num.19.

Maris procellosi sicut & cordis descriptio. ibidem.

Punctum Tertium. *Prædestinatio est quidem certissima, & tamen nostram requirit sollicitudinem.* num.20.

Verba Christi: Nemo rapiet eas de manu mea, optimè dilucidata. num.21.

Mala aliquorum consequentia scilicet: si prædestinatus sum, quicquid faciam, salvus ero. Hæc consequentia destruit omnia humana commercia, omnes leges, Prophetarum & Apostolorum prædicationes, Angelorum custodiam; imò tentationes Diaboli. num.22.

Verba D. Pauli: Cum timore & tremore vestram salutem operamini, optimè à Petro Blesensi explicata. num.23.

Timendum est, ne timeamus. Martyres sancti timendo non timuerunt, quia Deum timendo, homines contempserunt. Augustinus.num.25.26.27.

Miratur Dæmonis obstinationem in tentando Iob. Ioan. Chrysostomus, quia, inquit, nunquam nostram desperat perditionem. num.26.

Quanti enim & quam insignes viri, post patrata etiam miracula corruerunt, ait Bernard. ibid.

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Timoris, & custodiæ legum nexus. num.27.

1. NOvi cum Paulo Apostolo expavescere (ita hodie cum S. Augustino exordiri libet) *quod etiam ille, cum consideraret, expavit; & expavescens exclamavit: O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius.* Merito, inquam, & ego, in consideratione majestatis & altitudinis profundissimorum secretorum Dei, trepidare novi, justam enim hanc mihi formidinem, duæ illæ fortissimæ Ecclesiæ sanctæ

Serm. 114 de temp.

sanctæ Dei columnæ, Paulus nimirum, & Augustinus persuadent, atque incutiunt, qui in conspectu immensi divinorum judiciorum oceani, collocati, veluti amissa omni ordinariæ scientiæ arte, non se in illum ultrò ingerunt curiosi, sed deterrentur ac retrahuntur venerabundi; non loquuntur facundi, sed attoniti admirantur; non usurpant exaggerationes, sed exclamationes adhibent, dicuntque: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Cum enim altissima isthæc mysteria, quæ certo quodam mentis excessu, ab gentium Apostolo prolata fuerant, humani intellectus modicam mensuram, immensum transcenderent, æquum fore æstimavit, uti S. Ambrosius benè advertit, omnem eorundem explicationem stupori remittere, nihil eorum tacens, quæ non convenit ignorari, nec quicquam ex iis tractans, quæ scire fas non erat: *Cum ergo hæc divinorum operum mysteria, supra mensuras humanæ intelligentiæ, excellenti quodam mentis suæ profudisset excessu, totam expositionis rationem transtulit ad stuporem, & admirator eorum quæ protulerat, exclamavit, & dixit: O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei! Nihil omittens de his, quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de his, quæ non licet scire.* Et profectò, quis abstrusa illa, atque recondita non admiraretur arcana, Dei illius, qui ex eodem luto, vasa format honoris, & contumeliæ, & hoc totum cum laude? Ex eodem ovium grege, nonnullas ad æterna vitæ perducit pascua: alias verò à suo abjicit consortio, atque ad pœnas destinat, idque totum cum justitia? E fratribus, ex eodem ventre progenitis, unum amat, & odit alterum, idque ingenti cum sapientia. Eligit, quem voluerit, nec tamen personarum est acceptor: Reprobat, quem libuerit, nec est iniquus; vocat, prout placuerit, nec valet reprehendi; abjicit, prout sibi visum fuerit, nec justa ob hoc contra eum querela adduci potest: Dignum efficit gloria, eum, qui plus peccavit, nec quis se illi valet opponere, aut ab eo petere cur ita faciat: ad supplicia verò præcipitat qui minus offendit, & tamen justa est, qua id decernitur, sententia? Quis altum illud ac procellosum, divinæ prædestinationis mare, cum securitate unquam præsumat trajicere? Materiam videlicet, quæ facilè posset, vel per novitatem offendere pios; aut per sublimitatem opprimere simplices; aut propter periculum, damnificare incautos? Me quod attinet, operæ pretium fore existimavi, si in hoc tam vasto divinorum secretorum archipelago, me non temerè profundius immersero, sed cautè & providè circa littus me continuero, atque hodierni ducatu Evangelii, veluti charta seu mappa mundi, vel acu nautica, circa divinam prædestinationem ad trium mysteriorum me considerationem astrinxero, ostendendo primo, quomodo Deus eligat ad gloriam, sine prævisione meriti, tametsi non sine merito glorificet. Secundo, quod circa electum, gratiam adhibeat efficacem, nullam tamen arbitrii libertati vim inferat. Tertiò denique, quod certitudinem quidem atque infal-

L. 1. de vocat. gentium l. 5.

[illegible]rm. 224 temp.

infallibilitatem in prædestinatione constituat, nihilominus tamen in prædestinato sollicitudinem magnam atque diligentiam requirat.

2. Primò igitur divina prædestinatio, quæ est amorosa illa cognitio, de qua in hodierno Evangelio dicitur: *Et ego cognosco eas*, fit sine ullo ad merita respectu. Et hanc quidem opinionem, tametsi non nesciam, illam doctos inter admodùm esse controversam, eo præcipuè motivo ductus consector, quod existimem, illam Scripturarum divinarum contextibus, authoritatibus Patrum, rectæque rationis ponderi conformiorem, Scholasticorum interea doctrinis, atque tractatibus, materiæ istius subtilitates omninò remittens. Porrò sic benedictus ille Redemptor noster me docet, impossibile esse, ut ad ipsum quis veniat, quin ab æterno Patre suo tractus fuerit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit illum.* (Joan. 6. v. 44.) quasi diceret, Ut in viam vos recipere valeatis salutis, à qua per peccatum aberraveratis, auxilio opus est vobis æterni patris; omni cum dulcedine ipse vos trahet, attracti curretis, amati amabitis, quæsiti quæretis, quodque Deus vos velle volet, vos quoque voletis. Hoc modo rem istam explicat S. Ambrosius, dicens: *Qui ergo veniunt, amore ducuntur, dilecti enim sunt, & dilexerunt, quæsiti sunt, & quæsierunt, & quod eos voluit Deus velle, voluerunt.* (Lib. 2. de vocat. gent. ca. 9.) Adeò, ut Deus cuivis donet sine merito, unde sibi acquirere meritum possit; donat lumen, ut per cœli viam dirigatur, quàm à seipso, nec videbat, nec videre poterat: Fortitudinem largitur, ut illum subire possimus laborem, qui ad æternam beatitudinem adipiscendam, est necessarius: (...64. ...10.) *Datur ergo unicuique sine merito, unde tendat ad meritum, & datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem.* (Ibid. ...) Id quod cum insigni illa sancti Augustini coincidit doctrina, videlicet, quod electi eligant, haud aliter tamen, quam cum electi prius fuerint, omneque ipsorum meritum, bona eligentis voluntas existat. *Eligentium hominum meritum, nullum est, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret: quia electi sunt, elegerunt: non quia elegerunt, electi sunt.* (Lib. de grat. & li- bero arbitr. c. ...) Et alibi, ad idem quoque propositum dixit, gratiam Dei, omne in prædestinatis meritum existere: *Profectò electi sunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne meritum.* (Lib. de corrept. & gratia c. ...) Ut proinde de prædestinatis dici valde propriè posset, quod de iis, qui à Theodorico Rege sublimati fuerant, Cassiodorus dixit: *Pompa meritorum, est regale judicium.* (Lib. 2. variar. Epist. 12.) In prædestinationis negotio, ô vos prædestinati, nihil est aliud, tota meritorum vestrorum pompa, præterquam supremi Regis judicium; divinum velle, vestræ extitit causa electionis; Neque electionis vestræ indaganti originem, verius, quàm hisce Domini verbis, respondere poteritis: *Quoniam sic placitum fuit ante te.*

3. Regium, obsecro, Prophetam convenite nonnihil, ab ipso

nam-

namque ingenti cum perspicuitate & claritudine, veritatem istam percipietis. Dicit ergo Rex sanctus, Psalm. 64. *Parasti cibum illorum.* quasi diceret, Gloriæ tuæ epulas, amicis tuis præparasti. Veruntamen, ô Domine, cur his potius præparasti gloriam tuam, quàm illis? Fortè id fecisti bonorum operum moralium intuitu, quæ ante omnem justificationem erant facturi? Nequaquam; notum est enim, nullam hæc, cum fine tam sublimi, cuiusmodi est gloria, proportionem habere? Fortassis propter fidem, aut ob promptam ad credendum voluntatem? Minimè; Multi namque credentes, semper malè viuunt, atque quantumvis bona fide imbuti, impœnitentes nihilominus moriuntur. Fortè ob merita sua, non quidem ea, quæ justificationem antecedunt, sed quæ subsequuntur illam? Nihil minus; bonus namque, gratiæ usus, prædestinationis est effectus, non verò causa. Forte propter actiones, quibus homo divinæ gratiæ cooperatur, non quatenus hæ ab hac proveniunt, sed quatenus à libero dependent arbitrio? Haudquaquam, nam ipse etiam liberi arbitrii consensus, quidam est gratiæ divinæ effectus. Fortasse non ob causam aliquam positivam, sed potius negativam, seu quod idem est, quia nullum divinæ vocationi ponitur obstaculum? Minimè, Totum namque istud, tuæ quoque gratiæ dignoscitur esse effectus. Dic ergo nobis, ô Domine, dic sodes, *Cur parasti cibum illorum?* Ecce tibi unicam rei istius causam, quam Propheta immediatè subjungit dicens: *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua.* Parasti gloriæ tuæ cibum, quia talis est præparatio, quam fecisti; quod idem est, ac si diceret: Præparata est electis gloria tua, quia ita tibi illam præparare complacuit. *Parasti, quia ita est præparatio tua.* Quod si dicas, hinc sequi, Dominum causæ loco, statuere id, cuius inquiritur causa; Et verba illa: *Parasti quia ita est præparatio tua*, idem significare, ac si diceretur: *Parasti, quia parasti:* Id ego tibi ingravatè, ac lubens libensq; concessero, atq; in eius confirmationem, adduco id, quod Deus Moysi dixit & Paulus Romanis repetiit: *Moysi enim dicit, Miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.* Quibus verbis, Apostolus gravem hanc subiungit sententiam: Rom. 9. v. 15. *Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Dicere ergo: *Parasti, quia ita est præparatio eius, idem est, ac si diceretur: Parasti, quia parasti, & misereor cuius misereor.* Ecce tibi in hoc propositum consentaneam Augustini expositionem. Aug. in Ps. 64. *Parasti, quia ita est præparatio eius, non quia se parauerunt, quibus peccata donasti. Merita illorum mala erant, sed propter misericordiam, quia ita est præparatio tua, ita parasti cibum illorum.* Quis enim ad gloriam præparare se poterit, nisi à Deo is prius præparatus extiterit? Præparat Deus suis, beatitudinis delitias, quia hanc tantam præparationem, ex misericordia sua, facere

facere illi complacuit: & quia ut idem inquit Augustinus: *Quis eum* In Psal. 114. *invocavit, nisi quem prior ipse vocavit.* Et in Psalmum 17 explicans illa verba: *Cum electo, electus eris*, ad præsens propositum optimè dixi: *Ab eo, quem eligis,* Psal. 17. v. 27. *eligeris.* Quod si tu prius vocaveris, invocaberis, erisq; ab eo electus, quem tu prius elegeris. *Quoniam ita est præparatio tua. Quoniam sic placitum fuit ante te.*

4. An non S. Paulus, Romanis civibus scribens, dicebat: *Quis prior dedit ei & retribuetur?* quasi diceret, Quis est ille, qui Deo dederit, unde is motus, eum prædestinarit? Quis illum prius amans, ad amorem impulit, ut esset postmodum ab illo amatus? Perspicuum valde est Lib. 5. cōtra Julianum. illud sancti Augustini oraculum: *Nullum elegit dignum, sed eligendo fecit dignum.* Id quod cum ea doctrina coincidit, quam idemmet Paulus Ephes. 2. v. 4. Ephesios hisce verbis docet: *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, & conresuscitavit, & consedere nos fecit in cælestibus, in Christo IESV.* Eramus natura filij iræ, Deus autem per summam suam misericordiam, eò motus est, ut consedere nos faceret in cœlestibus. Eccur autem ita? *ut ostenderet in sæculis supervenientibus, abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo IESV.* Ecqua ergo ratione prædestinatus unquam facere potuit, ut filius esset misericordiæ, qui prius natura erat filius iræ? *Eramus natura filij iræ?* Quid in hoc de suo reposuit? Quid Deo dedit; Indubiè nihil omninò, sed revera, uti docet Ambrosius: *Oblivi-* In Apologia David. *scitur per gratiam, quod hauserat per naturam. Non præcessit eorum aliquid,* docebat sanctus Prosper, *quod priores darent, & retribueretur illis; pro nihi-* Psal 17. v. 10. *lo enim salvos fecit eos.* Sed quid est Ad excepta Gennen. quod dicit: Pro nihilo salvos facies eos? Ergone pro nihilo salvati sunt justi, qui tantum laborarunt, pro obtinenda salute? Respondeo, sermonem ibi fieri de prædestinatione, non verò de executione illius. Prædestinatio *pro nihilo* facta est, quia sine ullo ad aliquod meritum nostrum respectu, executio autem illius, per multas ponitur molestias & labores. *Gratia enim estis salvati,* Ephes. 1. v. 8. *per fidem, & hoc non ex vobis.* Videte, quàm hic clarè atque perspicuè loquatur Apostolus, apertoque ore dicat, nihil hic esse de vestro, sed omnia ex Deo esse qui vos elegit, quia ita sibi complacuit? *Vbi autem gratia* (verba sunt sancti Hieronymi) *non operum retributio, sed donantis est largitas, ut impleatur dictum Apostoli. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Dices, Ego equidem huc adfero velle meum, & non velle, cum Deus me vocat? Respondet idemmet Hieronymus: *I-* Hieron. Epist. ad Demetriadem. *psum quod nostrum est, sine Dei misericordia nostrum non est.* Huic enim velle nostro, nihil cum divina prædestinatione interest; nam præter velle ipsius Dei aliud nihil prædestinatio-

nem

nem ingreditur: *Quoniam sic placitum est ante te.*

5. Porro, doctrinam istam, adhuc apertius doceat, qui omnia cœli docuit mysteria, sanctus Hierosolymorum Rex: *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* En habes ibi totam prædestinationis rationem: *Quoniam voluit me.*
Psal 17. v.20. *Voluntate propria, & non ex merito me vocavit, dicente Apostolo; Gratia estis salvati, ex fide, & hoc non ex vobis*; dicebat quondam
Hier.in Psal.27. in hunc locum sanctus Hieronymus. Estque hoc conforme illi, quod Je-
Jerem. 10. v.23. remias Propheta docebat: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulans dirigat gressus suos.* quasi diceret: Optimè novi, ô Domine, hominem à semetipso nunquam inventurum semitam illam, qua dirigatur in cœlum. Estque pulchra illa, super hunc Jeremiæ tex-
in Jer.10. tum, Hieronymi glossa: *Erubescant vani prædicatores, qui aiunt, unumquemque suo arbitrio regi, cum hic Propheta dicat: Non est hominis via ejus, & David in lyrico canat carmine: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Tunc homo cœli viam eliget sibi, quando Deus diriget gressus illius, ipsumque cœlum versus deducet: Cum fervore ambulabit, quando gratia Dei stipabitur: Deum eliget, cum à Deo electus fuerit. Agedum ergo, videte, quam verum sit illud Christi verbum, quod à principio hujus discursus nostri adduximus; *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.*

6. Verum enimverò, dices fortasse: Cur Deus trahit istum, non verò trahit alterum? Ideoque cum sancto Augustino hic ego respondeo: Nefas esse, te eousque in mysteriorum divinorum lucem committere, quin potiùs cum sancto Paulo tibi exclamare sufficiat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, nisi in vastissimo divinorum judiciorum te perdere velis Oceano. Sancta sunt illa, sed occulta; justa sed inscrutabilia; rationabilia, sed profunda; commendabilia, sed ineffabilia pariter; plena sapientia, verum insuper & stupore plenissima; omni sunt digna affectu, digniora tamen sunt omni respectu & reverentia. Audi illud Augustini monitum, qui prædicta illa Joannis verba: *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum*, exponens dicit: *Cur autem hunc trahat, & illum non trahat, noli curiosus quærere, si non vis errare.* Audi illud Ambrosii documentum: *Multa sunt in dispen-* Lib.1.de vocat.
satione operum divinorum, quorum, cau- gent.c.5.
sis latentibus, soli monstrantur effectus; ut cum pateat, quod geritur, non pateat, cur geratur; negotio in medium deducto, & in occultum ratione subducta: ut in eadem re, & de inscrutabilibus præsumptio, & de manifestis falsitas refutetur. Sufficiat tibi, inquit sanctus Doctor, intelligere mysterium, & ignorare causam, nosse factum, cur autem sic fiat, nescire: penetrare veritatem, at fugere temeritatem, atque si eloqui nescias exclamare sufficiat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.*

7. Porrò nunc, quod fortasse utilius erit, dispiciamus, estque hoc, nimirum, quòd tametsi electio ad gloriam, absque prævisione fiat meritorum, non tamen nisi per multa merita acquiritur, secundum illud Pauli oraculum: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*. Hac in parte, dicit sanctus Ambrosius, pari passu ambulant, electio & reprobatio, quia Deus *neminem damnat, antequam peccet, & nullum coronat, antequam vincat*. Notat id sanctus Gregorius in ea casu, qui accidit, quando duo discipuli filii Zebedæi, Regni à Domino postularunt participium, quibus ille respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quasi diceret: Regnum possideri nequit, quin bibatur calix; Nec palmam quis citra conflictum assequitur. O vos stulti, ut quid existimatis pervenire vos posse ad terminum, dum non transitis per viam? Cœlum merces est, lucrari ergo idipsum oportet. Corona est, & ideò priusquam donetur, confligere necessum est. Portus est, prius ergo per medias transeundum est maris procellas. Lucrum est, ideoque ut pretium pro illo prius solvatur, necessum est. *Iam locum celsitudinis quærebant* inquit Gregorius, *ad viam illos veritas revocat, per quam ad celsitudinem venirent. Ac si dicatur: Iam vos delectat locus celsitudinis, sed prius via exerceat laboris. Per calicem enim pertingitur ad Maiestatem. Si mens vestra appetit, quod demulcet, prius bibite quod dolet. Sic sic per amarum poculum con-* Hom. 21. in Evang.

fessionis, pervenitur ad gaudium salutis.

8. Enimverò quod hac in re dictum est hucusque, mysticis quibusdam sanctus Petrus Apostolus verbis manifestat, hisce videlicet: *Vocavit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa promissa donavit, ut per hæc divinæ efficiamini consortes naturæ*. Hisce autem jam dictis verbis, quibus sanctus Apostolus de prædestinatione clarè loquitur, mox ita subiungit: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem*. Videtisne ergo, quot virtutes sanctus Petrus velit, divinam prædestinationem, veluti si dicere vellet; Deus ad præmium vos elegit, vestrum erit, ut per opera vestra illud acquiratis. Gloriæ coronam ipse præparavit vobis, vestris vos illam lucremini victoriis: Ipse vos dignos fecit sortis sanctorum, vos cavete, ne per inertiam vestram, indignos vos illa constituatis: *Scirit, quod non sufficeret eligentis gratia, nisi invigilaret collaborantis industria*, inquit sanctus Eucherius. Id quod idem est cum eo, quod minus breviter, quam nobiliter, & eleganter, Augustinus hisce verbis docuit: *Aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant*. Præstò quidem est Deus à parte sua, ipse tamen, ut partem quoque nostram,

2. Petri 1. v. 3.

Lib. de correpi. gratia c.

ſtram, in opus ſuum conferamus, requirit. Unde Deus, adjutor noſter eſſe dicitur: *Dominus mihi adiutor.* Qui enim adjuvat alterum, illum adjuvat, qui adjuvanti cooperatur, non verò eum qui ad nil agendum ſeipſum impendit: *Si dicis adiutor meus, aliquid agis; nam ſi nihil agis, quomodo ille adiuvat.* Alibi quoque idem met Auguſtinus docet, ſtultitiam eſſe, ſi quis exiſtimet, id ſolum ad ſalutem ſufficere, quod Deus ſolus facit: *Non ideo tamen de hac re ſolis votis agendum eſt, ut non ſubinferatur adnitendo etiam noſtræ efficaciæ voluntatis. Adiutor enim noſter, Deus dicitur, nec adiuvari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur.*

Pſal 117. v.6 & 7.

Tract. 4. in Epiſt. Joan.

Lib. 2. de peccatorũ meritis & remiſſion. c. 5.

9. Atque hæc eſt ratio, ob quam ſponſa in ſacris canticis, duobus apellata fuit nominibus myſticis: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Magna etenim, fontem inter & puteum, eſt differentia: Fons enim naturaliter ſcaturit: puteus autem per artem exhauritur: Fons liquores ſuos ſponte propria offert; E puteo verò, per humanam aquæ hauriuntur induſtriam. In fonte, aquæ palàm proſtant expoſitæ; in puteo verò abſconditæ latent. Ecquid id aliud innuit, niſi quod Deus, qui obiectum eſt gloriæ noſtræ, partim donetur, partim verò acquiratur? Donatur in prædeſtinatione, ubi nulla intervenit opera humana; Acquiritur autem in ejusdem conſecutione, ad quam operationes noſtræ neceſſariæ exiſtunt. Hæc eſt venerabilis Giliberi Abbatis advertentia, dicentis: *Noſtis quantum diſtent fontes & putei. Puteus infoditur, fons gratis fluit. In illo aquæ reconditæ ſunt, in iſto quaſi propoſitæ, & ſeipſas offerentes ultro &c. Fontis venæ ultro prorumpunt, in puteo verò terræ prorumpitur moles, & ſoliditas penetratur ut ad aquam vivam pertingas. Vtraque alteri neceſſaria eſt, & induſtriæ gratia, & gratiæ induſtria, & vicariam opem ſibi communicant.* Eodem modo notat ſanctus Ambroſius, quod veſtis Jacobi Patriarchæ, ſpirarit odorem, velut campus floribus refertiſſimus: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus:* In campo concurrunt influxus cœlorum, & terræ induſtria: nubium pluviæ, & aquæ fontium; Solis calor, & hominis cultura: Eodem prorſus modo prædeſtinatorum veſtis, qua coram Deo ornati comparent, gratia Dei adornatur, nec non & hominis induſtria. *Ager & naturale habet fertilitatis ingenium* (ſunt verba Ambroſii) *& culturæ diligentiam temporalem, meritoque in eo eſt plenitudo, cui utrumque non deeſt.* Utrumque eſt neceſſarium; Electio videlicet quæ ad Deum pertinet, & quæ ad nos pertinet cooperatio, res cœleſtis & humana induſtria. *Vtraque alteri neceſſaria eſt, & induſtria gratiæ, & gratiæ induſtriæ.*

Cant. 4. v. 15.

Serm. 7. in Cant.

Gen. 27. v. 27.

De fuga ſæculi cap. 8.

10. Ob hanc fortaſſe cauſam, Regnum cœlorum, theſauro ſemel comparatum eſt, & ſemel margaritæ. Mera ſors eſt, invenire theſaurum; ad margaritam verò piſcandam,

dam, labor requiritur, & humana industria. Ecclesia Christi sponsa, à sancto Ioanne visa est, veluti de cœlo descendens, à Deo præ-
Apoc.21. v.2. parata: *Vidi ciuitatem sanctam, descendentem de cœlo, à Deo paratam.* Verum insuper quoque dicitur, quod præparaverit seipsam: *Vxor agni præparavit se*; præparatur & præparata erat. Præparatur quidem manibus suis propriis, prius tamen ipsis Dei manibus præparata erat: *paratam à Deo, & præparavit se.* Ecce tibi hac in re illud sancti Augustini oraculum, qui tantus extitit gratiæ divinæ protector, & propugnator, qui demonstrat, qua ratione intelligendus sit, tam unus, quàm alter magnæ huius præparationis modus:
Lib.cõtra duas Epist.Pelagian. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non præstet Deus, ut faciat homo.* Videte, qua ratione in homine prædestinato, aliqua solus Deus faciat, sine homine, aliqua verò, homo unà cum Deo: Propter illa dicitur: paratam à Deo, ob hæc verò dicitur: *Vxor agni præparavit se. Vtraque alteri necessaria est, & industria gratiæ, & gratia industriæ.*

11. Ex prædictis intelligetur, cur scripturæ divinæ adeò differenter loquantur, de gloriæ corona, dum illam nonnunquam misericordiæ coronam, aliàs verò coronam appellant justitiæ. Corona misericordiæ
Ps.102. v.4. vocatur à Davide in Psal.102. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.*
2.Tim.4. v.8. Corona verò justitiæ in Epist. 2. ad Timotheum: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* De misericordia, dicit Apostolus, quod *non sint condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* De Justitia autem, loquitur idem in Epistola ad Thessalonicenses: *ut digni habeamini regno Dei.* Sors 2.Thess. v.5.
est, quia ut dicit Paulus: *Vocati estis in partem sortis sanctorum*, adeoque misericordiæ corona est: Est Coloss.1. v.12.
autem & merces, quia ut Christus apud Matthæum inquit: *Merces vestra multa est in cœlis*: ideoque corona est justitiæ. Matth.5. v.12.
Donum est, nam ut dicit sanctus Jacobus *omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est.* Jacobi.1. v.17.
Ergo est corona misericordiæ: Ex mente verò alterius Apostoli, etiam hæreditas est: *si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom.8. v.17.
Est ergo corona justitiæ. Gratia est, & favor, secundum illud ad Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Rom.6. v.23.
Corona igitur est misericordiæ: Fructus quoque est, qui de iustorum operum nascitur semine, secundum illud oraculum: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2.Cor.9. v.6.
Justitiæ ergo corona est. Misericordiæ coronam esse probat textus iste: *Quod in præsenti momentaneum est, & leve tribulationis, supra modum in sublimitatem æternum gloriæ pondus operatur.* 2.Cor.4. v.17.
Coronam verò justitiæ esse, probat alia quædam litera, vbi dicitur: *Non est iniustus Deus, vt obliviscatur operis vestri.* Heb.6. v.10.
Coronam esse misericordiæ, sanctus Jacobus hisce verbis insinuat:

Iacobi.2. 13. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fe-*
cerit misericordiam. Coronam autem
justitiæ esse, idem met sanctus Ja-
Iacob.1. cobus hac sententia demonstrat. *Qui*
v.25. *perspexerit in legem perfectam libertatis,*
beatus in facto suo erit. Cum feceritis hæc
omnia, dicite, quia servi inutiles sumus,
Luc.17. inquit Christus, misericordiæ igi-
10. tur corona est. *Tentavit eos Dominus,*
Sap.3.v.5. *& invenit eos dignos se*, inquit Sapiens.
Est ergo corona justitiæ. Donatur
1.Petri.1. nobis, inquit sanctus Petrus, *ma-*
v.4. *gna & pretiosa nobis promissa donavit.* Est
ergo misericordiæ: comparatur &
acquiritur, dicit enim Saluator:
Matth. 13. *Vadit & vendit omnia, & emit agrum*
v.44. *illum.* Est ergo justitiæ. Per amici-
tiam & benevolentiam acquiritur:
Luc.12. *Complacuit Patri vestro dare vobis re-*
v.32. *gnum.* Misericordiæ igitur corona est.
Matth.11. Rapitur per vim & violentiam: *Re-*
v.12. *gnum cœlorum vim patitur, & violen-*
ti rapiunt illud. Ergo justitiæ corona
est. Agedum ergo dilectissimi, am-
bæ hæ sententiæ, cum doctrina huc-
usque à nobis tradita, mirè consen-
tiunt; Gloria namque misericordiæ
corona existit, si Dei electionem re-
spiciamus, quæ fit absque ullo re-
spectu ad merita nostra. Eadem ta-
men insuper est corona justitiæ, quia
supposito beneplacito divino, no-
strorum quoque operum requiritur
concursus: Estque unum veluti al-
terius principium, siquidem ex præ-
destinatione, gratia efficax nasci-
tur, hæc autem, ut pro acquisitio-
ne gloriæ laboretur, efficit. Unde
prædestinatio sic à nonnullis defini-
ta fuit: *Est præparatio beneficiorum Dei.*

In summa denique indubitata est il-
la Divi Augustini doctrina dicentis: Lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 6.
Cui autem redderet coronam iustus Iudex,
si non donasset gratiam misericors Pa-
ter? Et quomodo esset ista corona Iu-
stitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iusti-
ficat impium? Quomodo ista debita red-
derentur, nisi prius illa gratuita dona-
rentur.

12. Ad secundum interea transeo
prodigium, quod in prædestinati-
onis latet sacramento, estque ex
una parte efficacia gratiæ, ex altera
verò humani libertas arbitrii. Quod-
si enim, ut Paulus aiebat, *non est*
volentis, neque currentis, sed est mise-
rentis Dei, profectò remanet otiosa
voluntas, solaque gratiæ operatrix
existit? Quodsi autem divina dun-
taxat gratia operatur, quomodo ad
non cooperandum, libera remanet
humana voluntas? Item si gratia
humanum nequaquam cogit arbi-
trium, qua ratione efficax appella-
tur, cum rejici ac repudiari possit,
nec suum consequenter sortiri effe-
ctum; aut si repudiari nequeat, qua
ratione in propriæ possessione liber-
tatis manuteneri & conservari pote-
rit humana voluntas? Neque Hie- Adversus Ruffinũ.
ronymus hic mihi dicat: *Et velle &*
currere meum est, sed ipsum meum, si-
ne Dei semper auxilio, non est meum:
Quia si velle meum, non est meum,
sine divino auxilio, certè auxilio
divino attribuendum erit, quod ego
velim? Quod si autem Dei auxilium
efficit, ut ego velim, igitur ego non
volo, quia volo, sed volo, quia di-
vina gratia me velle facit? Quodsi

autem gratia divina est, quæ me velle facit, quomodo igitur liberè volo atque spontaneè? Neq; mihi dicat sanctus Augustinus: *Nō ideò tollitur liberum arbitrium, quia iuvatur; sed ideò iuvatur, quia non tollitur*: Quodsi enim humanum arbitrium efficaciter adjutum est, ergo efficaciter victum est, suaque per consequens destitutum libertate; Neque Cœlestinus Papa mihi dicat, quod *auxilio & munere Dei non auffertur Liberum arbitrium, sed liberatur*. Nam mox ego repetam, quod si à tam perfecta & consummata libertate, infallibiliter & efficaciter trahatur liberum hominis arbitrium, sequitur profectò, quod ipsum in ipsa libertate perdat hoc, quod est esse liberum. Nec mihi sanctus Fulgentius dicat, quod *gratia Dei, humanum sanetur, non auferatur arbitrium*, quia si illi, contra suam voluntatem, conferatur sanitas, sanum erit, sed liberum non erit. Inter hasce ergo constituti angustias, quid dicemus, ô Christiani? Quodsi extollam gratiam, vereor ne libertatem offendam: Si libertatem defendero, vereor ne vim inferam gratiæ præsidio: Quodsi gratia totum efficit, bellua certè, & non homo ero: Quodsi libero arbitrio multum tribuero, ingratus, non verò fidelis ero: Quodsi gratiam potentem effecero, eo ipso propinquius accedo, ad constituendam impotentem voluntatem; Econtra verò, si valorem & robur aliquod humano attribuam arbitrio, tanto illud plus adimam gratiæ auxilio.

Aug. Epist. 89.

Epist. ad Episc. Gall. c. 13.

Lib. de gratia cap. 10.

Quare dum ego de cœlestis gratiæ fortidudine loquor, vos his nonnihil subsistere velim, dumque magni huius dubij solutionem, suspendo, vos cum sancto Paulo denuò dicite. *O altitudo divitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei.*

13. Non sum equidem nescius, quàm potens, imò quàm in operibus gratiæ omnipotens Deus noster, in quibus modos video mirabiles, atque reconditos, ad durissima mundi corda vincenda, expugnandaque dispositos & ordinatos: Recordor namque meretricum, quæ ab inveteratis sordibus, unico in momento, in angelicam transmutatæ sunt puritatem; publicanorum, qui ab iniquo & sordido lucro, ad honoratam tracti sunt Evangelii paupertatem; piscatorum, qui tribus duntaxat verbis, austeritatis, rigorisque novæ legis imbuti sunt amore; perjuriorum abnegantium Apostolorum, qui per unicum tantummodo obtutum perpetui facti sunt pœnitentes, continuique præteritæ debilitatis detestatores; latronum qui in unico eodemque momento, Regis gloriæ blasphematores, gloriæque extiterunt possessores; Calvarii montis carnificum, manibus suis, è salvatoris nostri sanguine, etiamnum madidis, pectora sua, vera cum contritione percutientium. Plebis Hierosolymitanæ, jam sitibundæ, atque ad Christi mortem anhelæ, mox verò à quodam ejusdemmet Christi discipulo, ad veracem ac cordialem conversæ

pœnitentiam ; persecutoris cujusdam furibundi, ac rabidi, in unico momento, in zelantissimum quendam commutati prædicatorem. Notas habeo, atque perspectas, stupendas illas divinæ gratiæ inventiones, quibus se pro nata occasione, & necessitate, in millenos modos transformans, sese cuilibet, servata proportione, accommodat, novitque vincere obstinatos, protervos convincere, sese opponere animosis, condescendere fragilibus, superbos prosternere, sublevare pusillanimes; cupidis promittere, donare avaris, Idiotas docere, confundere sapientes, stimulare lentos, temerarios refrænare, revocare fugitivos, socordes commonefacere, stabilire inconstantes, moderari præcipites, pro nata opportunitate spe utendo vel timore; promissis & minis; blanditiis & suppliciis; amplexibus & aspernationibus. Probè memini, infinitas gratiæ divinæ generosè reportatas victorias, è quibus ipsa tot in cœlis habet collocata trophæa, quot beatissimæ illius Patriæ sunt cives & incolæ. Palmæ divinæ gratiæ, sunt tot inter tormenta barbarorumque tyrannorum carnificinas constantes ac imperturbati martyres: tot à perversi istius sæculi malitia defensi confessores: tot virgines à carnis propriæ liberatæ tyrannide: tot in infinitarum tentationum Sathanicarum medio, illæsi custoditi innocentes; tot è peccati mortisque regno erepti pœnitentes. Postremò denique non me latet, quantum ille ingeniorum Phœnix Augustinus, divinæ gratiæ præstet patrocinium, id quod ipsum magna illa pronuntiare fecit axiomata; videlicet quod quicquid sumus, boni, id per divinam gratiam non verò per liberum fiamus arbitrium; *in Psalmum 65.* Quod gratia liberum vincat & superet arbitrium, seque illius constituat Patronam ac Dominam; *In quæstionibus ad Simplicianum:* Quod à gratia salus nostra nascatur & non à libero arbitrio: Ita *in lib. 1. De peccatorum meritis & remissione.* Quod gratia sit supra liberum arbitrium. Ita *lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium.* Quod omnia justi hominis bona opera, divinæ attribuenda sint gratiæ, non verò libero arbitrio. Ita *in serm. 13. de verbis Apostoli.* Id denique ipsum postremò adegit, ut diceret, Deum gratia sua mediante super humana corda, plenissimam ac omnipotentissimam habere potestatem. Ita *in cap. 10. libri de correptione & gratia. Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium. Sic enim velle, aut nolle, in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De ipsis hominum voluntatibus facit, quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium, quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem.*

14. Posita igitur, & constituta prædictis modis gratiæ divinæ potentia, & efficacia, nihilominus affirmo, intactum omninò, illæsumque manere libertatis humanæ jus,

jus, & dominium. Ipsa namque vocata quidem est, per efficax Dei auxilium, neququam tamen nisi per liberum respondet consensum: à Deo quidem mota est, nec tamen ipsa sine propria motione movetur: Dominio equidem subest gratiæ, veruntamen spontaneum est Dominium istud, minimèque violentum; consentit, seque haud dubiè dedit, non tamen se subdit, aut consentit sine propria inclinatione: Ad jugum tracta est Christi, sed cum suavitate atque dulcedine: Vult idipsum quod vult Deus, non tamen ideò duntaxat vult, quod Deus velit, sed unà cum divina voluntate, propriam quoque conjungit voluntatem. Serva facta est, ac veluti captiva justitiæ, sed servitus illa atque captivatio, voluntaria est, ac sine ulla violentia: Legis ligata atque obstricta est præceptis, ipsa verò vinculis hisce, ligaminibusque sua se propria supposuit sponte. Atque hæc est ratio, cur David, postquam

Ps. 118. Deum ita rogasset: *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua.* mox eodem Psalmo dixerit: *Inclinavi cor meum, ad faciendas iustificationes tuas.* Verum enimverò, quod si tu ipse cor tuum inclinaveris, cur Deum rogas, ut ab ipso inclinetur? aut si Deus illud inclinet, cur tu temetipsum id inclinasse gloriaris? Respondet sanctus

Hilar. in Psal. Hilarius, quod *prius, quæ à Deo sunt, proponit, & tum, quæ à se subjicit.* Est hoc negotium tale, quod sine me fieri nequit. Me Deus inclinat, & eundem met meipsum ego inclino. Deus, per suam gratiam, ego, verò, per meum consensum; Ipse, mediante sua vocatione, ego verò, media obedienda. Clarius hac de re loquitur Augustinus, quando dixit: *Initium salutis nostræ, Deo miserante habemus, ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* De Eccl. Dogmatibus cap. 21. Sanctus quoque Anselmus, magnam veritatem istam, mirabiliter dilucidat, dum fundamenti loco statuit, veritatem istam, videlicet; humanam voluntatem, Dei vocationibus allici, non verò violentari: *Neque aliquid facit ibi vis necessitatis, ubi operatur sola electio voluntatis.* Lib. de Cōcordia Prædestin. & lib. arbit.

15. Nonnulli quondam confessores claudebantur carcere, quibus Tertullianus, eosdem in suis afflictionibus consolaturus, transcripsit; inter cætera verò, quæ dicit, unum est istud, *Imprimis ergo benedicti, nolite contristare spiritum sanctum, qui vobiscum introiit in carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideò date operam, ut illic vobiscum perseveret.* Una vobiscum, ô benedicti confessores, inquit Tertullianus, in carcerem ingressus est spiritus sanctus; imò ideò vos intrastis, quia ipse una vobiscum introivit. Sua vos gratia prævenit, vos autem ducatum eius adeò nobilem, atque fidelem, vestra secuti estis cooperatione. Vos nunc omni possibili modo, ne discedat, curate. Sed qua id ratione fiet? Ergone in servorum Dei potestate, stabat spiritus sanctus? an verò ab illorum dependebat voluntate, ut is perseveraret, Lib. ad Mart. cap. 1.

aut

aut verò non perseveraret in carcere: Imò verò: postquam enim ipsi, invitante Spiritu sancto, ad palmam vocati essent Martyrij, consentire in illam, aut dissentire ab ea, in ipsorum erat potestate. Si consentiebant, una secum retinebant Spiritum sanctum, expellebant autem, si dissentiebant: *Sola voluntas determinat ibi, quid teneat*, inquit ad hoc propositum Anselmus. A voluntate dependet ista determinatio, quæ vocata esse potest, non coacta, cum dulcedine invitata, non verò tracta per violentiam; atque ideò date operam, ut illic vobiscum perseveret. Neque existimo, aliam fuisse Petri Apostoli mentem, dum fideles, lapides vocat, spiritualis illius ædificii Ecclesiæ, sed lapides vivos, non mortuos: *Ad quem accedentes lapidem vivum &c. & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini.* Lapides mortui, cujusmodi sunt ii, qui materia sunt ædificiorum nostrorum, eò collocantur, quo illos destinaverit architectus, cujus dispositioni ipsi nequicquam repugnant, sicut nec alia ex parte, eundem aliquatenus adjuvant, aut ejus promovent operam. Non sic autem lapides vivi, qui, utpote vivi, à seipsis moventur, eoque perducuntur, quo illos destinaverat artifex. *Vivos appellat* (inquit venerabilis Beda) *ut conatum insinuet bonæ intentionis. Mortui namque, nil per se, nisi cadere possunt.* Et sanctus Leo Papa docet, servos Christi lapides appellari vivos, eò quod cum operante magistro, cooperetur & lapis, ut proinde non ipse in hac fabrica, partem suam solus obtineat, verum insuper & lapis: *Quia lapides rationales sumus, & viva materies, sic nos auctoris nostri exstruit manus, ut cum artifice suo, etiam is, qui reparatur, etiam operetur.* Id quod diu ante sanctus Augustinus docuerat illa sancti Pauli verba explicans: *Qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur. Intelligant*, (sunt hæc ipsa sancti Doctoris verba) *si filij Dei sunt, se agi, ut quod agendum est, agant; aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Movent se & moventur; efficit Deus, & faciunt ipsi: Ipse auxiliatur, adjuvant quoque & ipsi; Operatur ipse, illi cooperantur; Ipse vocat, currunt illi; Ipse pulsat, illi aperiunt; Ipse de eorum salute est sollicitus, neque tamen ob id, sine cura inertes sunt ipsi, aut desides, *Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.*

Anselm. lib. cit.

1. Pet. 2. v. 4.

Serm. 4. de Quad.

Lib. de corrept. & grat. ca. 2.

Rom. 8. v. 14.

116. Annon auditis (dilectissimi) qua ratione David Rex, unumquemque, ne divinum impediat oblatum adjutorium, exhortetur? Psalm. 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* Originalis litera legit: *Sine, exurgat Deus.* quasi diceret. Permitte Deo, ut exurgat; ne impedias eum, quo minus dissipet inimicos suos; ne tua tu reluctantia, divini auxilii effectibus obicem ponas, quo minus suum sortiantur effectum: *Sine, exurgat Deus.* Quodsi dicas: Qua id ratione fieri poterit, ut conatibus Dei, qui omnipotens est, resistam ego, qui adeò sum im- Ps. 67. v. 2.

Serm. 15. de verb. Apost. potens? Respondebit Augustinus: Quod *sine voluntate tua, non erit in te iustitia Dei. Fecit te nescientem, iustificat volentem.* Gratia Dei, vox quædam est sonora, quæ clamat, non tamen auditur, nisi ab audire volentibus: Lux quædam est illuminans, non tamen illuminat, præterquam eos, qui ut illuminentur, oculos suos aperiunt; Auxilium quoddam est, hominem sublevans, nec tamen quicquam efficit, nisi quis manum porrexerit; Feriens quidam ensis est, nullum tamen ictum infligit, nisi eundem strinxeris. Elegans quædam, ac venusta vestis est, mirum quantum hominem adornans; ad nihilum tamen est utilis, nisi amiciaris eadem. Flamma quædam est calefaciens, neminem tamen, nisi appropinquantem fovebit. Vis quædam est attrahens, nemini tamen vim adfert, citra vim adhibitam tui consensus: *Qui fecit te nescientem, iustificat volentem.* Intermittere nequeo, quin hoc loco, exemplum quoddam referam, juvenis cujusdam, sanctissimis integerrimisque moribus imbuti, à B. Philippo Abbate relatum. Philipp. Abbas. Epist. 21. Pulcherrimus quidam hic sæculi sui flos erat, & ob raras, extraordinariasque qualitates, stupendum quoddam mundi prodigium, non tamen aliter quam ipsismet citati authoris verbis, hocce referam prodigium. Dicit ergo: *Rara avis, iuvenis ætate, genere nobilis, conspicuus scientia, præeminens dignitate, sollicitus Ecclesiarum, pauperum adiutor, tenax iusti, raro admodum invenitur.* *Quis est hic, & laudabimus eum? Non laudare talem, invidorum est, & tamen non tam eum, quàm qui talem fecit, laudare debemus. Vita enim huiusmodi hominis, non est opus hominis, sed Dei; Imò & Dei, & hominis, Dei propter operantem gratiam, hominis propter cooperantem obedientiam.* Videte, quomodo postquam dixisset, vitam talem, potius Dei opus, quàm hominis esse, subitò se corrigat, dicens: Imò Dei, & hominis; Dei, utpote qui per gratiam operari dignatur: hominis verò, utpote qui per obedientiam spontaneam, ad cooperandum se applicat. Posito ergo firmiter isthoc fundamento, quod sicut nos, nihil sine Deo facere possumus, ita quoque sine nobis, nihil facere valeat Deus; Et sicut ipse gratiam suam liberè offert, ita nos quoque liberè eandem recipiamus: verificabitur profectò, opus salutis nostræ, non Dei solius opus esse, neque solum opus nostrum, sed Dei, & nostrum; Dei quærentis, nostrum verò, utpote, qui ut inveniamur, permittimus; Dei, offerentis medicinam, nostrum verò, qui illam non repudiamus exhibitam; Dei, contra nos certantis, nostrum, nos liberè Deo tradentium. *Vita huiusmodi hominis, non est opus hominis, sed Dei: imò est Dei, & hominis; Dei, propter operantem gratiam, hominis, propter cooperantem obedientiam.*

17. Verum enimverò, magni illius dubii solutionem, vos expectare video, qua videlicet ratione, gratia divina vocetur, verèque sit

efficax;

efficax; ex altera verò parte, libertas humana, ab omni potentia inexpugnabilis existat. Quomodo ad invicem conciliabimus, Dominium aliquod adeò liberum, quale est illud voluntatis humanæ, cum efficaci, ac inviolabili decreto, quod Deus habet, ad dandam prædestinatis gloriam? Quomodo non remanet delusa divina voluntas, si ab humana voluntate illi contradici potest? Quid adducemus, pro conservanda gratiæ potentia, absque eo, quod directio violetur voluntatis? Ad profundissimum hocce secretum, atque tantopere in scholis agitatum, breviter respondeo; Deum Opt. Max. per scientiam illam, quæ à doctis conditionata, vel media appellatur, (eò quod velut in medio posita sit, duarum illarum scientiarum, quæ vocantur *scientia visionis*, *& scientia simplicis intelligentiæ*,) videre id, quod facturus esset quilibet homo, si constitutus in talibus, vel talibus conditionibus, temporis, loci, conversationis, prosperitatis, adversitatis, sanitatis, morbi, inspirationis internæ, externi magisterii, exempli virtuosi, lectionis librorum; & sic de aliis: hoc inquam videre Deum, & videre insuper, qualis sit illa gratia, quæ congrua, atque conformis futura est intellectui, & voluntati humanæ, cuique infallibiliter, tametsi liberè, liberum arbitrium consentiet, atque tale quoddam genus gratiæ, prædestinato præparat. Et tametsi dici semper possit, & debeat, voluntatis nostræ imperium, in sua semper potestate habere, hoc, quod est refutare talem gratiam; supposita tamen Dei præscientia, quæ decipi non potest, necessarium est, ut suum illa effectum infallibiliter sortiatur. Atque hæc necessitas, vocatur à Theologis, necessitas consequens, sive necessitas *ex suppositione*, quæ libertati nostræ non præjudicat. Et ecce tibi conciliatam infallibilitatem gratiæ, cum arbitrii libertate. Et quidem, sicut sanctus Augustinus utrumque horum judicat maximè necessarium, ita de utroq; dicit, quod *si non est Dei gratia, quomodo Deus salvat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?* Aug. in Epist.

18. Sed, dicat aliquis: Cur ergo Deus nos fecit liberos, si prævidebat, fore, ut libertas, tot, tantorumque futura esset ruina? Item, quod si liberos fecit, quando fecit, cur dum in peccandi periculo constituti sumus, nos liberos relinquit? Denique, si liberum arbitrium nostrum, ut plurimum divinæ legi repugnat, cur non idipsum constringit? atque ad id, quod justum atque conveniens est, coërcet? Verum enimverò, unico duntaxat ictu, facillimo negotio, detruncabuntur omnes intricatissimæ quæstiones prædictæ, quæ adeò sollicitos tenent simplices, eosque, qui docti sunt; adeò turbatos. Cæterùm revera convenit, ut in eo principatu conservetur homo, in quo omnium aliorum animalium excedit conditionem, atque ipsimet sit similis Deo. Idque tam ex parte Dei, quam

ex parte hominis. Ex parte Dei, qui hoc pacto insigne potentiæ suæ specimen reddit, dum modum adinvenit vincendi invincibilem, & insuperabilem superandi; atque ex infinitis sapientiæ suæ thesauris, medium educit adeò stupendum, quo ad suum obsequium creaturam trahit rationalem. Ex parte hominis autem, qui cum possit resistere, debitæ nihilominus memor reverentiæ, spontaneè à Deo superari ac vinci se sinit. Ex parte Dei, qui liberalem se exhibet & magnificum, dum nil usurpans alienum, integram atque inviolatam conservat humanę naturę rectitudinem: Ex parte hominis autem, qui specimen dat suę devotionis, dum in gratuitum & voluntarium Deo holocaustum, offert, nobilissimum quod possidet, naturæ suæ cimeliū. Ex parte Dei, qui non obstante humani libertate arbitrii, per infinitam sapientiam suo semper modo procedit: Ex parte hominis autem, qui non obstante, quod nulla ratione violentetur à Deo, ultrò tamen in id condescendit, ut secundum Dei beneplacitum faciat. Ex parte Dei, quippe qui suam quoque obedientiam obtinet ab eo, qui potest non obedire; Ex parte hominis, utpote obedientis, cum possit repugnare. Ex parte Dei, qui meriti atque lucri suis creaturis subministrat materiam: Ex parte hominis, qui liberalitatis ac beneficentiæ campum longè latèque aperit. Ex parte Dei, qui se à seipso beatum manifestat, atque fœlicem, nulliusque rei indigum: Ex parte hominis, qui necessitate sua cognita, atque perspecta, omnem à Deo succursum expectat. Denique concludam cum sancto Augustino: *Legimus; non est potestas, nisi à Deo; non autem legimus, non est voluntas, nisi à Deo: & rectè non scriptum est, quia verum non est.* Lib. de spiritu & lit. cap. 31.

19. Nos interea, millenas Deo Domino, dicamus gratias, utpote, qui cum liberos nos fecerit, modum quoque adinvenit, nostram coërcendi libertatem, cupiditates frenandi; ac denique ligandi concupiscentias nostras. *Quis conclusit ostiis mare?* dicebat quondam apud Jobum, æternus Deus. *Circumdedi illud terminis meis; & vectem posui; & ostia: & dixi, hucusque venies; & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Cor impii, dicit Gregorius, verè mare quoddam est, secundum aliud quoddam Isaiæ oraculum: *Cor impii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Mare fluctuans, ob inconstantiam; ventosum, propter ambitionem; ob astutiam, profundum; sublevatum, propter superbiam; ob desperationem, depressum; à monstris habitatum, propter millena, quæ in eo committuntur peccata; ob varias tentationes, infestatum à latronibus; ab auris agitatum, ob mille infortunia; impeditum à scopulis, ob mille pericula. Verum enimverò, vidistisne aliquando, dilectissimi, mare, quando ad instar ferocis ac impavidi capitanei, ad tumultuosum furibundi seu procellosi venti strepitum, velut ad sonitum tympani, undas, fluctuumque

Rom. Job 38. v. 8.

quæ procellas, velut militarem exercitum, in aciem distribuens, easdemque terram versus ducens, eidem conflictum, seu martialem pugnam præsentare videtur? Quinam adeò terribiles erunt insultus, qui cum illo impetu comparari possint, qui nullam prorsus comparationem habet? Qui arietes, aut quæ tanti ponderis reperientur catapultæ, quibus, cum indomabili hac violentia aliquid intercedere possit? Quos conflictus, quantumvis ardentes, tremendo illi ac formidabili maris bello, coæquare valebis? Quinam adeò validi erunt clamores, ac vociferationes, qui cum tumultuosis hisce mugitibus, certare sufficiant? Quodnam adeò confusum jurgium, tumultuantibus illis comparabis undis? utique crederes, integras, paucis in momentis, solo æquandas civitates, provinciasque desolandas. Jurares, furiam illam, in totius terræ armatam esse communem perniciem: Futurum diceres, ut necipsimet, quantumvis alti & sublimes montes, remanerent securi: Et nihilominus, vis illa, quæ nullam sibi in mundo parem habet, ad primum littoris conspectum, omne robur suum deperdit. Potentia illa, quæ nullam sibi oppositam admittit resistentiam, mox ut ad arenosi vadi appellit confinia, impotens efficitur: Superbum illud ac implacabile monstrum, quod quodvis respuit præceptum Dei hic recognoscit tenero illi sabulo, inscriptum decretum, qui dicit: *Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Jam ergò à mari, ad cor transeatis humanum, ac dicite: Quî fieri potest, ut tam subitò, tot passionibus infestati pectoris, tranquilletur ac sedetur, tempestas? Qua ratione, rapidus atque effrænis, vehementis cujusdam, atque rebellis passionis, coerceri atque firmari potuit cursus? Quomodo accensæ cujusdam ac vehementis intentioris tumultus reconciliari? Quis liberi illius, ac licentiosi maris portas obstinavit? *Quis conclusit ostiis mare?* Moxque ex ore sancti Gregorii Papæ audieris responsum: *Meum est, quod fluctuanti cordi tuo terminum posui.* Tua profectò, ô Domine, est gloria ista, infamis cujusdam meretricis coërcuisse concupiscentias; impetuosum avidi cujusdam publicani stitisse cursum; sedasse tumultuantes desperati alicujus peccatoris procellas: *Quia nisi cordis fluctus, gratia divina retineret, tentationum procellis mare sæviens terram procul dubio humanæ mentis obrueret &c. Solus ergo Dominus ostiis mare conclusit, qui pravis motibus cordis, claustra inspiratæ formidinis obycit; & qui per inspiratæ charitatis fortitudinem, nascentia in corde vitia reprimit.* Greg. lib. 28. Moral.

20. Salomonem, obsecro, in sanctis canticis accedite, ibi namque capillos Christi, palmis assimilari comperietis: *Comæ capitis tui, sicut elatæ palmarum;* Capillos autem sponsæ, gregi caprarum comparari: *Capilli tui sicut greges caprarum.* Cant. 5. v. 5. O æterne Deus, quàm ingens est isthæc differentia! parùm refert, cogitationes humanas

fuisse sicut undas maris, nunc enim eædem sunt instar gregis caprarum, quæ per unius duntaxat pueri sibilum, in omnem se locum duci permittunt. Tibi, ô Domine, surdæ irati maris undæ, sunt veluti obedientes oviculæ; tuæ namque gratiæ inventionibus, sese omnis ultrò dedit superbia: omne fastidium cedit. Subjicitur omnis protervia, ideoque cogitationes tuæ, sunt sicut palmæ, hoc est, victoriosæ semper, & triumphatrices. Unde millenas tibi cum sancto Apostolo tuo reddemus gratias, quippe qui nobilissimis gratiæ tuæ inventionibus, nostram semper detriumphasti libertatem. *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu.*

PARS SECUNDA.

21. Postremum, quod in prædestinatione reperitur, prodigium, est, quod ipsa quidem certissima sit, & tamen nostram insuper requirat sollicitudinem. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Adeò certa est prædestinatio, sicut certum est, Deum decipi nequaquam posse, aut sicut certum est, ipsum, nil nisi verum cernere, aut denique sicut certum est, totum id fieri ad amussim, quicquid Deus decreuerit, unde sanctus Augustinus dixit, quod si prædestinatorum aliquis perire possit, sequitur certè delusum atque deceptum esse Deum, aut

Lib. de corrept. & grat. c. 7. ipsum à vitio superatum esse humano, utpote, cui gratia sua prospicere, aut providere non potuerit. *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Hoc sensu, secundum expositionem sancti Gregorij Papæ, dicta fuerunt illa verba Jobi: *Ipso concedente pacem, quis est qui condemnet?* Job 34. v. 29. Quod est idem cum eo, quod cum S. Augustino dicebamus: *Volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium.* Quis mirabiles modos illos explicare potest, quibus prædestinatorum negotium, ad bonos exitus perducit Deus? Quis raras illas diuinæ gratiæ inventiones valet intelligere, quibus tot inter contraria, peccatorum corda dilatat? Quis enumerare poterit mirabilia, in vestigiis decretorum Dei, suæque prædestinationis ordine occurrentia? vocationes prodigiosas? subitaneas conversiones? Pœnitentias resolutas? vitas extravagantes? Extraordinarias professiones? Opera prorsus inusitata? Inexpectatas mortes? Casus fœlices? Peccata, meritorum occasiones? Negligentias, fomenta fervoris? Dei offensas, amoris divini existentes pabula? Jacturas, ingentium causas lucrorum? Venenum, remedium, deque maiori veneno theriacam? *Nemo rapiet eas de manu mea.* O quantopere obligati estis ô prædestinati, paternæ illi providentiæ, quæ omni vos momento, coram oculis suis habet repositos! Quantum Deo vestro debetis, qui taliter vos tenet in potentissima manu sua, ut impossibile sit, ut aliqua vos inde vis eripiat! *Nemo rapiet eas*

de

de manu mea. Quam est sors vestra beata, siquidem cum securitate, & absque ullo prorsus dubio, tandem aliquando sortem possessuri estis beatorum! Ecquis enim tam ingentis fœlicitatis consecutionem impedire poterit? Non mundus, in quo non ut cives, sed velut hospites & advenæ conversamini; Non Dæmones, qui triumphorum vestrorum futuri sunt materia: Non caro, quæ una cum vitijs suis & concupiscentijs, crucifigetur à vobis: Non terræ huius bona, cuius à vobis generosè conculcabitur vanitas: Non denique voluntas vestra, quæ in omnibus & per omnia, secundum diuinę legis normam recta erit, *Nemo rapiet eas de manu mea*. Cadetis equidem, verùm pientissimè mox sublevabimini: peccabitis, sed peccatum vestrum, occasionem dabit incremento virtutum: viam amittetis Paradisi, mox tamen in eandem ritè reducemini; Debiti quidem vestri nonnunquam obliuiscemini, hæc tamen vos oblivio cautiores efficiet: Succumbetis aliquando in prælio, hæc tamen iactura, maioris vobis occasio erit triumphi. In summa: *Cœlum & terra transibunt*, ita loquitur Augustinus, *prædestinatorum autem salus, & iustificatio permanebit: in illis tantum opera Dei, in his autem est Imago Dei. Nemo rapiet eos de manu mea.*

Tract. 72. in Joan.

22. Ex hisce præmissis, nonnulli stultam aliquam, valdeque perniciosam eliciunt consequentiam. Potero ergo, dicunt eiusmodi, quodlibet facere, quod si enim prædestinatus fuero, fieri nequit aliter, quàm ut salver; si verò præscitus fuero, possibile non erit, ut unquam consequar salutem: Liber vitæ, mutari in æternum non potest, ideoque si in eo descriptus fuero, semper in eodem nomen meum conspicietur; Quod si in manu Dei collocatus fuero, à tam forti securoque quis me rapiet præsidio? *Nemo rapiet de manu mea.* Verum enimverò, argumento isthoc mediante, omnia tollerentur humana commercia, omnes leges, beneque gubernatarum rerumpublicarum statuta. Cur enim leges præscribuntur populis, si hi facere nequeant, præterquam id, quod prævidit Deus, sive leges observent, sive non observent easdem? Cur incipiuntur bella in mundo, si status mundi stare debeat in manu videntis illius, à quo omnia videntur, sive committantur conflictus, sive non? Cur mercator defatigatur, sulcando maria, suaque negotia tantis cum periculis prosequendo, si iam in cœlo determinatum sit lucrum, neque futurum sit aut esse poterit, maius, aut minus eo, quod divina cognovit providentia? Cur vineam tantis cum laboribus excolit infœlix agricola, si hæc nec acinum quidem producere possit supra id, quod in libris Dei æternis conscriptum habetur? Cur tam sollicita es, ô iuvencula, ut maritum, qui ad gustum plenamque satisfactionem tuam sit, assequaris, si illum, & non alium, habere debeas, qui de cœlo destinatus est tibi? Verum enimverò, quid hic de rebus humanis, hu-

iusq;

iusq; mundi Politicis loquor? Quodsi nos salutis nostræ non ingredimur negotium, ad quid Prophetæ ad mundum convertendum à Deo missi inservient? Quid angelorum iuvat custodia? Quid intercessiones Sanctorum boni adferunt? Quam utilitatem operabuntur iustorum pro nobis effusæ preces? An nescis Dæmones incomparabiliter plus nosse, quovis subtilissimo profundissimoque Theologo? Et tamen hi allatas rationes, nihili facientes, nos infestare minimè desinunt. Sed quid agitis ô infœlicissimi spiritus? Quodsi prædestinatus fuero, vanæ erunt tentationes vestræ, si verò præscitus, superfluæ. Quodsi in librum vitæ conscriptus fuero, profectò ne tota quidem potentia vestra, ad inde me delendum sufficiet: sin verò, cur tanta cum vehementia, meam quæritis damnationem, quæ adeò certa existit? Si decretum est, ut ego æternaliter vivam, vos quidquid libuerit facitote, nec tamen vitam mihi unquam auferre valebitis; si verò stabilitum sit, ut semper emoriar, cur illam mihi procuratis mortem, quæ absque etiam conatibus vestris me infallibiliter expectat? Agedum ergo, non sic loquuntur Dæmones, nec nostram procurare desinunt damnationem, quibusvis etiam possibilibus modis; norunt enim, quemlibet prædestinatum, sanctis virtuosisque mediantibus operibus salvari: omnem verò præscitum, similiter per suas iniquitates, atque demerita, disperdi ac destrui.

23. Desine ergo, ô Christiane, ab stulta isthac cogitatione, illamque sancti spiritus tubam, quæ magnum illud auribus tuis insonat oraculum, Philip. 2. v. 12.
diligenter ausculta: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Id quod in omnibus ferè totius scripturæ paginis inculcatur. Certa quidem est prædestinatio, veruntamen certum quoque est, in manu nostra, nostram consistere salutem, & quotquot illam perdunt, sua culpa eandem perdere. Prædestinavit Deus ter Opt. Max. electos suos ad gloriam, hæc tamen illis non nisi operum bonorum pretio comparanda venit, utpote, quam illis in iustam mercedem, non verò in donum duntaxat, merè gratuitum, dare decrevit; Ideòque multa opus est sollicitudine, continuoque timore, quippe cum de majori, quod Deus possidet, agatur bono, aut de majori, quod infligere Deus posset, malo. Cumque studio, & industria nostra, lucrari debeamus hoc, & fugere istud; vos ipsi videatis, quanta esse debeat diligentia nostra, ut securam nobis faciamus salutem æternam. Unde monebat Tertullianus, necessum Lib. de pœnit. cap. 4.
esse, ut non minor in nobis sit cura, nec minor timor, quàm sit ea, quæ nobis promissa est gloria, aut comminata damnatio, ne in re tanti ponderis, ac momenti, aut incurij simus, aut temerarij. *Cui temeritati declinandæ, aut liberalitati inuitandæ, tanta obsequij diligentia opus est, quanta sunt ipsa, quæ aut severitas comminatur, aut liberalitas pollicetur.* Adeoque cum præmium promissum,

missum, & comminatum supplicium sit infinitum, vult Tertullianus, ut etiam certo quodam modo finem nesciat timor noster, nostraque sollicitudo. *Cum timore & tremore, vestram salutem operamini.* Timor sanctus frænum est, à peccato coërcens, & medicina peccati; medium est ad gratiam acquirendam, ad non perdendam tuta est custodia; Magister est virtutum, vitiorumque destructor; concupiscentiarum est inimicus, & socius charitatis. Cui Petrus Blesensis, excellentissimum illud, simulque verissimum, perhibuit testimonium: *Hac in veritate frequenter expertus sum, nihil esse efficacius, ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si inveniatur quis coram Deo, omni tempore, non alta sapere, sed timere. Cum timore & tremore vestram salutem operamini.*

Philip. 2.

In cap. 1. Job.

24. Timendum est tibi, dicit Bernardus, cum habes gratiam; timendum, cum eandem deperdis; timendum, denique cum illam de novo recuperas: Cum habes gratiam, timere debes, quia existens in liberi arbitrii tui manibus, in continuo pariter existis periculo, illam amittendi: Cùm gratia cares, timere debes, cùm enim gratia tibi deest divina, omne quoque bonum tibi deest; timere denique debes, cum gratiam recuperas, supposita namque magna infirmitate tua, semper est, quòd recidivam formides. *Cum adest gratia, time, ne non dignè opereris ex ea. Quid si recesserit? Tunc multò magis timendum. Planè multò magis, quia ubi deficit gratia, deficis tu. Iam si gratia repropitiata redierit, multo amplius tunc timendum, ne fortè contingat recidivum pati.* Cave sis (per Deum vivum te obsecro) ne te in evidens constituas perdendæ salutis periculum, idque per nimiam de temetipso conceptam fiduciam, quam super omnia alia, quàm maximè suspectam habere, atque timere habes! Ne dicas, ego à peccato resurgam; faciam pœnitentiam; ad Deum convertar, unde recessi; gratiam recuperabo deperditam; in semitas me justitiæ recipiam; tandem à lethargo qui oppressum me tenet evigilabo; pravam superabo consuetudinem; passiones evincam; divinam implorabo misericordiam. Ne, inquam, hæc dicas, sed potius utere quodam sancti Augustini discursu, hoc videlicet: Certissimum est, Adamum à Deo creatum fuisse in gratia, idque adeò abundè, ut pauci eundem in ea adæquaverint; & tamen adeò bonus existens, bonum se conservare non potuit, nec sibi tot inter auxilia, suppetias ferre, neque tam forti munitus præsidio, sese defendit; quin potius, propria illum libertas in culpæ præcipitavit barathrum. Jam ergo ita inquit sanctus Augustinus, homo bonus, se bonum conservare non potuit, & homo jam malus factus, se bonum efficere confidet? audi obsecro, ô peccator, cum in gratia Dei esses, nescisti in eadem te gratia continuare; nunc ergo in Dei constitutus indignatione, gratiam amissam te recu-

Serm. 54. in Cant.

Lib. de pœnit. cap. 4.

Serm. 54. in Cant.

peraturum esse credes? Cum bonus esses, bonus perseverare non potuisti, & nunc bonum te facere poteris, cum sis malus? *Ploremus ante Dominum, qui fecit nos*, (sunt ipsissima Augustini verba) *ut perditos nos per nos, reficiat nos, qui fecit nos. Ecce bonus factus est homo, & per liberum arbitrium, factus est homo malus; Quomodo facturus est bonum hominem, malus homo? Per liberum arbitrium deserens Deum, servare se non potuit bonus, bonum; & facturus est se malus bonum? Cum esset bonus, non se servavit bonum, & cum sit malus, dicit homo, facio me bonum? Quid facis malus, qui periisti bonus, nisi reficiat te, qui permanet bonus? Cum timore & tremore vestram salutem operamini.*

Serm. 11. de verbis Apost.

25. Mellifluus Doctor S. Bernardus, continua premebatur cordis angustia, perpetuoque obnoxius erat mœrore, à quo liberari omninò non poterat: *Hinc mihi, fratres mei, tristitia magna, & dolor continuus est cordi meo.* Sed ecquod adeò acerbum Bernardo accidere potuit infortunium, quod tanta illum perstringeret mœstitia? Ratio doloris in hoc sanctissimo homine, est, quod multi adeò socorditer, ac incuriè vivant, tantaque cum temeritate res animæ tractent, ac si in sua gratiam Dei potestate habeant, & gratia, iam non gratia esset, sed debitum: *ut pertimescam, ne deserantur à gratia, quam non ut gratiam venerantur.* Dicite, sodes, advertistisne aliquando ad rationem, quam sanctus Paulus adfert, ob quam ingenti cum timore, in via Dei ambulandum nobis sit, *cum metu & tremore vestram salutem operamini? Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate*. quasi diceret: Considerate, quod negotium istud à Deo dependeat, fieri autem possit, ut vobis volentibus, ipse nolit, aut velit nolentibus vobis. An non meministis dicti illius, Saluatoris nostri: *Timete eum, qui potest & animam, & corpus, mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete?* Timete, ne timeatis, dicit S. Augustinus; Timete Deum, ut non timeatis id, quod Dei impedit servitium; timete Dominum, ne timeatis servum; timete pro salute æterna, ne timeatis pro temporali: *Admonent nos divina eloquia, timendo non timere, & non timendo timere. Advertistis Dominum nostrum, antequam pro nobis moreretur, firmos nos esse voluisse; sed admonendo ne timeremus: & admonendo ut timeremus. Ait enim, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Ecce ubi monuit ne timeremus. Sed eum inquit, timete, qui potestatem habet corpus & animam occidere in gehennam. Ergo timeamus, ut non timeamus: hoc est, prudenter timeamus, ne inaniter timeamus. Martyres sancti timendo non timuerunt, quia Deum timendò, homines contempserunt.* Ecce igitur, quomodo timendo discamus non timere, timendo vitæ æternæ jacturam, discamus nullum cujuscunque rei temporalis, timere detrimentum. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

Serm. de septem misericordiis.

Matth. 10. v. 28.

Serm. 10. ex 13. habitis et Carthus.

26. Admiratur vehementer sanctus Joannes Chrysostomus, Sathanam, invictissimo illi Jobi pectori, tantos

tantos machinatum esse labores, & afflictiones, cum illius servi Dei virtutem minimè ignoraret heroicam, utpote qui ab ipsomet Deo canonizatus fuerat. Quid tu à tali quodam homine, te obtenturum existimas, cui ipsemet Deus securus fidebat? Si Deus pervidens corda, futurosque eventus prospiciens, illum exponit certamini, quomodo tu persuadere tibi poteris, vincere eum posse, qui divino judicio invincibilis existit? Credisne: Deum illum tibi in manus fuisse daturum, nisi certus de valore ejus fuisset? Verùm, respondet Chrysostomus, Dæmon de salute nostra nunquam desperat, nunquam de casu nostro futuro diffidit, quoadusque in hoc militari campo, heroicis insultibus stamus expositi, tantaque infirmitate ac debilitate circumdati. *Mecum ipse plerumque admirari soleo, quare in mentem venit diabolo, exercitationes ipsius non ignoranti: tot tantosque adversus Iob cogitasse labores?* Verum quid est, quod tantam Sathanæ suggessit fiduciam? *Truculentissima certè bestia, nunquam solet desperare victoriam, quod damnationem nostram spectet, nam ille nunquam nostram desperat perditionem.* Itane? Ergo sathanas, de futuro casu nostro, nunquam desperat, & nos securi erimus, quòd nunquam cademus? Ipse donec homo spiraverit, laqueos tendet; nos verò ad ultimam usque vitæ periodum, socordes stabimus & otiosi? Ipse semper, ut ad perditionem inducat, erit sollicitus; nos autem nequaquam solliciti erimus, ut faciamus, quod

Hom. 10. in Matt.

possimus, ne perdamur? Audi nonnihil Bernardum, ac tum demum, si timorem deponere potueris, per me, ne timeas, licet: *De quantis legimus in vitis Patrum, viris potentibus, in vigiliis, in ieiuniis, in laboribus supra modum humanum, imò & in miraculis coruscantibus, quod ceciderunt, quia non perseveraverunt?* An non meministis, Dæmonem à Christo Redemptore nostro, in parabola de semine, appellari hominem? *Inimicus homo hoc fecit.* Quid ab homine remotius est Dæmone? Homo corporeus est, dæmon purus spiritus: Homo mortalis, dæmon à morte securus: Homo sui per viam generationis propagator; Dæmon à Deo immediatè creatus: Homo erroribus subjectus; Dæmon verò purissima, syncerissimaque præditus est intelligentia: Homo in suis propositis mutabilis, dæmon verò pertinacissimus, & inflexibilis. Qua ratione ergo is homo appellatur? *Inimicus homo.* Memini, quod ad aliud nuper propositum, Hugonis Cardinalis ad hoc attulerim responsum, videlicet: quòd *Dæmon dicitur homo, à devicto homine, sicut Scipio Africanus, ab Africa devicta.* Tot tantasque dæmon reportavit victorias, ut ab homine victo, appelletur homo, sicut ab Africa superata, Scipio Africanus dicitur. Quis igitur cum fortissimo hoc astutissimoque inimico pugnaturus, certamen perdere non timeat? si consideret, coram illo victos tot alios cecidisse, qui tam erant à jactura remoti, adeoque de victoriis securi? *Cum metu ergo, & tremore*

Lib. de Passione Dom. c. 14.

Matth. 13. v. 28.

tremore vestram salutem operamini; tum quia salus vestra, ab humano dependet arbitrio; quod adeò est mutabile; tum quia à Deo dependet, cujus judicia tantopere tremenda existunt; tum denique, quia infestatur à sathana, cujus potentia nunquam desperat victoriam.

27. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Salvi enim eritis, si timidi fueritis, si verò timorem perdideritis, ipsam quoque perdetis salutem. Cum timore Rex David salutem conjunxit, quando dixit: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Videte, dicit sanctus Ambrosius quomodo pariter, ac simul incedant, timor Dei, divinorumque præceptorum custodia! *Timentium, & custodientium. Ergo eius est custodire, qui timet: qui ergo timet, custodit.* Et Tertullianus concludit, timorem fundamentum esse salutis: *Timor fundamentum est salutis, præsumptio impedimentum timoris.* Duo Christus hodie in ovibus suis prædestinationis signa ponit, audire & sequi; audire vocem pastoris, ejusdemque prosequi vestigia. *Vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Ambo illa Dei parturit timor: Audire quidem, quia sapiens docet, quod *qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius*: Sequi autem, quia *qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis*, inquit David. Concludo igitur, timorem Domini, aliquod statuere posse prædestinationis certissimum signum, nosque cum Sapiente, nostrum sapienter concludere posse discursum, dicendo: *Timenti Dominum, bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.*

Psal. 118. v. 63. S. Amb. in Psal. 118. Eccli. 1. v. 18. Psal. 111. v. 1. Eccli. 1. v. 13.

CONCIO XXXII.

In Feriam V. post Domin. Passionis.

THEMA.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Lucæ 7. v. 47.

ARGUMENTUM.

Maria Magdalena est novus quidam gratiarum mundus, in quo

in quo tria, à quibus Deus author illius magnopere commendatur, considerantur; videlicet: Quid sit? Quomodo sit? ac denique in quem finem factus sit?

SUMMARIUM CONCIONIS.

Sicut mundus Dei gloriam magnifice deprædicat: ita & Magdalena, quæ novus mundus dicitur. Paralleli inter mundum & S. Mariam Magdalenam num. 1.

Encomiorum magni mundi, pleni sunt libri: Ita & de Magdalena. num. 2.

Synopsis Concionis. ibid.

Punctum Primum. *Mundus est clarum quoddam atque evidens divinæ potentiæ testimonium: Quod à fortiori verum est de Magdalena. Eius virtutes describuntur summariè.* num. 3.

Mare fuit Magdalena propter vitia quibus scatebat: sed hoc mare vertit Deus in aridam. num. 4.

Non solum hoc mare conversum est in solum, imò & in cœlum. Locus Exodi hîc adaptatus. num. 5.

Hoc sensu intelligit Hieronymus verba Prophetæ: Adiutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram. num. 6.

Ad hoc cœlum scilicet Magdalenam veniebant sæpè angeli. Comparatio Magdalenæ cum cœlo. num. 7.

Mundus est universitas perfecta, ait Gerson, quòd Magdalenæ optimè convenit quia dilexit multum. num. 8.

Quicquid dictatum à natura, aut à lege insinuatum, aut ab Evangelio propositum, id totum unico verbo concluditur. Dilige. num. 9.

Magdalena multa haud dubiè transgressa fuerat præcepta: tamen pro omnibus mandatis, dilectio satisfacit. Ibidem.

Omnia sunt licita cum charitate. Dilige, & quod vis, fac. Scite Augustinus. num. 10.

Laudatur Charitas: Et clamatis: Si cum commemoratur talis est; cum habetur, qualis est? Augustinus. num. 11.

Nihil maius dici potest de Magdalena, quam quod dilexit multum. Multa hic de charitate adglomerantur. num. 12. & 13.

Quomodo sit noster mundus spiritualis, scilicet Magdalena expenditur. Ad hoc flexa Iobi verba. num. 14. Punctum Secũdum.

Nihil Magdalenæ exprimitur his verbis: Mulier erat in civitate peccatrix. Ibidem.

Sicut in agricultura arbores meliorantur per hortulani curam: Ita in spiritualibus accidit. num. 15.

Facit Deus de vulnere medicamentum. num. 16.

Conqueritur Deus, quod nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Quæ duo verba optimè ponderantur, & Magdalenæ applicantur. num. 17.

Iobi quæstioni: super quo bases terræ solidatæ sunt? Respondet Propheta: super

mariafundavit eum; Quod Magdalenæ congruit, quæ super lachrymas fundata est, nu. 18. & 19.

Ninive civitas, quæ peccato periit, fletibus stetit. Hieron. *Et de Magdalena dicitur: lachrymis cœpit rigare pedes eius.* num. 20.

Quantam habeant efficaciam lachrymæ hîc & superius exprimitur. Sathanas tolerabilius sustinet flammam suam, quam lachrymam nostram. ait Petrus Blelensis. num. 21.

Punctum Tertium. *Ad quid constitutus sit mundus considerandum est*; ait Bernardus. *Duplex mundi constitutionis finis, scil. gloria Dei, & utilitas nostra. Sic & de Magdalena dicere debemus. Isaias huc flexus.* num. 22. & 23.

Verba Christi de Lazaro: Infirmitas hæc non est ad mortem, &c. possunt Magdalenæ applicari, ait Rupertus. num. 24.

Ad utilitatem hominis factus est mundus, sic & de Magdalena. num. 25.

Fatetur anima peccatrix turpitudinem suam, cum dicit: Nigra sum; sed postea ex donis pœnitentiæ eius, obstupescunt angeli dicentes: Quæ est ista quæ ascendit dealbata delitiis affluens? num. 26.

In manus Dei semper incidendum. Verba Psalmi producta. num. 27.

1. MUndus iste, tam stupendo cum artificio velut rari cuiusdam Magisterij opus, fabricatus, immortalem Dei gloriam magnificè deprædicat; Simili quoque ratione, Maria Magdalena gloriam Christi divulgat utpote, quæ, ex mente Hugonis Cardinalis, novus quidam variorum prodigiorum est mundus, per infinitam increatæ sapientiæ artem formatus. Mundus hic à Deo productus est, ut habitatio esset, atque Palatium hominis, qui flos est omnium creatarum substantiarum elegantissimus: Facta est Maria Magdalena, ut dignum quoddam esset habitaculum, in quo ipsemet habitaret Creator. Mundus, secundum Latinos, nomen suum à munditie traxit; secundum Græcos autem, ab elegantia, & pulchritudine, utpote, qui est veluti quædam omniũ gratiosarũ pretiosarumq; rerũ gaza: Tot tamque prodigiosis elegantiis spiritualibus, exornata est Magdalena, ut ipsum quoque cœlum in sui traxerit desiderium. Mundus ab infœcundo nihili utero productus est: è sterili peccati gremio egressa Magdalena. Mundus quidam est divinæ liberalitatis atque munificentiæ effectus: Magdalena quoddam divinæ pietatis & misericordiæ est opus. Mundus est scena quædam beneficiorum naturæ: Magdalena theatrum est favorum gratiæ. Mundus tot tantarumque scientiarum, quæ in scholis quotidie inveniuntur à doctis, eximium est obiectum: Magdalena subiectum est tot encomiorum, quot sacri Doctores in suis congesserunt voluminibus. Mundus est quidam simplicium idiotarum Magister, utpote qui tot inter mundi beneficia, ingrati esse nequeunt: Magdalena doctrix est ignorantium, qui inter tot charitatis flammas, frigidi remanere non possunt. Mundus quidam est stimulus, ad in-

Lib. 1. de sacram. p. 1. c. 13.

tactam servandam pulcherrimam innocentiæ vestem: Magdalena efficax quoddam est, ad recurrendum ad potentissima pœnitentiæ remedia, incitamentum.

2. Encomiorum materialis mundi huius, pleni sunt sapientum libri, dum quidam eius admirantur pulchritudinem; aliqui varietatem; proportionem alii; nonnulli venustatem ordinis; alii denique tot creaturarum vtilitatem. Ego verò in mystico hoc mundo, quem præ manibus habemus, ducatum hodie sequar S. Bernardi docentis, in maxima hac mundi machina, tria potissimùm consideranda esse, videlicet; quid sit, quomodo sit, & quo fine sit. *Tria in magno huiusmodi opere cogitare debemus videlicet, quid sit, quomodo sit, & ad quid sit constitutus.* Tria inquam hæc similiter, & cum certa quadam proportione, in gloriosæ huius pœnitentis mystico mundo videbimus, iis namque explicatis, cum regio Propheta cogemur dicere: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.*

Serm. 3. de Pentec.

Ps. 138. v. 14.

3. Et primo quidem, quid est hic mundus? Clarum quoddam atque evidens est divinæ potentiæ testimonium, respondet Bernardus. *Et in esse quidem rerum, inæstimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata.* Columna quædam, dicit mihi Philo Hebræus, infinitæ Dei potentiæ erecta. Equidem, qui ea, quæ à Christo in sancta hac peccatrice facta fuerunt, magnalia videre vellet, amplum haud dubiè, infinitam illius potentiam commendandi, campum haberet, admirandique illam adeò vivam fidem, quæ ipsam docebat, Deum in amictu ac tegumento carnis nostræ probè agnoscere: Illum adeò resolutum fervorem, qui ipsam absque ullo famulitio, comitatu, aut societate, in domum Pharisæi adegit: Illam adeò raram fortitudinem, quæ ipsam ad illud pepulit convivium, à quo ipsam tot & tanta removere poterant: Illam adeò discretam prudentiam, cuius se ductu, post Redemptoris nostri tergum statuebat, ut inde in oculorum suorum divinorum vocaretur conspectum: Illam humilitatem adeò profundam, quæ illam ad pedes illos cœlestes, unde vitam sperabat, prostravit: Illam adeò singularem fiduciam, qua confidebat, futurum fore, ut absque ullius prolatione verbi, innumerabilem culparum impetrare posset veniam: Illas adeò copiosas lachrymas, quæ copiosum sufficiebant instaurare balneum, inurbanitatis Pharisaicæ supplementum: Illa tam pretiosa unguenta, mirabili vicissitudine, ab immundæ carnis obsequio, ad Regis mundi huius servitutem commutata atque conversa: Illa adeò nova ac inaudita benevolentiæ signa, quæ ipsiusmet Christi laudibus, accommendatione fuêre digna. An non vobis ingens quædam esse videbitur potentia, posse in unico quodam momento, fragilem quandam Tartari stipulam, in altam convertere cedrum Libani, deformemque inferni titionem, in quandam transire firmamenti splendidis-

Primum punctum.

Lib. de opificio mundi.

didissimam stellam? *Stipula Tartari* (ita Cardinalis Petrus Damiani loquitur) *Cedrus facta est Paradisi, atque, ut ita fatear, torris inferni, factus est splendidum sidus cœli.* Talis, tamque magna mutatio, absque omnipotentis manus Dei opera, esse non potest, utpote, quæ unico in momento, hircos mutare valet in agnellos; virgines stultas, in prudentes: vasa contumeliæ, in vasa honoris. *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Atque hæc erat mutatio illa, quam magnus ille Nolæ Pontifex Paulinus, in duobus consortibus Apro & Amanda admirabatur, qui ad veracis Dei fidem conversi, Angelorum potius, quàm hominum cœperunt ducere vitam: *Ecce ijdem coniuges, qui fuistis, sed non ita coniuges, ut fuistis: estis ipsi, & non estis ipsi, & sicut Christum, ita & vosmetipsos, iam non secundum carnem nostis. Hæc mutatio dexteræ excelsi, quæ in se manens, omnia innovat, & convertit mare in aridam.*

Serm. de S. Bonifacio.

Epist. 32. ad Aprum.

4. Et meritò profectò mare dicitur Maria Magdalena, utpote, in quo tot naufragati sunt incauti juvenes: Mare, ob rapacitatem; nunquam enim recipiendo satiantur avaræ illæ Harpyiæ. Mare amaritudine plenum; quis enim nescit, in quam amaros, delitiæ sensuales, fines desinant? Mare ob serenitates insidiosas; quæ incautos, ad mille evidentium periculorum alliciunt genera, atque in ipsam denique mortem præcipitant. Mare, ob infinitarum passionum inordinatarum motus, quibus sensuales subjecti sunt homines: Mare, quod surdum est, & insurdescere facit; surdum est, ad voces cœlestes, atque insurdescere facit aures, divinis inspirationibus attentas. Verùm enimverò, quænam unquam potentia, exsiccare valeat aquas maris, atque efficere, ut ubi hactenus mare fuit, deinceps floridus quidam vernansque videatur campus, nisi illa, quæ Dei est, de qua scriptum est: *Qui convertit mare in aridam, & qui conturbat profundum maris?* *Fundum maris, est cor impiorum*, juxta quod interpretatur sanctus Augustinus, qui ad infinitæ potentiæ divinæ commendationem, sequentia verba subjungit: *Fundum conturbavit, ut fundum exhauriret. Nam in malis quibusdam, exhausit mare à fundo, & posuit mare desertum: Dicit illud alius Psalmus: Qui convertit mare in aridam. Omnes impij mare erant terra, facti sunt, salsis fluentibus primo steriles, postea iustitiæ fructu fœcundi.* Ubi jam in Magdalena sunt furiosæ illæ, spumantesq; inconcinnatum passionum undæ? Ubi venti inconstantiæ? Ubi obstinationis scopuli? Ubi otiositatis atque socordiæ malatiæ? Ubi mirabiles superbarum cogitationum elationes? Ubi profundissimæ illæ astutiarum mundanarum voragines? Jam manus Dei hoc mare siccavit, illudque in pulcherrimum Domini hortum convertit: *Qui ponit mare in aridam, & qui conturbat profundum maris*, per infinitam potentiam suam, magnam isthanc operatus est metamorphosin: *Fundum conturbavit, ut fundum exhauriret.* Quot sunt in mari mon-

Ps. 65. 74.

Aug. in Ps. 54.

monstra? Ecquis dinumerare illa poterit? Quot peccata fuêre in Maria Magdalena? *De qua Dominus septem Dæmonia eiecerat*, dicit sanctus Evangelista Marcus; Et Gregorius optimè, pro scripturarum divinarum solito more, per septenarium omnem numerum intellexit. *Quia enim omne tempus, septem diebus comprehenditur, rectè septenario numero universitas figuratur. Septem ergo Dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit.* Plena erat dæmonis, erat accumulata peccatis, mare quoddam erat immensum, in quo omnigena morabantur passionum monstra; conturbavit autem Dominus mare istud, idemque omninò evacuavit, & sicut Gofredus Cardinalis S. Priscæ dicit: *Quæ prius fuerat possessio dæmonum, gratia spiritus sancti tota repletur.* Ecce mare conturbatum, & evacuatum. Ecce mare, divina gratia exsiccatum, quodque eadem mediante, in pulcherrimum, multarum virtutum, transiit viridarium: *Fundum conturbavit, ut fundum exhauriret.*

Marci 16. 19.

Hom. 33. in Evang.

Serm. de S. M. Magdalena.

5. Veruntamen parum ei fuit, mare in terram transmutare, cui difficile non fuit terram convertere in cœlum. Atque hoc fuit prodigium istud, quod Moyses, una cum septuaginta senioribus consiliariis vidit, quando sub ipsius Dei pedibus, scabellum vidit ex sapphyro, imò ex ipsomet cœlo fabricatum: *viderunt Dominum Israel, & sub pedibus eius, quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cœlum, cum serenum est.* Ubi septuaginta Interpretes legunt: *quasi opus lateris Sapphirini*; In quem locum, Rabbi Salomon dicere non veretur, Prophetam alludere ad lapides, quos Hebræi in Ægypto formabant, quique sub Dei pedibus, in pretiosas convertebantur gemmas, imò in ipsummet cœlum: *Et sub pedibus eius, quasi opus lateris Sapphirini; & quasi cœlum cum serenum est.* Ecce vobis, dilectissimi, Mariam Magdalenam quondam immundum cœnum, ob infamiam; terram quondam ignobilem, ob abjectas nimium illius cogitationes; sordidam hactenus, atque fœtentem meretricem, ob magnam illius incontinentiam, conversam nunc ad pedes dominicos, in pretiosum Sapphirum, lapidem videlicet, qui ab Abulensi, *gemma gemmarum* appellatur; imò in ipsiusmet cœli transmutatam pulchritudinem: *Stans retrò secus pedes eius: sub pedibus eius, quasi cœlum cum serenum est*: Ecce completam promissionem, à benedicto Patre suo factam Christo, de subjiciendis videlicet, ad instar scabelli, inimicis ejus: *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Non ad perditionem,* explicat Origenes, *sed ad salutem*; in emolumentum peccatorum, non ad supplicium; ad exaltationem, non ad humiliationem. O ingens manuum tuarum potentia! O omnipotens Deus! Peccatores, Inferni quondam torres, à te in cœli commutabuntur pulchritudinem, digni efficientur Majestatis tuæ thronus, sub pedibus habebis eos, ut exalteris, & glorificeris ab illis! Adeò ex divina gratia tua fient gratiosi, ut quoad sui Majestatem

Exod. 24. v. 10.

Psal. 109. v. 2.

Hom. 25. in Matth.

ac pulchritudinem, nec ipsis quidem cessuri sint cœlis.

Ps.123.v.8. 6. Hoc sensu sanctus Hieronymus illum Psalmi locum intellexit: *Adiutorium nostrum, in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* quasi diceret: Maximam profectò, in potentissimo Dei adjutorio confidendi, occasionem habemus, utpote, qui ipsammet quoque terram, in cœlum convertere possit: *Paulus terra erat, & cœlum* Hieron.in Ps.129. *factus est*, inquit Hieronymus. Hoc erat illud Abacuc prophetæ prodi- Abacuc. 3. v.5. gium, quando dicebat: *Domine, consideravi opera tua, & expavi.* Sed quid obsecro vidit, dum hæc diceret? *Egredietur Diabolus ante pedes eius.* Coram pedibus tuis Sathanas, à peccatorum pelletur mentibus, atque ex inferno, qui mille antea dæmoniorum erat hospitium, Paradisus fiet delitiarum. *En secus pedes corporeos iacens, audit peccatrix, remittuntur tibi peccata tua*, dicit gloriosissimus Bernardus, *& recognoscit eum, de quo legerat: Egredietur diabolus ante pedes eius.* Videte, & notate hic, ubinam inaudita hactenus patrentur mirabilia? Ubinam terra convertatur in cœlum? Ubinam cubile dæmonum, ipsiusmet Dei fiat hospitium. Atque hæc, uti ego equidem credo, est ratio, cur ab illo temporis puncto, Maria Magdalena deinceps semper, horum sacratissimorum pedum requisiverit mansionem: In domo sua *secus pedes Domini audiebat verbum illius*: Mortuo Lazaro fratre suo, *cecidit ad pedes eius*: post resurrectionem Domini, una cum aliis sanctis matronis *tenuerunt pedes eius, & adoraverunt eum.* Sed cur ad pedes Domini semper se recipit? Quia ad Christi pedes, pulsa erant septem dæmonia: *De qua septem dæmonia eiecerat Dominus.* Ad pedes Domini, tot tantarumque culparum remissionem acceperat: ad Domini pedes, ex turpissimo obscurissimoque inferno in pulcherrimum lucidissimumque commutata erat cœlum; unde ad exaltandam Christi potentiam, receptorumque beneficiorum magnificationem, optimè dicere poterat: *Nigra sum, sed formosa:* Cant.1. v.4. In quem locum divinè dixit Ambrosius: *Præmisit nigram, ut augeret de-* Serm.18. in Ps.118. *corem &c. nigra sum superiore peccato, sed decora confessione peccati.* Nigra sum, nec tamen ideò minus pulchra: Nigra ex peccato præterito, pulchra ex præsenti gratia; Nigra per concupiscentiam, pulchra per charitatem: Nigra ex culpæ vulneribus, pulchra ex culpæ confessionibus; Nigra, quia hactenus infernus quidam fui; quia tamen nunc cœlum facta sum, sum quoque facta pulchra: *Præmisit nigram, ut augeret decorem; nigra sum superiore peccato, sed decora confessione peccati.*

7. O pulcherrimum, gratiosissimumque, tantæ elegantiæ cœlum, ad quod, cum nullum in terra dignum haberet theatrum, ex Paradiso continuò veniebant Angeli, ad illud ipsum in desertis Massiliensibus contemplandum! Imò plus dicam, tam admirabile, ut quotidie ad gloriæ portaretur cœlum, ut gloriosorum illorum civium, per hoc accre-

Job.15. v.5. sceret gloria: *Suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quòd altior te sit*, dicam cum Eliu, apud Jobum; Considera, & obstupesce, cœlum illud benedictum S. inquam M. Magdalenam, tale namque cœlum est ipsa, quod omnem tuam laudem devincat, omnemque tuum, quantumvis sublimem, transcendat conceptum. Hæc est ille Majestate plenus, regiusque Dei Opt. Max. thronus, de cujus magnificentia, illius commendatur Majestas; Qui generosis, sonorisque vocibus, sine intermissione suam prædicat gloriam, sublimeque atque excelsum nomen suum, per omnia mundi divulgat confinia. Verùm ehem quid dico? Incomparabiliter majus est mysticum hocce novumque cœlum, præ cœlo illo materiali, & antiquo, quod omnia hæc cingit, & ambit sublunaria. Hoc namque naturæ opus est, illud verò gratiæ; hoc pedum divinorum scabellum; illud pedum Christi regium solium; Hoc fabricatum ex aquis, illud formatum ex lachrymis; hoc magnificum est terræ tectum, illud pomposum atque venustum est Ecclesiæ ornamentum: hoc ab assistentibus motum intelligentiis; Illud septies in die portatum ab angelis: Hoc instar æris durissimi solidum, illud solidissimi adamantis instar stabile & inflexibile. Hoc stellis ornatum & planetis, illud virtutibus decorum & prærogativis; Hoc annorum, temporumque mensura existit, illud quoddam est æternitatis horologium; hoc bonis optimisque plenum est influentiis, illud raris stupendisque accumulatum est exemplis; Hoc coloris velut pater quidam est, illud fons amoris; hoc separat aquas ab aquis, superiores nimirùm, ab inferioribus, illud affectus dividit ab affectibus, modernos, ab antiquis, cœlestes, à terrenis, spirituales, à carnalibus. *Suspice cœlum, & intuere æthera, quod altior te sit. Ausim dicere*, ita mihi cum Tertulliano audacter liceat dicere, *ausim dicere, si hæc carni non accidissent, gratia Dei benefica vacavisset.* Lib. de Resurr. carnis. Quodsi hæc carni non accidissent infortunia, vacans & otiosa fuisset divina gratia. Ipsa namque, tunc, casta quidem futura, non tamen cœlum effecta fuisset, fructibus gavisura fuisset innocentiæ, eidem tamen thesauri defuissent pœnitentiæ: nullam quidem Deo Opt. Max. attulisset indignationis occasionem, sed neque eidem gloriæ alicujus dedisset materiam. In summa *si hæc carni non accidissent, gratia Dei benefica vacavisset.* Quodsi igitur mundus columna quædam est, divinæ erecta potentiæ, meritò simili titulo Mariam Magdalenam appellavimus, utpote quæ Dei omnipotentia, ex titione Tartari, stella facta est firmamenti; ex mari procelloso, delitiosus hortus; ex vilissima terra, & sordido luto, cœlum splendidissimum, ut proinde repetere cogamur, ac dicere: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.*

8. Verum enimverò, quia prædicta mundi definitio est extrinseca, & plurimis creatoris operibus communis, utpote, in quibus illius quo-

que resplendet potentia, videamus, an illa mundi definitio, Mariæ Magdalenæ conveniat, quam docti tradunt, ab essentia & natura eiusdem mundi desumptam. *Mundus est universitas perfecta*, ut dicit Parisiensis Cancellarius Gerson, Philosophorum principis insequens vestigia. Ut autem hanc definitionem in ea exactissimam esse declarem, quoad me, sufficit illud de ea dicere, quod Christus dixit Redemptor noster, *Dilexit multum.* Quod si enim dilexit multum, certe omnes gratias, cunctosque cœli favores, in perfectissimo, eminentissimoque gradu habuit. An non meministis textus illius S. Pauli Apostoli: *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis?* Id quod per hanc glossam suam mire exposuit S. Chrysostomus: *Est vinculum perfectionis, id est, complexus, & comprehensio eorum, quæ perfectionem faciunt.* Estque hoc totum conforme admodum illi, quod idemmet Paulus Romanis scripsit: *Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges.* Tota lex, Evangelium totum, universa præcepta, omnia consilia, omnia monita, omnes disciplinæ cœlestes, in unico hoc verbo comprehenduntur: *Diliges*, quia *plenitudo legis est dilectio.* Et prout Tertullianus dicebat: *Totam Creatoris disciplinam, principali eius præcepto conclusit, Diliges.* Et S. Ambrosius, in ea oratione funebri, quam de Theodosio Imperatore peroravit, dicit: quod dum justissimus hic Princeps cœlum ingrederetur, is ab angelis vehementer obstupescentibus (eò quod id, quod raro adeo videtur, conspicerent, videlicet Principem aliquem sanctum, beatas illas ingredientem mansiones) hisce verbis interrogatus fuerit: *Quid fecisti?* quasi dicerent, Quomodo cœlum ingressus es, quò adeo pauci tui similes pedem inferunt? Quid faciendo, tot peccandi occasiones, quibus temporales Domini abundare solent, declinare potuisti? Quod est illud adeo dignum opus, quo amplam adeo promeritus es mercedem? Cui duci obsequens, efficere potuisti, ne intricatas illas fallacesque perfectionis amitteres semitas? Dicitque S. Ambrosius, optimum hunc Imperatorem, respondisse angelis, eisdemque omnem dedisse satisfactionem brevi hac pronuntiata sententia: *Dilexi, hoc est, præceptum implevi Evangelium servavi.* Amavi, & hoc solum faciendo, legem plenissime servavi, & Christi custodivi Evangelium; atque charitate media, totam, brevi compendio, Christianam complexus sum perfectionem. *Super omnia charitatem habete; quod est, vinculum perfectionis.*

Gerson Tom. 4. Arist. lib. de mũdo.

Coloss. 3. v. 14.

Rom. 13. v. 9.

Lib. 5 adversus Marcionẽ cap. 10.

9. Hæc erat Doctrina, à S. Paulo, uti iam dictum est, tradita videlicet: omnia Domini præcepta, in unico isthoc verbo recapitulata, atque in compendium esse redacta: *Diliges.* vultque dicere, quicquid præceptum, aut dictatum est à natura, aut à lege insinuatum, aut ab Evangelio propositum, aut inculcatum ab Ecclesia, id totum in unico hoc verbo concluditur; *Diliges. Instauratur*, idem significat,

car, quod renovatur, reparatur, reformatur. Multa haud dubiè Maria Magdalena transgressa fuerat præcepta, & fortasse omnia; *tamen pro omnibus mandatis*, inquit S. Ambrosius, *Dilecto satisfacit.* Id quod Augustinus, quoque advertit, scribens in illud Psalmi, *Et opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.* Primò in plurali numero dicit: *Opera manuum nostrarum*; posteà in numero singulari. Dirige opera nostra, & dirige opus nostrum. Sed quid hæc talis subindicat varietas? Quænam sunt isthæc opera? Et opus illud quodnam est? Dicet hoc ipsum valde excellenter Augustinus: *Audi: id mihi habere videtur sententia, quod omnia bona nostra, unum opus est charitatis.* Sola charitas, est omnia opera nostra. Charitatem habeto, & omnia habes; Observato charitatem, & omnia præcepta observabis. Quod coincidit cum eo, quod docebat S. Gregorius, quando dixit: *Præcepta Dominica, & multa sunt, & unum: multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis.* Ergo *si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur.* S. Ambrosius legit: *Consummatur:* Et S. Augustinus *recapitulatur.* Quippe cum charitatis quædam sit omnium præceptorum summa, omniumque obligationum nostrarum compendium. Ideoque verè, uti devotissimus affirmabat Bernardus: *Charitas est lex vitæ, disciplina morum, pax conviventium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, sacræ scripturæ compendium, præceptorum Dei consummatio, virtutum virtus, & bonorum impletio meritorum. Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur.* Dilige.

Ambr. in Epist. Pauli.

in Ps. 89.

Hom. 19. in Evang.

Opusc. de charitate c. 12.

10. Etenim quid existimatis S. Augustinum aliud dicere voluisse, quando faciendi quicquid luberet, liberam dabat facultatem, ea tamen cum conditione, ut totum in societate fieret charitatis? *Dilige & quod vis fac,* quam charitatem radicem, unde nil, præter fructus bonos, aliud progerminare potest? unde negotiator ille, qui bonas sibi moliebatur comparare margaritas, vna illarum inventa, dedit omnia sua vt compararet illā. Verum inquit Augustin. Qua ratione ei, qui multas inquirebat, vna duntaxat sufficit? *Inventa vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparavit eam.* Et respondet S. Doctor: quod pretiosa isthæc margarita, sit charitas, quæ sola pretium continet margaritarum omnium, id est, cunctarum virtutum: *Hæc est charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris, quam si solam habeas, sufficit tibi.* Hæc est lex illa multiplex, de qua ex mente S. Gregorii, Job loquebatur, cum diceret: *Vtinam Deus ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex sit lex eius! Quid hoc loco* (inquit S. Doctor, *Dei lex accipi, nisi charitas, debet? Quæ multiplex dicitur, quia studiosa sollicitudine, ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quæ à duobus quidem præceptis incipit, sed se ad innumera extendit.* Unde merito Ambrosius charitatem, *præceptum præceptorum* appellavit, eo ferè modo, quo pars templi sacratissima, appellabatur

Tract. 5. in Epist. Joan.

August. loco cit.

Job 11. v. 6.

Lib. 10. moraliū.

Serm. 5. in Ps. 118.

sancta Sanctorum. Itaque non usurpatoriè dixerim, sed verè, quia sicut sunt sancta sanctorum, ita præceptum est præceptorum. Unde S. Hieronymus ingeniosè notavit Apostolum, dum Spiritus sancti enumeraret fructus, primo loco charitatem statuisse, veluti eam, quæ universarum virtutum, gratiarumque spiritualium, basis est, ac fundamentum. *Fructus autem spiritus, est charitas. Et quæ alia, inter fructus spiritus,* inquit Hieronymus, *debuit tenere primatum, nisi charitas, sine qua virtutes cæteræ, non reputantur esse virtutes, & ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt? Siquidem & in lege, & in Evangelio ipsa obtinet principatum.* Quodsi ergo omnem charitas complectitur perfectionem, si summa quædam est præceptorum omnium, si omnium donorum Spiritus sancti quædam radix est, certè eo ipso dum veritas ipsamet, hoc de illa testimonium perhibet, quòd videlicet *dilexerit multum,* fortunatissimam hancce peccatricem, meritò vocare hoc nomine potero, videlicet: *Universitas perfecta.* Mundus miraculosus, omnium imaginabilium perfectionum plenissimus,

In cap. 6. ad Galat.

11. O charam, amatamque admodum charitatem, cujus vel nomen solùm, adeò dulce existit, ut etiam durissima quævis valeat emollire corda! Id quod ex sequenti facto demonstro: Prædicabat enim quondam ad populum suum sanctus Augustinus, totumque se charitati laudandæ impendebat, idque haud dubiè, multò cum ardore, divinamque spirans eloquentiam, adeòque efficaciter, ut totum inde magnoperè commotum auditorium, profunda ducens suspiria, altum exclamare cœperit; ut proinde mox S. Pontifex, hisce auditores suos verbis compellare debuerit: Ecquid, auditores optimi, vidistis, quod tantam in pectoribus vim exserere potuit? Anne fortasse, velut alter quidam Moyses, totus in facie luminosus visus sum vobis? aut me in alium quendam hominem transmutatum, & transfiguratum conspexistis? Num thesaurum quendam pretiosum, ego monstravi vobis, aut gemmam aliquam raram atque peregrinam? aut nunquam hactenus visum aliquod metallum? *Quare quando laudatur charitas, erigimini, & clamatis, & laudatis? Quid vobis ostendi? aliquos colores protuli? aurum & argentum proposui? gemmas de thesauris effudi? quid tale ostendi oculis vestris? Nunquid facies mea mutata est, cum loquor? Carnem gero, in ipsa forma sum, in qua processi, in ipsa forma estis, in qua venistis.* Quodnam ergò est istud, quòd tantam vobis inserere potuit teneritudinem? Quid vos in extremos erexit pedum articulos? Quid dulcissimas illas, ex oculorum vestrorum luminibus, foras protraxit lachrymas? Quid est, quod ad jubilos & exclamationes insolitas, ora vestra aperuit: *Laudatur charitas & clamatis. Si cum commemoratur, talis est? cum habetur qualis est?* Solum charitatis resonans nomen, omnes vos tantopere commovet, & veluti in alios homines transmutat. Solum

Tract. 7. in Epist. Joan.

Solum charitatis nomen, admirabiles adeò in vobis habet effectus, quos ergo charitas ipsamet, in vobis effectus, atque operationes producet? Quantus is esse debet thesaurus, cujus vel solum nomen, adeò charum gratumque est? Si qui illam nominat, beatus est, quid erit de eo qui possidet eam? *Si cum commemoratur talis est, cum habetur qualis erit?* Ecquid de corde Mariæ Magdalenæ erit, quod teste Christo, in copia adeò divite charitatem habuit? *Dilexit multum.*

12. O encomium nobilissimum, in quo omnes includuntur prærogativæ, quæ vnquam in quibusvis, etiam maximis Paradisi Sanctis, commendari ac deprædicari valent! O charam flammam, quæ in Cœlo prognata, atque in ipsiusmet Dei pectore, ab æterno nutrita fuit! O inæstimabile pretium, quod rebus omnibus pretiosis, pretium suum ministrat, absque cuius societate, quodvis opus quantumvis alias excellens, vile est, ac contemptibile! O dulce, sapidumque ferculum, quod vera est Paradisi ambrosia, à quo & non aliunde, beatissimi illius aluntur & nutriuntur cives & incolæ! O animarum prædestinatarum dos opulentissima, quæ te mediante, & non aliter, ad fortunatissimarum nuptiarum istarum pertingunt complementum! O gemma incomparabilis, quæ per raras inauditasque elegantias tuas, Dei dignos facis amicitia, atque conspectu, ipsos quoque publicanos & meretrices! O pomposa & honorifica vestis, quæ coram oculis eius, cui manifesta & discoperta sunt omnia, turpissimas tegere nostri cordis maculas, omnemque, quantumvis magnum peccatorem, gratiosum potes atque spectabilem reddere! O bellatrix potentissima, quæ captivas iam, & tantum non desperatas, ex Inferni carceribus, manibusque sathanæ, violenter eripere potes animas. Hæc est illa charitas, dilectissimi, quæ ab Apostolo appellatur via supereminentissima: *Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro.* 1. Cor 12. v. 31. Advertit autem Augustinus, Apostolum mox hisce verbis dictis, de charitate loqui, eamque maioribus, quæ in Ecclesia reperiuntur, donis, præferre cœpisse, videlicet Prophetijs, hominum pariter & angelorum linguis, miraculis, scientiæ, Fidei, Eleemosynæ, ac denique Martyrio &c. *Præposuit illam linguis hominum & Angelorum, præposuit, miraculis, fidei, præposuit scientiæ & prophetiæ, præposuit etiam illi magno operi misericordiæ, quo sua, quæ possidet, distribuit quisque pauperibus, & ad extremum præposuit eam corporis passioni. His omnibus tam magnis rebus præposuit charitatem.* Tract. 33. in Joan. Verùm enimverò, quam tu ô Doctor sanctissime, ex ingentibus hisce promissis, conclusionem elicis? *Ipsam habeto, & cuncta habebis; quia sine illa nihil proderit, quicquid habere potueris.* Charitatem fac habeas, & omnia habebis, à charitate namque pretium atque valorem suum acquirunt universa, sine charitate autem, quævis res magna, quanta quanta est, & quantum habet, nihil efficit. *Dilexit multum.*

13. E-

13. Enimvero, nihil ego unquam de te prædicabo maius, aut excellentius, præterquam istud: *Dilexit multum*. Tu namque post tot abominabiles spurcitias, solo amore adeò pura facta es & immaculata, ut inter ipsas quoque digna facta sis annumerari virgines; siquidem ipsa quoque virginitas, amore destituta, omne suum deperdat pretium. Tu quidem tuum, per Martyrium, non effudisti sanguinem, aut tuam, pro Deo non exposuisti, vitam, attamen id donasti; quod quoad sui valorem omni vita & sanguine longè majus est, amorem videlicet Dei, cujus solius societate & non aliundè, coram oculis Dei acceptum adeò est Martyrium. Hoc solo titulo, cuiuis magno æquiparari vales Heroi, quippe, cum nullus unquam in cœlo magnus comparuerit, nisi charitate associatus. Sola isthæc ab ipsiusmet veritatis ore dimanans commendatio, reddet te semper in mundo illustrem, singularem in Ecclesia, in Paradiso denique gloriosam. *Mirabilia opera tua & anima mea cognoscet nimis.*

Secũdum Punctum. 14. Transeo ad punctum secundum, quod sanctus Bernardus in mundo considerandum esse volebat; videlicet, *Quomodo sit*. Porrò in hoc nostro mundo mystico, nihil adeò ponderandum esse judico, sicut id,
Job. 38. v. 5. quod apud Jobum cap. 38. interrogabat Deus: *super quo bases illius solidatæ sunt?* Quodnam est hujus adeò prodigiosæ machinæ fundamentum? Quale est istud, quod nobilis hujus fabricæ pondus sustinet? Prima ad hanc quæstionem responsio; à S. Jobo hisce data est verbis: *Qui extendit Aquilonem, super vacuum; & appendit terram super nihilum.* Job. 26. v. 6. Tota hæc cœli terræque machina, in nullo alio præterquam in vacuo & nihilo fundata consistit. *Super vacuum, & super nihilum.* Tota itidem spiritualis hæc machina, & mysticus hic Mariæ Magdalenæ mundus, supra peccati nihilum, pariter fundata esse cernitur. *Mulier in civitate peccatrix.* Peccatum quippe, quod gratiam homini adimit, hanc illi, pœnitentia mediante multiplicavit; dum enim ea, quæ culpa causavit, damna considerat, ex iisdem damnis, opulentissimi elicit occasionem lucri. Quis enim est, qui non videat, qualiter Maria Magdalena pœnitentia ducta, ad Domini omnia illa convertit obsequium, quæ hactenus ad ejusdem Domini provocandam offensam fuerant instrumentum? *Convertimini ad Dominum Deum nostrum* (ita S. Joel propheta hortabatur) *quia benignus est, & præstabilis super malitia.* Joelis 2. v. 13. Convertimini ad Dominum, hoc enim facientes experiemini, quanti peccata vestra boni sint occasio, manibusque quasi palpabitis, qualiter ex tam ingenti miseria, infinita quædam enascatur misericordia. *Ne desperetis veniam, scelerum magnitudine* (dicit ibid. S. Hieronymus) *quia magna peccata, magna delebit misericordia.* Hieron. in Joel.

15. Porro, quod si in agricultura, ars quædam reperitur, plantas meliorandi, atque perficiendi, easque, quæ fructus producebant amaros, aut

inutiles, ad fructus sapidos delitiososque pariendos, cultura mediante, constringendi, an non idem facturus crederetur in animarum nostrarum hortulo cœlestis Agricola? Est hæc magni illius Basilii doctrina dicentis: *Quadam naturalia vitia, Agricolarum diligentia, curata esse novimus.* Ponitque sanctus Doctor ibidem nonnulla exempla, quibus demonstret, qua ratione, plantæ, seu arbores nonnullæ, per industriam melioratæ, *succi malignitatem in utilitatem transmutent.* Ideoque ad propositum nostrum concludit: *Nemo in vitiis degens, de seipso desperet, gnarus, quod agricultura quidem plantarum qualitates transmutat, curatio autem animæ & cultura secundum virtutem, potens est, omnigenas infirmitates superare.* En tibi Mariam Magdalenam, plantam nuper infœlicem, quæ præter amaros, venenososque hactenus nescivit producere fructus, nunc divina medicatam gratia, fructus producentem, ipsiusmet Dei mensa dignissimos. Ecce tibi, oculos illius homicidas, qui mortiferis quondam obtutibus, plurimis vitam auferebant, parum cautis, aut providis; nunc conversos in duos veluti fontes, ad extinguendas æternæ mortis flammas aptissimos: Ecce os ejusdem, fœtidissimum olim sepulchrum, omnique immunditia plenissimum, castissima ministrans oscula, veræ pacis certissima indicia: Ecce capillos, laqueos quondam incautorum amantium, in honorificum conversos pedum Salvatoris nostri sudarium: Ecce unguenta, sathanæ quondam monitoria ac sensualium materiam infirmitatum, in obsequium translata Redemptoris. Ecce mulierem, fœtentem quondam illiciti amoris sentinam effectam castarum flammarum amoris purissimi sacram æthnam. *Succi malignitatem in utilitatem transmutant.*

Lib. 5. Hexam.

16. Petrus Cardinalis Damiani dicere solebat, quòd sicuti nos, è medicina venenum conficimus, ita Dominus è contra, efficit è veneno medicinam: Itemque, sicut homo virtutes, per malitiam suam, in Dei convertit offensam; ita Deus mirabili sapientia sua, peccata in virtutes, & jacturas convertit in lucrum: *Quia nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona, retorquemus in usum vitiorum, ille vitiorum mala assumit in arte virtutum.* An non in muliere isthæc, omnia, quæ ipsam antea contaminabant, vitia, in tot illam exornantes virtutes transmutata esse conspicitis? Impudens antea erat ad libertatem & dissolutionem; ecce jam animosa ad pœnitentiam: Prudens erat, sed secundum carnem; nunc vide eandem in Christianis operibus providam & circumspectam. Rerum suarum antea prodiga erat, sed in mundi easdem adhibens servitium: nunc verò respice eandem, munificam prorsus & liberalem, at in illius solius obsequium, qui totius mundi absolutissimus est Dominus. Plange-

Serm. 2. de S. Vitali.

bat equidem olim, sed sola sæculi hujus dispendia: nunc verò ecce deplangentem cœlestium jacturam divitiarum. Abundabat alias in curialitatibus, variisque blandimentorum apparatibus, hi tamen omnes, ad deprædandas creatori animas, directi erant: nunc autem vide eandem, novarum urbanitatum, cæremoniarumq; hactenus inauditarum divitem, quæ tamen omnes ad solius tendebant Redemptoris honorem. Amabat quidem, sed amore perverso, atque inhonesto, nunc autem ecce illam, sanctis, castissimisque plenam affectibus, atque amoribus. *Facit Deus de vulnere medicamentum. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat,* (sunt verba sancti Gregorii) *hoc iam Deo laudabiliter offerebat &c. quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* Unde concludit, longè delitiosius nutritum fuisse Dominum, ex pœnitentia Mariæ Magdalenæ, quam ex ipsis Pharisæi ferculis: *Plus ergo pœnitens mulier pascebat intus, quam Pharisæus Dominum pascebat foris.* Atque idipsum est, quod sanctus Petrus Chrysologus dicebat; videlicet: *in aliquibus desipuisse prudentia est, & infirmitas virtus.* Nonnullis stultitia ad prudentiam servit, & infirmitas pro fortitudine & valore, siquidem per peccati insipientiam, cautiores redduntur, magisque per propriæ experientiam infirmitatis, magnanimi fiunt & fortes. Et sanctus Paulinus, magna cum emphasi, vitiis virtutem suam attribuit. *Vitiorum virtus.* Quod idem est, ac si diceret: Utilitas, quam peccatum, dum homo illius in se habet pœnitentiam, parturit. Peccatum à pœnitente consideratum, humiliandi vim habet, ac in justitiæ semitis fortem reddit, & magnanimum; proprium sibi habet, quod cautelam præstet, ac circumspectionem; incrementum præstat amoris; excitat gratitudinem; fervoremque resuscitat: *Fecit Deus de vulnere medicamentum.*

Hom. 33. in Evang.

Serm. 62.

Epist. 1.

17. Audiamus, obsecro, illud Jeremiæ Prophetæ oraculum, qui Dominum sic loquentem introducit: *Attendi, & auscultavi, nemo quod bonum est, loquitur, nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci?* Valde ad id attentus perstiti, si fortè esset, qui vera cordis pœnitudine ductus, diceret: *Quid feci?* Itane Domine? Ergone per totam terræ amplitudinem, dicis, te ne vel unicum reperisse hominem, qui diceret: *Quid feci?* Agedum ergo, tu, qui ipsas quoque cogitationum percipis voces, attenta aure internum fortunatæ peccatricis huius velim ausculta sermonem, ab illo namque ore cordis abscondito, quod mentiri nescit, vix aliud præter illatibi adeò grata, atque accepta: *Quid feci?* inaudies, ac si diceret: O te infœlicem Magdalenam! Quo effrænes incautæ juventutis tuæ te perduxerunt passiones? Quousque per pessimæ vitæ tuæ non pervenisti malitiam? Quousque in pravorum morum tuo-

Jerem. 8. v. 6.

rum

rum transgressa es licentia ac temeritate? *Quid feci?* In uno veluti momento, pedibus tuis conculcasti, tum salutem animæ tuæ, à Deo tantopere dilectæ: tum bonum proximi tui, tot à te modis scandalizati; tum honestatem tuam propriam, præcipuum honestarum mulierum decus, & ornamentum; tum famæ, existimationisque tuæ thesaurum, opulentissimum nobilium generosorumque cordium patrimonium: tum denique tui tam præcipui stemmatis nobilitatem, cui ingentem adeò, atque indelebilem intulisti ignominiam. *Quid feci?* Ergone ausu tam effræni, omnes humanas, divinasque contemnere potuisti leges? teque cum tam exiguo divinorum judiciorum timore, omnis rationis, æqui item & iusti immemor, sensui atque carni dare in prædam? Ergone tot tantisque, contra ipsummet Benefactorem tuum, abuti ausa fuisti beneficiis? eodemque, quo is totus tibi amabilis, ac liberalis ablandiebatur, tempore, tu ingrata, omnisque accepti immemor boni, proditiones, ac tradimenta contra eundem perfidè moliris? Ergone cæca adeò fuisti, ac insipiens, vt nec amor te impelleret, nec retraheret timor, sed tota refractaria, & obstinata, vanam effeceris omnem artem, omneque consilium inefficax? *Quid feci?* O infortunata, tibi, post gravem adeo jacturam, quid remanet? Inimica es Dei; derelicta & contempta à iustis; tibimet ipsi nil nisi onus; scandalum civium; peregrinorum ac vulgi fabula; nobilium infamia domuum; Passionum mancipium; Ludibrium Dæmonum; ac victima inferni? Quamnam calcare potuisti terram, quæ iustissimæ vindictæ Divinæ ministra effecta, non sese aperiat, teque aperto ore, non deglutiat? Quodnam conspicere poteris cælum, quod rationabili contra tot culpas tuas obarmatum furore, fulminum te non conficiat sagittis? Quem spirare poteris aërem, qui à te, tot spurcitiebus, turpitudinibusque contaminatus, suum tibi non deneget servitium? *Quid feci?* O in cœli, Regisque cœlorum contumeliam, infœliciter, pessimèque locatos annos! O detestabilem pulchritudinem, quæ tot flammarum, totque, tam accensæ cupidinis, irritamentorum, esca fuisti, atque fomentum! O deplorandas delitias tantarum ruinarum, adeoque irreparabilium fontes damnorum! *Quid feci?* Hic erat ille sanctæ peccatricis interior sermo, quo, ut dicit Tertullianus, dum se accusat, excusatur, dumque velut rea condemnatur, velut innocens absolvitur: *cum accusat, excusat, cum condemnat, absolvit.* Videte igitur, qua ratione peccata, sanctitatis fiant materia, culpæ inculpatos pariant, venenaque convertantur in remedium: *Consideravit quod fecit, & noluit moderari quod faceret.* inquit Gregorius Magnus; *Quid feci?* noluitque moderari quod faceret. Immoderatæ fuerunt culpæ, ve-

Lib. de Pœnit. 8.

Hom. 33. in Evangelia.

verùm immoderata quoque earundem est pœnitentia. Graves offensæ, verùm ingens quoque earum est satisfactio; vehementes passiones, verùm ardens quoque atque ignea est charitas: Multæ adversus Deum inventiones, verùm haud pauciora sunt pro Dei honore obsequia. Et ecce tibi fundatum super nihilum mundum mysticum. *Super vacuum & super nihilum*, id est, super peccatum, quia ubi superabundavit iniquitas, superabundavit & misericordia, fueruntque melioratæ arbores steriles, atque ad dulcissimos constrictæ nutriendos fructus, atque ars medici omnipotentis infinita vulneribus usa est pro medicina, veraque pœnitens se accusando excusavit, & absque modo & mensura servivit Deo, sicut sine modo offenderat eundem, *Extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.*

18. Enimverò supradictæ ex Jobo adductæ quæstioni; videlicet: *Super quo bases terræ solidatæ sunt?* alio nunc modo respondeamus, eò nimirum, quem à rege sancto edidici, qui Psal. 23. dicit: *Super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam.* quasi diceret: Ingens hæc terræ machina, aquis innixa consistit, in principio namque creati mundi, aquæ operiebant universam terram, quæ tamen ex vi præcepti divini, ad unam se deinceps partem retraxere; unde liquet, mundum hunc, illis veluti innixum consistere: *Super maria fundavit eam.*

Ps. 23. v. 2.

Mundus hic noster spiritualis, super aquas itidem fundatus existit, hoc est, uti exponit Chrysostomus, super lachrymarum multitudine: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Ubi proposito nostro, illa sapientissimi Jobi apprimè servit sententia, dicentis: *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit & rami eius pullulant, si senuerit in terra radix eius, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatum est.*

Job. 14. v. 7. 8. 9.

Hom. Matth.

19. Porrò si illæ viduarum illarum lachrymæ, quibus charitativa Tabitha pientissimè subvenerat, vitam benefactrici suæ defunctæ recuperare potuerunt: *Illa resurrectionem alienam suis lachrymis redemerunt*, inquit sanctus Ambrosius, quomodo non eædem lachrymæ vitam recuperare poterunt propriam? *Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatum est.* Imò eodem Ambrosio docente, pœnitens, vi lachrymarum, pulchrior seipso efficitur, quam fuerat dum esset innocens. Sic sanctus hic Doctor discurrit, de sancto Petro Apostolo loquens, qui antequam plangeret, cecidit, post planctum, in universalis Ecclesiæ Pastorem electus fuit; Prius ne ad seipsum quidem gubernandum erat idoneus, qui postea ad gubernationem ac regimen totius mundi assumptus fuit: *Videte, quantum fletus profuerit Petro, antequam fleret lapsus est, postquam flevit, electus est. Et qui ante lachrymas*

Orat. de Fide Resurrect.

Amb. serm. 46.

prava-

prævaricator extitit, *post lachrymas, pastor assumptus est*; *& alios regendos accepit*, *qui prius se ipse non rexit*. Adeoque magnus ille Pontifex Ambrosius, Apostolorum Principis meritum, vi attribuit lachrymarum, quibus gradum tam excelsum, atque ingentem promerebatur præeminentiam, utpote quâ post Christum majorem in terra non habet. Atque eodem modo, de Maria Magdalena dicit sanctus Joannes Chrysostomus, eam videliaet, non solùm se lachrymis ad eundem reduxisse statum, in quo ante peccatum fuerat, sed in immensum quoque transcendisse eundem, nova videlicet puritate, & innocentia, ipsarummet quoque virginum superans puritatem, atque munditiem. *Illa in Evangelio meretrix*, *incredibili in Christum amoris igne succensa*, *& à maximis sordibus peccatorum*, *largissimo lachrymarum fonte, purgata*, *virgines quoque ipsas honestate superavit*. *Ad odorem aquæ germinabit*. (Hom. 8. in Matth.)

20. Infœlix quondam Ninive civitas, extremæ ruinæ, divina subdebatur sententia, cum tamen ea ipsa modum, divinum illud irritandi decretum, atque irreparabile illud perditionis declinandi præcipitium adinvenit. Sed ehem, quidnam est, obsecro, illud, quod eam ab interitu tanta cum asseveratione eidem vaticinato, eripuit? Quis illam, ne juxta divinum dehisceret & absorberetur oraculum, subtrahere potuit? Nihil profectò aliud, quàm ingens illa vis lachrymarum, quæ sententiam à Deo olim seriò fulminatam, efficaciter suspendere, imò totaliter subvertere prævaluit. *Ninive civitas*, *quæ peccato periit*, *fletibus stetit*, dicebat sanctus Hieronymus. Ecce vobis, dilectissimi, spiritualem ac mysticam hancce civitatem, Dei antea inimicam, ruinisque ac maledictionibus, tot ob iniquitates, subjectam, planctu tamen postea, lachrymisque perfectè salvatam, ac liberam. (Epist. ad Damasum.) *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus*. *Quæ peccato periit*, *fletibus stetit*. *Minatus est per Ionam*, *& impendentem gladium*, *lachrymarum & gemituum multitudo superavit*. (Hieron. in cap. 4. Jonæ.) Habent lachrymæ facultatem, gladio se iræ Dei opponendi, eundemque Dei manibus eripiendi, & ad pacem ineundam violentandi atque cogendi. Nunquid enim auditis, Christum, post lachrymas mulieri huic dicentem: *Vade in pace*? *Quæ enim vincula peccatorum non relaxaret*, *fusa super pedes salvatoris sanctarum inundatio lachrymarum*? inquit Gofredus S. Priscæ Cardinalis. (Serm. de S.M.Magdalena.) *Ecce quantus est fructus lachrymarum*. *Pacem & concordiam firmat*, *inter multum ream ancillam*, *& iustissimum iudicem Deum*. Videte igitur: quotquot estis, an non sapienter admodum dixerit sanctus Ambrosius, lachrymas habere virtutem redimendi peccatores. *Bonæ lachrymæ*, *in quibus est redemptio peccatorum*. Veluti si lachrymæ, certa quadam ratione, officium præstarent Redemptoris, sintque veluti passionis Domini locumtenentes vicariæ, qua mediante peccatores redempti fuêre.

21. *O lachryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum*, (meritò Petrus Cellensis Abbas exclamat) *tribunal iudicis non vereris; audes, vbi timet Angelus; non est, qui te perturbet ab ingressu secretorum; ab interpellatione pro culpis reorum, non est qui accedere vetet. Sola si intraveris, nunquam tamen sola, vel vacua redibis.* Imò eousque progreditur, ut dicere audeat, plus Sathanam à nostris lachrymis, quam à suis torqueri pœnis: *Sathanas tolerabilius sustinet flammam suam, quam lachrymam nostram: acriusque contriti cordis lachryma, quam flamma infernalis incendij torquetur.* Ecquis vnquam piarum, coram Redemptore, cum devotione cordis contriti effusarum lachrymarum virtutem edicere poterit, ac potentiam? Quis vim illam, quam habet ad resistendum, potentiam ad evertendum, ad impetrandum efficaciam, energiam ad persuadendum, ad decorandum gratiam, virtutem denique ad fœcundandum explicare valebit? Quis illa enumerare ausit prodigia, quæ numerum non habent, aut illas æstimare divitias, quæ omnem superant æstimationem? *O lachryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum.* Si in cœlos memet erigam, eò lachrymas veluti Patronas ac Dominas penetrare, atque ad libitum commeare conspicio: *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & à maxilla ascendunt vsque ad cœlum?* Quodsi in beata illa cœlorum curia contempler Angelos, eosdem semper gaudentes & festa agentes considero, nunquam verò tanto talique cum jubilo, quanto ob pœnitentium gestiunt lachrymas. Unde Bernardus dicebat. Lachrymas vinum esse lætitiæ Angelorum: *Lachrymæ Pœnitentium, vinum Angelorum sunt.* Quodsi ad Deum vsque perrumpam, eundem lacrymarum amoribus comperio captum esse, vtpote, quas in conspectu suo semper vult esse repositas: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Ad Christum si me converrero, illum lachrymarum invenio esse percupidum, adeo, vt cum Deus manens, plangere non valeret, ut plangere posset, homo factus sit. *Quia Deus*, inquit sanctus Bernardinus Senensis, *propriè plorare non potest, assumpsit humanam naturam vt ploraret.* Si cogitationibus meis Infernum ingrediar, admirabilem lachrymarum ibidem conspicio, potentiam, utpote, quæ æternos illos extinguere possunt ardores; *O quanta est vis in lachrymis peccatorum*, inquit Chrysologus, *rigant cœlum, diluunt terram, extinguunt gehennam!* Si considerationem versus damnatos reflectam, mox intelligo, eosdem minimè fore damnatos, si efficax vel vnius lachrymæ habere possent, remedium: *Si anima vnius damnati*, inquit sanctus Vincentius Ferrerius, *posset habere vnam guttam lachrymarum veræ contritionis, Deus illam salvaret.* Si oculorum in Dæmonum spectra figam obtutus, eosdem in lachrymarum aquis, non minus esse reperio submersos, quam olim Ægyptij, in maris rubri aquis suffocati fuerint: *Instant, vrgent, premunt, sed vsque ad aquas*, inquit sanctus Augustinus. Ecclesiæ si con-

Lib. de Panibus cap. 12.

Eccli 35. v. 18.

contempler pulchritudinem, atque elegantiam, hanc à Salomone, suam ex lachrymis trahere originem, edoceor, vt proinde lumina eiusdem, piscinis comparata fuerint, quæ sunt in Hesebon, quia vt Rupertus Abbas exponit: *præ amore & desiderio dilecti, fluunt lachrymis.* Quod si sanctitatis iustorum mihi ob oculos statuam splendorem, mox video, hunc in ornamento & decore, quem lachrymæ illis adferunt, principalissimè consistere. *Quid oculis illis formosius,* dicebat idem Rupertus, de Davide loquens: *perpetuo lachrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?* Universum denique mundum si perlustrem, nobilissima passim se produnt lachrymarum plantata trophæa. Per lachrimas Anna Samuelis mater naturam, ventrisque devicit sterilitatem. Per lachrymas, ad tria lustra sua Ezechiæ Regi vita prolongatur; lachrymis David pestilentiam in populo cessare, seque sistere fecit. Lachrymis Tobias Asmodæum dæmonem à consorte sua pepulit: Lachrymis Judith nobilissimam, de inimicis populi sui, reportavit victoriam: Lachrymis vidua Naimitica Salvatorem ut mortuo filio suo vitam redderet, commovit: Lachrymis sorores ambæ Martha & Magdalena quatriduani mortui fratris sui impetrarunt resurrectionem: Lachrymis Petrus triplicatæ negationis suę obtinuit veniam: Lachrymis misericordissimæ benefactrici suę Tabithæ, viduæ illæ quondam comparavere vitam: Lachrymis Monica à pestilentissima hæresi, filium suum eripuit Augustinum. Brigitta vidua, per lachrymas super potestates infernales, plenum obtinuit Dominium: Lachrymis Hieronymus, in vita ista mortali, contubernalis effectus est Angelorum immortalium: *Post multas lachrymas,* sic ipsemet inquit, *post cœlo inhærentes oculos, videbar agminibus interesse Angelorum;* lachrymis pauper Franciscus obtinuit continuis è Paradiso dignari visitationibus, unde à medico præmonitus, fore, ut ex continuis lachrymis, lumen perditurus esset oculorum, hisce eidem verbis respondit: *Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ, repellenda vel modicum.* In summa denique; tanti pretii, tamque ingentis, quod à lachrymis in nos proficiscitur, lucri, testes erunt tot Dei servi, qui à divinis amoris flamma, intus in pectore accensi, intermittere nequiverunt; quin dies pariter & noctes, pretiosum hunc lachrymarum ab oculis suis stillarent liquorem, prouti fecit Bonitus Epus in Arvernis; Margarita Regina in Hungaria; Ephrem Syrus in Edessa; Laurentius Justinianus in Venetia; Lucianus Martyr in Samosato; Martianus Presbyter Constantinopoli; Theodosius Monachus in Cappadocia; Philibertus Abbas in Francia; Liduvina virgo in Flandria; Vincentius Ferrerius in Hispania; Macarius Patriarcha in Antiochia; Arsenius Romanus in Alexandria; Paula vidua in sua Bethlehem;

Hugo in sua Gratianopoli; Romualdus Ravennæ; Jordanus in Saxonia; Severinus in Germania; tot denique per universum mundum passim alii sancti. Super omnes tamen celebratissimæ erunt unius solius Magdalenæ lachrymæ, supra quas ipsa, tam raræ vereq; Heroicæ sanctitatis, fundavit Fabricam. *Super maria fundavit eam*, æternorumque encomiorum post se reliquit materiam. *Mirabilia operatua & anima mea cognoscet nimis.*

PARS SECUNDA.

Tertium Punctum. 22. Vltimo dicit S. Bernardus, in mundo considerandum esse, *ad quid constitutus sit.* Duos namque fines mundus habet, è quibus vnus est vltimatus, estque gloria Dei; Secundus verò est non vltimatus, isque est hominis vtilitas; Duos hosce fines, in mystico hoc Magdalenæ mundo, nonnihil consideremus. Et primo quidem finem vltimum, qui est gloria artificis supremi. *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus* inquit Salomon. Cur enim, putas, Deus mundum istum adeò pulchrum, adeò admirabilem, thesaurisque adeò plenum produxit? *Propter semetipsum*; vt ab vniversis totius mundi linguis glorificaretur, ac benediceretur. Pari quoque ratione Deus, in nova hac sanctissimæ pœnitentis fabrica, tot virtutis posuit ornamenta, gratiarum tot prærogativas, vt nos videlicet illam intuentes, ac considerantes, eas ipsi depromeremus laudes, quas talis mereretur artifex, qui *vniversa propter semetipsum operatus est*. Facitque ad propositum istud, Prophetia Isaiæ dicentis: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, ecce ego facio nova, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea.* Nova & extraordinaria, nec ab hominibus hactenus visa ego facio. Ecquid autem illud esse poterit, quod facturus est? *Ponam in deserto viam, & in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, Dracones & Struthiones.* quasi diceret. Efficiam ne desertum, deinceps desertum amplius sit; horridas sylvas in delitiosos commutabo hortos, & rura solitaria, in commodas iucundissimasque habitationes; Me leones, dracones, & struthiones glorificabunt, nec non à feris honorabor sylvestribus. Ecquid autem sylvestres hasce feras esse existimatis, quæ Deum glorificaturæ sunt, nisi peccatores, qui legis vinculis ligati, ad honorandum & exaltandum ipsum, violenter quasi constricti sunt? Nunquid in magnorum Principum palatijs septa nonnunquam vidistis leonum, pantherarum, leopardorum, aliarumque specierum diversarum ferarum? Plus hæc haud dubiè gloriæ Monarcharum regijs, quam tot alia quibus abundant animalia domestica adferent. Plus etiam, ô magne Deus glorificaris à Paulo, qui ferox leo erat; à Matthæo, qui rapacissimus erat lupus; à Magdalena, quæ crudelissima quædam tigris erat; nec non & ab alijs, quæ velut insensatæ belluæ, sine lege, sine civilitate, sine fide, sine humanitate & absque prudentia vitam

Prov. 16. v. 4.

Isaiæ 43. v. 18 19.

ram degunt. Agedum ergo, hi in domo tua, id est, in tua Ecclesia, ab arte gratiæ tuæ capti, tuisque incatenati seu vincti præceptis, in conspectu omnium gentium te glorificant, tuamque mirabiliter commendant sapientiam, quæ adinvenire modum novit, feros adeò cicurare, seu mansuefacere mores: Potentiam tuam, qua tam effrænes temerarijque, compositi atque sedati fuerunt impetus. Misericordiam tuam, qua in vilem adeò abiectamque creaturam, conijcere dignaris oculos; Liberalitatem illam tuam atque munificentiam, quæ extremam adeò paupertatem, tot tantisque locupletare novit thesauros: *Bestia agri honorificabit me, dracones & struthiones. Glorificari se itaque Dominus à dracone, vel struthione asserit, quia & apertè malos, & fide bonos, ad sua obsequia convertit*, dicit S. Gregorius. Lib. 31. Moral. lib.

23. Atque hæc sunt illa, quæ Tertullianus referebat, prodigia: *Solitudines famosas retrò fundi amœnissimi obliteraverunt: sylvas arva domuerunt, feras pecora fugaverunt: arenæ seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur.* Ecce tibi Magdalenam turpissimorum valdeque enormium peccatorum feris plenissimam solitudinem, *quam infœlix ille septenarius confundebat*, dicam cum Bernardo, nunc cogitationibus castis, puris affectibus, intentionibus rectis, ordinatisque amoribus imbutam: Ecce tibi solitarias sylvas, in delitiosum conversas viridarium, seu quod idem est omni virtute vacuum, atque inane pectus, infinitis mox floribus, innumerisque gratiarum cœlestium fructibus adimpletum, beneque onustum: Ecce obstinationis ac pertinaciæ lapides, factos fœcundos, culturæque capaces. Ecce siccas ardentissimæ concupiscentiæ arenas seminatas, redditasque fertiles ac fructuosas; Ecce limosas, fœtidasque paludes, in crystallinos, purissimosque conversas fontes. An non isthæc singularis quædam omnipotentis Dei est gloria? Nunquid ingens immensæ artis suæ est excellentia? An non istud ingens illimitatæ sapientiæ suæ est prodigium? Ita hæc intellexit sanctus Bernardus, qui mirabilem Ecclesiastici cujusdam cōsiderans conversionem, dicit: *Quid in humanis operibus iure laudabitur, si hoc summa admiratione & laude dignissimum non habetur?* Quid admirationem mereatur, si istud mirabile non sit? videre scilicet hominem transeuntem de repente à divitiis, ad paupertatem; à pompis, ad humiliationem; à sæculi honoribus, ad opprobrium Crucifixi; à sensualibus delitiis, ad mortificationis fastidia. Videre, inquam, hominem ejusmodi, in unico velut momento, id detestantem, quod antea approbabat, approbantem quod fugiebat, id industriè quærentem, quod extrema quondam cum nausea abhorrebat, abhorrentem cum fastidio id, quod antea inquirebat cum desiderio, mutantem subitò, non solùm opera, & consilia, sed ipsas quoque cogitationes, intentiones atque affectus. Imò non humanum, inquit Bernardus, sed divinum

(Margin notes: 43. 19. — De anima cap. 3. — Serm. de S. Maria Magdalena. — Epist. 77.)

num est opus istud. *Quamquam non humanum, sed divinum profectò sit opus, tantorum simul, & tam repentina immutatio.*

24. Notavit Rupertus Abbas, quod cum Lazarus, frater Magdalenæ germanus, mortuus esset, Dominus dixerit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Pari quoque modo dicit, quod dum spiritualiter ac mysticè moreretur Magdalena, *non erat infirmitas isthæc ad mortem æternam, sed pro gloria Dei.* Permittam equidem, ut infirmitas ad ultimum usque terminum sæviat, ut videlicet mea inde cernatur potentia, egoque inde glorificatus remaneam: *Permissa est hæc mulier mori in peccatis, & esse summa peccatrix, non ad mortem, sive interitum æternum, sed pro gloria Dei, pro testimonio iusti, & iustificantis nos Dei & hominis Iesu Christi filij Dei. Benedicta gloria Domini de loco suo!* Ecce tibi renovatum id, quod in expugnatione civitatis Rabba evenit, in qua idolum quoddam erat, appellatum Melchom, quod pretiosissimam ex puro puto auro confectam coronam, lapidibus inæstimabilis pretii passim per totum distinctam, in capite ferebat. Hanc David ex capite idoli sustulit, sibique metipsi diadema inde confecit: *Tulit autem coronam Melchom, & invenit in ea auri pondo talentum, fecitque inde sibi diadema.* Corona in Sathanæ capite reposita, sunt omnes peccatores, evidens namque victoriarum suarum, suorumque triumphorum sunt testimonium: Deus igitur, coronam de inimici sui capite tollit, indeque venerandi capitis sui pulcherrimum diadema conficit, quando eosdem de peccatoribus transmutat in sanctos; Et tunc quidem ad divinæ Majestatis suæ gloriam, auditur Canticum: *Benedicta gloria Domini de loco isto!*

Rupertus in Joannem.

1. Paralip. 20. v. 2.

25. Postremò denique, ad utilitatem hominis factus est mundus: Pari quoque ratione, novus ille Mariæ Magdalenæ mundus, à Christo pulcher adeò, atque gratiosus est factus, ad insignem mortalium utilitatem, peccatorum præcipuè, qui maximam inde concipere debent fiduciam, dum magnam adeò peccatricem, gratia Domini mediante, ad tantæ sanctitatis fastigium & eminentiam, perductam esse conspiciunt: *Quis desperare debeat, tanta peccatrice, non solùm veniam, sed & gloriam consequente,* inquit Bernardus? Quis desperare aut diffidere poterit, videns, Magdalenam mediante pœnitentia, è peccatorum suorum profundo, ad tantam sublimitatem, ad ingentes adeò favores, ad domesticam adeò sublevatam esse conversationem? *Crimina, quæ genuerunt mortem* (sunt verba Fausti Rhegiensis Episcopi) *militare incipiunt ad salutem, inque remedium delicta proficiunt, & medicina de vulneribus producitur.* Nolite desperare, ô peccatores, sed peccatis utamini ad majorem vobis acquirendam innocentiam; culpâ, ut ab omni culpa magis reddamini immunes, atque è vestris vulneribus, salutarem vobis, divino favore, colligite medicinam. Infinitis Magdalena obstringebatur debitis, hæc tamen

Serm. de S. Maria Magdalena.

tamen à Domino liberaliter remissa, infinitum in ea, ut ita loquar, causarunt amorem. Plus amavit, quæ plus debuit; culpæ debito liberata, magis magisque se charitatis obstrinxit debito, quæ nihil debet, & semper debet; tanto namque plus debet, quanto magis nihil debet. *Ipsa est, cui plus dimissum est* (est doctrina sancti Bernardi) *& plus diligit.* Magdalena est, cui multum Deus remisit, ipsa verò, ex remissione adeò magna, ad ejusdem Dei remittentis amorem, sese magis magisque accendit. *Inde mansuetior ad correptionem, inde patientior ad laborem, inde ardentior ad amorem, inde sagacior ad cautelam, inde humilior pro conscientia, inde acceptior pro verecundia, inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarum actionem devotior ac sollicitior.* Non vos peccata vestra confundant, nisi enim ex vobis defectus fuerit, ipsamet peccata vestra, ad majorem vos, divino favore, deducent sanctitatem & innocentiam. Quod si turpiter cecidistis, pœnitentiæ auxilio sublevati, magis magisque stabiliemini, atque de majoribus jacturis, lucra quoque discetis facere majora, prouti sancta fecit Maria Magdalena, & sicuti omnes fœlicissimæ istius peccatricis sequaces faciunt, de quibus optimè dixit S. Gregorius: quòd *unde iniquitatis stimulos passi sunt, inde pietatis lucra mereantur.*

[Serm. 23. Cant.] [3. Moral.]

26. Eodem prorsus modo docuit sanctus Ambrosius, permisisse Deum, ut David Rex in enormia adeò laberetur peccata, uti omnes norunt, ut videlicet ejus exemplo, omnes modum à peccato egrediendi addiscerent: *Qui ideò mihi videtur gustasse peccatum, ut doceret, quemadmodum peccatum posset aboleri. Vnde enim medicina, nisi de vulnere sumpsit exordium?* Omnes igitur collapsum videant Davidem, ut omnes videant resurgentem; omnibus ipsius innotescat peccatum, ut medicina quoque ejus pariter innotescat omnibus; Errores intelligant, ut emendationem quoque intelligant subjunctam. Anima illa, quæ culpam suam recognoscens, omni cum synceritate atque ingenuitate dicebat: *Nigra sum,* talem postea, ex pœnitentiæ donis, assecuta est venustatem ac pulchritudinem, ut eam tota obstupesceret cœlestis curia, quæ ingenti stupore plena, dicebat: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, delitiis affluens?* Angeli, inquit sanctus Gregorius, qui nigredinem culpæ, qua affecta est anima peccatrix, valent cognoscere, nequeunt ejusdem dealbatæ per gratiam, per pœnitentiam verò exornatæ animæ comprehendere pulchritudinem, ideoque è tanta tamque consummata pulchritudine velut attoniti, & stupefacti, ita inter se mutuò loquuntur: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? Qui nosse, quod fuerat, poterant, quod erat, qualiter esse posset, ignorabant,* inquit Gregorius Papa. O peccatores, cur vos ad Christi Domini nostri pedes non accurritis, ut ibidem vestrarum impetretis culparum remissionem, sicuti eandem tanta cum facilitate Magdalena obtinuit? Eccur, sicut illa, non plangitis, cum tamen lachrymæ effica-


[In apologia David.] [Cant. 1. v. 5.] [Cant. 8. v. 5.] [Lib. 4. Moral.]

cissimum sint, pro animabus exornandis, atque ab omni sorde purgandis & emundandis, lavacrum, per quod ipsimet quoque cœlo prodigiosæ redduntur, maximèque admirandæ pulchritudinis? *An non quotidie pares in turpitudine, sed non pares in confessione?* inquit sanctus Augustinus.
in Ps. 144. Quot reperiuntur Magdalenę in peccato simillimi, dissimiles autem in pœnitentia? Quot in habitu vitioso inveterati, non verò renovati in gratia? Quot malo suo exemplo scandalosi, nequicquam verò per honestam conversationem utiles? *Pares in turpitudine, sed non pares in confessione.*

Ps. 138. v. 7. 27. *Quo ibo à facie tua?* dicebat Rex sanctus. Tu velis, nolis, in manus tamen Domini dedere te debes, vel ut puniaris, aut verò ut remunereris, vel ut obstinatus, aut verò sicut pœnitens, aut velut reus, aut sicut amicus.
in Ps. 138. *Quo ibo à facie tua?* Respondet sanctus Augustinus: *Possum fugere à facie tua, ad faciem tuam, & à facie irati, ad faciem placati.* A facie Dei, ad ejusdem Dei faciem confugito, à facie Dei irati ad faciem Dei placati. *Qui conversum liberat, punit aversum, Quem habes iudicem fugiens, hunc Patrem habeto rediens.* Quod si dereliqueris illum, tu eum probabis judicem: Si verò quæsiveris, ut patrem eundem reperies. Si obstinatus, terribilem ipsum præstolator, si pœnitens fueris, expectato amabilem. An non ipsum per vitam suam audisti jurantem, nolle se peccatoris perditionem, sed potius salutem? *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat.* Curre, curre igitur ad vitæ authorem, quod si enim summa calamitate tua sis mortuus, vitam suo mox recuperabis favore, vivesque in æternum, atque cum sancto Augustino dices continuò: *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori, & me ad vitam reduxisti.* August. in Soliloquiis.
Totus eram in morte, totum me resuscitasti. Tuum igitur sit totum id, quod vivo, & totus totum me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres; totum me fecisti, ut totum me haberes, &c. Diligam igitur te vita mea, diligam te ineffabilis exultatio mea, ut vivat iam non mihi, sed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, & resuscitata est in misericordia tua.

* * *

CON-



CONCIO XXXIII.

In Feriam VI. post Domin. Passionis.

THEMA.

Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Joan. 11. v. 50.

ARGUMENTUM.

Mors Redemptoris, à tribus mortis generibus, humanum genus liberavit: videlicet, à morte naturæ; à morte gratiæ; & à morte gloriæ. Et quàm sit perniciosa illa ratio status, quæ cum Dei inhonoratione atque contemptu, proprium procurat emolumentum.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Duo capitalissimi inimici in idem conspirant consilium, diversa tamen intentione ad mortem Christi procurandam. num. 1.

Expediens erat, ut moreretur Christus, ut mortem destrueret. Synopsis Concionis. num. 2.

Punctum Primum. *Mors Christi necessaria, ut destruatur mors carnis, quæ non minus horrida quam donum vitæ charum.* n. 3.

Christus horruit mortem sicut & SS. Petrus & Paulus. Quid ergo faciet virgula campi, ubi concutitur Cedrus Libani? De mortis horrore hic quædam. num. 4.

Quanta sit mortis tyrannis ostenditur, sicut & eius strages. Nemini parcit. num. 5.

Erat mors quondam ferocissimus leo, qui morte Christi occisus est. Devoravit vitam devorata est à vita. n. 6.

Elias mortem timet à Iezabele comminatam: In deserto verò sub iunipero petivit animæ suæ, ut moreretur, & quare? num. 7.

Ante Christi mortem, Ioseph ab Arima-

thæa erat discipulus occultus, propter metum Iudæorum : sed statim à morte eius audacter introivit ad Pilatum & petiit corpus Jesu.n.8.

Apis si vivum aliquod corpus suo transfigat aculeo, eum tali corpori infixum relinquit; sic & de morte, quæ Christum pungendo mortua est. Ibidem.

Christus mortem timuit quia in mortem adhuc viventem expeditionem suscepit. Vnde mors Christi vocatur absolutè mors, at sanctorum martyrum mors dicitur somnus.num.9.

Punctum Secundū. Christus mortuus est, ut mortem animæ destrueret.num.10.

Nemo gravius moritur: quam qui peccato vivit. Ibid.

Quanto mors animæ est damnosa, tanto præstantius beneficium, per quod Christus illam moriendo destruxit.num.11.

Per mortem Christi renovatur miraculum in deserto factum circa fontem Mara, cuius aquæ dulcoratæ sunt per immersionem cuiusdam ligni.n.12.

Sancti dealbaverunt stolas suas in sanguine agni. Qualis rubor qui dealbandi non caret effectu? Gilberti iudiciosa reflexio. num.13.

Ecclesia est adeò candida quia rubicundus fuit sponsus. Pulchra est, quia deformis fuit Christus. Augustini acumen. Ibid.

Propter nimiam charitatem qua dilexit nos &c. Verè nimiam, quia mensuram superat, ait Bernardus, num.14.

Oraculi Christi, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, pulcherrima paraphrasis.num.15.

Arbor mirabilis in India, in qua columbæ maximè delectantur, cum eas & fructus reficiat, & umbra defendat. Et folia ligni ad sanitatem gentium. Cruci applicatio. num.16.

Mors Christi à tertia morte, scilicet gloriæ nos liberat.num.17. Punctum Tertium.

Summa matris filiorum Zebedæi prudentia, quæ à Christo de futura morte disserente, pro filiis petiit gloriam: Mors namque Christi, pretium est quo thesauri comparantur Paradisi.n.18.

In antiqua lege erant civitates refugij, ad quas confugiebant, & in quibus remanebant homicidæ usque ad mortem summi sacerdotis. Hoc flexum ad Christi mortem. num.19.

Scala quam vidit Iacob, erat crucis typus.num.20.

In die iudicij crux in cœlo apparebit, ut notetur cruci deberi cœlum. Ibid.

Fascia illa rubicundi coloris ad fenestram Raab appensa, sanguinem Christi repræsentat per quem liberati sumus.num.21.

Verba Psalmi: Petra refugium Herinaceis, morti Christi applicata.num.22.

Expedit vobis, ut unus homo moriatur &c. Hæc sententia ab ore amoris processit iam ab ore odij egredietur.num.23. Punctum Quartū.

Mali consiliarij & politici dum de status ratione agitur, adversus Deum pronuntiare non dubitant. Ibid.

Verba regis Abiæ, quia non vobis expedit, optimè ponderata & opposita verbis Caiphæ, expedit vobis ut unus moriatur. Ibidem.

Achaz spoliata domo Domini, & domo Regum & Principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. num.24.

Locus Psalmi huc flexus : verbum iniquum constituerunt adversum me. quale verbum iniquum : Occidamus eum, & no-

stra erit hæreditas. Ecce occidistis eum, & vestra non erit hæreditas. num. 25.

Non solùm non est proficua falsa status ratio; imò est multum nociva. num. 26.

Christus de persecutoribus suis ait : Circumdederunt me sicut Apes; quia sicut apes se eviscerant pungendo , sic Iudæi Christum occidendo perierunt , ait Cassiodorus. num. 27.

Principes non debent in suis statibus amicitiam nec commercium admittere cum infidelibus. num. 28.

Exempla hic affert S. Ambrosius , qui sic concludit ; Nec mirum si perdiderunt salutem, quia eiecerunt salvatorem. num. 29.

Pilato Iudæis dicenti : Regem vestrum crucifigam? responderunt : Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Offerebat eis Regem Deum , illi ad hominem confugiebant &c. num. 30.

Ingens damnum Reipublicæ afferunt mali consiliarij. num. 3.

Malos consiliarios luminibus decipientibus , quæ nocte pyratæ accendunt ut attrahant & deprædentur naves , comparat Origenes. Ibid.

Salutiferum sapientissimi principis consilium, qui moriens dixit : Firmum imperium filiis meis relinquo, si boni erunt : imbecille si mali. num. 31.

1 DUo hodie junguntur, atque in idem conspirant consilium, diversissima licet intentione, capitalissimi inimici , odium videlicet, & amor. Vult odium, vt per eos, qui vita prorsus indigni existunt , vitam nihilominus perdat is, qui autor est vitæ : vult itidem amor, vt mortem toleret Dominus mortis , ad hoc , vt mortem effugiant, qui omni prorsus ratione & æquitate , mortis condemnati erant. In iniquum se Hebræorum concilium ingerit odium , eorundemque corda novis implens suspicionibus & zelotypijs , ad vindictam illos impellit, & effundendum sanguinem : In Pontificum Pharisæorumque congregationes se amor insinuat , atque ut suum fœliciter assequatur intentum, quod est , salvare mundum , ingenioso quodam in suum commodum stratagemate, technis atque inventionibus utitur odij. Odium à passione excœcatum, proponit peccatoribus , in prædam dandam esse innocentiam : Amor à tenera compassione compulsus , disponit, vt pro redemptione terræ huius , maximum adhibeatur , quod vnquam supra faciem terræ, commissum est peccatum. Movet odium impura furibundi sacerdotis labia, eundemque iniustam illam atque sacrilegam facit fulminare sententiam: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo:* Movet amor cor insipientis Prophetæ , atque crudele hoc, adeoque iniquum ratificans decretum , mendacium mirabili prorsus inventione convertit in veritatem ; verba iniuriosa & temeraria, in cœlestia atque divina oracula ; & in Prophetiam, blasphemias. Odium verè infernale, & diabolicum , quod rationes adinvenire, & velut convenientes allegare potest, vt irrationabilis adeò atque inconveniens approbetur propositio. Amor verè cœlestis & divinus , qui ad invenire motiva, argumentaque adducere potuit , ad confirmandum omne id, quicquid unicus

cus eius & capitalis affirmabat inimicus. Magni huius amoris, amantis Dei nostri, dilectissimi interim capiamini amoribus, & dum ego hanc in amoris ore positam considero sententiam, vos pari quoque passu odium non minus, peccatorumque abhorrete malitiam.

2. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo*, inquit amor, *& non tota gens pereat*. Expediens profectò erat, ut moreretur Christus, ne tota moreretur humana generatio, atque vt per mortem vnius innocentis, tot culpabilium siue reorum lucrari & acquiri vitæ possent. Id quod tot antea sæculis ab Osea luculenter vaticinatum fuerat, quãdo Dei nomine dixit, futurũ fore, vt ipse mors mortis futurus esset: *Ero mors tua, ô mors*. Idem q; Ecclesia Dei, hoc vtiq; fine toties reperit, vt recens excellentis adeò beneficij conseruaretur memoria: *Qui mortem nostram, moriendo destruit.* Priusquam Christus nos sua liberasset morte, tribus potissimùm mortis subiecti eramus generibus, morti videlicet naturæ, morti gratiæ, & morti gloriæ. Mors naturæ, corporis nos spoliabat bonis; Mors gratiæ, bona deprędabatur animæ; Mors glorię, in beatitudinis involabat divitias. Mors naturæ, hominem mundi huius destituebat vsura; Mors gratiæ hominem elongabat à thesauris iustitiæ; Mors gloriæ è cœli nos excludebat delitijs. Mors naturæ animã separabat à corpore; Mors gratiæ Deũ turpiter propellebat à corde; Mors glorię totũ hominem sequestrabat à beatifica visione. Prima carnem destruebat, secunda vulnerabat spiritum. Tertia denique in vtrumque sæviebat.

Oseæ 13. v. 14.

3. Et PRIMO quidem, *expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo*, vt prima mors destruatur, q̃ est mors carnis, non minus omnibus terribilis, & horrida, quam vitæ donum charum omnibus esse possit. Unde Petrus Blesensis, introducẽs Ecclesiam Dei, filios suos, ne mortem timerent, exhortantem, introducit pariter & filios, velut eidem hisce verbis respondentem: *Quid est quod dicis Mater? Nemo carnem suam odio habuit. Etiam Christus horruit mori. Petrus ductus est ad crucem nolens. Apostolus optat, si fieri posset, superuestiri, non spoliari.* q. d. Quid tu ô pia fideliũ mater psuades tibi? An forte fore vt nos mortem nõ timeamus? Et qua id ratione fieri poterit? quippe quæ horrori & formidini fuerit Apostolici senatus Principi, ipsi quoq; gentium Doctori, imò Christo Domino ipsimet? *Quid ergo faciet virgula campi, vbi concutitur, cedrus Libani?* An non timeremus mortem, dicit Bernardus, quæ horrenda quædam crux est, cui nõ manus duntaxat & pedes affixi sunt, sed omnia totius personæ membra, & quod plus est, ipsamet quoque anima, quæ inenarrabiles in morte experitur agonias? *Mors ipsa est crux horribilis, ad quam quotidie festinas & non attendis. Vide quo modo mors, te crucifigit? Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi obstupescunt, vultus horrescit, facies exsudat & morte tacta pallescit. Et hæc vtiq; quæ intus videmus deforis, & quæ sentimus, levia sunt, ad ea, quæ intus animus miserabi-*

Primum Punctum.

Serm. 3. de S. Nicolao

Serm. de villico iniquitatis.

lis iam prægustat. Affirmat sapiētissimus Idiota, mortem horribile quoddam esse omnium malorum compēdium: *O peccati stipendium, ô naturæ debitum, ô inevitabile iudicium &c! Casus iste naturæ qui est mors, valde horribilis est, plenusque omni calamitate & miseria.* Sophronius Archiepiscopus Cōnstantinopolitan⁹, consentit Pilosopho, qui mortem existimat principatū inter omnes mundi huius tenere miserias. *Mors suppliciorū omnium verè acerbißimum.* Plus dicit S. Augustinus, scilicet mortem ingētem adeò esse miseriam, vt ipsummet incarnatum Dei filium, per compassionem fecerit plangere, prout factum esse in mortē Lazari, refert S. Joannes, *non mortuum flebat, quem ipse suscitavit, sed mortem, quam sibi homo peccando comparavit.* Non mortuum, sed mortem deplanxit Dominns; non mortuum, cui mox daturus erat vitam; sed mortem, lachrymabile culpæ deflevit supplicium. Idemmet Augustinus alibi non dubitat dicere, mortem ingens adeò malum esse, ut verbis exprimi nequeat, utpote quæ omnem vim sermonis humani longo intervallo excedat: *Vtinam in Paradiso benè vivendo egißemus, ut revera nulla esset mors! Nunc autem non solum est; verum etiam tam molesta est, ut nec ulla explicari locutione poßit, nec ulla ratione vitari.* Enimverò nisi adeò mors esset horribilis, uti modò exponimus, qua ratione in tanta nobis veneratione essent Martyres, qui pro fidei Christi testimonio, suam exposuere vitam? Cur hi in gloriæ regno adeò vicini Christo, regnant cum Christo? Cur ipsorum in Dei Ecclesia continua percipiuntur encomia? Adducta est hæc ratio à S. Augustino: *Si nulla esset mortis amaritudo, non esset magna Martyrum fortitudo.*

Lib. 5. cōtemplat.

Lib. 6. de Angelorū excellent.

Lib. 3. moral. c. 6.

Serm. 33. de verbis Apost.

Lib. 3 de civit. Dei cap. 11.

Serm. 33. de verb. Apost.

4. Nulla est in mundo adeò in Dei voluntatem resignata mens, nullum pectus divina adeò corroboratum gratia, nec ullus Paradisi deliciis adeò plenus spiritus, qui promittere sibi valeat, nullum se, in hujus formidabilis inimici nostri conspectu, concepturum horrorem. Adfert ad id S. Hieronymus, S. Jeremiæ Prophetæ exemplum, qui tametsi in matris utero sanctificatus, immaculatus toto vitæ suæ tempore virgo, Propheta quoque veteris testamenti illustrissimus, omniumque venturi Meßiæ arcanorum conscius fuerit, à morte nihilominus terrefactus, sollicitis à Rege Sedechia precibus se ab illa petiit liberari. *Ieremias sanctificatus in utero, antequam natus, virgo, Propheta veteris Testamenti, pertimescit Sedechiam, & flebiliter obsecrat dicens: Nunc ergo, Domine mi Rex, audi precationem meam & prævaleat apud te deprecatio mea, ne remittas me in domum Ionathan, ne ibi peream.* Verum occur tibi, ô sancte Propheta, ab impio Rege times, quem brevi moriturum esse nosti? Tune carcerem times, cui præparatus est Paradisus? Tune de vita retinenda dubitas, qui in succursum tuum paratum habes Dominum vitæ? *O Propheta, cur times impium Regem? Cur eum metuis, quem nosti iam periturum? Carcerem reformidas, cui paratur Paradisus?* Respondebit Propheta, inquit Hieronymus, mortem timeo, quia homo sum, timeo quia mortalibus & corruptibilibus hisce circumdatus sum

Lib. 12. adversus Pelag.

exuviis; illos ego dolores, illasque agonias timeo, quas ipse quoque Dominus meus formidavit, quando pro mundi salute probaturus venit mundi hujus amaritudines atque pericula: *Respondebit mihi: Homo sum in mortali carne & corruptibili constitutus: dolorem sentio, horresco cruciatus, quos etiam Dominus meus pro nostra salute sensurus est.* Dicat igitur Bernardus, dicet etenim benè, *omnino opus mortis horrendum divortium.* Horrenda prorsus est illa mortis separatio, utpote, quæ unico duntaxat momento, filum tollit & resecat omnis boni mundani; in brevissimo quodam instanti, multorum annorum dissipat ac destruit consilia, involat in minimo temporis puncto quicquid in mundo isto potest esse desiderabile, omne divertit propositum, nobile quodvis extinguit desiderium, generosam quamvis sepelit inclinationem detruncat gratissimas amicitias, strictissima parentelæ vincula dissolvit, ardentissimos infrigerat affectus, atque conjunctissimas maximeque unitas distorquet atq; disiungit voluntates. *Omnino opus mortis horrendum divortium.*

Serm. 26. in Cant.

5. Tyrannis mortis, si de loco sermo sit, non habet confinia, si de tempore nec unicum duntaxat habet momentum, quod de sua nobis immittenda falce securos nos reddere possit; si de personis, domi nata universim omnibus. Incerta quando ventura sit, cæterum de adventu certissima; in modo tradendi mutabilis, in traditionibus autem immutata, inordinata in sententiis, in propositis irrevocabilis, infiniti planctus occasio, ad quem vis tamen planctum semper invicta, oculata ad ictus, ad compassionem cæca, accurata & pervigil ad humanas ruinas, ad preces surda & velut insensata, semper intenta ad mala nostra, de malis autem nostris nunquam contenta. Qui mihi fidem non habet, libro saltem experientiæ fidem adhibeat, utpote quæ simplicium etiam ac idiotarum optima est magistra; Mundum universum perlustret, videbitque barbaræ hujus, omnisque pietatis expertis inimicæ humani generis passim plantata trophæa; indifferenter namque rapit infantem in cunis, sponsas in nuptiis, in campo milites, in palatio Principes, pauperes in tuguriis, prælatos in sedibus, in foro judices: quamcunque obviam ad mortiferum venenum suum permiscendum usurpans occurrentiam, risus videlicet & planctus, divitiarum & paupertatis, somni & vigiliæ, cibi & abstinentiæ, quietis & laboris. Videbis nunquam illam aut persuasam à rationibus, aut motam à precibus, aut ab illata violentia coactam, aut seductam à fraudibus aut donis corruptam, aut emollitam à specie seu pulchritudine, aut ab authoritate retentam. Tacet coram illa Romani Tullii eloquentia; jacet fulmen Græciæ Demosthenes; Putet illa mundi venustas Helena; Illa terræ fœlicitas Amasis plangit, languet fortitudo illa hominum Hercules, Archistrategorum gloria Cæsar jacet, cedit valor ille Principum Alexander, dormit ille ingeniorum flosculu-

flosculus Aristoteles, extinguitur lux illa sapientum Plato. Sed quid dico? si ab universali isthac ruina nonnulli eximendi essent, hi certè esse deberet, magni illi servi Dei, qui tantum mortalibus adferunt præsidium, & tamen horum multi in flore moriuntur ætatis, aliqui violenta morte, casu subitaneo & inexpectato; alii omnes denique post brevem paucorum annorum decursum. Concludamus igitur per justissimam hanc Bernardi exclamationem; *O bestia crudelis, ô amaritudo amarissima, & fœtor & horror filiorum Adam!*

Serm. de obitu Humberti.

6. Quodsi igitur mors semper rationabiliter existimata est adeò terribilis, quis non videt, quam id expedierit ut moreretur Christus, utpote qui mortem nostram adeò formidabilem atque tremendam, moriendo destruxit, uti monstravimus? *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo. Mortem nostram moriendo destruxit.* Erat mors quondam veluti ferocissimus quidam leo, qui stragem ingentem atque macellum faciebat in generatione humana, adeòque irreparabiliter, ut nullus esset, qui aliquod tam universali plagæ adinvenire posset remedium, donec sanctus sanctorum adveniret Messias noster, qui divinitate sua obarmatus, duellum una cum morte iniit, eandemque omnipotentiæ suæ robore occidit, ut illi proinde hodie securè illudatur à pueris atque puellis. Pro cujus meliori intelligentia statuamus generosum aliquem Principem, dum venationi incumbit, leonem quendam occidere, qui terror antea Pastoribus erat, totique viciniæ. Tunc utique videbitis qualiter venatores leonem istum mortuum ad conservandam fœlicis adeò generosæq; venationis memoriam; ad civitatem deferant, pellemque illius paleis atque straminibus impleant atque distendant, atque publico exponant conspectui, subsannationem videlicet atque vilissimæ cujusvis plebeculæ ludibrium. Eheu quam formidandus & indomabilis leo erat mors antè Dominicam Passionem? Quem non incutiebat omnibus timorem? Quam irreparabile toti humano generi adferebat damnum? Ast moriatur Christus, moxque una cum eo mortem simul emori & extingui videbitis, morsque vitam suam adeò perdet, ut quæ antea universalis omnium terror erat, factus nunc sit cunctorum risus & ludibrium. Est hic conceptus Basilii Magni ita dicentis: *Devoravit Christum mors, sed ubi devoravit, cognovit quem devoravit. Devoravit vitam, devorata est à vita. Devoravit unum cum omnibus, perdidit propter unum omnes. Quapropter etiam velut vilis contemnitur. Non enim amplius ut leonem timemus, sed veluti leonis pellem conculcamus.* Non est quod mortem formidemus deinceps: utpote à qua Dominus omnem sustulit sui formidinem. Non eam ut vivam timeamus, sed derideamus ut mortuam; Non illam timeamus veluti leonem, sed ipsam potius, veluti leoninam proculcemus pellem. *Devorasti & devorata es.* dicebat pariter Hieronymus, qui ob id quoque infinitas liberatori nostro hisce verbis refert gratias: *Gratias tibi Christe salvator*

adversus calumniatores vitæ monast.

In Epitaph. Nepot.

vator, *qui tam potentem adversarium nostrum, dum occideres occidisti*, quasi diceret. Utinam ô Domine omnia corporis nostri membra in tot converterentur linguas, ad eas tibi exsolvendas gratias, quas insolitum atque ingens adeò à nobis exigit beneficium! Utinam ignea essent viscera nostra, quales sunt illæ Seraphinorum ardentissimæ mentes, ut dignum tibi offerre possemus pro hac verè tam singulari & ineffabili gratia, devotionis tributum! Utinam illis cœlestis capellæ tuæ musicis efficeremur persimiles, de quibus scriptum est, quod *requiem non habebat die ac nocte*, ut vel sic laudum tuarum cantica, nec non & multiplicis triumphi nunquam interrumperemus gloriam, sed ea S. Augustini repeteremus æternum: *Ipsam mortem dum pertulit, sustulit*, illaque replicaremus S. Hieronymi verba: *Gratias tibi Christe salvator, tua agimus creatura, qui tam potentem adversarium nostrum dum occideres occidisti.*

7. Sanctissimus Dei Propheta Elias mortem sibi ab Achab Rege comminatam vehementissimè quondam timuit, adeò vt posthabita civitate, populo sibi commisso desolato relicto, oblivioni tradito illo honoris divini zelo, animosa illa qua pollebat generositate, qua ipsos quoque plenos formatosque contemnere solebat exercitus, amissa, in solitudinem sese receperit, atque intra densiores deserti sylvas, latebrasq; sese absconderit. Verum quod maximè mirandum, est quod postquam subtus quandam Juniperinam venisset arborem, in terram sese prostraverit, ibique à Deo vt mori sibi liceret, petierit: *Petivit animæ suæ vt moreretur*. Verum ecquæ insolita atque extravagans est isthæc Eliæ petitio? Fugit ab Achab ne moriatur, postquam autem iam fugisset sibique de securitate consuluisset, petit vt mori sibi liceat: Si mortem timet, cur petit illam? aut si non timet cur fugit eandem? Si mori desiderat, quid est quod se abscondat? aut si non vult mori, cur id de se non manifestat? Respondebit Rupertus, Abbas: Iuniperum illam Christi repræsentasse crucem, in qua mors nostra destruenda prorsus erat. *Confugit ad vivificum crucis lignum. Illic ambit mortem, illic festinat commori Christo.* L. 5. in lib. Reg. Mortem, inquit Elias, in Regis Achab Palatio timeo, sed non timeo illam in deserto sub Junipero; timeo mortem, vbi mors viva est, non vero illam timeo, ubi vita illi sublata est: Timeo mortem ubi hæc fortitudinem suam habet & potentiam, non verò timeo mortem ubi hæc omnem vim suam deperdidit: Timeo mortem ubi mors nullum admittit effugium, non verò timeo illam, ubi mortis evidens, video remedium. *Mortem nostram moriendo destruxit*, Et tametsi certum sit, vti docebat S. Athanasius, Orat. de Pass. & Cruce. quod *homo secundum naturam mortem expavescit*; & per consequens certum quoque sit subtus crucem naturæ superari infirmitatem. *Is tamen, quod summoperè admirandum est, vbi indutus est fidem crucis naturam vilipendit, & mortem non exhorrescit.* Natura docet nos mortem timere, sub Christi autem

cruce

cruce natura devincitur, quia vt Gregorius Papa dixit: *Deus suscepit mortem, ne mori timeremus.* Mors Christi tantum naturæ nostræ vigoris addidit, ut supra naturam, non tantum non timeat, sed & desideret illud, quod contra naturam est. *Vbi indutus est fidem Crucis Naturam vilipendit, & mortem non exhorrescit.*

Hom. 14. in Ezech.

8. In Hierosolymorum velim vrbem mecum accedite, ibi namque quendam Christi invenietis discipulum, qui quidem ante Passionem *occultus* erat *propter metum Iudæorum.* Adeò timidus erat & formidolosus, ut ne quidem Dominum nisi de nocte quærere auderet, ne videretur ab Hebræis, qui Dominum ad mortem usque vehementissimè oderant: At verò moriatur Christus, moxque illum ad Pilatum generosè ingredientem, corpusque crucifixi Redemptoris postulantem videbimus. *Audacter introivit ad Pilatum & petijt corpus IESV,* inquit sanctus Marcus. Sed ehem quid facis ô nobilis Heros? An non vides evidens cui te committis periculum? An non proprijs conspexisti oculis, illum Christum, quem nunc per sepulturam honorare contendis, velut infamem in medio duorum latronum fuisse mortuum? An non times ne contra te insurgant Magistratus, qui ipsum condemnarunt; turbæ quæ Barrabæ ipsum posthabuerunt; Sacerdotes qui plebem adversus ipsum excitarunt; Herodes qui illum velut fatuum derisit; Præses qui Judæorum manibus illum tradidit; universa denique civitas, quæ illum velut vituperosum, conversationisque civium indignum in Calvariæ montem foras pepulit, ibidemque crudeliter occidit? Respondebit Theophilactus timidum fuisse Josephum priusquam moreretur Christus, post cuius mortem mortuam quoque mortem esse vidit, ideoque omnem formidinem deposuit mortis, veluti rei cuiuspiam talis, quæ nullum cuipiam adferre poterat nocumentum: *Hoc post crucem, à cruce enim vires accepit adversus illos timores nocturnos.* Simili quoque ratione maximus ille veteris testamenti Heros Abraham, qui meritorum adeò erat dives, adeoque cœlestibus ornatus virtutibus, dum per Ægypti peregrinaretur regionem, tantam habuit mortis formidinem, ut ad illam declinandam consortem suam manifestò exposuerit adulterij periculo. Nec est quod de hoc miremini, inquit Chrysostomus: *Nondum mortis erat soluta Tyrannis, propterea in adulterium consentit iustus, & quasi seruit adulterio in mulieris contumeliam, vt mortem effugiat. Erat adhuc terribilis facies mortis &c. nondum erat aculeus eius hebetatus.* De ape dicitur quod si vivum aliquod corpus suo transfigat aculeo, eundem tali corpori infixum relinquat, adeòq; quasi eviseeretur & moriatur, ad quod fortasse Poeta allusit, dum ita cecinit:

Joan. 19. 38.

Marci 15. 43.

Theophyl. in Joan.

Hom. 33. in Gen.

——*Animasq; in vulnere ponunt.*

Idem morti accidit, quæ dum pupugit eum de quo dicitur: *In ipso vita erat,* in eodem stimulum suum hebetatum reliquit, mortuaque remansit. Vnde à Propheta hisce verbis illi merito insultatur: *Vbi est mors victoria tua?*

ubi est stimulus tuus? Unde Augustinus mirabiles hosce mortis Dominicæ effectus considerans sapienter

Serm. 5. ad fratres. ita exclamavit: *O vita mors mortis! Bono animo estote, morietur & in vobis. Quod precessit in capite reddetur & in membris. Vbi est victoria tua? Vbi est stimulus tuus? Nonne confregit illum Dominus meus? O Mors quando Domino meo hæsisti, tunc & mihi periisti!*

9. Porro quodsi ipsemet quoque Dominus ac Remptor noster, cœli totiusque naturæ ingenti cum stupore à veneno mortis aimaticatus fuit, factum est id, inquit Basilius Seleu-

Orat. 22. cus Episcopus, *quia Christus in morte ad huc viventem expeditionem suscepit.* Cœterum eiusdem Christi servi ô quantū in morte sua gavisi sunt? Quomodo riserunt illam, quæ terror mundi fuerat? Etenim ideo hi morientes jubilabant, quia eorum Dominus in morte sua contristatus fuerat: Gaudebant illi, quia cum morte mortua confligebant; contristatus est Christus, quia mortem aggressus est vivam, vigorosam atque potentem. *Christus morte contrucidata post futuris eam veluti enectam tradit ad certamen.* Ideoque idemmet Basilius advertit, Christi mortem ab Apostolo Paulo absolutè mortem appellari: *Christus mortuus est pro peccatis nostris*; eundem verò servorum suorum mortem appellasse somnum: *Quidam verò dormierunt. Dormierunt, non iam mortui sunt. Depacta namque cruce somnus mors est. Aute cultu formidabilis, & post crucem despicabilis.* Valde igitur mors Domini nostri expediens nobis fuit, ut moreretur mors nostra, atque à mundo tolleretur universalis mundi terror. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo.*

10. Venio nunc ad animæ mortem, à qua nos pariter sua quoque morte liberavit: *Mortem nostram moriendo destruxit.* An non auditis idem Secūdum Punctum.

hisce verbis inculcantem Apostolum? *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.* Mortuus est Dominus vt secundam hanc nostram, 1. Cor. 15. v. 3.

quæ vera mors est, destrueret mortem, quæ adeò servos Dei terret, vt ad fugiendam illam, nullam subire detrectent pœnam atq; laborem. Quodsi autem huius mundi homines ad minus saltem non tantum pro declinanda animæ morte laborent, quantum mortem effugiunt corporis, meritò idipsum ex mente S. Augustini Tract. 49. in Joan.

maxima esse judicatur mundi stultitia: *Laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat, ne peccet homo in æternum victurus, & cum laborat ne moriatur, sine causa laborat: id enim agit, vt multum mors differatur, non vt evadatur: Si autem peccare nolit, non laborabit, & vivet in æternum.* Quænam isthæc est stultitia, laborare scil. pro vita ea prolonganda, quæ tandem aliquando finiri omninò debet, non verò pro ea vita quidquam contendere, quæ durare potest æternum? Si pro hac mortali vita adeò sollicitus existis, cur non ad minus saltem æque sollicitus es pro vita immortali? Si adeò tibi id placet, quod commune tibi est, cum vilissimis terræ istius animalculis, cur non placet istud quod angelis, imò ipsimet Deo similem efficere potest? Si mortem horres, cur peccatum non exhorrescis,

quod

quod millies ipsa quoque morte deterius est? Audi hoc te obsecro, ex ipsomet S. Ambrosij ore, idemque firmissimè cordi tuo insculptito: *Nemo*, inquit, *gravius moritur, quam qui peccato vivit.* Hæc vera mors est, quæ non ex complexionis intemperie nascitur, sed ex passionum inordinatione. Quæ non ferro aut bene limata infligitur chalybe, sed ab obstinato corde & perversa voluntate: non est causata à morbis, sed suam ducit originem à vitiis; Non animam à corpore, sed Deum ab anima separat: Non ab ea luce cuius ipsæ quoque muscæ atque formicæ paticipes existunt, lumina nostra claudit, sed rationis lumine mentem nostram destituit. Non membra refrigerat, sed mentem velut gelu constringit; Non ab hac terra propellit, sed cœlo excludit. Non amicorum & consanguineorum nos conversatione privat, sed angelorum, beatorumque in cœlis commercio. Non corpus in prædam dat vermibus, sed puncturis & continuis remorsibus conscientiam; Non carnem seu corpus tumbæ includit, sed spiritum sub pravam sepelit consuetudinem. *Nemo gravius moritur quam qui peccato vivit.* Mors animæ tanto profectò est lachrymabilior, quanto magis spontanea est, & non involuntaria: tanto horribilior, quanto permanentior & durabilior, non autem brevis & momentanea: tanto deploranda magis, quanto minus habet remedij estque incurabilior. Tanto nocivior, quanto æternis non verò temporalibus privat bonis: Tanto abominabilior quanto hominem à Deo non verò ab hominibus reddit alienum; tanto plus prodigiosa quia id quod occidit immortale est & æternum, non verò transitorium aut tempori subjectum: *Nemo gravius moritur, quam qui peccato vivit* Hæc est mors illa, quæ à Propheta regio mors pessima appellata fuit: *Mors peccatorum pessima*; Et merito, siquidem in comparatione eius, quodvis huius vitæ nostræ malum, sominum est; omne damnum umbra, omnisque miseria depicta quasi videtur. In comparatione pessimæ mortis huius nihili æstimanda est, sive rerum temporalium iactura, sive honoris infamia, sive animi dolor, sive corpus morbi, sive inimicorum persecutio, sive proditio falsorum amicorum traditoria, sive tormenta carnificum, sive Tyrannorum crudelitas, sive strages bellorum, sive famis infortunium, sive pestis crudele macellum, & quicquid in hac miseriarum valle tremendum magis inveniri unquam possit. *Nemo gravius moritur, quam qui peccato vivit.* Audi iterum Ambrosium docentem quam gravis vincuique necessitas ipsa culpa existat, utpote quæ omnem amaritudine replet dulcedinem, omnem perturbat quietem, omnem confundit ordinem, abundantiam omnem dissipat, sine accusatore reum facit, cruciat sine carnifice, sine vinculis stringit, vendit sine venditore, sine iudice condemnat. *Gravior adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore*

De Noë & arca 4.10.

Amb. in Psal. 7.7.

tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditore vendimur.

11. Atque ex prædictis rationabilem facilè, dilectissimi, elicere potestis consequentiam, hanc videlicet, quod si mors peccati damnosa adeò atque perniciosa existit, tantò præstantiùs futurum sit illud Domini illius beneficium, *qui mortē nostram moriendo destruxit*, de quo scriptum est: *Dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Atque hac ratione consequenter intelligetis, quam vera sit cœlestis illa Prophetia: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Expedit ut moriatur Christus, ne tota moriatur humana generatio, atque ut mortem patiatur unus, ad hoc ut cuncti mortui vitam recuperent. *O mortem adversus mortem potentissimam!* exclamat S. Augustinus. O mortem verè potentissimam, quippe quæ animæ mortem quæ adeò potens erat destruere prævaluit! Ecce tibi in deserto exaltatum serpentem æneum, qui à serpentinis nos morsib. liberat. *Quid est intuendo serpentem sanari à serpēte?* dicit idemmet Augustinus, *credendo in mortuum salvari à morte.* O verè amabilem Deum! Nos fuimus, qui in infami te suspendimus crucis patibulo, tu verò damnationis nostræ eidemmet cruci affixisti chyrographum. Nos tibi omnem quem in visceribus tuis habebas extraximus sanguinem, tu verò inde salutare & efficax confecisti lavacrum, unde ab omnibus peccatorum nostrorum abluti sumus sordibus. Nos tibi mortem intulimus, tu verò hanc actionem nostram eo modo ordinasti, ut mors tua mors fieret mortis omnium. *Quid benignius* (Estque S. Cypriani reflexio) *vivificatur sanguine Christi, qui effudit sanguinem Christi? O mortem adversus mortem potentissimam!*

Lib. 13. de civit. Dei. cap. 12.

in Psal. 73.

Cyprianus lib. de Pœnit.

12. Ecce tibi repetitum antiquum in deserto ad fontanam Mara patratum miraculum, cujus aquæ cùm priùs adeò essent amaræ, ut nulli humano servire possent usui, ligni cujusdam in illas immersione dulces derepentè factæ sunt & sapidæ. Aquæ populos significant: *Aquæ multæ, populi multi.* Lignum est crux Christi, cujus contactu amaritudo ab hominibus sublata est peccati, eosdemque de inimicis Dei, Dei filios, ex reis pœnæ æternæ, hæredes gloriæ, de exulibus cœlorum cives, de adversariis angelorum sodales, ex Sathanæ mancipiis ejusdem domitores, vasa honoris ex vasis contumeliæ, ex servis culpæ gratiæ templa constituit. Ita hanc figurā S. Ambrosius explicavit: *Hoc significavit fons Mara per lignum dulcoratus, eò quod populus nationum amarus ante peccatis, vel caro nostra temperamento passionis Dominicæ in usus alteros mutaretur.* Atq; hunc existimo fuisse S. Joannis Chrysostomi conceptum, quando dicere non dubitavit, crucem Domini terram in cœlum commutasse, atque angelos effecisse ex hominibus: *Hæc crux terram in cœlum reformavit, & ex hominibus angelos facit.* Cœlum est terra viventium, unde mors spiritualis peccati æternùm existit exclusa; Hic item mundus, in quo peccatum regnat, morientium est patria; Christus autem redemptor noster per crucem & mortem suam mortem exclusit ac profligavit

De instit. virginis.

Hom. 55. in Matth.

gavit peccati, ideoque terra cœlum, homines autem effecti sunt Angeli. O *mortem potentissimam!*

Serm. 43. Cant. Isaiæ. 13. Nescio certè an unquam adverteritis id quod notavit Gilibertus Abbas, videlicet sanguinem Christi, tametsi is rubicundus sit, hanc tamen in se virtutem & qualitatem habere, ut dealbet quod illo aspergitur: *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Dicitur in Isaia ob rubeum sanguinis colorem: *Dealbaverunt stolas in sanguine Agni*, inquit Joannes in Apocalypsi: *Qualis rubor qui dealbandi non caret effectu?* Quis est rubor ille, qui innocentiæ Christi candore rubeus, atque in peccatorum nostrorum nigredine candidus videtur & albus? Ratio autem istius paradoxi est, quoniam sanguis à Christo in morte sua effusus, Ecclesiam Dei ex nigra, talis namque erat, adeò candidam reddidit & innocentem, ut ipsis quoque stuporem attulerit cœlincolis & civibus, qui mirum hoc videntes prodigium simul eidem acclamant dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens*, aut secundum lecturam septuaginta interpretum: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Tam pulchra, tam luminosa, tam sine macula & ruga?* (sunt In Psl. 109. verba sancti Augustini) *Nonne ista est, quæ jacebat in cœno iniquitatis? Nonne ista est, quæ iacebat in fornicatione idolorum? Nonne ista est quæ immunda erat in omni cupiditate desiderio que carnali? Quæ est ergo ista, quæ ascendit dealbata?* Nostine, inquit sanctus Augustinus, eccur Ecclesia adeò sit candida? quia ita rubicundus fuit Christus. Pulchra est, quia deformis Christus fuit; Gratiis repleta est, quia Christus saturatus opprobriis fuit. Innocens est, quia Christus se passus est videri in similitudine peccatoris: vita gratiarum fruitur: quia Christus tormentum habuit mortis: *Attende quid sit ille qui pro ea factus est non habens speciem, neq; decorem, & intelligis huius claritatis honorem. Si miraris illius humilitatem propter hanc, noli iam mirari huius celsitudinem propter illum. O mortem adversus mortem potentissimam!*

14. Cordis igitur cum jubilo, verbum illud Doctoris gentium, tanto plenum solatio repetamus: *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, vivificavit nos in Christo.* Verum & sancti Bernardi quoque repetamus glossam, dicamusque: *Verè nimiam, quia & mensuram excedit, modum superat plane, supereminet universis.* Quantus amor illi debetur amori, qui adeò ingens est, ut omnem excedat mensuram, omnesque terminos in immensum transcendat? Qui talis est, ut nimius esse videatur & superabundans? *Propter nimiam charitatem.* Quantopere illi obstricti sumus Domino, qui beneficium aliquod in nos adeò ingens contulit, ut per illud ex nobis impositæ sint obligationes, quas exsolvere non valemus in æternum? *Si totum debeo tibi* (est conceptus sapientissimi Idiotæ) *quia me fecisti, ad magis amandum*

Ephes. 2. v. 4.

Serm. de Passione Domini.

Idiota lib. contempl.

mandum sum tibi obligatus, quia me refecisti. Nec tam facilè me refecisti, quàm fecisti, nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura. Hic quoque erat sancti Bernardi discursus, dicentis: *Super omnia reddit amabilem te mihi,* JESU *bone, calix quem bibisti, opus nostræ Redemptionis. Hoc omnino amorem meum, facilè vendicat totum sibi; hoc inquam est, quod nostram devotionem & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. O mortem adversus mortem potentissimam!*

Serm. 20. in Cant.

15. Ecquid sanctissimum Redemptorem nostrnm intendisse existimatis, quando priusquam ad passionem subeundam se reciperet, in hæc verba prorupit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum?* Passione mea mediante omnes populos, inquit Dominus, omnes nationes, totum denique mundum ad me qui vera vita sum, traham dum levatus in cruce mortem patiar. In cruce mea reddam homini, quicquid per peccatum perdiderat, atque tot tantisque illum locupletabo gratiis, ut debitis pro iis reddendis gratiis, nunquam in æternum futurus sit sufficiens. O dulcissima cogitatio! O charum animarum nostrarum solatium! Elongat à Deo peccatum, Christus in cruce vicinos nos Deo efficit, Peccatum lethi ferè hominem in anima vulnerat: in cruce Christus ad vulnera nostra curanda balsamum præparavit. Deprimit creaturam peccatum: Elevat eandem in cruce Christus ad Creatorem. Peccatum Monarchæ mundi istius inimicos nos constituit; in cruce Christus reconciliandi rationem ac modum adinvenit: Defœdat atq; commaculat peccatum conscientiam, eandemque exosam reddit, atque deformem: in cruce Christus, suo illam exornat sanguine, atque oculis æterni patris sui dignos nos efficit. Peccatum ad extremam reducit paupertatem, & miseriam: in cruce Christus inæstimabilibus ditat thesauris. Peccatum infamat, & probro afficit: in cruce Christus ad incolatum usque Paradisi sublimat, & exaltat. Peccatum occidit; Christus autem vitam donat in cruce. In cruce ergo viciniores Deo facti, sanitati restituti, exaltati, & reconciliati; & exornati, & locupletati, & honorati & vivificati sumus. *Ibi vulnera tua curavit,* (sunt verba Augustini) *ubi sua diu pertulit: ibi te à morte sempiterna sanavit, ubi temporaliter mori dignatus est. Qualis mors quæ mortem occidit?* Quænam est mors ista, quæ vitam mortuis donavit? Qualis mors quæ ipsamet magis vitalis est vita? *Crucifixus est Dei filius* (dicebat ad idem propositum sanctus Ambrosius) *ut in illa cruce nostræ carnis tentamenta morerentur.* In cruce mortuus est Christus, ut ibidem hujus carnalis hominis miseriæ pariter morerentur atque peccata. *O mortem adversus mortem potentissimam!*

Lib. 1. de Spiritu sancto.

19. Sanctus Petrus Cardinalis Damiani refert, in Indiæ regionibus admirabilem quandam reperiri arborem

Lib. 3. Epist. 18.

borem, quæ appellatur Peridirion, quæ gratissimum columbis est habitaculum, quippe quæ dulcissimum quendam producit fructum, qui pascit illas, nec non & salutarem quandam à se projicit umbram, quæ à serpentibus illam mirabiliter defendit; *In huius arboris gratia, columbæ maximè delectantur, cuius nimirum eas, & fructus reficit, & umbra defendit.* Porrò quænam alia est arbor isthæc, præterquam crux Christi veneranda? de qua dilecta Domini sponsa aiebat: *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus eius, dulcis gutturi meo.* O benedicta arbor, quæ columbarum, animarum scilicet prædestinatarum, defensio es, atque adversus serpentes, illas infestantes, hoc est, adversus peccata, singulare es præsidium, easdemque cibis dulcissimis, Paradisiacis videlicet simillimis, pascis & nutris, *cuius & fructus reficit, & umbra defendit!* O millies beatum lignum, quod salus es gentium! conformiter ad illud Joannis: *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* O fœlix arbor, in qua Christus mortem eo fine sustinuit, ut nos vitam invenire possemus: *Ibi te à morte sempiterna sanavit, ubi temporaliter mori dignatus est. Mortem nostram moriendo destruxit.*

Cant. 2. 3.

Tertium Punctum.

17. Postremò denique *expedit vobis, ut moriatur unus homo.* Filius namque Dei, morte sua, à tertia quoque morte, quæ est mors gloriæ, nos liberat; *Mortem nostram moriendo destruxit.* O desideratissimum habitaculum, benedicta patria, fœlicissima terra viventium, tu unicus es spei nostræ scopus, & meta, nostrorum finis consiliorum, desideriorum nostrorum objectum, ærumnarumque nostrarum solatium! Ubi Deus videtur facie ad faciem, ubi generosi milites, suum recipiunt stipendium, ubi palmas suas decantant gloriosi victores. In te & securæ sunt divitiæ, & delitiæ imperturbatæ, & gloria durabilis & sempiterna, semper possessa & semper amata, semper eadem, & nova semper, semper habitata, & semper quæsita. Procul ab occultis remota insidiis, nec non & violentia manifesta; tuta ab animi doloribus, & ab inquietis carnis infestationibus, & ab intestinis seditionibus, & ab externis secura insultibus. Quis pompas tuas edicat, cum sint indicibiles? Quis tua enumeret gaudia, cum numerum non habeant? Quis tuas effabitur fœlicitates, cum hæ ineffabiles revera existant? Gloriosum regnum, ubi tot à Rege gloriæ benè visi inhabitant, omnes à Redemptore mundi, magnis affecti favoribus, cœlestis illius curiæ, omnes intrinseci, & familiares! Cum differentia equidem præmiorum, & sine æmulatione; cum graduum varietate, & sine confusione; cum ingenti multitudinis numero, & sine discordia; cum duratione status, & absque antiquatione; cum gaudiorum abundantia, & sine tædio. Eia ergo, quo tu es pulchrior, ô sacratissima mansio, quanto deli-

tiosior, quanto beatior, tanto major erat infœlicitas nostra, quæ nos à te tam procul tenebat remotos! Verum enimverò, ô magne Deus, mille tibi pro passione & morte tua reddantur gratiæ; tu namque per mortem tuam æternam nobis in cœlesti gloria lucratus es vitam: *Æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti.* Tu cœli portas reserasti, tot hactenus sæculis occlusas, tu mercedem lucratus nobis es amplissimam: tu ad gloriæ tuæ regnum, pretioso sanguine tuo, nos habiles effecisti ac idoneos: *Mortem nostram moriendo destruxit.*

18. Hic, obsecro, serviat nobis id, quod in sancto Matthæo legimus, videlicet: quod cum Christus Redemptor noster, paulo antequam suam adoriretur passionem, mortem suam hisce verbis prædiceret, Matt. 20. v. 18. 19. & 20. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, ad crucifigendum*, mox facer textus subjungat, accessisse coram ipso, matrem filiorum Zebedæi, ac multa cum instantia, gloriæ sedes ab ipso sollicitasse: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Tunc, id est, in illo eodem procinctu dum de sua loquebatur passione, mulier requisivit ac petiit glorificationem, dum is in procinctu est eundi ad mortem, ipsa vitæ regnum ab illo sollicitat. Dum Christus ad temporaliter mori se præparat, ipsa æternaliter vivere exposcit. *Tunc accessit.* Non sum equidem nescius, mulierem hanc, à nonnullis patribus modicæ argui prudentiæ, attamen omninò ego mihi persuadeo, ipsam in hocce facto, velut sapientissimam ac prudentissimam sese exhibuisse matronam, eò, quod gloriam à Christo poposcerit, eò prorsus tempore quo ipse ad moriendum properabat; Mors namque Domini pretium est, quo thesauri comparantur Paradisi, videturque ipsa hunc sancti Augustini fecisse discursum ac consequentiam: in Psal. 95. *Filius Dei pro nobis mortuus est: securus esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius.* Visaque fuit sancto huic Doctori adeò certa isthæc consequentia, adeoque gratus ac dulcis hic conceptus, ut illum replicaverit sæpius, idque solito semper suo cum lepore & elegantia. Sic in Psalmum 103. dicit: *Quam vitam tibi servat iustificato, qui suam mortem donavit & impio?* Et in Psalmum 85. *Quam certa & quam firma promissione servat iustis vitam suam, qui donavit iniustis mortem suam!* Et in Psalmum 66. *Impium te quæsivit ut redimeret, redemptum deseret, ut perdat?* Et in Psalmum 40. *Mala vestra pertuli, bona mea non reddam?* Et in sermone quinto ad fratres in Eremo: *Fons vitæ mortuus est propter nos, negabit vitam suam, qui pro nobis erogavit mortem suam?* Fuit igitur in matre filiorum Zebedæi circumspectio singularis & prudentia, quod gloriam poposcerit, tunc, quando Christus ejusdem gloriæ promittebat pretium, locumque in fœlicissima illa civitate viventium; tunc requisiverit, quando per mortem suam Christus eiusdem civi-

tatis

catis dudum hactenus obfirmatas aperuit portas. *Mortem nostram moriendo destruxit.*

19. Homicidis olim certæ quædam constitutæ fuere civitates, in quibus ipsis vivere licebat, ipsis tamen interea à patrijs suis regionibus prorsus proscriptis & profligatis; hoc autem tam durum à Patria exilium, non durabat diutius, quam vsque ad mortem summi sacerdotis, adeoque hoc mortuo, omnibus in exilium proscriptis repatriare impunè licebat: *Et habitabit in civitate illa, donec moriatur sacerdos magnus, tunc revertetur homicida, & ingredietur civitatem.* Nos verè homicidæ sumus, qui nova ac rara quadam cum crudelitate per peccati venenum animas nostras intoxicantes occidimus, ac proinde ab amœnissima Paradisi Patria iure meritissimo proscripti sumus, *donec moriatur summus sacerdos. Quid est hoc*, inquit Gregorius, *nisi quod humanum genus post mortem Christi in Paradisi possessione reparatur?* Hoc est quod Apostolus dicit, dum in Epistola ad Hebræos ita scribit: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, & viventem, per velamen, id est carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde.* quasi diceret: Fiduciam habeamus firmam, fore vt cœlum aliquando, Christi sanguine mediante ingrediamur, illasque novas calcemus vias, quas ipse per propriæ

Josue 20. v. 6.

In cap. 66. Ezechielis.

Heb. 10.

carnis victimam aperuit velut sacerdos, domui Dei, id est, Ecclesiæ singulariter superintendens. Estque hoc beneficium tale, vt ex mente sancti Bernardi, omnem superet cogitationem, omnemque excedat existimationem: *Quis sufficiat cogitare, qualiter rerum Dominus prævenerit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis, & singularis illa Maiestas voluerit mori, vt viveremus, servire, vt regnaremus, exulare vt repatriaremus, & vsque ad servilissima opera inclinari, vt constitueret nos super omnia opera sua? Mortem nostram moriendo destruxit.*

Serm. 2. de ascens.

20. Quando Patriarcha Jacob cœlum vidit apertum, subitò reverenti quodam correptus timore, exclamavit: *Hæc est Domus Dei & porta cœli.* Postea verò, dicunt scripturæ, exhibita illi scala quædam fuit, quæ de terra ad cœlum vsque pertingebat, quæ juxta sapientissimam sancti Ambrosij opinionem, Christi repræsentabat crucem, vtpote quæ scala esse debebat, qua mediante commercium introduceretur cœlum inter & terram, Angelos & homines? *Nec illa otiosa significatio* (sunt verba Doctoris sancti) *scalæ de cœlo, quod per crucem Christi Angelorum atque hominum futura consortia viderentur.* Atque hoc sensu Petrus Damiani dixit: *Per lignum servi facti, per lignum sumus libertati pristinæ restituti. Per lignum de Paradiso fueramus eiecti, per lignum sumus ad patriam revocati. Et qui per lignum inimici deputati sumus, per sacramentum* crucis

Gen. 28. v. 17.

Lib. de Fide & Resurrect.

serm. de invent. crucis.

crucis in amicitiam Dei & Angelorum concordiam conciliati sumus. Eccur existimatis futurum, vti benedictus Dominus noster in sancto Matthæo dixit, vt in extremi Judicii die in totius mundi præsentia atque conspectu, veneranda crux Christi sit Matt.24. v.30. compauritura? *Tunc parebit signum filij hominis.* Cur crux apparebit tunc, quando finitæ erunt universæ cruces? satius omninò foret ô Domine si in die illo dilectis tuis Coronas exhiberes, non verò cruces, siquidem per laboriosissimæ vitæ suæ perpetuas cruces vitæ æternæ promeruere coronas. Enimverò egregiè admodum ad hoc respondet Paulus Palatius, ideò videlicet comparituram coram Iustis Domini venerandam crucem, vt omnes intelligant crucem esse illam quæ cœli illis aperuerit portam: *Crux apparebit in Cœlo, ut notetur Cœlum deberi Cruci. Mortem nostram moriendo destruxit.*

21. Sanctus Paulinus Episcopus optimè fasciam illam rubicundi coloris capillarem considerat, quæ ad fenestram meretricis Raab posita, atque ab Hebræo exercitu conspecta, solam illam Raab domum à militari reservavit furia, cui tota alias Jerechuntina civitas subjecta erat. Sic enim dicit futurum quoque in die Judicij, nam plagæ & verbera irati Dei parcent ijs, qui præsidium suum atque tutelam à roseo Christi sanguine sibi sumpserint; adversus omnes autem alios econtra sine vlla compassione truculenter sæviet qui ad hoc se præsidium recipere neglexerint:

Significans illos mundo labente tegendos
Quos Crucis invictæ signat Cruor.
Hinc cape quantum
Ipse Cruor valeat, cuius saluabat Imago.

Hic est sanguis ille nos protegens à Dæmonum rabie, atque à mortis æternæ defendens periculo: Ex altera verò parte exornans animam, eandemque gloria cœlesti dignam efficiens. Lib.5. de Fide cap.5. Ita quoque sanctus Ambrosius de eadem figura loquens dixit: Raab meretricem per Passionis Christi symbolum solum in universali excidio civitatis invenisse effugium: *Quæ in excidio civitatis remedia desperarat salutis, vexilla Dominicæ Passionis Coccum in fenestra ligavit, vt species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura, vernaret.* Finaliter denique, hic mortis & passionis Christi finis fuit, vita scilicet & salus generis humani. Ideo namque maledictioni ipse se supposuit, vt nos essemus in æternum benedicti. *Ille maledictum in Cruce factus est, vt tu benedictus esses in regno Dei.*

22. Tandem cum sancto Bernardo concludam, qui illa Psalmi 103. verba *Petra refugium herinaceis* exponens, optime dixit: suum in plagis Christi, qui vera est Petra, peccatores ab iis quibus subiecti sunt mortibus habere refugium: Amb.lib. 7.Epist. 47. *Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur?* Quodsi in corpore moritur homo, peccati id est: supplicium: Si moritur in spiritu, effectus quoque est peccati: si denique gloriæ moritur, id pariter peccato debi-

debitum est supplicium. Cum igitur in passione & morte Christi peccato efficax adinveniatur remedium, meum quoque mortibus meis in eadem Christi passione inventurus sum remedium. In sancto Crucifixo tota spes ac fiducia nostra collocata consistit, in benedictis illis cavernis, in sacrosanctis illis foraminibus, è quibus ingentia benedictionum dimanant flumina, in illis vitæ nidis, in carne Domini nostri excavatis. *Qui mortem nostram moriendo destruxit.*

PARS SECUNDA.

23. *Expedit vobis vt vnus moriatur Homo.* Sententiam istam hactenus in amoris ore versantem contemplati fuimus, nunc illam ab ore odij dimanantem pervideamus. Ecce igitur tibi hic luculenter descriptam malorum consiliariorum praxin & consuetudinem, qui dum de status ratione agitur deque temporali Reipublicæ emolumento adversus Deum pronuntiare minimè dubitant, pedibus suis frequenter substernentes legem Christi, Ecclesiæ iura, cultum & observantiam Religionis, nec intelligunt quod magna sit illusio, ne dicam stultitia, cogitare vtile id esse atque Reipublicæ expediens, quod Dei honori adversatur. Impius ille Jeroboam, nulla ex causa motus aut excitatus bellum movit Abiæ Regi, hoc solum motiuo ductus vt è medio tolleret, qui de gloria ac Maiestate Regni cum ipso competebat, sperans fore vt hac ratione in suo se regno firmius stabilire, casibusque atque eventibus suis melius prospicere posset. Procuravit interea Abias Rex vt inimico persuaderet exercitui; ne adversus Deum arma sua levaret, vtpote cuius solius Rex constitutus esset voluntate. Neve sine data causa ad alienum statum perturbandum, moveret, dixitque illis: *Filij Israel nolite pugnare contra Dominum Deum Patrum vestrorum, quia non vobis expedit.* Quibus verbis sapiens hic Rex duo dixit consideratione dignissima. Primum erat, vt non pugnarent contra Deum, revera namque qui contra justitiam contra innocentiam arma levat, eadem pariter contra ipsummet Deum capere censetur adversus quem nulla iuvat fortificatio, nullum valet consilium, nec vlla denique vis prævalet. Et sicuti monebat sanctus Ambrosius: *Nihil prodest munire propugnaculis, & Deum provocare peccatis.* Serm. 88. Secundum quod Abias dicebat, est; *Quia non vobis expedit*, id quod, vti cernitis, illis impij sacerdotis verbis adversatur omninò: *Non vobis expedit*, dicit Abias Rex: *Expedit vobis*, dicit Caiphas Pontifex. Etenim experientia reapse docuit, Regem veritatem, Pontificem vero dixisse mendacium. Siquidem postquam enim duo hi Reges Jeroboam & Abias cœperunt invicem confligere, ille cum octingentorum millium militum exercitu, hic verò cum exercitu ad medietatem rariori, Abias nihilomnius de Jeroboamo

baomo Rege gloriosam retulit victoriam, quippe qui quingenta circiter militum millia de exercitu illius trucidavit: *Corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium.* Optimè ergo Abias Rex dixerat: *Non vobis expedit*: Sicut econtra pessimè dixerat sacrilegus sacerdos: *Expedit vobis.* Atque inde certificari possumus quam sit verum istud Ezechielis oraculum; *Vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.* Et est sensus, inquit Hieronymus, *non proderit homini iniquitas sua, nec ei præbebit aliquam fortitudinem.*

Hieron. in cap 6. Ezechielis.

24. Regem Achaz obsecro nonnihil conveniatis, eundemque interrogetis, quid ipsi impia illa status ratio vtilitatis attulerit, quæ capiti eiusdem adeò grandem impressit phrenesin, qualis fuit velle Dominos spoliare regno, opulentiores quosque de suo dejicere statu, imò suis quoque manibus in ipsos templi involare thesauros, & deprædari domum Domini, ut haberet quod donaret Assyriis, in quorum potentia magnoperè confidebat. Verum ô Rex stultè dic sodes quidnam illæ quas Deo & hominibus rapuisti, divitiæ utilitatis attulerunt? Potentatum tibi fortasse conciliavere amicitias? In multos fortè annos tuum tibi locupletarunt ærarium? An verò aliquod statui tuo attulere stabilimentum? aut tuos tibi vasallos reverentiores reddiderunt, aut fideliores? an denique te formidabiliorem videri fecerunt apud exteros?

2 Paral. 28.

Audite ad id spiritus sancti responsum: *Achaz spoliata domo Domini, & domo Regum & Principum, dedit Regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.* Nihil ipsi commodi attulere quas sibi depauperando alios comparavit divitias, quia indubitatum est illud Sapientis oraculum, videlicet: *Nihil proderunt thesauri impietatis.* Manifestum est ergo dicit Ambrosius, imperia stabiliri per justitiam, per iniquitatem verò disperdi, eorundemque per Religionem crescere fœlicitatem, destrui verò per impietatem. *Claret ergo, quoniam & æquitas imperia confirmat, & iniustitia dissolvit.*

v. 21.

Prov. 10. v. 2.

25. *Verbum iniquum constituerunt adversum me*, dicit Rex Israelis sanctus. Quodnam est verbum istud iniquū, adversus magnum illum Principem statutum? *Expedit vobis.* Multum interest rationem status ingreditur, Politica huius temporis ita expostulat. Hæc est ratio seper prudentiam carnis gubernandi, atque hic modus est, quo gubernant sæculi huius sapientes. *Verbum iniquum constituerunt adversum me.* Sed quo tandem eventu clauditur verbum illud iniquum? an in vtilitatem cedit persecutoris an verò eius qui patitur persecutionem? Audite id ab ipsomet Davide: *In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti & confirmasti in conspectu tuo in æternum.* Nequaquam iniquitas eorum proderit ipsis. Ipsi me persequuntur, Deus

autem proteget me. Insidias ipsi struunt mihi, Deus me liberabit, Ipsi per fas & nefas Regno me meo spoliare prætendunt, sed Deus me confirmabit. *Verbum iniquum constituerunt adversum me. Me autem propter innocentiam suscepisti, Non gaudebit inimicus meus super me.* Verum enimvero S. Augustinus locum istum ad propositum exponit Concilii, quod hodie adversus Christum Hebræi instituunt. *Verbum iniquum constituerunt adversum me. Quale verbum iniquum? Occidamus & nostra erit hæreditas, stulti, quomodo vestra erit hæreditas, quia occidistis eum? Ecce & occidistis eum, & vestra non erit hæreditas. Occiderunt Iudæi Christum, ne perderent locum, illo occiso perdiderunt locum. Vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.*

26. Ulterius progredior, ac dico non solum non juvare, aut proficuam esse falsam status rationem quæ justitias inter & iniurias cogit dicere: *Expedit vobis*, verum insuper admodum nocere, atque ipsissimam domum, urbium, Provinciarum atque regnorum esse ruinam. Illaque prava consilia, quæ statistæ stultè judicant eventum sortitura factis rebusq; suis concinnum atque proficuum, in totalem illis cedunt destructionem. *Scietis quia ego Dominus*, dicebat quondam Deus per os Ezechielis. q.d. Efficiam ut me eum esse Deum experiamini qui revera sum. Sed quando id erit? *Cum fuerint interfecti vestri in medio Idolorum vestrorum.* In medio Idolorum vestrorum, in quibus tantam repositam habebatis fiduciam, occisi cadent incolæ vestri. Veluti totidem Idola in veneratione sunt judicia atque consilia fastuosi illius sapientis secundum carnem, flagitiosi inquam illius Caiphæ, qui in medio Consilii dicit; *Expedit vobis.* Expediens est atque utile suppressos tenere Prælatos, qui plus nimium sibi arrogant, cum sint ingens Reipublicæ detrimentum. Cautè inquam oportet attendere, oculumque habere experrectum, quia *venient Romani & tollent nostrum locum & gentem.* Ad hoc ut status recte atque legitime consistat, non est opus tantopere curare aut tanti æstimare, quod aut Ecclesiæ desertæ sint & derelictæ, aut oppressus Clerus, sive Patrimoniũ Christi imminutum, aut violata immunitas Ecclesiastica. Floreat duntaxat imperium, cæterum nihil interest sive conculcata sit Religio, aut proscripti sint boni mores. Hæc sunt perversa dogmata falsæ rationis status quæ ad instar numinis honorantur ab impiis. Agedum ergo, dicit Deus, Efficiam profecto ut is à vobis habear & æstimer, qui revera sum. Faciam enim ut corruatis in medio Idolorum vestrorum, h. e. ut in deteriùs in medio ipsorummet Consiliorum vestrorum, à quibus omnem vobis felicitatem, omnemque bonam promittebatis fortunã, abeat Respublica vestra. *Vt ubi peccaverunt, ibi puniantur*, dicit ibidem S. Hieronymus. Peccastis, sine timore Dei consiliando, sententiando si-

Ezech. 6. v. 13.

In c. 6. Ez.

do sine ullo Religionis respectu: Nunc ergo scietis, illa vestra Consilia, illas sententias, determinationes illas ultimum futuras fore status exterminium, Et tunc *scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio Idolorum vestrorum.* Atque hoc est, quod Dominus apud Hieremiam dicebat, postquam multa Civitati Hierosolymorum comminatus fuisset supplicia: *Via tua & Cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, ista malitia tua, quia amara tetigit Cor tuum.* Illæ vestræ inventiones, subtiles illæ atque ingeniosæ machinationes vestræ, illæ tam acutæ rationes, discursus illi adeo considerati, illæ ex intimis Politicæ visceribus elicitæ Propositiones, hæ inquam sunt quæ in extremam, Civitatem vestram redegere fortunam: *Via tua & Cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc. Quidquid ergo accidit* sunt (verba Hieronymi) *nostro accidit vitio, qui dulcem Dominum in amaritudinem vertimus, & cogimus sævire nolentem. Vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.*

27. In Psalmo 117. Christus de suis loquitur persecutoribus, dicitque hosce ipsum apum instar circumcinxisse: *Circumdederunt me sicut Apes.* Eccur autem sicut Apes? Quia uti paulò ante diximus, cum apes hominem pungunt, aculeum in Corpore eius qui punctus est post se relinquunt, adeoque eviscerant sese ac moriuntur.

——*spicula cœca relinquunt*
Affixa in venis, animasq; in vulnere ponunt.

Dicit Poeta. Hoc igitur eodem modo accidit Iudæis, qui circumdederunt velut Apes Christum, quem occidere volentes, ipsimet occisi sunt: *sicut apes pungendo se eviscerant* (dicit Cassiodorus) *sic Iudæi Christum occidendo perierunt.* Atque hæc est ratio cur Hebræi ab Joanne Baptista viperis assimilati fuerint partus namq; viperarum, mortem adsciscit matri, quæ iisdem dederat vitam, visceraque rumpit & contorquet, in quibus esse suum receperant. Est Conceptus S. Ambrosii: *Iniquitas in suum vertitur auctorem, sicut viperæ partus, qui primo suam scindit parentem*, citatque illa Psalmi 35. Verba: *Dixit iniquus ut delinquat sibi*, posteaque adiungit: *Nihil hac sententia sublimius dictum arbitror quia injustus sibi delinquat, sibi generet vulnera, seipse confodiat. Serpens aliis infundit venenum, injustus sibi. In eum enim refunditur, quicquid effuderit.* Estque locus iste à nobis quoque alias, in alia quadam occasione adductus, dignus tamen qui in præsenti quoque adducatur à nobis. Eodem prorsus modo S. Hieronymus eundem locum exponit. *Vt delinquat sibi.* Cur *sibi*? inquit sanctus. Texit suam iniquus malitiam adversus proximos, adversus vicinos, denique contra eos qui adversantur sibi, qua ratione igitur dicit: *Vt delinquat sibi.* Ratio est, quia omnia consilia pessima, omnes male determinationes, omnes pernitiosæ machinæ in eundem redundant authorem; *semper enim iniquitas se proprio confodit jaculo,*

lib. 4. Georg.
in Psal. 117.
in Ps. 2.
Psal. 35. v. 1.

culo, juxta illud: *Fili si malus evaseris, solus hauries mala.* Nolite decipi O vos terræ huius Politici, omne namque vestrum contra Christum digestum Consilium, contra vosmetipsos erit. Velut Apis pungetis, quæ moritur pungendo, in lucem cordis vestri partum velut vipera edetis, quæ à sua occiditur prole, dumque vitam dat, perdit eandem: *Vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.*

Lib. de fide. 28. Huius S. Ambrosius adfert Exemplum, hunc in modum cum Gratiano Imperatore discurrens: Respice inquit ipse, ubinam fidelitas in Imperio Romano defecerit, inveniesque ibidem diu antea Fidem defecisse divinam; Rebellarunt populi à Cæsare, quia cœlo prius rebelles extiterant, in illis partibus non fuit recognitus Cæsar, in quibus vera nunquam recognita fuit Religio: *Evidens ante hac divinæ indignationis causa præcessit, ut ibi primum fides Romano imperio frangeretur, ubi fracta est Deo.* Cavete vobis ô Principes, ne in statibus vestris Hæreticorum permittatis amicitiam, aut cum infidelibus commercium, aut Conscientiæ libertatem aut vivendi licentiam, neque sub ullo prætextu Dei dissimulate offensam, aut iniuriam Religionis, manibus namque vestris palparetis id facientes, quòd ubicunque pessima status ratio Dei introduxerit iniuriam, per eandem quoque viam rebellio atque tradimenta ingredientur status vestros: *ut ibi primo fides Romano Imperio frangeretur, ubi fracta est Deo.*

29. Probat idipsum idemmet Ambrosius, Civitatis Constantinopolitanæ exemplo, quæ postquam se ad fœdera cum Hæreticis Arianis ineunda determinavit, mox se tumultibus oppressionibusque plenam esse conspexit, atque ab extraneis barbarisque Regibus infestata continuo fuit. Sicuti econtra mox ut ad meliorem reducta resipiscentiam, à pestilentis se Hæreseos fæce purgavit, atque errori sà se propulsavit atque proscripsit Magistros, victores suos vincere, deque inimicis suis notabile macellum instituere cœpit. Audite ipsissima Ambrosii verba: *Etenim quamdiu venena Arianorum suis fovebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, muros armis circumsonabat hostilibus. Postea verò quam fidei exules abdicavit, hostem ipsum, judicem Regum quem semper tremere consueverat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet.* Dicere igitur mihi liceat, quod S. dixit Ambrosius, de iis qui Christum è suis expulere confinibus, *surrexerunt, & ejecerunt illum extra Civitatem*, quid mirum est, si salute privati sint illi, qui suum à se repulerunt Salvatorem? *Nec mirùm si perdiderunt salutem, quia ejecerunt de suis finibus Salvatorem.* Vidimus, hactenus Civitates per bellorum turbines desolatas, concussas per terræ motus integras Provincias, intoxicata Pestilentiis aliisque contagiis Regna, ad nihilum reductos ingentes floridosque status atq; populosissimas Respublicas, ex annonæ *Lib. de fide cap. ult.*

Careſtia, ex morbis, peſſimisq; Cœlorum influentiis. Quid putas malis hiſce cauſam dediſſe? Videamus nonnihil quales Magiſtratus inter tradebantur maximæ? Quænam à nobilitate admittebantur dogmata? Quænam leges obſervabantur à populo? Quæ à judicibus approbabantur Conſilia? Quonam Dei timore imbuti vixerint temporis illius Cives? Quali pietate plebs gubernabatur? Qualis templis deferebatur reſpectus? Quis rebus ſacris honos? Quænam de Conſcientia habebatur exiſtimatio? Et tu miraberis adhuc, quod ſtatus perdatur, ubi pietas perditur? Miraberis quod oppreſſa ſit Civitas, in qua nullus eſt qui conſervet eandem? Miraberis male tractari Principem, qui pedibus ſuis ſubſtratam habet pietatem, Juſtitiam, Conſcientiam? Miraberis victum illum, qui eum à ſe expulit, qui à victore ſuo illum noverat defendere? *Nec mirum ſi perdiderunt ſalutem, qui ejecerunt de finibus Salvatorem. Vir in iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur.*

30. O infœlices Hebræos, qui à Pilato homine gentili omnisq; fidei experte, ut Chriſtum Regem ſuum honorarent, eundem impientiſſime renuerunt, dicentes: *Non habemus alium Regem niſi Cæſarem. Habe quod elegiſti*, inquit S. Hieronymus, *usq; ad finem mundi ſerviturus es Cæſari.* Eodemq; ſenſu Baſilius Magnus quoque dixit. *Cæſaris Regnum amplexi, Cæſaris quoq; ſervituti tradentur.* Reſpuiſti Chriſtum, & voluiſti Cæſarem, hunc igitur in tantam tuā deinceps habebis ærumnā; veniet namq; Cæſar & poſt horribilem quandā regiæ civitatis veſtræ obſidionem, omnes vos ſua faciet eſſe mancipia. Verum præ cæteris omnibus in hunc locum optime diſcurrit S. Auguſtinus: *Offerebat illis Regem Deum illi ad hominem confugiebant.* Exhortabatur illos Pilatus, ut Deum ſibi in Regem adſciſcerent, ipſi vero Deo poſthabito recurrebant ad hominē. Ecqualem vero impii iſti atque ſacrilegi merebantur Pœnā? Non aliam, dicit Auguſtinus, quam illam ipſam, quam ipſimet ſibi pridē elegerant: *Digni qui illum haberent, & illum non haberent.* Digni ſunt qui Cæſarem habeant, & digni qui non habeāt Chriſtum qui habeant Cæſarem ultimam ipſorum futurum ruinam, qui etiam Chriſtū non habeant, qui ipſorum futurus fuiſſet gloria & fælicitas ſempiterna. *Erudimini qui judicatis terrā.* O mundi Principes! O Reges terræ! O Rerumpublicarum Magiſtratus, audite veritatem hanc magnā Malum illud Conſiliū quod amplexi eſtis, ad quod minimè pertingebat Conſciētia: Conatus ille quem tentaſtis, qui omnibus adverſabatur legibus, illa ſtatus ratio, quæ omni prorſus caret ratione, qua vos gubernaſtis, illa inquam eademmet veſtræ temeritatis eſt Pœnitentia. Idipſum quod veſtrū fore credebatis ſtabilimentū, extrema atq; noviſſima veſtra erit deſtructio. Ergo *digni qui illū haberent, & illū non haberent.* Ergo *vir in iniquitate vitæ ſuæ nō confortabitur.*

31. Di-

31. Discant postremo omnes quã ingens mali Consiliarii Reipublicæ damnum adferre valeant à quibus sibi tantopere sanctus Israelis Rex timebat, ut diceret: *Domine libera animã meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Quæ est lingua dolosa?* interrogat ibidẽ Augustin. respondetq; : *subdola habens imaginem consulendi, & pernitiem nocendi.* Libera me ô Domine à lingua tam iniqua quæ dum bene mihi consulere velle videtur, ruina est mihi, quia dicit *Expedit vobis*, cum tamen ad ultimũ usq; exterminiũ me damnificet. Plus talis iniquæ linguæ timeo discursus, quam ordinatæ cuiusdã militiæ pertimescam exercitum. Plus me perterret pestilentium illorum verborũ sonus quam me tympana perterrefaciant & tubę quæ conflictũ mihi intiment atq; præsentent. Magis mihi contra eiusmodi sceleratos sermones cœlesti opus est auxilio, quam adversus Catapultas aliasq; inimicorũ meorũ militares machinas. *Quæ est lingua dolosa? subdola, habens imaginẽ consulendi & pernitiem nocendi.* Unde Consiliarii mali apud Oseam Prophetam vocati sunt illusores: *Cœperunt principes furere à vino, extendit manum suam cum illusoribus.* Loquitur secundum literam de Rege Jehu, qui in principio inimicum se exhibuit vitulorum aureorũ qui in Samaria adorabantur, adeo ut propria illos manu destruere statuerit, postea vero primatũ Regni sui, nec non principaliorũ Consiliariorũ regiæ aulæ suę motus consilio, qui velut rationibus Politicis & humanis ebrii, persuaserant ipsi ut in suo vigore superstitionem illam pro cõservatione status Politici adeo utilem & proficuam conservatet, eorundem cessit persuasionibus, atque ob sæcularia nonnulla emolumenta Idololatriam stabilivit. Sed videte obsecro, qua ratione pessimi isti Consiliarii appellentur? *Cum illusoribus extendit manum suam.* Illusores vocãtur aut joculatores. Is namque qui tibi illudit, laudare te velle se simulat, teq; revera vituperat; videtur tuum sectari commodum & emolumentum, cùm tamen tuę reapse studeat ruinæ: Extrinsecus boni tui se exhibet Zelotem, & tuis omnino intentus est dispendiis: Haud secùs perversus aliquis Consiliarius est velut derisor quidam, videtur enim exterius suo judicio defendere velle Rempublicam, & in extremum illam exturbat periculum, & sicut mox dicebamus *habens speciem consulendi & pernitiem nocendi.* Estq; notandum id quod observat Cyrillus Alexandrinus, illusores hosce secũdum literam septuaginta vocari statuum pestem: *Extendit manum suam cum illusoribus, extẽdit manum suã cum pestibus,* legit alia versio. Consiliarius qui perversum suggessit Consilium pestẽ operasse censetur, *habens speciẽ consulendi & pernitiem nocendi.* Vinc. Lyrin. dicit, eiusmodi iniquorũ ministrorũ Cõsilia esse velut venena in vasis aureis, cũ inscriptione remedii sive theriacæ: *Hi sunt qui mala pocula, & noxios succos medicaminum titulis præcolorant ut nemo fere, ubi supra scriptum*

Ps. 119. v. 2. *In Ps. 118.* *Adversus Hæreses.*

ptum legerit remedium non suspicetur venenum. Origenes inquit, talem Consiliorum sortem esse velut lumina, quæ à Pyratis super scopulos aut loca vadosa, statuuntur, ut per ea navigia attrahant navigantium, & prædam speratam faciant: *sicut Pyratæ solent in mari in locis vadosis, occultisq; scopulis per obscurum noctis lumen accendere, quo navigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragium perditionis, invehant: ita & quoddam lumen falsæ sapientiæ ab illusoribus solet accendi, non per quod evadant, sed per quod pereãt homines mundi hujus fluctibus & vitæ pelagus navigantes: propterea navigantes hujus vitæ undas, non omni lumini, id est, sapientiæ, neq; omnibus omnium consilijs credere debemus.* Audiant deniq; illi qui dicunt: *Expedit vobis ut unus moriatur Homo*, audiant inquam Politici hodierni, sapientissimi cuiusdam Principis Consilium, severi videlicet Imperatoris, qui dixit moriens (quo in puncto Veritas sine fuco semper dicitur) dixit hanc æterna memoria dignissimam sententiam: *Firmum imperium filijs meis relinquo, si boni erunt, imbecille si mali.* Sciantque omnes universim contra sapientiæ increatæ consilium omnia evanescere consilia, *quodq; non sit Consilium contra Dominum.*



CONCIO XXXIV.

Pro Dominica Palmarum.

THEMA.

Dicite Filiæ Syon, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21. v. 5.

ARGUMENTUM.

Christus Redemptor triumphat quando moritur, Mundus mortem eidem infert, cum illi triumphum exhibet.

SUM-

SUMMARIUM CONCIONIS.

Benedicenda nunquam satis pietas Christi adeo accensa, inter tot ingratitudines: & econtra nunquam satis maledicenda perfida hujus mundi inconstantia num.1.*Synopsis Concionis*.Ibid.

Punct. I. *Tres modi indagandi ingentem Christi lætitiam, qua perfusus erat circa Passionem, nimirum ex cordis cogitationibus, ex corporis gressibus, ac denique ex oris sermonibus*. num.2.

1. *Exprimitur verbis Psalmi:* Veruntamen pretium cogitaverunt repellere; Cucurri in siti. *Græcum habet non tantum* Cucurri, *quantum* cucurrerunt, *& quomodo hoc intelligendum*. num.3.

Pater æternus, Iudæi, Iudas, Pilatus, Christum tradiderunt; sed non fuisset traditus, nisi seipsum tradidisset. nu.4.

Hæc sola mortis Christi causa, quia nimirum erat Salvator mundi. Ibid.

Bis Christus in corde fuit transfixus, scilicet lancea & amore. Canticorum locus hic productus. *Ad hoc etiam spectat, quod hora Passionis modo dicitur* hora Judæorum, *modo* hora Christi. num.5.

Mysterium tituli Psalmi tertij, scilicet, cum fugeret, à facie Absalon &c. num.6.

2. *Gressus Corporis Christi ad Passiones quam læti & agiles*. David productus. num.7.

Spiritus sanctus vocat Passionem Christi diem desponsationis suæ, *in quo Coronam spineam accepit*. num.8.

Exsilivit adeundo Passionem ut Capreolus, transilivit montes, id est, difficultates passionis. num.9.

Christus ad Passionem ut flamma advolat, & pedes eius similes aurichalco, *& quare?* num.10.

Antoloes populi in Africa, qui celerrimè currunt, eo quod habeant ignitos pedes, ut ait quidam Poeta. Ibidem.

Ita celeriter ad passionem currit, ut semita eius non appareat. Isaias & Daniel huc vocati. num.11.

Vere filius Dei erat iste. *Centurionis dictum, & quare?* Ibidem.

Quanta cum lætitia loquitur de sua passione. num.12. & seq. 3.

Cum omnibus ferè loquitur Christus de sua Passione: Cum turbis: Cum Nicodemo: Cum ELIA & Moyse; cum Petro, & quidem acriter, & quare? Cum Collegio Apostolico, cum Iuda. num.17.

Passionem suam vocat Claritatem, & glorificationem. Ibidem.

Filiæ Jerusalem nolite flere super me, *quia non decebat luctus triumphum* num.18.

Tristis est Anima mea usque ad mortem, non propter mortem, sed donec consummaretur gratia. n.19.

Locutus est de Passione cum Patre æterno: Pater clarifica filium tuum, *& quomodo hoc intelligendum*. Ibidem.

Immensa Christi Charitas in Passione; Invitantur seraphini & homines, ad tantæ Charitatis admirationem & laudes pro tali amore effundendas. num. 20. & 21.

Punct.

Punct.II. *Inconstantia mundi quantalnunc clamant,* Hosanna; *& statim* Crucifige &c. num. 22. usque ad 27.

O munde proditor! O munde immunde! *exclamat S. Augustinus.* num. 22.

Marci Fulvii *memorabile factum, qui loco triumphi ingentem circumduxit statuam è Cera formatam, multis vasibus igneis cinctam quæ paulatim liquescens deperibat.* Hic productus Propheta. num. 23.

Romani deferre solebant imaginem Lunæ in Calceis, & quare? num. 24.

Vaccæ pingues, quæ fertilitatis annos significabant, ascendere videbantur de flumine quo prosperitatis mundi fluiditas ostenderetur. num. 25.

Salomon ductus est in Gyon, ut ungeretur in Regem, & quare? num. 26.

Eodem die habitus est Paulus ut Deus, & lapidatus est. num. 27.

Duo sacra loca conciliata, nimirum: Vidi impium firma radice &c. Equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus, &c. num. 28.

Isaias & Jeremias *quoad apparentem aliquam in verbis ipsorum contradictionem conciliantur.* num. 29.

Cor à terrenis abstrahendum, cum sint tam instabilia. num. 30.

Vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in regione cœlesti. Ibidem.

1. HÆreo haud parum dubius, atque perplexus, an me hodie ad Christum convertam, qui priusquam moriatur, triumphat; an vero ad mundum, qui post triumphum Christo exhibitum, mortem eidem infert. Christus ardorem mihi exhibet suæ charitatis, dum triũphare vult moriens: mundus vero suam manifestat vanitatem, & inconstantiam, dum in horrorem mortis, honorem repente transmutat triumphi. Miraculosum omnino est, tam esse lætum, atque hilarem eum, qui tot tantarumq; pœnarum vicinus est amaritudini; Prodigium quoque est, nec modicum quidem, tam esse truculentum ac ferum illum, qui tot honorum etiamnum inhæserat adeoq; vicinus est splendori. Nequeo sufficienter benedicere, pietatem illius Domini, qui ab alis igniti desiderii sui concitatus, corde adeo ultroneo sese hodie recipit, ad operandum salutem in medio terræ; adeo accensam pietatem, tot inter ingratitudines; adeo fortem, inter tot iniurias; adeo amantem, inter tot odia; qui dum benefacit, triumphat; honoratur, quando honorat; Donat vitam, cum illam recipit: Verum econtra sufficienter maledicere nequeo, perfidum illum, atque reprobum mundum, qui in brevis adeo periodi angustiis, adeo dolorosam experiri facit vicissitudinem, atque inter tam paucorum momentorum spatium, subitanea alteratus metamorphosi, faciem adeo variam exhibet, atque diversam, repulsas repente cum amplexibus commiscens, vituperia cum acclamationbus, cum applausibus iniurias, planctus cum cantibus, infamis

mis denique mortis cuiusdam angustias, cum gloriosi cuiusdam triumphi tripudiis. Quapropter amate, O Dilectissimi, Christum istum, qui in medio occasionum odiendi, ardentiùs amat: Odio vero prosequamini Mundum, crudelem scilicet inimicum, qui dum amare se fingit, tunc vel maximè odit; Ego interea me præparo, ad exaltandam stabilitatem atque firmitudinem Christi in morte triumphantis, & vituperandi Mundi inconstantiam & mutabilitatem, utpote in triumpho occidentis.

1. Punctum. 2. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Vere mansuetus, tantaque charitate plenus, ut sibi non ad mortis agonias, sed ad lætitiam videretur appropinquare triumphi: non ad opprobria, sed ad honores; ad Thronum, non vero ad crucem. Tribus autem potissimum modis, ingentem illam, atque extraordinariam, qua Christus circa instantem passionem perfusus erat, lætitiam, æstimare ac ponderare valemus: videlicet ex Cogitationibus cordis, ex gressibus Corporis, ac denique ex oris sermonibus. Cor eo avolat, ubi esse desiderat; pes currit ubi amat, lingua denique quod diligit, valdeque suspicit, eloquitur. Christo igitur grata adeo, atque chara sua fuit Passio, ut nequiverit intermittere, quin illam desideraret corde, Corpore tenus eandem requireret, lingua vero gloriosè commendaret eandem. Atque profecto, dum hoc ipsum considero, veluti coactus esse videor mihi, ut cùm S. Augustino dicam: *Quam admirandi generis mors est, cui parum fuit, non esse in Pœnis, nisi insuper esset etiam in delitijs.* Quodnam genus mortis est illud Christi, cui modicum videbatur tormentorum acerbitas, nisi & in illa morte gaudium sentiret ac lætitiam.

3. Et primo quidē à corde Christi exordior, cuius ingens erga Passionem affectus, à regio Psalte hisce verbis prædictus fuit: *Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere: Cucurri in siti.* q.d. Hebræi pretio me meo laborumque meorum stipendio, privare studuerunt, id est, honore, & exaltatione personæ meæ debita, atque convenienti, atque ideo omnibus ad sepeliendum gloriam meam usi sunt mediis; Ego vero juxta hæc omnia *Cucurri in siti.* Magna cum siti ad desideratam cucurri Passionem, neque ab incepto salutis mundi cursu, quicquam remisi. Verum in verbo Græco huius loci tantum significat *Cucurri* in numero singulari, quantum *Cucurrerunt* in numero multitudinis seu plurali. Prouti hoc docti cum S. Ambrosio notarunt: *Cucurrerunt in siti: Cucurri in siti.* Cucurrerunt Hebræi, & ego pariter cum illis cucurri. Cucurrerunt Hebræi, ad rabiem usque malorum meorum sitibundi cucurri ego cum non minori bonorum illos concernentium desiderio: Cucurrerunt illi, ut de terra delerent nomen meum: Ego cucurri, ad describendum nomen ipso-

[Right margin: 1. — Psal. 61. v. 5.]

rum in libro vitæ: Ipsi ad tormenta & ad pœnas; Ego ad beneficia & misericordias. Ipsi studio quærendi mortem meam, ego cum desiderio vitæ ipsorum. Ipsi mania accensi atque furore, ego charitate inflammatus & amore; adeo, ut utrumque certum sit atque indubitatum; Cucurrerunt ipsi, & ego Cucurri. *Cucurrerunt in siti, Cucurri in siti.* Atque hinc est, quod S. Evangelista Lucas dicat: Causam mortis Christi fuisse
Luc. 19. v. 14. unum Nolumus. *Nolumus hunc regnare super nos*: Econtra vero Propheta dicit, causam mortis Christi,
Isai. 53. v. 7. fuisse unum *voluit. Oblatus est; quia ipse voluit.* Ecce igitur id, quod dicebamus; *Cucurrerunt in siti*, hoc est, *Nolumus hunc regnare super nos*; *Cucurri in siti*, hoc est, *oblatus est, quia*
Tract. 8. in Ioan. *ipse voluit.* Quia, uti affirmat S. Augustinus, tametsi in Passione Christi, magnam sibi partem Hebræorum vendicat Passio, incomparabiliter tamen maiorem in illa partem, ipsiusmet Christi obtinet voluntas; *Si pati nollet, non pateretur, si non pateretur, sanguis ille non funderetur, si non funderetur, mundus non redimeretur. Agamus itaq; gratias, & potestati Divinitatis, & miserationi infirmitatis.* Enimvero mysterium istud S. Augustinus pro ingenii sui sublimitate, prorsus divinè declaravit, quando dixit, Christum in Passione sua, agentis potius, quàm patientis ra-
In Psal. 50. tionem habuisse. *Patior indignus pro dignis, ut eos dignos faciam vita mea, pro quibus indigne patior mortem illorum &c. plusq; ibi facio, quam patior.* O magnum profecto verbum! Ecquid enim, O amantissime Domine, in passione tua fecisti? aut quidnam est, quod passus non fuisti? funibus in horto ligatus fuisti, præsentatus judicibus in tribunali, seditioso posthabitus in Consiliis, ad columnam quandam flagellatus in Prætoriis, spinis Coronatus medias inter militum cohortes, Cruci clavis affixus in Calvariæ montibus. Hebræos quoque hoc totum fecisse, te vero idipsum passum esse conspicio, adeo, ut tot inter tormenta tu otiosus nihilque operatus fuisse videaris. Et tamen non dubitas dicere Passionem tuam respectu tui, plus actionis, quam Passionis habere. *Plus ibi facio, quam patior.* Sed ecce tibi responsionem huius vere adæquatam. Dominus in Passione agens potius, quàm patiens fuit, tùm quia inimicos suos facere permisit, quicquid fecerunt: tum quia ardentissimo cum desiderio, omnia dolorum perpessorum genera in se recepit, tum denique quia longe velocius ipse ad Passionem cucurrit, electione & desiderio cordis, quàm pedibus Corporis cucurrerint sui persecutores. *Cucurrerunt in siti. Quàm mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in Pœnis, nisi insuper esset etiam in delitijs.*

4. Quodsi divinarum literarum bene consideremus Oracula, utique in iis Christum inveniemus (nisi temerarium judicetur ita loqui) ab æterno Patre suo traditum; *Pro nobis omnibus tradidit illum*: traditum à Ju-

dæis: *Tradiderunt eum Pontio Pilato:* Traditum à Juda, *ut traderet eum Iudas Simonis* Iſcariothis: traditum à Pilato: *Tradidit eum ut crucifigeretur.* Veruntamen, niſi Chriſtus, ut ita dicam, tradidiſſet ſemetipſum, nullus unquã eum tradidiſſet: *Dilexit Eccleſiã, & ſemetipſum tradidit pro ea.* Unde S. Aug. ſolito cũ acumine concludit: *Niſi ergo ſe traderet Chriſtus, nemo traderet Chriſtũ. Cucurri in ſiti, Cucurrerunt in ſiti.* Amori cordis tui, ô Deus meus, debeo, quicquid debeo. Tuũ potius beneplacitum, te dolorum tormentorumque Regem effecit, quam aliena rabies malaque voluntas. Spontanee in mortem conceſſiſti, à tuis potiùs impulſus miſericordiis, quàm à perſecutorum tuorum adactus odio. *Suſpendium elegit anima mea.* dicit idem Dominus noſter per os Jobi Prophetæ; (Iob. 7. v. 15.) Et tamen S. Petrus in una Concionum ſuarum dicit, Hebræos ipſum ſuſpendiſſe: *Quem occiderunt ſuſpendentes in ligno.* Aſt utrumque verum eſt. Suſpenſus fuit ab Hebræis, ſed poſtquam ipſemet priùs ſui ſuſpendium elegit, quia ut exponit S. Auguſtinus: *Electio eſt Crux, non coactio.* Non accedo ad Crucem coactus, ſed ductus amore, voluntariè non coactè; Denique in ſumma, *Niſi ſe traderet Chriſtus nemo traderet Chriſtum.* An non meminiſtis, qualiter, quantumvis multùm Principes Sacerdotum laborarint, ut aliquam ſaltem, ad minus apparentem, invenirent mortis in Redemptore noſtro cauſam, nullam tamen earum in ipſo adinvenire valuerint, quacunque etiam adhibita induſtria: *Summi Sacerdotes & omne Concilium quærebant adverſus IESVM teſtimonium, nec inveniebant.* (Marc. 14. v. 55. & ſeqq.) Non invenerunt falſa teſtimonia, quia *multi teſtimonium falſum dicebant adverſus eum, & convenientia teſtimonia non erant.* Nec talia Herodes invenit, de quo dicitur: *Nullam cauſam inveni in homine iſto: ſed nec Herodes.* Neque aliquam traditor invenire potuit diſcipulus, qui proinde coactus fuit, ad dandum illi magnum hocce teſtimonium: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.* Nec aliquam uxor invenit Pilati, à qua hoc marito miſſum eſt nuntium: *Nihil tibi & juſto illi.* Nec quicquam ipſemet invenit Præſes, qui aperto ore dixit: *Ego nullam cauſam invenio in homine iſto.* Adeo ut ex nullius parte aliqua mortis Chriſti allata ſit cauſa: Et tamen S. Matthæus dicere non dubitavit: *Impoſuerunt ſuper caput eius, Cauſam ipſius ſcriptam, Hic eſt IESVS Rex Iudæorum.* Hæc igitur, Hæc inquam unica mortis Chriſti cauſa eſt, dicit Origenes: quod videlicet Salvator ſit generis humani. (Tract. 25. in Matth.) *Et cum nulla inveniatur cauſa mortis eius, nec enim erat, hæc habetur ſola.* Unde verum eſt, quod modo dicebamus, ſcilicet: *Niſi ſe traderet Chriſtus, nemo traderet Chriſtum.* Non eſt quod hac maiorem quæratis cauſam, non enim aliquam invenietis in æternum. Mortuus eſt Dominus, & ad mortem cucurrit, maiorem enim ipſe ſitim habuit, quam ſui habuerunt inimici, ardentius namq; illam

Dominus voluit, quam illam natio voluerit Hebræorum. *Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit, non esse in pœnis, nisi insuper esset etiam in delitijs?*

5. Fecistisne aliquando, Dilectissimi, hanc apud vos reflexionem, quam Bernardus fecit in illum Canticorum locum: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum?* Bis Christus in Corde transfixus fuit, semel per Longini lanceam, atque iterum per amoris sagittam. Tua me ferra vulnerarunt, tui tamen amore longe priùs transfossus fui. Tu tua cucurristi crudelitate adactus, sed velocius ego cucurri mea pietate stimulatus: funium tuorum subiectus fui ligaminibus, sed prius jam amoris tui subactus eram vinculis, cæco quodam impetu, ad tam barbaram pervenisti crudelitatem, Verum ego cum non minori, imo cum longe maiori Charitatis meæ impulsu te præveni. *Bis positum est* (sunt verba Bernardi) *vulnerasti, utriusq; vulneris ipsa sponsa causa est: ac si diceret, quia Zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoque militis vulneratus sum.* Et vere prouti infœlix dicebat Dido ferro transverberata:

Cant. 4. v. 9

Ovid. Epist. Did.

Nec mea nunc primum feriuntur pectora telo
Ille locus sævi vulnus amoris habet. q. d.

Non hæ primæ sunt vices quibus me vulneratam esse comperio, jam pridem enim priusquam in Corde ferri vulnus percepi, vulnus persensi amoris: *vulnerasti me soror mea sponsa. Vulnerasti me. Quia Zelo amoris vulnerasti me, lancea militis vulneratus sum.* Atque ad idem propositum venit quod notarunt aliqui, videlicet Horam Passionis nonnunquam Horam vocari Judæorum, subinde vero Horam Christi. De Hebræis: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum:* De Christo vero: *Sciens quia venit hora eius.* Porro utrumque verum est. Hora namq; Passionis Hebræorum hora fuit, qui in eadem ad perfidiæ suæ pertigerunt Complementum: potius tamen Christi hora fuit, qui in ea ad redemptionem usque generis humani pervenit, quam tantopere ipse desiderabat. Hora fuit Hebræorum, eo quod ipsi in eadem per invidiæ suæ cucurrerint impetum: Cucurrerunt in siti: sed pariter Christi quoque hora fuit, qui longe amplius ex charitatis suæ ardore cucurrit. *Cucurri in siti. Quàm mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in Pœnis, nisi esset insuper in delitijs.*

Luc. 22. v. 53.
Ioan. 13. v. 1.

6. Nunc mysterium intelligetis, quod à S. Augustino intellectum fuit in Psalmo 3. cuius titulus est: *Psalmus David cum fugeret à facie Absalon.* David, dicit Augustinus, repræsentat Christum, Absolon Judam traditorem significat. Fuga Davidis ab Absalone, nihil est aliud, quàm discessus Christi à corde Judæ. *Bene accipitur à facie ejus Christum fugisse, non quia Christus Diabolo cessit, sed quia Christo discedente Diabolus possedit.* Sed quid faciemus, dicit Augustinus,

ſtinus, cum Abſalon idem ſit quod Pax patris, & Abſalon bellum movit Davidi, ſicuti Judas Chriſto? *Mirùm videri poteſt, quemadmodum Patris pax poßit intelligi?* Verum ſapientiſſimè S. Pater reſpondet, quod Abſalon pax dicatur Davidis ad eum modum, quo Judas Pax Chriſti, *quia Pater habuit pacem, quam ille non habuit.* In horribiliſſimo iſthoc bello, atque in medio magni illius de Paſſione jurgii Chriſtus illud habuit gaudium, cuius inter Pacis delitias habetur experientia. Quaſi diceret Dominus: O Juda quando, me tradidiſti, non adeo pectoris tui adimpleſti rabiem, quantum pium cordis mei ſatiaſti affectum: Tu ad me velut inimicus veniſti, quia tamen impietas tua emolumentis meis adaugendis maximopere inſeruit, ego te vocavi amicum. Sacrilegum oſculum tuum, traditoris oſculum fuit, ego vero illud accepi velut datum à Collega & Confœderato meo, qui una mecum concurrebat, atque ad mundi redemptionem cooperabatur. Dum me in peccatorum tradidiſti manus, non meam ſuſtuliſti libertatem, ſed voluntatem meam ſecundaſti illi me manui committendo quæ à me tantopere deſiderabatur atque amabatur. Neque mihi unquam perſuaſi quod bellum moveres, dum meam mihi machinari exorſus es mortem, quippe cum mori unicum meum fuerit gaudiū. *Pater habuit Pacem quam ille non habuit.* An non inimici in Zacharia Propheta amici vocantur Chriſti? *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Qua ratione autem amici vocantur ii de quibus alibi ſcriptum eſt: *Odio habuerunt me gratis?* Si odiebant quomodo amici vocantur? aut vero ſi amici erant, uti dicitur, quomodo oderant? Ego illos appello amicos, reſpondet Chriſtus, quia id mihi præſtiterunt, quod ab ipſiſmet duntaxat expectare poteram amicis: adeo efficaciter mea mihi ſecundarunt deſideria, meas promoverunt intentiones, ut plus facere nequiviſſent ſi idipſum ex data etiam opera facere ſtuduiſſent. Ab ipſis habui id, quod ne vel à charioribus, maximisque ſperare poteram amicis. De manibus eorum illud accepi, quod ardenter adeo deſiderabam, imo idipſum quod gaudium & lætitia erat cordis mei & pax Animæ meæ: Eccur ergo illos non vocem amicos? *Pax Patris, quia pater habuit Pacem, quam ille non habuit.* Millenas igitur O Chriſtiani mei Chriſto Redemptori dicamus laudes, milleque benedictiones, qui ad competentiam perſecutorum ſuorum ad Paſſionem ſuam certatim cucurrit, utpote cuius cauſa ſua potius bona extitit voluntas, quam perverſum velle ipſorum, qui agens potiùs quam patiens erat reſpectu tormentorum ſuorum, ad mortem Crucis à multis quidem, ſed vel maxime ab amore ſuo traditus, quippe quæ electio affectus fuit, non vero coactio neceſſitatis, ac proinde ab eo ideo, quia Salvator eſſet cauſata. Salvator inquam prius à charitate

vulneratus quam à ferro. Unde hora tormentorum suorum sua potius fuit, quam inimicorum suorum, qui vel ideo amici vocati sunt, quia intento deservierunt Redemptoris, suisque desideriis melius sunt obsecuti, quam vel ipsimet facere amici potuissent. *Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper & in delitijs?*

2. 7. Consideravi hactenus gressus amantissimi cordis Christi, nunc corporis consideremus gressus, hi namque extremam manifestabunt lætitiam, quam Dominus Passionem suam adiens persensit. Docent divinarum scripturarum oracula, cucurrisse illum veluti Gygantem, saltitasse sicut Capreolum, uti flammam quandam volasse, tanta cum levitate ambulando processisse, ut vix terram tetigisse videretur.

Psal. 18. v. 6. 8. Et Primo quidem ut Gygas cucurrit: *Exultavit ut Gygas ad currendam viam*; atque ut intelligeremus, quanta eo in cursu cordis sui fuerit exultatio, David paulò ante hæc verba sequentia præmiserat: *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Uti sponsus egressus est, cucurrit ut Gygas, atque ideo cucurrit velut Gygas, quia exiverat uti sponsus. Libens volensque dolorosam illam Calvarii montis assumpsit orbitam ob immensum videlicet amorem quo erga Ecclesiam dilectissimam sponsam suam ferebatur: *Procedit ut sponsus, cucurrit ut Gygas*, inquit Augustinus, *exultando per viam pervenit usque ad Crucis trophæum.* Atque Augustino consentit Bruno dicens: *Exultavit ut Gygas ad currendam viam suam, quia ut hominem redimeret & salvaret, ipsam cum gaudio sustinuit Passionem.* Ad Passionem suam contendens summam habuit lætitiam, imo tantam quæ ipsum decurrere fecit passus Gygantis, & ad instar sponsi amoribus capti, dum ad desideratas concedit nuptias. An non auditis illa Ecclesiæ verba, quibus diem Passionis nuptiarum diem appellat? *Egredimini filiæ Syon & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis & lætitiæ Cordis sui.* Sanctus Aponius dicit, Coronam illam cujus sponsa in isto loco meminit, esse Coronam spineam, quæ in die Passionis venerando Redemptoris nostri vertici superimposita fuit, atque hic dies ab ipso dies lætitiæ & desponsationis appellatur. Verum enimvero ô Deus meus qua ratione Passionis tuæ dies, dies vocari potest nuptialis? Fortasse injuriæ & improperia Epithalamia sunt atq; jucundæ acclamationes Funes fortasse & Catenæ, torques sunt & monilia? Forte Vestis alba, & delusoria purpura pomposa sunt ornamenta? Accusatores fortassis falsique testes mediatores sunt & patrini? Forte turba lictorum & Carnificum paranymphi sunt & nobilium Corona? Forte lucernæ cohortū tædæ sunt & matrimoniales faces? Forte Corona spinea, è floribus contextum est sertum? Forte plagæ atque Livores gemmæ sunt & margaritæ. Forte pro-

Serm. 17. de Nativit. Domini

Lib. de ornam. Ecclesiæ cap. 2.

Apon. in Cant.

protrusiones, Tractiones & reptationes illæ saltus sunt & tripudia? Forte fel & acetum Lauta sunt fercula? Forte Crux molliusculus lectus est? Quomodo ergo *in die desponsationis*, Nunquid potius dies ille vocandus fuisset dies tenebrarum & lachrymarum, dies planctus & doloris, dies horroris & mœstitiæ, quo videlicet ne ipsa quidem insensata Elementa sine horrore fuerunt, manifestaque sensus sui dedere signa? Verum respondet S. Aponius: *Lugebant Elementa in patibulo condemnatum, sed lætabatur, qui pependit, quoniam mors pendentis omnibus credentibus vitam & gaudium adportavit.* Plangebant Elementa, dum interea jubilaret Dominus, & velut Gygas curreret quasi ad desideratas nuptias: *Procedit ut sponsus, exultavit ut Gygas Exultando per viam cucurrit usque ad Crucis patibulum.*

9. Secundo exsilivit adeundo Passionem veluti Capreolus, aut sicut hinnulus Cervorum. Ecce tibi textum è sacris Canticis: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens Colles, similis est dilectus meus Capreæ hinnuloque Cervorum.* Fuitque benedictus Redemptor noster Christus duobus hisce Animalibus, quæ velocissimi cursus sunt, comparatus, ut per hoc nos intelligeremus quacum promptitudine ac velocitate sese ad complendum opus Redemptionis nostræ receperit. Unde S. Bernardus prædictam scripturam exponens dixit: *Ecclesia sponsum lætis spectavit obtutibus, credo dum properaret ad ipsius redemptionem, cuius concupierat decorem.* Verum ecquid significat quod illa cœlestis Damula, atque divinus hicce Capreolus salierit in montibus & transilierit colles? Montes & Colles significant difficultates quæ ipsi in Passione sua obvenerunt. Traditio à quodam discipulorum facta, contumeliosa sanctissimæ scholæ suæ fuga, vilis illa & abiecta Petri negatio, universalis illa Populi coniuratio, rabida Sacerdotum invidia, Judicis iniqua sententia, barbara carnificum crudelitas, infame illud mortis genus latrones socii supplicii. Omnia inquam isthæc montes erant difficultatum, qui ipsi in Passione sua obviarunt quidem, at cum incredibili nihilominùs animi generositate ac fortitudine transcensi ac transiliti fuerunt. *Saliens in montibus, transiliens Colles.* Atque revera sicut suggerit S. Cyrillus Alexandrinus: *Omnia sustinuit, quæ Iudæorum excogitare pervicacia potuit, nec unquam sputis dedecoratus, verbis derisus verberibus cæsus, & tandem patibulo affixus ullo mœrore affectus fuit, sed decenti semper gaudio plenus illa opprobria delitias sibi esse putabat.*

Cant. 2. v. 8.

Serm. 53. in Cant.

Lib. 10. in Isaiam.

10. Dixi tertio Christum ad Passionem suam velociter abivisse velut flammam ignis. Et quidem S. Joannes, ad minùs Redemptoris pedes adeo ignitos conspexit, veluti si intra fornacem quendam ardentem consisterent; *Et pedes ejus similes aurichalco sicut in Camino ardenti.* Pedes ænei in igne expositi, quia uti S. Tho-

Thomas advertit, sicut aurichalcum quo plus in igne coquitur, tanto plus dum egreditur coloratum est ac floridum, eodem quoq; modo fortitudo Domini nostri in medio incendii Passionis pulchriùs visum est & admirabiliùs. *Aurichalcum quanto amplius incenditur, tanto amplius coloratur: sic fortitudo Dominica, quanto amplius portabat adversa, tanto pulchrior ostendebatur.* Verum ad nostrum propositum ignitos dico fuisse Domini pedes ob rarum eius amorem, quo montem conscendit Calvariæ, Crucisque subivit opprobria. An non meministis ipsum in novissimo illo itinere quod fecit, tanto ambulasse cum ardore, út Evangelista Marcus dicat, Apostolos ipsum à cœpto itinere nequaquam tardare potuisse, idque non sine ingenti eorundem stupore. *Et ipse præcedebat eos in via, illi vero stupebant. Præcedebat*, inquit Theodoretus, *ut ostenderet, quod ad Passionem præcurrit, & quod non refugit mortem pro nostra salute. Pedes ejus sicut in Camino ardenti.* De Autololibus Africæ populis dixit Poeta quidam, ipsos pedes habuisse igneos, atque ideo velocissimos quosque Equos & flumina rapidissima cursus celeritate superasse.

Syl. Ital, lib.4. *Nec minus Autololes levibus gens ignea plantis*
Cui Sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis.

Ecquid mirum igitur si adeo velociter ad Passionem accurrat Christus, cum pedes habeat ignitos: *Pedes ejus sicut in Camino ardenti.* Hanc admirabilem lætitiam, quacum Dominus ad mortem accurrit, satis evidenter commonstrat ipsum etiam in forma servi, eiusdem mortis fuisse Dominum. Quis ad occursum monstri adeo terribilis non exhorrescat? Quis non timeat adeo periculoso vicinus certamini? Quis amarum adeo Calicem non fugiat, si potest? Quis solam quoque eius memoriam solumque nomen non abhorreat? Plus ergo quàm Homo haud dubiè est iste Homo, qui se Passionum hominis adeo exhibet Dominum ac domitorem. Dicamus igitur cum Augustino, dicemusque bene: *Dominus noster etiam* Tract. 9. in Ioan.
in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus. In ipsa quoque servi forma Dominus erat, qui humanis affectibus altum adeo dominari poterat, atque igneis ad mortem currere pedibus quo omnes cæteri mortales cum horrore procedunt & violentia. *Pedes ejus sicut in Camino ardenti.*

11. Postremo tanta cum levitate atque agilitate currit Dominus, ut Isaiæ terram minimè videretur tangere, unde de ipso hæc verba habet:
Semita in pedibus ejus non apparebit. Id Isai 41. v.3.
quod per Figuram dicit, à Grammaticis Hypallage appellatam: *semita in pedibus ejus non apparebit: hoc est, pedes non apparebunt in semita.* Vix terram tangere videbitur, adeo curret agiliter. Et sicut Daniel de Alexandro
Magno loquens dixit: *Ecce autem* Dan.8. v.5.
hircus Caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat

bat terram. Quo loquendi modo incredibilis magni Principis huius exprimitur celeritas, in perducendis ad finem excitatis bellis, ac reportandis victoriis. Veniebat super terram, nec tamen terram tangebat propter operandi velocitatem. Eodem quoque modo, tanto cum charitatis ardore Redemptor noster veniebat ad operandam mundi salutem, ut terram nequaquam tangere videretur. *Semita in pedibus ejus non apparebit.* Dicit S. Matthæus,

Matt. 27. v. 54. Centurionem videntem mori Christum, mox in totius populi præsentia exclamasse dicentem: *Vere filius Dei erat iste.* Sed unde elicere potuit Centurio Christum Filium Dei esse eo præsertim tempore quo velut derelictus erat & desolatus à Divinitate? Dum tam procul erat ab eo quod est apparere se Deum esse, ut potiùs opprobrium videretur hominum, & abjectio plebis? Respondet Paschasius Abbas, Centurionem idipsum collegisse alacritatem videndo ac promptitudinem, quam in tot tamque atrocibus tormentis

De Corp. & Sang. Christi. Redemptor noster monstrabat: *In vultu ejus tanta erat alacritas, tantaq; hilaritas, ut possent homines intelligere, quia sua sponte moriebatur.* *Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in delitijs?*

3\. 12. Ultimo quantum Passionem suam Christus desiderarit, & cum quanto gaudio ad illam subeundam se accinxerit conjicere possumus, ex continuis quos Christus de ea miscebat sermonibus. Non uti Cassiodorus advertit: *Oratio dispar moribus vix potest inveniri.* In procem. variarum. Et S. Basilius Magnus inquit, Animi imagines verborum depingi coloribus: *Animorum imagines revera per sermones exprimuntur.* Et Petrus Blesensis docuit delectabile esse de eo loqui, quod ad operandum est delectabile, & ordinaria frequenter de eo loquimur, quod vehementer desideramus: *Ad dicendum dulce est, quod dulce est ad faciendum, & nescio quo pacto quod multum cupimus, nunquam loqui fastidimus.* Verum enimvero ô quoties de Passione sua locutus est Christus? Quot illam modis descripsit? Cum quot personis de ea discursum instituit? *Quia ad dicendum dulce est, quod dulce est ad faciendum.* Illos ego duntaxat producam discursus, qui magis desiderium manifestant patiendi, & suum in Passione gaudium. Locutus est de Passione sua Christus cum turbis, locutus cum Nicodemo, discurrit cum Elia & Enoch in Thabore, Tractavit de ea cum Petro, cum toto de ea egit Collegio Apostolico, mentionem illius coram Juda fecit in cœnaculo, discursum de ea habuit cum iis quæ illum comitabantur mulieribus, agebat de illa cum electis tribus discipulis in horto, denique de ea locutus est cum æterno Patre suo, atque per omnia ardentissimam suam monstravit charitatem viscerosumque atq; intimum amorem. Ecquid autem cum turbis dixit? *Multis turbis circumstantibus, ita ut se invicem concul-* Luc. 12. v. 1. & 50.

 carent,

rent, inquit S. Lucas, *cœpit dicere ad discipulos suos.* Atque inter alia quæ dixit, hoc fuit: *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* q. d. Cor oppressum & angustiata persentisco viscera mea, quamdiu illud nondum complevero Baptisma, illudq; lavacrum, quod ex proprio meo præparabitur sanguine, videturque mihi una hora mille anni quoad usq; desiderii mei assecutus non fuero complementum. *Et quomodo coarctor usque dum perficiatur. Velut anxius sum propter tarditatem*, exponit Euthymius. Et Cornelius à lapide dicit: *Nota quantus fuerit in Christo Zelus, quanta charitas, & quanta sitis salutis nostræ. Ad dicendum dulce est, quod dulce est ad faciendum.*

Euthym. in Evang.

13. Verum ad Nicodemum quid dixit Christus? *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis.* Ubi S. Joan. Chrysost. interrogat, *cur non dicit suspendi, sed exaltari?* Et respondet, *ut ignominiosum auditori non videretur.* O Deus meus qua ratione exaltationem appellas id, quod humilitatis & abiectionis fuit extremum? nisi quia tenerrimi cordis tui amor, ingentem adeo ignominiam in similitudinem gloriæ repræsentat, & tam insignem contumeliam sub specie honoris & magnificentiæ. *Ad dicendum dulce est, quod dicere est ad faciendum.*

Ioan. 3. v. 14

14. Cum Elia quoque & Enoch locutus est de Passione, dicit enim S. Lucas, *dicebant excessum ejus quem completurus erat in Ierusalem.* Quod autem & ipsi de ea fuerint locuti, ex iis verbis colligitur: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo;* In medio gloriæ de Passione sua discursum instituit; appellaturque excessus, profecto enim quidam charitatis Christi excessus fuit, quocum non solum omnes aliorum amores, sed suum quoque proprium longe transcendit; Et uti dicit Nicolaus Lyranus, *quia Passio ejus fuit excessiva, propter nimiam charitatem*: Enimvero quid est quod de Passione in medio quoque gloriæ disserit? Equidem id ego ideo crediderim fieri, quod grata adeo Christo fuerit eius Passio, quemadmodum & gloria. Et si verum dicere debeam præ gloria charior illi Passio erat, siquidem ut pati posset, gloriosus esse intermisit. Hebræi quondam dicebant, quod potius oblivioni daturi essent manum dexteram, quam civitatem Hierusalem. *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea*, quodque potius arescerent in ore suo linguæ eorum, quam illos sanctæ Civitatis illius deficeret memoria, beatorumq; mœnium illorum laudes: *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.* Verum esto, sit hoc ita, nam miselli isti in Babylonia captivi erant, ideoq; omnibus bonis suis cesserant: Quod autem Christus in monte gloriæ, ubi possidet omne bonum, nihilominus recordetur civitatis Jerusalem de eaque loquatur, cum ibidem noverit tot tamque atrocia præparata sibi esse

Luc. 9. v. 31.

Ps. 136. v. 5. & 6.

esse tormenta, istud profecto ingens est prodigium. Verum auferatur hæc admiratio de medio per aliquid magis admirabile, quale fuit infinita illa sitis, quam Dominus passurus erat, quæ ipsum eius quod coram oculis suis habebat faciebat oblivisci, & remotæ absentisque recordari Jerosolymæ; indubitatum namque est, quod post se Magnus ille Nolanus Episcopus Paulinus scriptum reliquit, quod videlicet gaudium cordis ad linguam transiliat: *ex abundantia enim cordis os loquitur, & sapor mentis in sermone gustatur.* Placet linguæ quod placet affectui, libenterque versatur in ore, quod libenter est in animo. *Ad dicendum dulce est, quod dulce est ad faciendum.*

Epist. 15. ad Delphinũ.

15. Sed quid de sermonibus Christum inter & Petrum de Passione collatis dicemus? Bis valde acerbe correptus est à Magistro, semel quando illum deflectere ac dimovere de Passione voluit, tunc scilicet, quando illo ad partem retracto *cœpit increpare illum dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Cave tibi ô Deus à tanta indecentia, ut videlicet mors inferatur tibi, qui dator es vitæ. Sed quid illi respondit Dominus? *Vade post me Sathana, scandalum es mihi. Volebat Consilium dare*, dicit S. Augustinus, *ne moreretur, qui venerat ut moreretur, ne nos in æternum moreremur*; Apage sis ab oculis meis, qui mihi velut Dæmon aliquis contrarius es & adversaris. Sed vir ô Domine contrarius est? *Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Imo vero ô Domine, videtur mihi quod valde digne Deo sentiat, dum inconveniens reputat ut moriatur Deus? Quid sensui Divino est conformius, quam sentire immortalem mori non posse? aut quid peregrinum adeo & incredibile erit, quam vitam perdere posse eum qui author est vitæ? aut quod omnipotens debilis sit & impotens? Ecquod prodigiosius esse poterit monstrum, quam judicare quod fieri possit ut à peccatoribus crucifigatur is qui gaudium est Angelorum, & gloria Paradisi. Quod cum ita sit, quomodo Petrus Sathanas appellatur aut adversarius? *Vade post me Sathana?* Respondet S. Ambrosius: Mortem adeo visam fuisse repugnantem, personæque Christi minime decentem, ut idem ille Petrus qui Christum filium Dei esse crediderat, priusquam id Christus ei dixisset, induci non potuerit ut vel ipsi Christo de morte Christi loquenti crederet: *Ille fidei princeps, cui se Christus nondum Dei filium dixerat, & tamen ille crediderat, de morte Christi nec Christo credidit. Pietatis affectus non indevotionis est lapsus.* Agedum ergo dicit Christus Petro, tu contrarius es mihi, dum mihi contrarius esse non vis, dumque gloriæ meæ videri vis Zelotypus, desideriorum meorum es inimicus. Tu vis ut ego vivam, ego vero veni ut moriar, dumque ne mea violata sit magnificentia times, nõ curas offensum esse meum amorem. *Volebat consilium dare ne mo-*

Matt. 16. v. 22. & 23.

Lib. 5. in Luc.

reretur, qui ad hoc venerat ut moreretur. Secunda vice Petrus à Christo repræhensus fuit in horto, dum is armatæ cuidam turmæ sese opposuit, atque Malcho Pontificis servo præcidit auriculam: *Noluit enim persecutorum vulnere defendi, qui voluit*
Ambros in Luc. 22. *suo vulnere omnes sanare*, dicit Ambrosius, siste Petre dicit Dominus, nolo enim alienis vulneribus esse defensus, sed potius totam humanam generationem vulneribus meis defendere. Invidebat certo quodã modo illud Malcho inflictum vulnus, siquidem ingens amor eius, illum faciebat desiderare omnia aliorum vulnera, & veluti Tertullianus inquit: *Totam sibi Passionem reservarat.*

16. Venio nunc ad Collegium quocum Dominus noster de Passione sua locutus est frequentius. Ego vero ex omnibus unicum duntaxat selegi passum à S. Luca relatum. Expulerat Dominus Dæmonium quoddam crudele ac truculentum, quo facto, dicit Evangeli-
Luc. 9. v. 43. & 44. sta: *stupebant omnes in magnitudine Dei, omnibus mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos, filius hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum.* q. d. Vos obstupescitis ô discipuli mei, nec ab exaltandis miraculis meis definitis; Ego autem vobis dico, ut horum omnium obliviscamini, ne mea vobis Passio è memoria excidat. Nihili facio laudes, quæ mihi pro salute corporibus data, redduntur, id quod maximi facio est, ut omnes salutem curent Animarum, quæ in ligno crucis per me operabitur. Porro currite post me, tracti ab operibus, omnipotentiæ meæ magis tamen placet, quod me sequamini à consiliis amoris allecti. Si diligitis me id amate quod ego tantopere diligo, quod est dare vitam pro humana generatione. Vos habetote in corde id quod videtis, mihi adeo frequenter versari in ore: *Ponite in cordibus vestris sermones hos, filius hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum.* Ecce igitur qua ratione verum sit quod affirmabat Ambrosius: *Mens in sermonibus nostris habitat &c. & de sermonibus nostris mens nostra perpenditur.* Oportetque ut cum S. Bernardo dicamus: *Charitas quæ fervebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce.* Nonnunquam exaltabant Divinitatem suam: *stupebant omnes in imagine Dei*, aliquando, miracula admirabantur adeo extraordinaria quæ operabatur: *Mirantibus in omnibus quæ faciebat;* Jam verò veluti omnium immemor, de sola loquebatur Passione, dicitque: *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum:* quia *ad dicendum est dulce, quod dulce est ad faciendum.*

17. Locutus est insuper in Cœnaculo cum traditore, atque in hoc quoque ostendit infinitum quod habebat patiendi desiderium, quando dixit; *Quod facis fac citius.* Qui- *Ioan. 13. v. 27.*
bus

bus in verbis advertit Augustinus, *quod non præcepit facinus sed prædixit, non tam in pernitiem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando.* Et S. Leo Papa dixit: *Vox est non jubentis, sed sinentis, nec trepidi, sed parati; quia habens omnium temporum potestatem, ostendit se moram non facere traditori.* Abeunte autem Juda, ad concertandum & paciscendum de morte Magistri, mox Dominus dixit: *Nunc clarificatus est filius hominis*, aut sicut litera Syriaca legit: *Nunc glorificatus est filius hominis.* q.d. videor mihi nunc unum posuisse pedem in Paradiso, & in gloriæ Regno. Sed ehem, quid dicis, ô Domine? In inferno, non vero in cœlo, Passionis tuæ tempore pedem figis, utpote, quæ tormenta habet, illis ipsiusmet inferni Pœnis simillima, conformiter illi, quod à Propheta tuo prædictum fuit: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Verum tenerrimus amor tuus, infernum tibi reddidit Paradisum, atque in acerba adeo, & dolorosa tempestatis procella, te dicere fecit: *Nunc glorificatus est filius hominis.* Cuius equidem rationem si vultis, dat illam S. Bernardus: *Gaudet, triumphat, lætatur, exultat, & ait: Nunc filius hominis clarificatus est. Christus enim Deus noster, pro nihilo, summo præ gaudio, mortem ducebat, per quam nos à morte perpetua liberaret.* O amorem, magnum profecto artificem, qui locum Passionis, Christo nostro locum fecit esse glorificationis; Ignominiæ scenam, theatrum honoris; sanguinolenti certaminis Campum pomposarum festivarumque cæremoniarum aulam; Instrumenta doloris argumenta gloriæ: Barbarorum crudelitatem, amicorum congregationem; vulnera carnificum, amplexus charorum; Crucis patibulum, Majestatis thronum: tormenta inferni, gaudia & solatia Paradisi. *Ad dicendum dulce est, quod dulce est ad faciendum.*

18. Non minorem Dominus charitatem, in iis verbis ostendit, quæ mulieribus dixit, ipsum cruce in humeris onustum plangendo, insequentibus, quando in Calvariæ montẽ raptabatur: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me. Quia nõ decebat luctus triumphum*, dicit S. Leo Papa. Planctus, inter triumphi lætitias, minime conveniebat; Et quia amori Christi videbatur, quod dum ad patiendum abiret, ad triumphandum se reciperet, pientissimis illis mulieribus, ut inopportunas, minimeque congruas spargerent lachrymas, nequaquam permisit. Imò verò Isidoro Pelusiotæ visum fuit dicere, Consolationem istam, Redemptori nostro, contumeliam potius visam fuisse, velut si quis, propter victoriam ab aliis obtentam, aut certe brevi obtinendam, ploraret. *Huiusmodi Consolatio, contumelia illi erat, quia eum lugebant, quem æquius erat plausu, lætaq; acclamatione excipere.* Amantissimo Domino nostro, funestissimum illud spectaculum, triumphans quædam videbatur esse

Luc. 23. v. 28.
Serm. 10. de Pass.

pompa: Neque sibi persuasit, in angustias se tendere mortis, sed ad nuptiarum potius gaudia, ideoque loquebatur cum maximæ lætitiæ signis: quia *ad dicendum dulce est, quod dulce est ad faciendum.*

19. Verum enimvero, quid Petro, Jacobo, & Joanni de Passione sua, utpote discipulis suis longe charissimis, dixerit, dispiciamus. *Tristis est Anima mea, usque ad mortem.* Quo in loco, valde ad propositum servit illa S. Ambrosii expositio, ita dicentis: *Tristis erat usque ad mortem, non propter mortem. Mors enim voluntaria, tristitiam habere non poterat, in qua futura erat universorum lætitia, universorum refectio. Quomodo enim Anima ejus timore turbata est, qui fecit aliorum animas non timere? Tristis ergo usque ad mortem, donec consummaretur gratia.* q.d. Maximam persentisco, ô chari discipuli, in corde tristitiam, quoadusque ad consummandam mundi redemptionem non pertigero, neque enim me mors perturbat, sed moriendi dilatio. Miserabilis peccatorum status me torquet memoria, non vero tormentorum reminiscentia, utpote, quæ ad effugandum extinguendumque peccatum, voluntariè à me sunt electa. Paucula isthæc momenta, mihi sæcula videntur, quoadusque ad desideriorum meorum non pertigero Catastrophen. *Tristis erat usque ad mortem, non propter mortem?* Atq; ad idem propositum, idemmet S. Ambrosius in Commentario super Lucam, hæc verba scribere non dubitavit: *Quicum in se nihil haberet, quod doleret, nostris tamen angebatur ærumnis; & sub tempore mortis, mœstitiam prætendebat, quam non ex metu mortis suæ, sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat:* Ita ut hæc ori illius verba, amor vitæ nostræ, non vero mortis suæ suggesserit timor: *Ad dicendum dulce est, quod dulce est ad faciendum.* Postremo, de Passione cum æterno Patre suo locutus est, quando in tempore illam immediatè antecedente, hanc illi precem porrexerit: *Pater clarifica filium tuum.* Concede mihi, ô Pater æterne, illam claritatem, honorem illum, illam exaltationem: *Clarifica filium tuum. Ad Crucem duceris cum latronibus* (sunt verba Chrysostomi) *maledictam sufferre mortem, & hanc gloriam appellas? Ita, inquit, pro dilectis enim, ipse patior, meritoq; hanc gloriam existimo.* Amor efficit, ut mihi videar glorificatus esse, dũ contumeliis subjaceo, dũ medios sto inter carnifices, inter ipsos stare videar Angelos, dum ex patibulo pendeo, ibidem velut in æterni Patris sinu exulto. Dicamus ergo: *Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit, non esse in pœnis, nisi insuper etiam esset in delitijs?*

In Apologia David.

Lib. 7. in Luc.

Ioan. 17. v. 1.

20. O Vere immensa charitas! O novus & inusitatus amor! O misericordiæ inauditæ! Descendite, ô Seraphini, per turmas & turmas, & videte, num intra vestram illam amantium civitatem, unquam talis inventus sit amor; Contemplemini nostrum vestrumque Deum, charitate ebrium, ad novas, nec unquam hacte-

hactenus visas pietatis inventiones manum suam mittentem : Aspicite illum, intrepidum in tormentis, in contumeliis lætum, gloriosum in ignominiis, plus haud dubiè obstupescetis, videndo illum exultantem in carnis nostræ infirmitate, quam in divinitatis suæ potentia beatum: inter persecutorum injurias pacificum, quam inter beatorum encomia fœlicem : inter vicinæ mortis dolores triumphantem, & pomposum, quam inter vitæ æternæ dulcedines serenum & imperturbatum, saturatum opprobriis, quam gaudiis satiatum. Nunc, nunc merito facies vestras cooperietis, ob tanti Sacramenti respectum, & Reverentiam. Nunc tempus est, ut cantetis Canticum Moysis, & Agni, pro tam extraordinaria benignitate, & mansuetudine. Nunc certe, si alias unquam, tempus adest, ut passim resonari faciatis per omnia, venerandum illud vestrum Trisagium, debitasque beatæ Trinitati reddatis laudes, eo quod in incarnati persona verbi, tanta operata sit mirabilia, atque prodigia, cuiusmodi sunt, dulces videri amaritudines, venena sapida, ac mortem gloriosam. *Quam mirandi generis mors est; cui parum fuit, non esse in pœnis, nisi esset insuper & in delitijs?*

21. Tu etiam, ô Rex gloriæ, esto in ipso miseriarum nostrarum merito, millies glorificatus, & benedictus, ob immensum illum Passionis amorem, qui in corde tuo exardescit, ob igneos illos, ardentesque quibus in Calvarium latus es gressus : ob ignitos illos, quos per totum vitæ tuæ cursum, de doloribus tuis, enunciasti discursus : Illas tibi laudes, quas tam ingens aliqua promeretur charitas, omnes referant fideles pretioso sanguine tuo redempti, per mortem tuam, à morte liberati, per tua merita ad gloriam electi. Procede ergo, O gloriosè triumphator, ad ingratam illam Hierosolymorum civitatem, tametsi enim tua, invidi Pharisæi tacuerint encomia, illa tamen novo cum miraculo, simplices & innocentes deprædicabunt Infantes. Concede in illud certaminis tui stadium, tibi namque, veluti glorioso victori, æternus Pater tuus, mundi præparavit congratulationes & applausus. Ne concidas ad tormentorum adeo atrocium conspectum, hæc enim quanto maiora futura sunt, tanto maiori, ab amore tuo, condientur gaudio. Tuo in sinu, amabiles, gratæque erunt omnes ærumnæ, ut deinceps inde, ad debilem infirmitatem nostram, indulcoratæ transeant, ac mitigatæ.

PARS SECUNDA.

22. SEd quid demum de vanitate & inconstantia mundi huius dicemus, qui eodem quasi tempore abblanditur tibi, & te derelinquit : te amplectitur, & opprimit: favet tibi, teque persequitur; te exaltat, & deprimit; tibi donat triumphum *Secundum Punctum.*

phum & mortem orditur? Atque in uno quasi momento, serenus est, & turbidus, quietus & turbulentus, amicus & persecutor. Quis unquam tam admirabiles vidit Metamorphoses? Jam crucis truncum præparant, & cum pacificæ olivæ ramis excipiunt: Modo ad iniurias illum expectant & blasphemias, & tamen cum laudibus applausibusque comitantur eundem: Modo, ut ad ludibrium illum vestiant, album illi parant vestimentum, stultorum insigne & notam, atque ignominiosam purpuram, eademque cum propriorum vestimentorum ornamentis adservant. Nunc illum veluti infamem, & abiectum, foras extra civitatem ejiciunt, ipsumque velut supremum Monarcham intus recipiunt. Jam illum super infame extollunt patibulum, eundemq; duorum mysticorum Animaliũ honorant obsequio: Nunc velut reum proscribunt, ipsumque benedicunt, uti innocentem: Nunc vociferantur: *Crucifige, Crucifige*, & exclamant *Hosanna Filio David*. O *munde proditor*, exclamabo cum Augustino, *O munde immunde, fallax, & proditor*, qui invidiis plenus & dolis, imo totus quantus es, fraus es, & dolus. Bona tua sunt sicut fœnum tectorum, quod cum humorem nõ habeat, diluculo ridet atq; virescit, sub crepusculum vero languet & arescit: *sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit. Talis est jucunditas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent* (dicebat optimè Chrysostomus) *simul & cernitur & interit*. Tu in unico quasi momento, ditissimos & opulentissimos, ad extremã redegisti paupertatẽ; fœlicissimos, ad ultimam miseriam; honoratissimos, ad demissionis & humiliationis profundum. Tu reges ex solio ad solum præcipites egisti, de sceptro ad Catenas, de purpura ad sagum, de Palatio ad Carcerem. Partes infidelitatis tuæ, miserabiles atque deplorandæ fuerunt ruinæ, quas adeo frequentes legimus in antiquis pariter & modernis Historiis, sic enim Dionysius quidam, hodie Rex Siciliæ, cras ad conciliandam vitæ sustentationem, vilis pædagogus: Julius Cæsar, hodie Romanorum Dictator, cras in Senatu viginti duobus occisus vulneribus. Pompeius Magnus, hodie totius terrę maximus, cras vix tantum terræ obtinet, quæ sepulturæ sufficiat: *In tanto illo viro, à se discordante fortuna*, inquit Vellejus, *ut cui modo ad victoriam terra defecerat, deesset ad sepulturam*. Heliogabalus, hodie Imperator mundi totius, cras in Cloaca quadam fœtida & putrescente mortuus. Tullius hodie cordium Dominus, voluntatumq; pro arbitrio suo moderator, cras capite rescisso, & linguâ, vilis cuiusdam puellæ acubus transfixâ pronus jacens in terra. Adonibezec tot hodie Provinciarum Dominus, cras sub regiis mensis palpitans, ut se una cum Canibus de micis à mensa cadentibus exsatiet. Aman hodie mensæ regiæ assidens, in infami vero cras suspensus patibulo. Belisarius

Serm. 3. ad fratr.

Ps. 128. v. 6.

Chrysost. in Psal. 128.

Velle. Patercul. lib. 1.

tius quidam, magnus hodie Capitaneus, victor Wandalorum, Parthorum domitor, expugnator populorum. Cras per Italiam ubi adeo illustris fuerat, atque famosus, exoculatur, Eleemosynarum quæstum faciens. Andronicus aliquis hodie Orientis Monarcha: omnibus vero cras statibus spoliatur, vilissimæ plebis ludibrium. Zenobia quædam magna hodie Palmerinorum Regina, cras vero vile Aureliani mancipium, catenis prægrandibus onusta, ab eodem in triumpho suo ad ostentationem circumducta. Baiezetes quispiam Turcarum Monarcha, cras humile pedum inimici sui Scabellũ. *O munde proditor! O munde immunde, fallax & proditor!*

23. Æterna profecto memoria dignus est, Marcus ille Fulvius, cui post Græcos devictos, triumphus à senatu Romano est concessus. Prudentissimus ergo hic triumphator, ubi alii in suis triumphis, aureas aut argenteas circumducebant statuas, hic aliam quandam ingentem circumduxit statuam, è cera formatam, multis vasibus igneis cinctam, cuius illa calore sensim ac paulatim liquescens, deperibat. Videbaturque illud Prophetæ regii verbum
Ps. 57. v. 9. voluisse dicere: *Sicut Cera quæ fluit, auferentur, supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Pompæ, & magnificentiæ, seu fastus humani destruuntur & pereunt, sicut cera ab igne, cuius figura, cum ab efficacia Caloris continuo destruatur, non nisi brevissimæ esse potest durationis, videturque illud Apostoli verbum inculcare: *Præterit enim figura hujus mundi.* Cauti estote, ô mortales, omnis namque fastus, & pompa vestra, similitudini ac imagini Ceræ est perquam simillima, quæ paucis in momentis, ab ignis Calore ad nihilum deducitur. Recordemini eius, cuius meminerat Ambrosius, *Orat. de fide Resurrect.*
videlicet, res illas, quas habetis, creditas, non vero donatas esse vobis, ideoque mirandum non est, si is, qui liberaliter illas dedit vobis, pro suo quoque illa tollat arbitrio. *Ad tempus credita, in perpetuum tenere non possumus.* Videte igitur, an non causa nobis suppetat, una cum Augustino *Aug. in Soliloq.*
miserabilem nostram dolendi stultitiam, quod pro derelicto desertis rebus stabilibus & permanentibus, quas Deus promittit, labilibus & transitoriis, quæ mundus promittit, ad hærescamus. *Heu miseria super miseriam! Mundus clamat, deficio: tu Domine clamas reficio, & miseria mea prava, magis sequitur deficientem, quam reficientem.*

24. Refert Plutarchus, Romanis in more positum fuisse, lunæ imaginem portandi in calceis. Non sum equidem nescius, ipsos hoc pro nobilitatis suę signo sive tessera statuisse, quasi dicere vellent: Nobilitatem suam antiquam esse, multorumque annorũ, sicut antiquissimus est Planeta ille nobilissimus. Atque hinc istud nascitur Proverbium: *Nobilitatem in astragalis gestare*; id quod contra illos dicitur, qui nihili virtutis æstimantes pretium, de domus suæ

gloriantur nobilitate, ab animo alioquin omnino proscripta. Verum ulterius eruditus sese ingerit Rhodiginius, dicitque, quod Lunæ imaginem deferre in Calceis, propriè idem sit quod nobiles illos docere, quod ad omnem passum, quem faciebant, recordari debebant fastus, & magnificētiæ suæ inconstantiam. Sicut enim inconstantissimus Planeta ille, nunquam in eodem statu deprǽhenditur, sed variatur continuo, & modo instar infantis, modico cum lumine, & in parva Quantitate nascitur; nunc per incrementum ad modum regulatum progreditur: Nunc adultum plenumque splendoribus videri se facit: Modo vero inveteratur, ac tandem sensim ac paulatim, acquisitas successivè deperdit divitias, mundoq; omnino emoritur. Hoc ergo significare volentes Romani, Lunam in pedibus portabant: *Vt illis velut ambagibus commonerent, non insolescendo, nec prosperiore successu, efferendos esse animos, inconstantiæ rerum semper memores, qua humana cōflictantur, cui argumentum præbeat Luna, quæ primo quidem ex obscuro prodeat, mox splendido refulgens nitore, visenda consurgat facie, sed cum jam clarissimam candoris præferat speciem, rursum consenescens, deflorescit, donec ratione quadam reciproca, in nihilum denuo redeat.* Lib. 20. lect. antiq.

25. Unde sapientissime notavit S. Ambrosius, septem illas vaccas pingues, quæ septem significabant prosperitatis annos, qua Ægyptus gavisura erat, è flumine quodam egressas fuisse. *Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchri, & crassi.* Gen. 41. v. 1. Eccur hæc humanæ fœlicitatis symbola, è flumine quodam prodibant, nisi ut nos intelligeremus, & dies, & annos, & sæcula, rapidissimi cuiusdam fluminis instar transire. *Quæ ideo ascendebant de flumine, quod dies, anni, & tempora fluminis prætereunt modo, & cursim labuntur.* Lib. 2. offic. cap. 6. In sentent. Bene ergo concludit Nazianzenus, dicens: *Quisquis venientibus, vicissimq; abeuntibus rebus confidit, ille utique fluvio perenniter labenti confidit.* Quisquis in terræ huius confidit magnalibus, in mundi pompis, in hominum triumphis, in prosperitate carnis, in sæculi divitiis, in bonis temporalibus, talis super fugacis cuiusdam fluminis Aquas, velocissime transeuntes fundamentum suum inaniter ponit. Fuitque hic Gregorii Conceptus, quando dixit: *quasi in Aquis defluentibus fundamentum ponere, est, in rebus labentibus spei fiduciam collocare.* Lib. 22. Mor.

26. Porro dum in præsenti de Aquis loquor, factum quoddam mihi occurrit, valde mysticū, quod David in coronatione Salomonis filii sui fecit: *Duces eum* (inquit sacer textus) *in Gion, & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta, in Regem super Israel.* 3. Reg. 1. v. 34. Sed eccur potius in Gion, quam in alia parte Regni? Mysterium est hoc, dicit S. Hieronymus, Terra enim Gion, ad radicem montis Syon posita erat, ubi multi fontes erant, eius tamen Qualitatis, ut non semper Aquas derivarent,

varent, sed nonnunquam fluere desinebant, tuncq; sicci reperiebantur, *Est autem Gion*, (dicit S. Hieronymus) *ad radices montis Syon, qui non jugibus Aquis, sed certis horis diebusq; ebullit*. Quasi Salomoni interea, dum in medio fortium illorum, in Regem ungeretur, dicere vellet: videsne Aquas istas, quæ nonnunquam se videri permittunt, nonnunquam autem absconduntur? Quæ ad hominum utilitatem frequenter ebulliunt, sæpe quoque sistuntur & deficiunt? Aliquando divitiis suis communicandis liberales sunt, aliquando vero restrictæ, parcæ, & avaræ? Aquæ istæ, si id nescis, magnificentiæ humanæ sunt Symbolum, de quibus nihil sibi homo certi, vel unico etiam momento promittere potest. In manu illas habes & elabuntur tibi; te quærunt, & te fugiunt; veniunt ad te, & transeunt ad alios; gaudes illis & perdis easdem, velut in unico & eodem tempore. *O munde immunde, fallax, & proditor!* Admodum stultus est, qui tam infideli nititur fulcro. Vere cœcus est, qui tam manifestas non conspicit fraudes, insensatus omnino est, qui tam evidentium tradimentorum ac proditionum non habet sensum.

De Agone Christi cap. 26.

27. Quid est quod Christus de novo fecit, dicit Laurentius Justinianus, quod adeo repente vos, ô Judæi mutaveritis? Quid in tam modico tempore novitatis accidit, quod vos gloriosas laudes istas, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, in horrendas illas cogit immutare blasphemias, *Crucifige, Crucifige? Quid egit hic? Quid intervenit? Quid accidit novi? Vt vox sanctitatis & laudis in vocem livoris & blasphemiæ sic repente mutata sit?* Nolite rei tam irrationabilis, aliquam investigare causam, hæc namque alia non est, quam antiquus mundi usus, hic est ordinarius omnium populorum stylus, & consequenter huius quoque ingratissimi suique immemoris populi Hebræi. *Hæc profecto est populi huius antiquata malitia.* Hæ fraudes, homines inter sunt frequentissimæ: Hæ sunt consuetæ in terra proditiones; quotidie in mundo hæ conspiciuntur vicissitudines. Quid est, quod Paulus de novo fecerat, quando uno eodemque die, quo ipsum velut Deum adorare volunt, præparantque ad sacrificandum victimas, tanquam si fuisset Mercurius, dicentes: *Dÿ similes hominibus descenderunt ad nos:* quid inquam fecerat, propter quod eodem die lapidari mereretur, atque in mediis plateis velut mortuus, desolatus relinqui: *Lapidatumque Paulum traxerunt extra Civitatem, existimantes eum mortuum esse. Quis non despiciat humani favoris inconstantiam*, dicit nonnemo Doctus expositor, *eodem die sacrificio & Corona dignus habitus tanquam Deus immortalis, lapidibus cingitur, hisq; cæsus ut execranda victima cogitur exuere mortalitatem. O munde proditor! O munde immunde fallax & proditor!* Ioan Lorinus in Acta.

28. *Vidi impium firma radice* (dicebat Job) *& maledixi pulchritu-* Iob. 5. v. 3.

 dini

dini ejus statim. Verum quid dicis, O magnum Patientiæ speculum? Firma radice? Contrarium omnino dicit Dominus DEUS per Isaiam Prophetam, equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum; repente flavit in eos & aruerunt. Quomodo tu dicis: firma radice, si Deus dicat, neque radicatus? Respondet Gregorius. Non esse radicatum mundanum, bene tamen cor mundani, cuius fœlicitas quidem instabilis est, sed cupiditas firma & stabilita. Non habet fortuna hominis talis radicem, habet tamen affectus radicem; est inconstans prosperitas, cor autem est pertinax. Quasi firma radice stultus in terra figitur, qui totis desiderijs in terreno amore solidatur. Videte ergo, num ego stabilem judicem, talis cuiuspiam prosperitatem, qui nausea subito & aversione plenus, eidem maledixit: maledixi pulchritudini ejus statim. Eccur autem sic maledixisti illi? Respondet Gregorius, quia pertransit quod extollitur, permanet quod punitur. Maledixi infœlici huius mundi fœlicitati, quia ipsa arbor est sine radice, quia humorem qua alatur non habet, quia ad primum cuiuslibet venti spiritum, exsiccatur, & languet. Maledixi pulchritudini ejus statim, quia pulchritudo quædam fragilis est, & momentanea, quæ multas ob curas, quas habet, infinitis exposita existens angustiis, ultra pauca momenta durare nequit: Maledixi pulchritudini ejus statim, quia hæc tanta pulchritudo, videtur esse quod non est, estq; id, quod nō videtur esse; per recentem suum virorem allicit, per certas autem proditiones suas seducit; per fictam suam apparentiam oculo blanditur, cor autem per inexpectatam fugam suam deludit. Maledixi pulchritudini ejus statim. Maledixi infœlici illi gratiæ, & turpissimæ huic pulchritudini, quia video, quod Paradisi, qui immarcescibilis est pulchritudinis, superinducat oblivionem, eaque bona, quæ durant æternum, à mente tollat. Maledixi pulchritudini ejus statim, quia recordatus sum illius, quod sapientissimus olim Seneca dixit: Nemo ex istis, quos purpuratos vides, fœlix est: non magis, quam illi, quibus sceptrum, ac Chlamydem in Scena fabulæ assignant, cum præsente populo elati, ac cothurnati simul incesserunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Comparent, ait Seneca, auro cooperti & gemmis, redimiti Diademate, margaritis calceati, nobilissimam post se habent Comitatus Coronam, superbi in populi procedunt præsentia; tandem vero, veluti in Comœdia aliqua pauco tempore existentes, deponunt quicquid suum non erat, sed acceptum mutuo. Qui Rex erat, servum se conspicit; qui dives, pauper evadit; miserabilis, qui fœlix; qui gaudebat, plangit; ridet, qui plangebat; purpura qui vestiebatur & ostro, sordidis & laceris utitur centonibus; qui modera-

Isaiæ 40. v. 24.

deratur, mox servit, moderatur autem qui ante serviebat. O nos pauperes, quos vel ipsi confundunt gentiles! An non Poeta ille dixit:

Iuvenalis. *Fabula vana sumus.*

Si velut in Scenica quadam repraesentatione hic sumus, paucis certe horis rerum nostrarum securi esse possumus optimeque concludimus: Ergo foelicitas nostra radices non habet; Ergo traditor est mundus, qui quod praestare nequit promittit. *O munde proditor! O munde immunde, fallax & proditor!*


Osee. 2. v. 7. 26. Oseas Propheta, de huius vitae rebus, sub metaphora foeminae cuiusdam impudicae, atque post amatores suos currentis, loquens, dicit: *Sequetur amatores suos, & apprahendet eos.* Ecce autem Jeremiam, qui omnino contrarium dicere videtur: *Apprahenderunt mendacium, & noluerunt reverti.* Unus dicit, eos non apprahendisse ea, quae sequebantur, contrarium vero alter dicit, dicit enim eos apprahendisse, & consecutos fuisse: *non apprahendet eos, apprahenderunt mendacium.* Mirabiliter autem ad id sapiens quidam respondet Interpres, verbis sequentibus: *Ecce eandem plebē amatores suos, sive amata concupitaq; Idola, simul apprahendentē & non apprehendentē.* Quodsi quaeras, qua ratione id esse possit? *Respondebo eam saecularium bonorum Naturam esse, ut simul apprahendantur, & non apprahendantur, sive potius ut non apprahendantur, cum apprahenduntur, quod cum ea mendacia, caduca & praetervolantia ac inter ipsas manus dilabentia sint, idem fuerit omnino, ea apprahendere, & non apprahendere.* Habes illas in manu tua, & non habes: aut si habes, illas habes, velut si non haberes, nam ut dixit Chrysostomus: *Summa aviditate complectuntur umbram, & sequuntur ventos, hac enim quae eis videntur, saeculi & carnis bona, è manibus eorum tanquam ventus & umbra diffugiunt, & elabuntur. O munde proditor! munde immunde, fallax, & proditor!*

Ierem. 8. v. 5.

Velasquez in Epist. ad Philipp.

30. Cur nos ergo Dilectissimi Cor in terram ponimus, cum luculenter videamus, omnia instabilia, & fugitiva esse, super faciem terrae? Cur illa bona quaerimus, quae ob labilem & inconstantem Naturam suam, longo nobiscum tempore commorari nequeunt? quae dum possidentur à nobis, eo quod umbra quaedam & somnus sint, non possessa videntur? Cur monitum non auscultamus Origenis dicentis: *Vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in coelestibus regionibus.* In hac terra nostra maledictioni subiecta, quicquid est, totum fictum est, totum vanum est, totum somniatum est, totum fallax est, fugitivum est, totum denique delusorium est. *Vera bona non nascuntur in maledicta terra.* Qui est qui in hoc saeculo, vel ad unam duntaxat horam, certus sit de suis

divitiis ? Quis vel ad unum solum punctum, securus sit de suis honoribus ? Quis fortunæ suæ fidat ad unum tantum momentum ? *Vera bona non nascuntur in hac maledicta terra. Ecce in Babylonia pulchra sunt, quæ tenent*, dicit S. Augustinus, *non te teneant, ne decipiant*. Cave sis ne bona Babyloniæ, ficta sua te pulchritudine decipiant, ut per veram suam fallaciam te tradant. Cave ne te amplectantur, ut opprimant te; non te pascant, ut intoxicent: non te elevent ut præcipitent: *Vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in cœlestibus regionibus*. Hæ tantopere appretiatæ magnificentiæ, flumen quoddam sunt, cuius undæ variantur continuo: ventus sunt velocissime transiens. Fulgur sunt, quod vix dum apparet, disparet; Scintilla sunt, quæ vix dum vivit, moritur: Levissima quædam spuma sunt, quæ vix nata denascitur: *Vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in cœlestibus Regionibus*. Eradicemus tandem ab hac maledicta terra corda nostra, eademque transplantemus in benedicta terra viventium. Evellamus ab hoc fugaci sæculo affectus nostros, eosdemque profundemus in supremam Paradisi regionem, in qua omne quod est, stabile est & permanens. Odio habeamus hocce mundi exilium, tot infortuniis plenum, totque infaustis subiectum casibus atque eventibus, & amemus illam Cœli patriam, tanta fœlicitate & gaudiis refertam, ac denique illam S. Augustini audiamus sententiam: *Vilescat mundus, ametur à quo factus est mundus.*



CON-



CONCIO XXXV.

In Feriam II. Septimanæ Sanctæ.

THEMA.

Ante sex dies Paschæ, venit JESUS Bethaniam &c. fecerunt autem illi Cœnam ibi. Ioan. 12. v. 1. & 2.

ARGUMENTUM.

Christus in Sanctissimæ Eucharistiæ institutione, in quantum Homo omnes veræ amicitiæ Leges observavit.

SUMMARIUM CONCIONIS.

In Sanctissima Eucharistia extendit Deus super spes nostras munera sua. n. 1.

Cœna quæ facta est Christo in Bethania est typus cœnæ Eucharisticæ, quã exhibuit postea pro toto mundo Christiano. n. 2.

Quatuor amicitiæ Leges ex Philosopho. 1. vult eum esse, scilicet amicus amicum. 2. vult ei bona, & operatur bona ad ipsũ. 3. convivit ei delectabiliter. 4. habet easdem delectationes, & cõtristationes. Hæc quatuor sunt synopsis Concionis. n. 3.

Punct. I. *In primo parente perdideramus vitã, per secundũ recuperamus.* n. 4.

Optime primi Christiani sacramentum Corporis Christi, non alio modo vocant, quam vitam, ait Baronius. n. 5.

Caro corpore & sanguine Christi pascitur, ut Anima de Deo saginetur. *Graviter* Tertullianus. Ibid.

Ego claritatẽ quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unũ sumus. *Verba Christi põderanda.* n. 6.

Verba Isaiæ. 21. *huc à S. Hieronymo versa.* num. 7.

Præsentia Dei pastus est Moyses 40. diebus. Moyses ascendit Homo, descendit habens Deũ. Sed quid de Christianis, qui non solum vident, sed & illo vescuntur. Ibid.

Caro

Caro Dei est, & vivificare potest, ait Cyrillus. Ibid.

Et ipse vivet propter me. *Locus à S. Ambrosio ponderatus.* Ducitur, *ait*, in divini status puritatem. n.8.

Hunc locum explicant SS. Dionys. & Cyrillus *ducta comparatione ab Aqua igni exposita, & ferro candente.* n.9.

Illius vitæ fœlicis descriptio, & pro ipsa acquirenda ardentia suspiria. n.10.

Punct. II. *Secunda amicitiæ lex optime Christo convenit in Eucharistia.* Huc flexi Zacharias, Oseas, & Salomon. num. 11.

Charissimi Dei amici diversa à Deo petierunt, sed nullus petijt, ut daret seipsū. Dona illius tua vota vicerunt. n.12.

Horum verborum: Quia jam parata sunt omnia, *excellens* Cyrilli *explicatio.* num. 13.

Nexus horum verborum parata sunt omnia. *Et:* Parasti in dulcedine tua Deus. *Non exprimit, quid parârit propter ineffabilitatem subjecti. Hæc verba:* Parasti in dulcedine &c. *optimè ponderata.* n.14.15.& 16.

Describuntur à David pertinentia ad Messiā & præcipuè de Eucharistia, his verbis: Erit firmamentū in terra &c. *vel ut vertit* Hieronymus: Erit mirabile triticū. *Alij aliter. Post quæ verba propheta millenas Deo dat benedictiones, & creaturas invitat ad simile. Tandē cōcludit:* defecerūt laudes David filii Iesse n.17

Cōmunicantes usurpare possunt, quod Miphiboseth ad David: Posuisti me servū tuū, inter convivas mensæ tuæ. n.18.

Antiquis israelitis cōpetebant verba S. Pauli: Quanto tempore Hæres parvulus est, nihil differt à servo: *In Eucharistia vero nobis omnia donavit.* Ib.

Punct. III. *Tertia amicitiæ lex optime Christo in Eucharistia convenit.* num. 19.

Multi multa à Deo petierunt, sed quis unquam ausus fuisset petere, ut Deus ingrediendo in viscera nostra cibus fieret; Et quidem sub speciebus Panis & Vini. Dona illius etiam tua vota vicerunt. Ibid.

Deus in antiquo testamento, tantum ad ostium tabernaculi loquebatur, & quare: secus jam accidit in Ecclesia. n.20.

Audiant Christiani, qui quotidie Corpus Christi attingunt, quantam de ipso Corpore sumere possunt Medicinā, quando mulier totam rapuit de sola vestis Christi fimbria sanitatem. Scitè Petrus Chrysologus. num.21.

Ego veni ut vitam habeant *in Incarnatione*, & abundantiùs habeant *in Eucharistia. Primo in subjecto. 2. in agente. 3. in facilitate. 4. in loco. 5. in modo. Denique extendisti misericordiam tuam in tempore.* n.22.

Magni æstimatur Christi patiētia, quæ per 33. annos laboravit viator, sed quanto plus debet æstimari perseverantia, qua à 16. sæculis nobiscum manet, n.23.

Punct. IV. *Quarta lex amicitiæ in Eucharistia reperitur.* Nihil enim omisit, quod vehementer amantem deceret. num.24.

Quomodo pertingendum ad Beatorum in Cœlo obedientiam. Sicut in cœlo & in terra? Resp. *per sanctißimam Eucharistiam.* Ibidem.

Mysterium Crucis eripuit nos à potestate peccati: Mysterium Eucharistiæ eripuit nos à voluntate peccandi. Ibidem.

Videte

Videte fratres, si amplius debet ægrotare genus humanum, accepta tanta medicina, *ait ingeniose* S. Augustinus num. 25.

Catonis mater, quo tempore suum parvulum lactabat, iisdem uberibus, quibusdam mancipiorum filiolis, Lac promebat, ut commune nutrimentum eos filio benevolos redderet, num. 26.

Christiani eodem cibo pasti ac Christus. Mammilla regum lactaberis. Et erunt Reges nutritii tui, &c. Ibid.

Coniurati cum Catilina humanum sanguinem biberunt ex eadem patera, quo inter se fidi magis forent, tanti facinoris conscii, n. 26.

Dum in hac vita sumus, ut terra nobis Cœlum sit, facit hoc mysterium. Aureum Chrysostomi *effatum*, n. 27.

Vbi & multi & pulchri paralleli inter Beatos & viatores hoc salutis pignus possidentes. Ibid.

Tantum Christi in te amorem, quo amore Christiane compensabis? *ait* S. August. n. 28.

Disce à Christo, quemadmodum diligas Christum. Bernhard. Ibid.

Qui totum dat totum petit. *Diserte* Seneca Ibid.

1 IMpossibile erat vastas adeo esse spes nostras, adeoq; ampla desideria nostra, quin ab amplitudine amoris Christi, in institutione Augustissimi Sacramenti altaris exhibiti infinito superarentur intervallo. *Extendit Deus super spes nostras munera sua*, dicebat Salvianus Presbyter Massiliensis, *& quod est maximum ac rarissimum, dona illius etiam tua vota vicerunt*, q. d. Magni Dei nostri dona, cuncta transcenderunt spei humanæ confinia, tametsi ea tam sint vasta, omnes excesserunt metas desideriorum nostrorum, tametsi illa prorsus insatiabilia existant, omnes Cupiditatis nostræ superarunt terminos, tametsi illa terminũ nesciat. *Dona illius etiam tua vota vicerunt.* Vnde Evangelista Ioannes, maxima cum emphasi sublimem hanc protulit sententiam, quæ tot deinceps sublimium ingeniorum ipsam glossantium, fuit objectum: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Id est, prouti interpretatur Chrysostomus: *nihil omisit, quod vehementer amantem deceret.* Suos dimensus est favores ad mensuram amoris, qui omni prorsus caret mensura: atq; non ad votorum nostrorum, quæ quantumvis magna sint, limitata tamen demum existunt, sed ad charitatis suæ pondus quod infinitum est munificentiæ suæ libravit thesauros. Nullo pectori humano, Dilectissimi, inerat sive ad Beneficium adeo magnum appræhendendum tam sublimis cogitatio, sive adeo excessivum desiderium, ad illud desiderandum: sive ad illud postulandum adeo fiducialis securitas; sed quo nostræ non pertingebant infirmitates, id Christi Domini assecutus est amor, ingeniosus videlicet pulcherrimorum maximeque admirabilium, quæ unquam è Dei manibus egressa sunt, operum faber & architectus, *in quo nihil omisit, quod vehementer amantem deceret.*

Lib. 2. ad Eccl. Cath.

Ioan. 13. 1.

Chrysost. In Ioan.

2. Hæc est illa hodierni Evangelij Cœna, Cœna videlicet facta in Betha-

Bethania, quæ Obedientiæ Domum significat, in ea namque magnum intellectus humani exquiritur obsequium. *In Captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* In ea Convivantium unus erat Lazarus resuscitatus, Sacramentum enim istud viventium non verò mortuorum est Sacramentum. In ea Magdalena pretiosum super Domini verticem effundit unguentum, quo magnas illas, raras, novasque honorare docemur Divinæ sapientiæ inventiones. In ea denique Martha ministrat, id quod nobis reapse insinuat credendum esse corde, oreque magnam illam repetendam esse propositionem, quam illam circa mortui fratris sui pronuntiavit sepulturam: *Vtique ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* In ea deniq; super isthæc omnia Christus reperitur summum bonum nostrum, potius nos delicijs suis pascens, quàm apparatis ab honoratissima illa familia ferculis pastus, velut devinctissimus Domus illius amicus, ea, quæ veri fidelissimique amici partes sunt exhibere non omittit: *Nihil omisit quod vehementer amantem deceret.*

2.Cor.10.5.

3. Quatuor sunt, ut Philosophus lib. 8. Ethicæ suæ dicit, quæ sincerus quispiam amicus alteri amico suo velle potest, suntque præ cæteris præcipua, magisque apud universum mundum æstimata. Primum est esse, quod bonorum omnium est fundamentum, *vult eum esse.* Secundum est bene esse, sive fœlicitas, sine qua nullum alicui esse placere poterit. *Vult ei bona & operatur bona ad ipsum.* Tertium est cum amico conversatio atque amictus, sine qua omnis etiam strictissima refrigesceret amicitia: *Convivit ei delectabiliter.* Vltimum est Animorum unio & conformitas voluntatum, quæ quidam est veræ amicitiæ fructus: *Habet easdem delectationes & contristationes.* Hæc quatuor à Deo desiderare poteramus, utpote, qui pro generositate atque præcellentia sua nostrum se profitetur esse amicum: *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Ipse verò Dominus noster sanctissimum nobis donando Sacramentum, non duntaxat boni amici complet officium, sed ea id quoq; ratione complet, ut nostra plurimũ superet desideria, cogitationesq; nostras transcendat immensum: *Dona illius etiam tua vota vicerunt. In finem dilexit: Nihil omisit, quod vehementer amantem deceret.*

4. Et Primo quidem vitam atque esse spirituale à Deo desiderare poteramus, utpote quod maximo damno nostro in Adamo Prothoparente nostro amisimus: at verò plurimùm ipse nostrum devicit transcenditque desiderium, dum veneranda Eucharistia mediante vitam nobis confert longe nobiliorem, magisq; pretiosam, quam sit vita, ut ita loqui liceat, ipsiusmet Dei. Videtur id insinuare voluisse Gregorius Nyssenus, quando inquit: *Esculentum se nobis proposuit, is qui semper est, ut accipientes illum in nobis, illud efficiamur* (In Ecclesias)

1. Punctum.

quod

quod ipse est. Effecit, ut ipsum manducare possemus, ad hoc ut ipsum in vita nostra moribusque nostris exprimere possemus, atque desinentes, ut ita dicam, id esse quod sumus, quod ipse est esse inciperemus. Luculenter id S. Dionysius Areopagita expressit, dum inquit, quòd is qui mensæ huic cœlesti appropinquat, *ducitur in Divini status puritatem.* (*De Eccles. Hier. cap. 3.*) Verum enimvero ut quid testimoniis à discipulis emendicandis immoror, dum clarissimum ipsiusmet Magistri habeo testimonium? An non Sanctissimus Redemptor idem nobiscum dixit, quando ait: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* (*Ioan. 6. 57.*) Id quod S. August. cœlesti quodam jubilo adimplevit, atque exclamare coegit: (*Tract. 26. in Ioan.*) *O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum Charitatis! Qui vult vivere habet ubi vivat, habet unde vivat, vivet in Deo, de Deo; incorporetur ut vivificetur.* Voluit benedictus Redemptor noster, ut Ruperto Abbati videtur, sese opponere Calumniæ, fallacibusque Sathanæ promissis, qui Progenitoribus nostris dixerat: *Comedite & eritis sicut Dij.* Qui tamen non solum promissam non acquisivere Divinitatem, verum insuper ut ita dicam, vitam perdiderunt & esse humanũ, ipsisque insensatis bestijs pejores effecti sunt. Dicat ergo ipsa quoque veritas, quæ mentiri nequit: *Comedite & eritis sicut Dij*, efficietq; haud dubie stupendam illam terreni in cœlestem, Corporei in spiritualem, Hominis in Deum confectam Metamorphosin: *Et qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic perspicue Divinitatem pollicetur Carnem suam manducantibus, & illusionẽ nequissimi nebulonis, qui dixit: Comedite & eritis sicut Dij, non sine magno cruciatu ejusdem serio loquens in verum effectum convertit.* (*Rupertus l. 6. in Ioan.*) Sacrilegum illud Verbum, quod in ore Sathanæ mendacium fuit, in ore Christi sanctificatũ in verum transmutatur sensum. Tunc seduxit incautos, nunc consolatur credentes, hominem tunc homine minorem reddidit, nunc verò eundem homine reddit majorem, & paulo minus quàm Deum, quia *ducitur in Divini status puritatem. Et qui manducat me & ipse vivet propter me.*

5. O quantopere me felicissimi illius primi sæculi, illiusque etiamnum in primo suo Christianismi flore illibatæ sanctitatis consolatur memoria, in quo teste Cæsare Cardinali Baronio ferventissimi illi fideles, quibus spiritus Dei inerant primitiæ, nullo alio sacram Eucharistiam nomine appellarunt, quam ut illam vitam vocarent. (*Tom. 1. A. 39.*) Sic de Christianis in Africa testatur Augustinus: *Optime Punici Christiani Sacramentum Corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant.* (*Lib. 1. de peccatorum meritis c. 24.*) In hoc etiam sensu S. Cyrillus Alexandrinus dixit Christum benedictæ Carni suæ in qua vita erat, vitæ quoq; conferendæ potestatem pariter dedisse: *Christus Carnem suam fecit vivificantem.* (*Lib. 4. in Ioan.*) Cui conformiter loquitur Areopagita, videlicet eos qui divino isthoc pane pascerentur, divina quadam

vita mediante, Christo Capiti suo uniri: *Per vitæ sanctæ ac Divinæ similitudinem Christo compaginati.* Atque ideo Tertullianus, Fideles qui salutari hac esca cibati fuerunt, de substantia ipsiusmet Dei saginatos & incrassatos appellavit: *Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut Anima de Deo saginetur.* Et alibi docuit, quòd dum ex institutione Christi formati, quotidianum Panem ipstum postulamus dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* perpetuam quandam simul postulemus conjunctionem & quasi identitatem cum Christo: *Itaque petendo Panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem à Corpore ejus.* Atque in antiqua Malvareæ Indiarum Provinciæ Liturgia, quæ à Thoma Apostolo utpote qui iis in regionibus Evangelium Christi prædicavit, composita fuit, Sacerdos priusquam Eucharistiam populo distribuat, hæc verba dicebat: Robora Domine Deus infirmitatem meam benignitate tua ut ministremus Sacramenta tua, quæ nobis data sunt *in Naturæ nostræ innovationem*, per amorem filii tui dilectissimi.

cap. 3. Eccles. Hier.

Lib. de Resur. Carnis. cap. 8.

l. de orat.

Alex. Menes Episc. Goa.

6. Ob id quoque Clemens Alexandrinus non dubitavit gloriari se nobilissimo natum esse genere, altissimaque stirpe oriundum, atque ipsummet Deum nostrum ore pleno nominare genitorem: *Unicuique ergo nostrum, licet Deo gloriari bono Patre, eque bono sanguine me glorior esse.* Et Chrysostomus Christum sic introduxit loquentem: *Ego vos carnibus meis alo, meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens.* Ego meipsum in cibum impertior, ut in vos divinæ stirpis meæ transfundatur generositas, nobilesque evadatis non quacunque vulgari ratione, sed eademmet nobilitate, de qua ego glorior, quæ est divinæ essentiæ meę nobilitas: *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Atque per claritatem istam Cyrillus Divinitatem intellexit. Estq; notandum hæc fuisse verba à Christo post sanctissimi institutionem Sacramenti pronuntiata, quasi dixisset: Nunc fidelib. meis illud dedi, quod à Patre meo receperam: Divinitatē receperam, eandēq; Divinitatem dedi ipsis: Et sicuti hæc est claritas & nobilitas esse seu essentiæ meæ, ita quoq; ipsi illustres & generosi, atque supra omnem cogitationem humanam nobilis claræque debent esse prosapiæ, *exaltati in divini status puritatem, Et qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Lib. 1. Pæd. cap. 6.

Hom. 51. ad pop.

Ioan. 17. 22

7. Locum illum prophetæ Isaiæ: *Pone mensam & contemplare in specula: comedentes & bibentes surgite principes,* S. Hieronymus de augustissimo Eucharistię Sacramento intellexit, quasi Propheta diceret: Mensæ huic cœlesti appropinquetis, futurum namque est, ut ab ea surgentes longe diversi futuri sitis ab iis qui eratis: Eratis pauperes, & discedetis divites, Eratis ignobiles, & magnos vos inde generososque conspicietis effectos; Humiles atque abjecti, privatæque

Isai. 21. 5.

tæque fortunæ eratis homines, sed mox vos principes factos esse obstupescetis: *Dicitur per Prophetam ad omnes credentes, ut comedentes Corpus & bibentes Sanguinem Domini vertantur in principes.* Macharius Antiochenus quærit unde optimus Propheta Moyses vixerit, quando montem ascendit, ibidem quadraginta dierum spatio cum Deo colloquens stetit? Respondet autem stultam vere ac fatuam esse ejusmodi interrogationem, *Est enim alius cibus præter hunc visibilem.* De quali ergo cibo Moyses vixit? aut quale fuit illud adeo à nostrate differens ejus nutrimentum? Vtique Conversatio atq; commercium cum Deo, hoc enim est quod illum adeo Divinitate fecit comparere repletum, ut eadem suos è vultu radios emittens in causa fuerit, cur Hebræi ipsum Luminis sui debilitate respicere non potuerint. Vnde S. Macharius concludit dicens: *Moyses ascendit Homo, descendit habens Deum.* Verum enimvero quãto æquius dici id de eo poterit O Christiane, qui cibo pascitur Angelorum, qui Deum non duntaxat videt, neque sola eius gaudet præsentia ac conversatione, non sua tantum verba auscultat, sed insuper de ejus substantia veluti sapidissimo atque desideratissimo pascitur ferculo, An non majori cum ratione de tali aliquo dicere valebimus, *ascendit Homo, descendit habens Deum.* De Cæsare Augusto refert Suetonius illum eos quos ad mensam suam admittebat regiam, Deorum habitu seu veste vestire solitum fuisse, quasi eiusmodi hoc tali cum Cæsare ad mensam ipsius convictu nescio quid divini acquirerent. Veruntamen Charitas Christi facere novit, quod nequivit facere Augusti vanitas, quisquis enim mensæ Domini Dei mãducans Carnes, accumbit, transformatur in Deum, nam uti Cyrillus dixit: *Caro Dei est, & Deificare potest. Ascendit Homo, descendit habens Deum. Et qui manducat me & ipse vivet propter me.*

Machar. Hom. 12.

Suet. in Augusto.

8. *Propter me* dicit S. Ambrosius; hoc est, in quantum sum Deus; sicut enim quatenus talis existens vivo propter Patrem, quia totam à Patre recipio essentiam, & quicquid in me reperitur, totum à Patre in me transfusum est; ita quisquis Sacratissimum istum manducabit panem, meam quoque partipabit substantiam & esse meum, eo fere modo quo sicut ab Anima vitam recipit Naturæ, ita à Divinitate vitam recipiet gratiæ. *Ducitur in Divini status puritatem.* Et ipse vivet propter me. S. Augustinus autem eundem hunc locum de Christo intellexit quatenus Homo est, quasi diceretur, quẽadmodum ego quatenus Homo aliam præter illam Patris mei non habeo vitam, ita qui cœlestem hunc Panem participabit, in quo memetipsum totaliter præsentem reposui, vivet propter me, id est, vita mea mediante, sicut ego mediante Vita Patris mei vivo; *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet pro-* Tract. 26. in Ioan.

pter me. Ego humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivet propter me, dicit Augustinus. Revertor itaque ad illam S. Augustini pronuntiandam sententiam: *Qui vult vivere habet unde vivat, incorporetur, ut vivificetur.* Porro Eccui unquam in mentem venire potuisset, ut postularet à Deo, ut is deformatam Animæ nostræ reformaret vitam, non jam deinceps manibus suis, sicut illam socrus Simonis Petri; non jam amplius oris sui saliva, sicut illam cœci nati; non jam fimbria seu Lymbo vestis suæ, sicut illam Hęmorrhoissæ; non jam imposterum spiritu anhelitus sui, sicut illam Collegii Apostolici, non jam accētu Linguæ suæ, sicut illam quatriduani Lazari, sed sanguine suo, Carne sua, Anima sua, Divinitate sua, Vita sua? *Dona illius etiam tua vota vicerunt.*

9. Magnum isthoc mysterium optime ponderavit Eusebius Emissenus, dum Analogiam seu comparationem quandam inter eam vitam quā Deus primo homini quondam dedit & vitam hanc, quam omnibus hominibus Christus sacrosancta Eucharistia mediante largitur, instituit, dicens: *Grandi dignatione primo homini spiraculum vitæ de sua substantia pius formator infudit, sed nunc pene majori Charitate pro eodem homine non jam sua dedit, sed semetipsum impendit & tradidit.* Nunc non jam opus suum, sed ipsummet donat operatorem: non adhibet spiritus sui flatum sed esse suum, non res suas communicat, sed omnino seipsum, rerum omnium Dominum. *Et qui manducat me & ipse vivet propter me.* Ponderavit hoc ipsum Cyrillus pulchra quadam similitudine Aquæ juxta ignem positæ, quæ sensim ac paulatim, veluti Naturæ suæ obliviscens fervet, bullit, spumat, atque in sublime effertur, atque ex corpulenta in tenuissimos rarescit vapores, ex frigida adeo fit fervida, ut pari cum igne intensione ad coquendum sit idonea ex immobili incipit levissimis sese gyrare & circumvolvere motionibus. *Hoc sane modo nos, quamvis propter Naturam Carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ ad vitam reformamur. Et qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Ponderavit idem Dionysius Areopagita per ferri candentis similitudinem, id quod scintillat, fulgurat, ardet, comburit, & consumit, nec jam amplius ferrum, sed ignis esse videtur; *ita nos per cibum hunc sacratissimum in suam Christus traducit effigiem, Deiformesq; reddit. Et qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Ponderavit idipsum Hieronymus, quia ut refert Eusebius Cremonensis, qui ejusdem Hieronymi erat discipulus, hic dum jam jam Creditori redditurus esset Animam suam, coram sanctissimo Sacramento, quod in magni illius imminentis itineris à tempore ad æternitatem conficiendi viaticum sumpturus erat, tenerrimo cum affectu exclamavit, atque in hæc suavissima verba prorupit: *O esca sacratissima, quam vere comedens Deus efficitur! O sacram peregrinationis nostræ viaticum! O signum*

Hom. 6. de Paschate.

c. 2. Eccles. Hierarch.

Epist. ad Damasum.

signum dilectionis inopinabilis! O panis sacratissimus. Panis qui substantiosum es peregrinationis nostræ viaticum: O inexcogitabilis dilectionis signum: per quod Homo fit Deus, vitamque traducit superhumanam atque divinam. Et uti S. Augustinus dicebat: *Qui manducat hunc panem invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur. Infans intus est. Vbi novellatur, ibi satiatur.* Enimverò ut quid ego vitæ hujus, quam Panis hic vitæ confert, majores probationes requiro, quando eandem salvator noster luculentissime asseruit dicens: *Panis Dei est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.*

10. O vita beata, quæ non huic mundo nos parturis, sed Cœlo regeneras: non in terra ista societati inseris mortalium, sed Angelorum & beatorum nos consortio conjungis: non imperfectæ lucis istius usum donas, sed lucem nos veram videre facis, quæ totum illuminat mundum. Fœlicissima vita quæ infinitis instabilissimi hujus seculi non est subjecta vicissitudinibus, tempore non antiquatur, non corrumpitur annis, non deterioratur mensium stationibus, non turbatur ex Elementis, non debilitatur morbis, morte non terminatur. O chara vita per quam non conservatur sana Caro, sed potens vigorosusque conservatur Spiritus, non nutriuntur membra, sed affectus pascuntur, non attemperatur complexio, sed conscientia regulatur. O mi Christiane si tantum vitæ hujus terrenæ rationem habes, cujus ipsa quoque vilissima animalia participio gaudent, ut pro conservatione illius nullus sit labor quem non subeas, nulla ærumna quam non devores, nullum quod non lubens transcurras periculum, eheu cur cœlestem hanc divinamq; vitam non amabis? quæ Patrem tibi Deum donat, Christum fratrem, patriam Cœlum; Angelos commensales, gloriam hæreditatem tuam efficit? vitam illam, quæ per ipsiusmet Dei vivit Divinitatem, per auram Spiritus Sancti respirat, per gratiæ instinctus se movet, crescit ex Paradisi influentiis, Carne Agni pascitur, Sanguinis Redemptoris nostri bibit ambrosiam? Vitam illam quæ omnibus gaudet delitiis sine fastidio, omnes possidet thesauros sine penuria, omnes complectitur honores sine confusione, omnia sine ulla contrarietate amplexatur bona? adeo beata, ut omne superet desiderium, omneque vincat votum. *Dona illius etiam tua vota vicerunt. Nihil omisit quod vehementer amantem deceret.*

II. Secundum quod Philosophus in amicitia desiderari docet est bonum quod unus amicorum vult alteri. *Vult illi bona, & operatur bona ad ipsum.* Sed & hic *dona illius tua vota vicerunt,* liberalissimus namque hic Dominus modum adinvenit, quo homini simul & semel omne donare bonum posset. *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* inquit Zacharias. Bonum videlicet quoddam,

II. Punctum.

Zach. 9, 17.

quoddam, adeo ingens & magnum, ut Oseas Propheta de eo dixerit, fore ut cum illud recepturi essent fideles, ij certo quodam reverenti horrore imbuti, attoniti prorsus futuri sint, stuporeq; pleni: *Pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus*; aut sicut septuaginta legunt: *Attoniti erunt ad Dominum & ad bonum ejus*. Quem locum S. Hieronymus de sanctissima Eucharistia intellexit, quæ ingens adeo bonum est, ut attonitos, veluti & obstupefactos sustineat Ecclesiæ filios. Bonum inquam est adeo magnum, quod amplitudine atque magnificentia sua, quodvis aliud bonum disparere facit. *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus?* q. d. Anne fortasse immortalis Deus præter istud aliud quoddam bonum habet? Anne in thesauris suis quidpiam est, quod ad præsentiam hujus comparere possit? Hoc etiam sensu intellexit Augustinus locum istum Salomonis: *Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet. Quid crediturus*, inquit Augustinus, *dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet*. Nil boni homo possidet, nisi quod manducat & bibit in mensa Domini, quod bonum est adeo magnum, ut in eius præsentia nullum aliud bonum videri posse videatur. *Magni artificis est, clausisse totum in exiguo*, dixit magnus ille Philosophus moralis. Qualis igitur Christus Dominus noster artifex erit, qui infinita Sapientia sua modum adinvenit, in modicam aliquam specierum Sacramentalium particulam, quantumvis etiam illa minima sit concludendi immensi Dei magnificentiam & Majestatem? *Dona illius etiam tua vota vicerunt.* Omnes transcendit benefaciendi modos ordinarios, adeoq; omnem in amore modum excessit, ut ad extrema illius pertigisse videatur confinia: *In finem dilexit eos. Nihil omisit, quod vehementer amantem deceret.*

Ose. 3. 5.

Lib. 17. de Civit. Dei cap. 28.

12. Charissimi illi Dei amici, qui tantam maximis meritis suis cum Cœlo securitatem pepigerant, in ea quam liberalis & munificus Dominus Deus noster ijs dederat confidentia valde profecerant; veruntamen quid tandem postulare ausi fuerunt? Vnus temporalem vitam, uti Rex Ezechias; Alius filios veluti Anna; Alius progeniei sive domus suæ perpetuitatem, sicut David: Alter facultates, sicut Jacob: Alius gloriosam de inimicis suis victoriam, prouti Josaphat. Vnus Sapientiam poscebat sicut Salomon: alius nationis suæ libertatem, veluti Tobias: alter honorem & gloriam sicut Iudas Machabæus; Verum fuitne etiam vel unus aliquis, qui petiisset à Deo, ut is se dono daret semetipsum? Habuitne vel ullus ex ipsis tantum obtinendi bonum spem aliquam? Potuitne etiam cogitare aliquis, ne dicam desiderare favorem hunc singularissimum? *Dona illius tua vota vicerunt.* Ipse in unico duntaxat donativo dare tibi statuit, quicquid boni aut pulchri in Cœlo existit: Vnde ex ipsa Paradisi cœlestis mensa ferculum aliquod tibi transmisit, de quo tota

tota illa gloriosa familia comedens perfectissime atque plenissimè satiatur ut proinde, uti opinor, de te maxima cum Veritate dici possit: *Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine.* Quo in loco Patres Catenæ Græcæ in Job, adjungunt; *Vitæ æternæ. Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine vitæ æternæ*, q. d. Mensa tua tantis onusta erit delitiis, ut nihil habeas quod supremæ Hierusalem incolis invidere valeas, iisdem namque frueris cibis, quibus ipsimet Beati gaudent in Cœlis, qui cum ipsam intra se Divinitatē claudant, omne quoq; bonum pariter continebunt. Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine vitæ æternæ. Ad lautissimum istud Convivium cuncti accelerant, utpote in quo omnia desiderabilia præsentia reperiuntur, prouti is quoq; dixit, qui apud S. Lucam Evangelistam Convivium instituerat, omnia parata esse: *Misit Servum suum hora Cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* Qui locus à Cyrillo Alexandrino merito de sanctissimo Sacramento expositus fuit, eundēq; justa adimplēs admiratione, ex sācta quadam curiositate inquirere fecit, quomodo in hoc sacro Convivio omnia pręparata esse dici possit; cùm ad idem Conviviū non nisi unicum appareturferculum? *Quomodo omnia*, dicit Cyrill. *si tantum unum ferculum exhibetur?* Et respondet S. Doctor per sententiam quandam pietate atq; ingenio suo dignissimam: *Quia Deus hic nobis datur, & Deus omnia est. Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine vitæ æternæ.*

Iob 36. 16.

Luc. 14, 17.

13. Hic est Cibus ille, de quo S. Propheta loquēs dicebat, Ecclesiam eo cibo nutritam ad tantum sui pertigisse incrementum & multiplicationem: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominū.* Vbi advertendum est; Verbum illud *Multiplicasti*, non tam significare numeri incrementū, quam augmentum Majestatis, & honorificentiæ, quasi dicere vellet: Ad mensuram Celsitudinis & Sublimitatis Dei quæ est immensa, magnificati & aucti sunt filij hominum in gratijs & favoribus. Genebrardus aliter legit juxta aliam quandam versionem, quę proposito nostro plurimum servit: *Secundum altitudinem tuam epulatio filiis hominum*, id est conformiter regiæ tuæ Celsitudini & Sublimitati, epulas tu instruxisti filijs hominum. Hic cibus quem donasti proportionatus est tuæ eminentiæ, Majestati tuæ, infinitæque munificentiæ tuæ. Cum enim teste Prudentio Poeta Christiano in eo totus claudatur Deus, certe in ijs qui ipsum dignè recipiunt, omnes suas commonstrat magnificentias divinas, atque tanti hospitis, quanta est sanctissima Trinitas, veros effectus:

Mox ipse Christus, qui Sacerdos verus est
Cibum beatis offerens Victoribus
Parvam pudici Cordis intrabit Casam
Monstrans honorem Trinitatis hospitæ.

Videte ergo annon merito hic exclamare debuerit Doctor ille Angelicus: *O pretiosum & admirandum Convivium, salutiferum & omni suavi-*

Psal. 11. 9.

Prud. in Præf. Psychom.

Opusc. 57.

tate repletum, quo mens omnium spiritualium Charismatum abundantia impinguatur, & per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur. An non animadvertitis, Doctorem sanctum dicentē quod Cibus iste omni sit plenus suavitate, atq; per eundem effici ut mens omnium gratiarum impinguetur abundantia, ac denique spiritualis dulcedo in ipso fonte gustetur? Vti enim advertit Hildebertus Episcopus, majorē peregrinus quispiam sitibundus ex ipsomet fonte dulcedinem percipit, quam ex rivo
Epist. 67. procul inde derivato: *Sitienti satius est de fonte, quam de rivo sitis ardorem extinguere.* Vinum quoq; ex ipso vase immediate haustum, naturalē suum exhibet saporem, cum alias sæpius transfusum à nativa sua degenerare videatur bonitate: *Vina quoq; de primo sumpta dolio, nativum saporem præstant: eadem sæpius de alio in aliud transfusa degenerant.* Merito ergo dicitur, hâc esse mensam quandam, in qua parata sunt omnia, in qua gustantur dulcedines ad immensi Dei magnificētiæ mensuram, in qua omnium spiritualium gratiarum favorumque cœlestium communicatur amplitudo, ubi ad ipsum delitiarum Paradisiacarum bibitur fontem. *Secundum altitudinem tuam, epulatio filiis hominum. Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine vitæ æternæ.*

14. Atque ad propositum supra à nobis citatæ sententiæ, *Parata sunt omnia*, facit alia quædam Regij
Psal. 67. 11. Prophetæ Parœmia: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Locus videlicet de Sacra Eucharistia communiter interpretatur. Verum enimvero advertistisne, Davidem quidem dicere, quod Deus in dulcedine sua paraverit, non verò exprimere quid præparaverit; *Parasti in dulcedine tua.* Num forte sciri aut cognosci non potuit quid magnus ille Deus in sua dulcedine pręparaverit. Et quidem, uti S. August. dicebat, *in* in Ps. 67. *dulcedine sua, non in facultate sua.* Quia ex sola sua dulcedine & misericordia, non verò ex meritis nostris, Deus ingens adeo Beneficiū mundo præparavit: Respondebo cum S. Bern. *Non est hic sermo in lingua, sed supra linguam.* Donativum hoc adeo ingens supra vires est humanæ linguæ, atque revera tale, ut David sed id humano sermone depingere posse desperans, per truncam illam atque dimidiatam locutus sit sententiam: *Parasti in dulcedine.* Adhæc, cum dicit: Parasti, insinuare videtur, successionem temporis, ordinem loci, dispositionem rerum, consiliorum electionem, circumstantiarum maturam advertentiā, ponderationem mediorum, quæ sicuti nobis, utpote qui brevem adeo limitatūq; habemus intelligendi modum, sunt necessaria, sic Deo ob immensam suam illimitatamq; sapientiam convenire non possunt. Hisce tn. non obstantibus voluit Propheta hisce terminis debilitati nostræ propriis uti, ut hujus intelligeremus beneficii magnitudinem, in quod omnes sapientię suę adhibuisse videtur thesauros. Hoc namq; vere est quidam mira-

mirabilium suorum excessus certum quoddam suorum operum prodigium, ac quædam magnificentiæ suæ suæque infinitæ essentiæ quinta essentia, in quo omnes alterantur Naturę leges, omnes confunduntur in mundo stabiliti ordines, omnes susque deq; vertuntur Creaturarum pragmaticæ, mutãtur omnes divinæ providentiæ consuetudines, omnes denique antiqui usus Creatoris moventur. Deus qui immensus est modico hic clauditur spatio, Corpus quod limitatũ est in infinitis reperitur locis: accidentia quæ nullũ de se fulcrum habent, officium supplent substantię: substantię antiquas transcendentes Philosophiæ leges novũ quendam mutationis experiuntur modum. Cœli morem exactum perfectamque obedientiam verbis deferunt, Cœlum ad terram inclinatur, & Homo Deo commendat: *Dona illius tua etiam vota vicerunt.*

15. *Parasti in dulcedine tua.* Modum quendam contentandi amorem infinitum, quo Deus erga mundum fertur, dignando illum perenni sua præsentia; satisfaciendi homini per cibum proportionatũ immoderatæ fami suæ, quam habet circa Deum divinamque substantiam: repellendi adversarij sive hostis sui ictus, eundemq; configendi per cibum, sicuti per cibum ipse nos devicerat: nobilem hanc conferendi arrham, apertamq; illam amoris demonstrationem, quo erga nos fertur in pręsenti, præmiorumque ac mercedum quas in futuris tenet sæculis præparatas: donandi se homini modo quodam suæ Naturæ, necessitatibusque suis proportionato: occultum videl. ut Homo mereretur per fidem: gloriosum ut revirescere & erigeretur per spem: Memoriam Passionis suæ, ut accenderetur per amorem: mansuetum & pacificum, ut firmam omnia secure ab ipso petendi haberet fiduciam: sine exterius apparẽte fastu, ne terreretur à Majest. sub specieb. visibilibus, ut corporeorum quoq; sensuum esset objectum: sub accidentibus Panis & Vini, ne ulli hominum horrori esset: in hominis potestate, ne ipsi suis in necessitatibus deesset: simplici alicui Sacerdotis verbo subjectum & obtemperantem, ut vel sic intelligeretur, quantũ ipsi esset nobis benefaciendi cupidus: per realem Corporis sui Animæ suæ, Divinitatis denique suæ præsentiam, ut inde cognosceret, se in hoc solo donario id totum nobis elargiri, quicquid uspiam possideret boni, utque ex doni elargiti magnificentia, magnificentiam quoq; penetraret obligationi, nam uti S. Bernardus discurrebat, cum Deus nihil mundo mavis dare posset seipso, Mundus quoque pro nullo alio beneficio magis obligatus esse poterat: *Multum quidem meruit de nobis, qui & immeritis dedit seipsum nobis. Quid enim melius seipso dare poterat vel ipse.*

16. *Parasti* beneficium quoddam, quod nullam seu in Natura adæquatam habet imaginem, neque aliquã concessis gratiæ beneficijs proportionatam picturam, nullum sui in Cœlis habet exemplum, nec quicquam

quam sibi conforme in cunctis operibus Dei. Ad plene explicandum hoc ineffabile mysterium nihili valent à S. Patribus eo fine adductæ similitudines. Non illa Irenæi Creationis mundi ex nihilo: nec illa Gregorij Incarnationis Verbi Divini: neque illa Cæsarij Arelatensis productionis Adami: nec illa Hilarij formationis Evæ de costa mariti: nec illa Ambrosij mutationis Aquæ in Vinum in Nuptiis Canæ: nec illa Anastasij Nysseni Virgæ Aaronis in serpentem conversæ: nec illa Augustini conversionis uxoris Loth in statuam Salis, nec illa Paschasij Cordubensis multiplicationis fructus mediante semine: nec illa Beati Samonæ multiplicationis Imaginis in speculo multas in partes confracto: nec illa Innocentij Papæ ejusdem verbi ab uno eodemque pronuntiati, atque in multorum auribus recepti: nec illa Cyrilli Verborum Baptismi, quæ subito hominem ex peccatore sanctum efficiunt. Nihil inquam valent prædicta Exempla, nec cuncta alia à Doctis in scholis excogitabilia, in omni namq; alia mutatione vel deficiunt formæ remanente Materia; vel simul remanet Materia & forma mutatis solis accidentibus; aut relinquuntur accidentia, sed tamen in aliam translata substantiam; aut producuntur nova composita, sed tamen antiquis totaliter destructis: aut fiunt substantiæ novæ, sed sine ulla à destructis dependentia; aut variantur accidentia, sed formando de novis; aut manent accidentia antiqua destructis substantiis, non tamen remanent sine subjecto aut fulcro. Cum tamen in altaris Sacramento aliquæ perdantur substantiæ, & non annihilentur: aliæ constituantur præsentes, non tamen creantur; multiplicetur idem subjectum, nec tamen fiat de novo; deficiat una substantia, & succedat alia, cum dependentia tamen hujus ab illa; perdatur hæc substantia, nec tamen illius perdantur accidentia: inalterata remaneant hæc accidentia, nec tamen sustentaculum habeant à quo portentur. Fueritne igitur aliquis, qui sibi extraordinaria adeo prodigia imaginari potuerit? aut qui à Deo Ter Opt. Max. illa postulare fuerit ausus. Non certe. Et ideo *Dona illius tua vota vicerunt.*

17. Regius Propheta Psalmo 71: *Psal. 71. 16.* Omnia ad Messiam pertinentia minutim describens, tandem loqui incipit de Eucharistia, dicitque: *Erit firmamentum in terra in summis montium*, aut sicut vertit Hieronymus: *Erit memorabile triticum*; vel ut alij: *Erit placentula tritici in Capitibus Sacerdotum*, q.d. Erit tempus, quo in Ecclesia frumentum quoddam erit memorabile, & placentula quædam tritici, quam Sacerdotes in suis portabunt capitibus, quando illam elevantes exhibebunt populo. Dictis autem hisce verbis, Propheta millenas mox Deo benedictiones reddidit: *Sit nomen ejus benedictum in sæculum, ante Solem permanet nomen ejus.*

ejus. Postea benedictiones edicit, quæ ipsi in gratiarum actionem novi adeo beneficij ab omnibus dabuntur populis: *Et benedicetur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* Postea demum de novo ad pronũtiãdas tã amabilis Domini laudes revertitur, quippe quem ad sufficientiam usq; nequaquam laudatum esse existimat: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* Cumque sibi necdum satisfactum esse videatur, sua iterum resumit & renovat encomia: *Et benedictũ nomen majestatis ejus in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra.* Psalmo a. finito sequentia posita sũnt verba: *Defecerũt laudes David filij Iesse.* Mox ad sermonem de institutione sanctissimi Sacramenti inchoatum, sermonẽ perdidit, acpro tam ingenti dono laudes Deo condignas & adæquatas minime invenit, adeo namque admirabundum, stuporeq; plenum deprehendit, ut loquela ipsum totaliter destituerit: Defecerunt laudes David. Et quidẽ videtur, uti ego existimo, ipsũm dicere voluisse idipsum, quod S. Evodius ab Anieno consule beneficiatus eidem dixit: *Ego quid tibi debeam explicare non possum. Pauper est charitas, in cujus narratione sermo non deficit?* Doni amplitudinem explicare nequeo; quippe adeo est magnũ, ut omnem dicendi saltum superet: Neq; opulenta esse potest illa gratia, quæ pauperem seu inopem non reddit quamvis copiosam abundantemque narrationem. *Defecerunt laudes David filii Iesse.* Litera Hebræa ita legit; *Defecerunt preces David;* quasi diceret, nihil ultra habeo quod postulem, quando in hoc Sacramento mihi contulisti omnia, in illo namque *parata sunt omnia; & Deus omnia est.*

Lib. 3. Epist. 73.

18. Ehem quanto rationabilius id dicere possumus, quod Miphiboset Saulis Regis filius, dixit Davidi: *Posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ. Quid ergo habeo justæ querelæ aut quid possum ultra vociferari ad Regem?* q. d. Postquam ad mensam tuam me dignatus es admittere, nihil quod postulem ulterius restat, nec enim ultra quod dare possis penes te habes. *Defecerunt preces David.* Paulus dicebat: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo;* atq; ita necessitatem habet frequenter ad Regem Patrem suũ recurrendi. Hodie vestem quandam postulat, cras torquem, paulò post Equum; alia quadam vice armaturã, & sic deinceps: Contingat autem Principem illum crescere, renuntietque eidem Pater ejus totius status Politicum regimẽ, putasne postulaturum deinceps amplius ejusmodi minutias? Nequaquam profecto, jam enim totius Regni est Dominus. Rogabatur Deus in antiqua lege frequenter à suis filiis, nunc pro una gratia, mox vero pro alia, pro ratione desiderii & necessitatis suæ: postquam autem Eucharistiam donavit nobis *quomodo cum ea non etiã omnia nobis donavit. Defecerunt preces David.* Nihil ad postulãdum superest nobis, postquam in sacra Eucharistia omnia nobis dona-

2 Reg. 19. 28.

Gal. 4. 1.

donavit, nihil superest quod desiderare possimus. Ita Chrys. explicās verba
1. Cor. 10. 16. illa Apost. *Calix benedictionis nonne cōmunicatio Sanguinis Christi est?* dicere non dubitavit: *Cum benedictionē dico, Eucharistiam dico & dicendo Eucharistiam, omnem Bonitatis Dei thesaurum aperio.* Quod si igitur simul, ac semel ac totus nobis divinæ bonitatis donatus est thesaurus, quidnam deinceps ex ejusdem Dei Gaza exposcere poterimus? Defecerunt preces David? Tam ergo ingens ac magnū Dei donum Divina est Eucharistia, ut omnia nostra facile superarit desideria. *Dona illius etiā tua vota vicerūt.*

III. Punctum. 19. Venio ad tertium quod dicit Aristoteles, veræ amicitiæ esse proprium, familiaritatem videlicet & conversationem: *illi convivit delectabiliter,* quia ut inquit Evodius Episcopus Papiensis: *Quicquid charitate vinctum est, quicquid Sanguinis catena sociatur, vix respirat per intervalla regionum.* Per Locorum distantiam omnis refrigescit amicitia, omnis arctitudo laxatur dissolvitur quævis animorum conjunctio, omnis affectus tepescit, moritur deniq; omnis amicitia. Verum dic mihi sodes, quis ausus fuisset aliquem tam domesticę atque intimę familiaritatis modum, aut genus quoddam tam amabilis & gratæ conversationis efflagitare? *Dona illius etiam tua vota vicerunt.* Postulavit quidem Hebræorum populus Dei Opt. Max. per desertum societatem. Moyses ulterius progrediens ejus postulabat videre faciem; Plus illo poposcit Synagoga, quādo osculum expetijt: Præ omnibus tamen postulando audax fuit Isaias, quādo precatus est Deum, ut ruptis cœli nubibus in terram ad habitandum descenderet: *utinam dirumperes cœlos & descenderes.* Sed quis horum unquam à Domino rogavit, ut ad ingrediendum in viscera nostra cibus fieret? atque ut millenis miraculis mediantibus, ad hoc ut nos illum mādučare possemus, speciebus ipse sese Sacramentalibus includeret? atq; ne idipsum nimis esset difficile, id unico duntaxat à Sacerdote prolato verbo mediāte efficeret? Et ne ad id faciendum oriretur ex temporis prolixitate vel mora fastidium omne id quod hac in re futurum esset, in unico tantum fieret temporis momento? Et posset, ad hoc ut omnes illius fierent participes, posset fieri in omni loco, in quovis tempore, ab unoquoque Sacerdote. Atque ut totum istud humano conforme esset appetitui, ad id faciendum Panis adhiberetur & vinum? ut verò citius possent distribui, nullis subjectus esset quantitatis mensuris? Ne autē Caro & Sanguis causarent horrorem, ea abscondita essent atque cooperta Sacramenti accidentibus? *Dona illius etiam tua vota vicerunt.*

20. Nescio an aliquando idipsum Epist. 192. animadverteritis, quod notavit S. Hieron. videl. quod Dominus Deus quondā in lege antiqua charis amicis suis semper ad ostium loquebatur tabernaculi: ibi tractabat negotia, ibi rogabatur à turbis, ibi respōsa reddebat, & ne unus quidem ad inte-

interiora quandoque tabernaculi introducebatur. Quod si aliquæ turbis præscribendæ erant leges aut præcepta, ad ostium dabantur: *congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi.* Si consecrandi sacerdotes erãt, ad ostium consecrabantur: *Aaron & filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi.* Si Nazaræi radendi erãt, certisq; Ceremoniis ac ritibus Deo dedicandi, id nõ alibi, quàm ad ostiũ fiebat: *Radetur Nazaræus ad ostium Tabernaculi.* Si à filijs Israel aliquæ offerendæ erant victimæ, ad ostium offerebantur: *Offerre debent filij Israel hostias ante ostium Tabernaculi.* Ibi inaugurati fuerunt septuaginta seniores: *Duces eos ad ostium tabernaculi fœderis.* Ibi à Moyse leges dabantur & Cæremoniæ: *ad ostium Tabernaculi, ubi constituã ut loquar ad te.* Ibi de columna reddebantur oracula: *Descendebat columna nubis, & stabat ad ostium tabernaculi, loquebaturq; Dominus.* Sed eheus ô Domine, cur ne vel semel quidem permittis, ut dilecti tui domum tuam ingrediantur, sed illos veluti extraneos & ignotos ad ostiũ semper morari præcipis? Respondebit Hieron. Hanc gratiam soli reservatam fuisse Ecclesiæ, quæ ad interiora magis recondita sponsi introducenda erat penetralia, in quibus ipsa Dei frui delitijs, omniumq; cœlestium thesaurorum fieri debebat Domina. *Legimus in veteri Testamento* (sunt verba Hieron.) *quod semper Dominus Moysi & Aaron ad ostium Tabernaculi sit locutus: quasi ante Evangelium nondum in sancta Sanctorum eos introduxerit, sicut Dei Ecclesia postea introducta est, dicens: Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Major & intimior Deum inter & Ecclesiam versabatur familiaritas & necessitudo, quã versata fuerit inter antiquos Dei amicos; Cùm enim qui in antiqua lege chariores intimioresque Dei erant amici ad ostium morari juberentur, ipsa honorificentius habita, majoribusque affecta favoris ac benevolentiæ signis, ad ipsiusmet Regis secretiorem introducta fuit camerã, atque ad intimiorem secretioremq; admissa conversationem. Confirmat id quod dixi Dionysius Areopagita, dicens eum qui ad cœlem venerandæ Eucharistiæ admissus est mensam, ad certum quoddam & mirabile cum Divina essentia pertingere consortium fraternamque societatem. *Verus ad sancta percipienda accessus id accedentibus tribuit, ut ex Communione Divina ad Dei similitudinem atq; consortium transeant.* Dionysio quoq; Cyprian. consentit, affirmans hoc cœlesti Sacramento mediante synceriorem fidelibus ad veritatem apertũ esse aditum, & nexum ad maximè germanam quandã cum Deo fraternitatem: *Sacramento invisibili divina sese infundit essentia, ut ad veritatem syncerior pateret accessus: & usque ad societatem germanissimam ejus hæc unitas perveniret.* O quam merito Ecclesiæ filijs dici potest id quod Esdr. Dei servus dixit: *quæ sunt præsentia præsentibus, & quæ sunt futura futuris; vobis autem apertus est Paradisus.* Habeant alij res præteritas, & obtinere sperent futuras, nobis autem

Ecclesiast. Hier. c. 3.

Tract. de Sacram. Altaris.

4. *Esd. 8. 52.* 1. *Aug.*

autem reseratus est Paradisus, quippe qui ad intimiora secretioraq; Dei introducimur penetralia. *Vt usque ad germanissimam Societatē hæc ejus unitas perveniret. Dona illius etiam tua vota vicerunt.*

21. O rarum & incomparabile Beneficium. Summus quondam censebatur esse favor adhiberi ad obeundam ex parte Dei legationem: singularis & solis amicis exhibita gratia reputabatur posse videre illū: Loqui cum illo posse fortuna erat paucissimis cōcessa: nunc v. *Dona illius etiā tua vota vicerunt*, non solū pro illo legatione fungeris, non illum tantummodo vides, aut loqueris illi, sed amplecteris illū, stringis illum, manducas illum, tibique ipsi illum incorporas. Fuit olim nō nemo, qui vestis suæ tangeret fimbriā, aut qui sanctissima sua tāgeretur manu, aut q ipsū sua in domo hospitaretur, aut qui in naviculam suam ipsum reciperet, aut qui suum illi jumentum accommodaret, aut qui suum illi præstaret Cœnaculum, aut qui suis illum honoraret vestimentis, aut qui ipsum adhuc infantulū stringeret brachijs, aut qui venerabiles illius oscularetur pedes aut qui oris sui aspergeretur saliva, aut qui in sacro suo dormiret sinu, aut qui gloriosa illius vulnera suo penetraret digito: nunc autem accipitur in manus, mittitur intra fauces, ore devoratur, & in Cor introducitur, intra viscera incorporatur, & Spiritui nostro conjungitur, *ut usque ad germanissimam Societatem hæc ejus unitas perveniret.* Neque hic intermittere aut possum aut debeo, quin una cum S. Petro Chrysologo considerē, quam salutaris atq; utilis esse debeat, strictissima & familiarissima conversatio cum Christo in Divinissimo Sacramento, siquidem devota illa Hęmorrhoissa non dubitavit credere, neq; pia hæc ipsam fefellit fides, sive credulitas, quod solam vestimenti ejus tangendo fimbriam, à tam diuturno atque incurabili morbo sanari posset. *O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria Divinitatis totam vidit habitare virtutem. O quam docuit mulier quantum sit Corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstravit.* O mulier sapientissima, quæ quanta in corpore Christi lateat potentia, optimè intellexit, quippe quæ tantum extimam tunicæ suæ fimbriam efficere posse certum habuit. O magnam Christianissimi Magistrā, quæ docuit omnes, quam ingens res Caro Christi esset, siquidem tanti Christi appretiata est vestem. O Matrona ingeniosissima & sagacissima, quæ vidit, quod sapientes & prudentes hujus sæculi non viderunt, atque oculo per fidem illuminato intellexit, quam ingentes & ineffabiles in interiorib. Redemptaris laterent thesauri, vidit quippe totam in habitu exteriori inhabitore Divinitatis Christi virtutem: *Audiant Christiani, qui quotidie Corpus Christi attingunt, quantam de ipso Corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Dona illius etiam tua vota vicerunt.*

22. At-

22. Atque hæc eſt illa Divinæ miſericordiæ multiplicatio, cuius Propheta meminit regius dicens: *Multiplicaſti miſericordiam tuam Deus*, aut ſicut litera Hebræa legit: *Extendiſti miſericordiam tuam Deus*. Extendiſti & ampliaſti tuam miſericordiam, tuam multiplicaſti & dilataſti, ut ſic loquar, Incarnationem, quæ videlicet eſt illa miſericordia, de qua Rex ſanctus loquebatur: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalvi erimus*, ſicut tu ipſe ô Domine docuiſti, quando populo dixiſti: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant: Vitam habeant*, dicit Theodoretus in Incarnatione: *abundantiùs habeant in Euchariſtia.* Incarnationem ſuam Chriſtus extendit in ſubiecto, in agente in facultate, in loco, in modo, ac denique in duratione. Et Primo quidem in ſubiecto, quia Incarnatione unione Hypoſtatica mediante una duntaxat Deo unita fuit humanitas, cùm tamen in Euchariſtia quotquot ex hominibus digne corpus Chriſti recipiunt, eidem quoque Divinitati per gratiam Sacramentalem uniuntur. *Extendiſti miſericordiam tuam.* Secundo in agente, qui non eſt unus duntaxat, ſed quotquot ſunt legitime conſecrati Sacerdotes, etiam indigni & peccatores. *Extendiſti miſericordiam tuam.* Tertio in facultate. Non hic legationes videntur, non exquiruntur cõſenſus, præparationes aut diſpoſitiones non præſtolantur, nulla requiritur corporis fatigatio aut animi, ſed myſterium hocce unico duntaxat à Deo inſtitutó & tradito conficitur verbo. Quarto *Extendiſti miſericordiam tuam* in loco: hæc namque gratia non uni duntaxat facta eſt populo, neque in una tantum Civitate ſacramentatus reperitur Chriſtus, ſed in omni regione, in omnibus templis, in omni altari. Quinto *extendiſti miſericordiam tuam* in modo, tametſi enim Chriſtus per totum beatæ vitæ ſuæ curſum, ſumma cum manſuetudine & affabilitate hic nobiſcum in terris ſteterit, aſperum tamen nonnunquam ſe exhibuit & Cholæricum, contra noſtras expoſtulans inſolentias, nonnunquam oculorum ſuorum fulgurabat igne, venerandi vultus ſui terrefaciebat Majeſtate, potentiſſimorum verborum ſuorum annihilabat fulminibus, aliquoties flagellis ſe armabat ut puniret ſacrilegos corrigebat, repræhendebat, improperabat, õcminabatur; atq; licet tandem in Crucis mortuus fuerit trunco, attamen eodem prorſus tempore effecit totam prorſus alterari Naturam mundi, obſcurari lumina, terræ fundamenta contremiſcere, è ſepulturis in publicum prodire mortuos, vivorum ut repræhenderent malitiam: Cum tamen in Euchariſtia, per exceſſum quendam exiſtat miſericordiæ & clementiæ, abſque ulla magnificentiæ exteriori apparentia, abſque pompa maieſtatis abſque ullius demonſtratione potentiæ. Poſtremo denique *extendiſti miſericordiam tuam* in tempore; ſiquidem beneficium illud

tale est, quod non consummatur, nec deficiet, donec deficiat mundus. *Et ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

23. Magni equidem facio invictissimam illam fortitudinem, illamque generosam patientiam quæ ipsum ad mortem usq; in hoc mundo perseverare fecit: Veruntamen post triginta tres tandem sanctissimæ vitæ suæ annos, miserabile istud reliquit exilium, in quo dirè adeo habitus fuit seseque in Cœlum recepit, cum tamen in sanctissimo sacramento sedecim nobiscum sæculis perseveret, neque inde adusque mundi consummationem sit discessurus. O raram & incomparabilem cordis tui longanimitatem! Neq; enim à tua te constantia dimovere potuerunt tot irreverentiæ, quæ in templis tuis committuntur, nec tot sacrilegia, quæ ad altaria tua fiunt; neque tot quæ in sacramentis tuis intermiscentur prophanitates: Ad antiquas revocandas gratias constringere te non potuerunt, nec multorum ingratitudines ad divinum hunc cibum nunquam fereappropinquantium; Neque præparationis temeritas per quam indigne ipsum recipiunt; neq; contemptus eorum, qui favoribus tuis perincantationes & Nicromantias abutuntur. O Patientia vere infinita! utpote quæ supernorum civium delitias de cœlo conspicere potuisti, nunc in terram per ministrorum negligentiam deciduas nunc indecenter per Sacerdotum iniuriam custoditas; nunc à paganorum perfidia conculcatas sine respectu: nunc à malitiæ Hæreticorum perversitate obiectas canibus: nunc ab immundo traditoris ore irreverenter devoratas. Hæc inquam omnia vidisti, & tamen non solum nulla de cœlo ejaculatus es fulmina, non solum non aperuisti terram, ut peccatores ingrati in illam dehiscerent, quin potius una cum ipsis habitare & perseverare voluisti, amicitiam eorum per tuam præsentiam fovere continuasti, nō te ab infami isthoc mundo tot luxuriis contaminato, è tot abusibus corrupto, tot pleno injuriis, quæ sanctissimo tuo irrogatæ sunt nomini, subtraxisti. *Dona illius etiam tua vota vicerunt.* Ausus ne fuisses à Deo petere ut maneret ibi, ubi turpiter ejiciebatur? Ut ibi moraretur, ubi nomen suum blasphemari audiebat? Ut à loco tam vituperoso ac turpi nequaquam discederet? Liceat ergo mihi hoc loco ut me S. Augustino associem atque conjungam, atque immensam Domini pietatem exaltem, quæ modo adeo nobili atque excellenti suam mundo communicare voluit regiam præsentiam, atque ut nos suæ totaliter subderemur Maiestati divinæ, modum adinvenit quo ipse totus fieret noster. *Quantum dedit nobis Deus, ut ipsius essemus & ipse sit noster? Dona illius etiam tua vota vicerunt.*

SECUN-

SECUNDA PARS.

Quartum Punctum. 24. ACcedo ad ultimum quod unus amicus expectat ab altero, estque voluntatum unio atque conformitas: *Habet easdem delectationes & contristationes.* Proprietas videlicet, in qua referente Hieronymo sapientes antiqui totam collocarunt amicitiæ substantiam: *Amicitia demum est idem velle & nolle.* Atque hæc quoque veræ amicitiæ pars à Christo in sanctissimi institutione sacramenti perfectè completa fuit. *Nihil omisit quod vehementer amantem deceret.* Cœleste istud mysterium ad aliud nequaquam dirigitur, quam ut nos afficiamur erga Deum, voluntatesque nostras divinis suis uniamus præceptis. Nos à Christo informati atq; edocti, quotidie veluti rem maxime necessariam atque utilissimam à Deo petimus, ut sua in nobis divina voluntas fiat, sicut facta est semper in Cœlo: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Voluntas Dei est, quam Christus fecit & docuit, inquit Cyprianus: *Voluntas Dei est, quàm Christus & fecit & docuit,* atque subito adjungit qua in re illa sit constituta: *Humilitas in conversatione, habilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non posse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est. Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quidquam præposuit: Charitati ejus inseparabiliter adhærere, Cruci ejus fortiter & fidenter assistere: quando de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur: in Quæstione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur, hoc est, cohæredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.* Verum enimvero qua ratione confidere poterimus quod pertingemus ad istud signum tot tantaq; faciendi, de quibus nunc dictum est? Quomodo assequi poterimus Beatorum in cœlo obedientiam? *Sicut in cœlo & in terra?* Ecce, docet idipsum Christus Redemptor noster, dum in eadem met oratione nos instruit, ut immediatè post Panem petamus Eucharisticum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, q. diceremus, Concede mihi ô Domine Eucharisticum panem, sic namque pariter voluntatis meæ cum tua largieris conformitatem, concurrent cogitationes meæ, cum cogitationibus tuis, dummodo mihi de Pane cœlesti concedatur vivere, de quo Innocentius III. magna hæc verba protulit: *Mysterium Crucis eripit nos à potestate peccati, mysterium Eucharistiæ eripit nos à potestate peccandi. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, dicebat Paulus. Hæc mensa sanctos efficit, nostram igitur voluntatem cum Divina conformem reddit. Per hoc ergo sacramentum Deus obtinet, ut sua in terra voluntas fiat, sicut adimpletur in cœlo, ubi semper

per sublata est omnis altissimi præceptum transgrediendi voluntas. *Mysterium Eucharistiæ eripit nos à voluntate peccandi.*

25. Sanctus Cyprianus de præsentia Christi infantis in domo benedictæ matris suæ loquēs dicit, ex illa domo proscripta fuisse omnia rationi adversantia desideria, sequestrataque cuncta concupiscentiarum ludibria, idque non aliunde, præterquam quod cœlestis & Divinus ille ibidem commoraretur Hospes: *Tanti habitatoris Reverentia, concupiscentiarum ludibria abigebat.* Idem hic Dominus, qui in virginali thalamo novem mensibus resedit, atq; deinceps temporis residuum, in fortunata isthac habitatione, quæ cum ipsomet cœlo contendere poterat, peregit, idemmet inquam est is, qui toties in pectora nostra velut habitator divertit, quoties communicamus; Et quisquis idipsum prouti legitimè convenit, facit, sentiet haud dubiè pulcherrimam in animo suo accendi flammam amoris, & concupiscentiam carnalium in se extingui ardorem. *Tanti habitatoris præsentia, concupiscentiarum ludibria abigebat.* Ut proinde merito dixerit Augustinus, Miraculum esse si quis post receptum hoc efficax adversus omnia prava desideria remedium à prava cuiuspiam concupiscentiæ infirmetur ardore: *Videte fratres, si amplius ægrotare debet genus humanum, acceptâ tantâ Medicinâ.* Medicinâ inquam dicit S. Gaudentius, quæ contra omnia tentatoris Sathanæ venena præservativa existit, *ut contra venena Diaboli dulcem Medicinam sempiterni tutaminis consequamur.* Medicinâ, dicit Cyprianus, ex vino calicis Christi confecta, quod germinat virgines, juxta illum Zachariæ textum: *Vinum germinans virgines, quisquis enim illud bibit, concupiscit oblivisci cuncta carnis ludibria. Mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur.* Medicinâ dicit Tertullianus, quæ Mannæ præstat effectus, quod videlicet Deus populo suo in deserto concessit, siquidem omnibus ab hoc pane ab Angelis pisto atque confecto nutritis, in tanta multitudine nullus erat infirmus: *Populus in Eremo manna cibatus quadraginta annis ad instar æternitatis redactus, nec humanis Passionibus contaminatus. Mysterium Eucharistiæ eripit nos à voluntate peccandi.*

26. Refert Plutarchus Catonis matrem eo tempore quo parvulum suum lactabat filium, iisdem uberibus quoque quibusdam parvulis mancipiorum seu servorum filiolis lac propinasse, *ut commune nutrimentum eos filios benevolos redderet.* Ecce tibi hic servos eodem ubere lactatos, unde magnus ille noster pastus & cibatus est DEUS, conformiter illi Isaiæ oraculo, à Chrysostomo de Sacra Eucharistia intellecto: *Mammilla Regum lactaberis, & erunt Reges nutritij tui*, ut videlicet servi Regum mammilla cibati, hoc est, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, eundem-


demque cum ipsis cibum accipientes, easdem pariter nanciscerentur inclinationes, easdemque haberent voluntates. *ut commune nutrimentum eos filios benevolos redderet.* Ita faciebat mater S. Bernardi, de qua Gulielmus Abbas refert, ipsam octo habuisse proles septem masculas & unam fœmellam, quas mox ut natæ erant in manum sublatas offerebat Deo, easdemque ipsamet omnes suo lacte educabat, cuius prædictus author hanc adducit rationem: *Propterea eos alienis uberibus nutriendos illustris fœmina dare refugiebat, quasi cum lacte materno, materni quoque boni infunderet Naturam.* Ecce tibi egregiam Divinæ sapientiæ inventionem, qui te pascere voluit lacte ex Dei mammillis expresso: *Mammilla Regũ lactaberis*, non ob aliam rationem, nisi ut cum lacte Divino, Divinitatis quoque bona infunderet. *Quasi cum lacte materno, materni quoque boni infunderet Naturam. Propterea*, inquit Chrysostomus, *semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus.* Carne, sanguine & Divinitate sua nos pascendo, nos una secum unam & eandem rem facere constituit. Non enim fecit, uti multæ matres faciũt, quæ filios suos aliis peregrinis mulieribus lactandos cedunt, & quidem eiusmodi quæ malis imbutæ sunt moribus, à quibus una cum nutrimento corporis, malas quoq; Animæ inclinationes recipiunt: *Ego autem non ita*, inquit Christus apud Chrysost. *sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens &c. vobis carnem & sanguinẽ, per quæ cognatus vester factus sum, trado.* Respicite, dicit Deus quod ego carnibus vos meis enutriam, ut generosi evadatis nobiles, vobisq; corpus meum dono & sanguinem, ut mei constituamini consanguinei atq; cognati. Reminiscor hic illius, ꝙ refert Salustius, videlicet eos qui in unã cum impio Catilina subingressi sunt coniurationẽ, omnes ex eadẽ patera humanum biberint sanguinẽ: *Quo inter se fidi magis forent, tanti facinoris conscij.* Ecce tibi ingeniosum amoris Christi inventũ: Bibant omnes, inquit ipse, de calice sanguinis mei, ut una cum sanguine Naturę meę imbibant inclinationẽ, morumq; meorum genium, utq; omnes in virtutis amore atq; horrore vitiorum, in rerum terrenarum cõtemptu, amoreque cœlestium una mecum consentiant. *Mysterium Eucharistiæ eripit nos à voluntate peccandi.*

27. Locum istum, & una cum illo totum discursum istum per mirabilia hæc oris aurei verba concludo: *Dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.* O gratum profecto nuntium, quod videlicet Eucharistia mediante expressa in terris sit Paradisi similitudo, & ꝙ mundi huius viatores advenæ civium cœlestium possideãt bona. Verùm quidem est Beatos suis cõpletè gaudere bonis ipsis per lumen Gloriæ unitis, atqui verum est insuper, idem met bonum possideriã nobis, nosq; iisdẽ coniungi per vinculum

culum Gratiæ. Contemplantur ipsi Divinam essentiam facie ad faciem: Contemplamur & nos eandem oculis quidem carnis tectam & obvelatam, revelatam tamen atque apertam oculis fidei. Ipsi continuo in conspectu Dei sui præteritas decantant victorias atque triumphos nos maiori cum admiratione ob Regis nostri præsentiam inter ipsas quoque canimus pugnas atque certamina. Procul ipsi ab huius laboriosissimi sæculi absunt molestiis atque laboribus, nos quidem inter labores sed alleviatos, atque à dulci Christi nostri societate è medio quasi sublatos, consistimus. Ipsi amplissima gloriosorum operum suorum gaudent mercede, nos in venerabili hoc sacramento certissimo illius gaudemus pignore. Ipsi solidis pleni sunt gaudiis, nos certissima & infallibili spe cumulati sumus. Ipsi Deum in patria habent amantissimum Patrem, nos eundem in via sollicitum habemus sodalem. *Dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.* Verum ut ad propositum nostrum redeamus, nostisne cur mediante Eucharistia terra cœlum facta sit? Ideo videlicet, quia sicut beati in cœlo per visionem Dei firmati & confirmati sunt in bono, ut ulterius peccare in æternum non possint: sic nos per divinas hasce dulcedines à quovis alio obiecto abstracti, in solo sumus Dei amore dulci quadam cum violentia suspensi. *Mysterium Eucharistiæ eripit nos à voluntate peccandi.*

28. Sufficienter probatum esse credo, Dominum in Sanctissimi institutione sacramenti, in amando omnem nostram transcendisse fiduciam: *Dona illius etiam tua vota vicerunt.* Neque ipsum aliquam intermisisse amicitiæ partem, quæ ad verum aliquem fidelemque spectarit amicum: *Nihil omisit quod vehementer amantem deceret.* Quid tu igitur ô christiane dabis Christo, pro tanti amoris recompensatione? *Tantum Christi in te amorem, quo amore Christiane compensabis*, inquit Augustinus: ubi flammam reperies adeo accensam, quæ in immensi huius ardoris præsentia glacies esse non videatur? Quanam in schola tam vehementis atque ignitæ Charitatis modum disces? Quis te Magister erudiet, ne erga ingentem adeo atque immensam gratiam ingratus existas? Quis te diriget ne turpis oblivionis atque impietatis magnæ condemneris? *Disce à Christo, quemadmodum diligas Christum*, inquit S. Bernardus. Serm. 20. in Cant. Aliorum Magistrorum nemo melius modum amandi illum docere te poterit, præterquam is qui in amore tuo ardens adeo atque immoderatus extitit. *Qui totum dat, totum petit*, aiebat Seneca. Lib. de Benef. Tune ergo Deo negare audebis, quod ipse non negavit tibi? Tune Domino omnia dare abnues, postquam ab ipso omnia recepisti, si ipse priusquam à te vel quicquam acciperet, tibi donavit omnia sua. Et tametsi tu te omnia illi daturum resolvas, qui omnia sua donavit tibi, quanta nihilo-

nihilominus erit differentia, inter omnia tua, & omnia Dei? Præterea si dans omnia modicum daturus in comparatione ad multum illud quod recepisti, an non magna isthæc ingratitudo erit, si etiam modici illius aliquam partem retinere volueris, quam dare alias posses? Agedum igitur, cum nunc tibi Christus totum dedit quod habet, tu quoque Christo totum quod habes dare non renuas, tametsi enim intra multum illud quod recepisti, & modicum quod das nulla reperiatur proportio, aliqualis attamen erit compensatio, si à Domino omnia recipiens omnia quoque tua illi donaveris.





CONCIO XXXVI.

In Feriam III. Septimanæ Sanctæ.

THEMA.

Stabat juxta Crucem JESU Mater eius. Ioann. 19. verſ. 25.

ARGUMENTUM.

Mater Dei in Filii sui Passione quatuor tortores sive carnifices habuit, Naturam videlicet, Gratiam, sensum, & rationem.

SUM-

SUMMARIUM CONCIONIS.

Non mirandum si sacra virgo interfuerit miraculo nuptiarum, sicut in alijs filij mirabilibus, sed valde mirandum quod voluerit videre filium suum in cruce pendulum. num.1.

Hodie Regina cœli potest usurpare verba Cantici: Manus meæ distillaverunt myrrham primam &c. n.2.

Hodie adimpletur prophetia Simeonis. Ibid. *Synopsis Concionis.* Ibid.

Punct. I. *Primus tortor est Natura; Parentes enim hoc habent à Natura, ut filios suos diligant.* Diversa producuntur exempla. num. 3.

Æque parentibus liberorum vita chara est, ut sua, ait Philosophus. *Imo instituente Natura, liberos plus quam nos diligimus.* Exempla producta. nu. 4. & 5.

Amor parentum ad proles etiam exemplo irrationabilium fit manifestus. num. 6.

Torquemur dum extraneum videmus, inexpectato aliquo correptum infortunio, quanto vehementius B. Virgo &c. Matrem considerate, matrem cogitate ait S. Ambrosius. n.7.

Mater erat MARIA virgo, sed tanti tamque digni miraculosa mater. Mater erat, sed sola, id est, absque patre Mater erat, sed sola solius mater.

Mater erat, sed filij per omnia simillimi. Mater erat, sed amantißimi filij, Mater erat, sed amabilißimi filij. Ideoq; summopere defletus. Matrem considerate &c. n.8. 9. 10. 11. & 12.

Conversatio tam longa & pacifica matris & filij, amorem auxerat, & consequenter in amittendo dolorem. n. 14.

Inter patres & filios potest intercedere amor amicitiæ acquisitus, cujus hic 3. conditiones producuntur, quæ quidem inter Christum & ejus matrem perfectißimè erant. Vnde ipsa dicit: Et ipse est amicus meus. n.15.

Punct. II. *Secundus virginis tortor,* gratia *extitit, quæ secundum aliquos non distinguitur à charitate.* n.16.

In B. virgine amor ita fuit immensus, ut amor ipsa dicatur per Antonomasiam: Vbi enim versio ordinaria habet: Ne suscitetis dilectam; *alia Versio habet* dilectionem. Ibid.

Amor devorat amantem. Vnde Psalm. Tabescere me fecit Zelus meus. *Tabescebat, quia diligebat.* num. 17.

Cogita ut Creatorē, cogita ut conservatorem, cogita ut redemptorem, cogita ut benefactorem, & per omnia dole; quæ quidem motiva ad amandum Deū erant speciali quodam modo in virgine. n. 18.

Nunc tempestivum est, ut per patientiam partem martyrum accipias. num. 19.

Dum cadaver Othonis Imperat. combureretur, quidam voluntariè se in rogum conjecerunt, non noxa aliqua, sed æmulatione decoris & charitate principis.

Christus amore comburebatur in ara Crucis, in hunc rogum se projecit B. virgo. num. 20.

Punct. III. *Tertius tortor B. virginis MARIÆ fuit* sensus; *Vidit enim omnia ejus tormenta. Quæ oculis usurpantur magis*

magis misericordiam provocat, ait S. Hieron. Multa scripturæ loca huc flectuntur. n.21.

De matre septem Machabæorum dicit Augustin. In omnibus passa est facta mater martyrum, septies martyr, à filiis non separata spectando, & filiis addita moriendo, *quæ ad B. virginem optime spectant.* n.22.

Maria *interpretatur* mare amarum *propter mare amaritudinum & dolorum quos perpessa est.* n.23.

Christus per Antonomasiam dicitur vir dolorũ & sciens infirmitatem. n.24.

Aliqui dicti sunt viri divitiarum: alij viri desideriorũ: alij viri misericordiæ &c. sed nullus præter Christum vocatus est vir dolorum. Ibidem.

Magna est velut mare contritio tua. *Verba B.V. MARIÆ applicata & optime ponderata 1. ex specie supplicij. 2. ex loco. 3. ex tempore. 4. ex excessu. 5. ex derelictione.* n.25.26. & 27.

Dolor immensus B.V.M. cum filiũ suum è cruce depositum inter brachia sua habuit. Tunc verè dicere potuit: Fasciculus myrrhæ dilectus meus. n.28.

Punct. IV. *Quartus virginis tortor fuit ratio. Summa ejus sapientia, scientiarum scientia sanctarum dicitur* à B. Bernardo: *Prophetissa prophetarum* à Ruperto. n.29.

Per suam sapientiam tria penetravit circa Christi passionẽ. 1. dignitatem, Majestatem & merita filij. 2. enormitatem peccati hominum. 3. exiguum fructum passionis in multis. n.30.31. & 32.

Vniversalis omnium creaturarum cõmotio, fuit signum amoris, quem erga suum conditorem habebant. n.33.

Seraphini qui apud Isaiam coram Dei assistebãt throno, Christi referebant crucem, 1. ut intelligamus, quod afflictiones amicorũ Dei sunt propriæ. n.34. *2. ut cognoscamus quãta cum resignatione hanc extremam detulit B. virgo.* n.35.

Aspirativa Oratio ad virginẽ, ut crucem generose amplectamur. n.36.

1. MInimè mirandũ est magnam Dei Matrem benedictum filium suum studiosè inquirere, eo tempore, quo is in templo ab illa perditur, ipsamque anxiam factam atque sollicitam, omnes Hierosolymorum percurrere vicos & plateas ut illum inveniat, ipse namque in illo viridantium annorum suorum amœnissimo vere atque in illo Beatæ infantiæ suæ pulcherrimo flore omnium cordium erat jubilus, atque efficacissimus oculorum magnes. Quod illum ad Canæ comitata fuerit nuptias, ibidemq; in communibus fortunatæ huius familiæ festis, paranymphorum astiterit inopiæ, pariter quoque mirandum non est, oportebat enim ut Filium in primo eius honoratum videret miraculo, confirmatũ etiam in fide senatum Apostolicum, semetipsam denique conspiceret exaltatam, utpote ad cuius intercessionem patrandum hoc erat prodigium. Quod etiam illum videre voluerit regnum Dei prædicantem, atque ad ostium tota anxia steterit, ad cœlestia altæ huius sapientiæ pascua introduci desiderans, multo minorem admirationis causam præbet, siquidem verba

vitæ æternæ, ex ſacratiſſimo illo ore, quod vera & Paradiſi gratiarumque porta erat, egredientia, dulci quadam cum violentia ipſa quoque duriſſima & obſtinatiſſima attrahere pectora, ne dicam devotum religioſiſſimumque MARIÆ ſpiritum allicere potuere. At vero quod illa in Calvariæ montem ad filium ſuum inquirendum conſcendat, ipſumque ex cruce quadam pendulum videre cupiat, totum deformem, luridum, lividum & excarnificatum, à carnificibus tormentis confectum, contumeliatum à Phariſæis, à turbis illuſum, blaſphematum à latronibus, à Patre derelictum, iſtud revera major eſt mundi novitas, eventusque magis ſtupendus, quàm unquam à nobis viſus ſit mortalibus, adeo ut merito omnium corda ſancto adimpleta deſiderio, piaque curioſitate affecto, hoc illam modo alloqui poſſint. Quis te ô mundi Regina in tua te tormenta, tuasq; pepulit anguſtias? Quis te conſtrinxit ad Filium tuum in infami quodam patibulo agonizantem contemplandum? Quis te ad acerbum hocce induxit ſpectaculum, ut infœlix maximi quod unquam ſuper faciem terræ commiſſum eſt, ſacrilegii teſtis exiſteres? Verum enimvero luculenter ſatis perſpicio, quod dum in re adeo rationabili, adeoque certa & evidenti Materia, imprudenter otioſis me involvo quæſtionibus, à primis inconſiderate me ſeduci ſinam cogitationibus. Non fuit virgo Domina noſtra illa, quales nos frequenter ſumus, videlicet inter filii ſui gaudia, læta; triſtis autem & afflicta in paſſionibus, gaudioſa inter miracula, inter tormenta doloroſa, amica menſæ & crucis inimica. Sciebat optime nullam ex hoc exilio ad gloriam aliam ſupereſſe viam, quam viam crucis & Paſſionis, atteſtante Paulo: *Si compatimur & conglorificabimur.* Frequenter ipſa ingens illud æternæ veritatis intellexerat oraculum: *Qui non accipit crucem ſuam & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Unde ut filii ſui reſpõderet invitationi cordis ſui amori, fidelium exemplo, ideo hodie in montes accurrit Golgothæos, Venerandamq; ſtrictiſſimè amplexatur crucem: *Stabat juxta crucem IESV mater ejus.*

2. Hodie eſt dies ille Dilectiſſimi, quo Paradiſi Regina multa cum veritate affirmare poteſt ſe manus myrrha amariſſima à Salomone deſcripta habere plenas: *Manus meæ diſtillaverunt myrrham primam, & digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſſima.* Hæc eſt illa hora in qua doloroſum illud Sancti illius ſenioris adimpletur oraculũ, quo per acerbæ cuiuſdam proteſtationis abſynthium fœliciſſimæ, quæ in mundo eſſe poſſit, matris amaricavit dulcedines, quãdo dixit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Hoc eſt punctum illud in quo Cultellus doloris puriſſimam & innocentiſſimam Agni Carnem ſuper candidum virginalis munditiæ pallium cœlo ſacrificans,

cans, rubicundam prodidit Martyrii purpuram. Hoc est tempus illud in quo MARIA virgo omnium gratiarum prærogativarumque plena existens, pro tantæ gloriæ complemento Princeps constituta est Martyrum, atque patientum archistratega. Hæc est illa temporis statio in qua mœsta mater, una cum doloroso filio suo in ferventi viscerosæ charitatis calore odoriferam illam collegit messem, de qua in sacris Canticis sermo est: *Messui myrrham meam cum aromatibus*, quæ sunt cunctæ afflictiones, omniaque pœnarum genera, quæ à charissima Prole sua ex humani generis amore fortiter tolerata esse vidit. O Gratissima Instrumenta, & benedicta ferra, honorata dupliciter, in corpore videlicet Redemptoris, atq; in Matris anima, ibi tractata à Carnificibus, hic ab amore: Ibi mortis Christi authores hic matris Christi crudeles tortores. Quoties innocentem Domini vulnerastis carnem, toties immaculatum virginis contorsistis spiritum: æqualiter atroces atque pœnosæ in Filii corpore & in Matris purissimo corde, quæ sicut multifariam tormenta sensit Redemptoris, sic quatuor potissimum truculentos sui habuit carnifices, atque tortores, quales nimirum fuêre Natura, Gratia, sensus & Ratio. Unde cum Jeremia merito dicere potuit: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.*

Punctum Primum. 3. Et Primus quidem Deiparæ Virginis tortor & carnifex fuit Natura, quæ supra omnem cogitatum humanum pientissimum virginis cruciavit pectus. Parentum erga filios suos amorem Chrysostomus *Grandem* vocat *Naturæ Tyrannidem*. Quemadmodum enim Tyrannus Vasallos suos per apertam violentiam ad exactissimã quandam punctualissimamque constringit obedientiam, nec non ad reverentissimum tametsi coactum respectum: sic prorsus genitorum erga charam Prolem suam amor in illorum dominatur pectoribus, veluti absolutissimus eorundem Patronus & Dominus. Quis enim digne satis explicabit, ad quos quantosque amor parentum corda ipsorum impellat affectus? Quot illos inexpectatis casibus, fortuitisque exponit eventibus? Ad quænam illos non cogit subeunda periculorum genera? Sacri non minus quam prophani annales pleni sunt vehementissimarum Passionum illarum, maximeque extraordinariorum affectuum. Subinde videlicet timoris, sicut videre est in patientissimo Jobo, qui quotidie summo surgebat diluculo, ad offerendum pro meliori amatæ prolis suæ bono sacrificium; Aliquando impatientiæ, sicut in Sara Tobiæ matre, quæ filii sui tardiorem sufferre non valens reditum, longioremque in prolixo illo itinere suo protractam moram saliebat supra montes mœsta prorsus & afflicta, omnes explorando semitas, omnesque per Campi agros oculis suis discurrens; Nonnunquam Doloris si-

cut in generoso illo Jephte centurione, qui charissimæ suæ obviã factus filiæ, cujus Deo sanguinem simpliciter nimis voverat, in festivorum gaudiorum medio, quibus ex nobilissima quadam à se obtenta perfusus fuerat victoria, præ nimio animi dolore atque mœrore mori debuit. Aliàs desiderii sicut in Sisaræ matre, quę filium è bello redeuntem præstolata, elata voce è Palatii sui fenestris vociferabatur & clamabat: *Mater ejus de fenestris ululabat; quare moratur regredi filius meus?* Sæpe sufferentiæ sicut in Davide Rege, qui ad confligendum cum rebelli filio suo coactus, veluti de milite in militem transiens dicebat: *Servate mihi puerum Absalon:* Aliquando lætitiæ sicut in Chilone lacedæmonio qui filium è ludis olympicis reducem victorem amplexatus præ nimia lætitia repente mortuus concidit: subinde desperationis, sicut in Gordiano Imperatore, qui percepto de morte filii sui nuntio sibimetipsi fauces laqueo constringens, quod vitæ suæ jam destitutus esset gaudio, vivere diutius minimè curavit. Non infrequenter vindictæ, sicut in Thamyride Regina Scythiæ, quæ occiso à Cyri Regis militibus filio nequaquam substitit, donec in manus sibi tradito occisore, propriis ipsi manibus caput præcidit: Rabiei aliquando atque furoris, sicut in Drodio Parthorum Rege, qui à charissimi pignoris sui morte semper velut delirus mentisque inops remansit; sæpe etiam complacentiæ sicut in Gracchorum matre, quæ duos filiolos suos velut pretiosissimas quas possideret gemmas, exhibere erat solita. In summa sapientissime Chrysostomus amorem Parentum vocat *Grandem Naturæ Tyrannidem.*

4. Unde parum dixit Philosophus, quando vitam filiorum Parentibus æqualiter ac propriã charam esse pronuntiavit lib. 8. Ethicorum: *Æquè Parentibus liberorum vita chara est, atque sua.* Plus latinus Pacatus in Panegyrico Theodosii dixit, imo & rationi conformius; Parentes videlicet suam plus amare prolem quam seipsos; *Instituente Natura liberos plus quam nos ipsos diligimus.* Est hoc certum quoddam sub Naturæ Magisterio acquisitũ benevolentiæ genus, melius filiisquam sibimetipsi prospectum esse velle. Ab hoc quoque naturali affectu, suam quoque est passa tyrannidẽ S. Paula Romana de qua refert S. Hieron. quod tametsi sanctissima esset Matrona, plurimumq; in divinam voluntatem resignata, attamen nunquã ei mortuus sit filius, quin ipsa quoq; ad mortem usq; per excessivum cordis dolorem infirmaretur: *Suorum mortibus frangebatur maximè liberorum. Nam in filiorum dormitione semper periclitata est.* Et quantumvis ipsa sibi vim faceret, inquit Hieronymus, suumque crucis signo pectori oriq; impresso (uti in aliis facere affectibus solebat) alleviare dolorem procurasset, ipsa tamen à materna superata manens

tene-

teneritudine, quantumvis animo invicta, à corporis se vinci sinebat fragilitate: *Cum os stomachumque signaret, & matris dolorem crucis niteretur impressione lenire, superabatur affectu, & credulam mentem parentis viscera consternabant: animoque vincens fragilitate corporis vincebatur.* Nequaquam mirandum est mulierem istam à teneritudine erga filios fuisse devictam, illã namq; merito *grandem Naturæ* dixeris *tyrannidem*, adversus quam nequicquam juvant sive Philosophorum discursus, sive sapientum rationes, sive consolatio scripturarum, sive negotiorum distractio, sive solatium amicorum, sive denique extraordinarium aliud quodcunque remedium.

5. Quisquis autem veritatem istam clare videre desiderat, Parentes videlicet suos vehementius amare filios, quam seipsos, una mecum sacram ingrediatur Genesin, atque inveniet reprobum Cainum dum civitatem quandam fabricasset, quæ prima fuit earum quas mundus unquam erectas vidit; illam non suo proprio sed filii sui Enoch nomine appellasse: *ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filij sui Enoch.* Cur autem Cain in civitate isthac fabricata potius filii sui nomen, quam proprium perennare voluit? Non alia de causa, respondet S. Thomas nisi quia Patres res filiorum suorum proprius ac vehementius sibi cordi ducunt, quam proprias. *Quia Parentes sunt magis solliciti de filiis quam de seipsis.* Ad libros Regum accedite, ibi namque in urbe Samariæ ab ursis de sylva egressis dilaceratos videbitis miseros pueros, qui tametsi propter iniuriam Elisæo irrogatam supplicium istud bene promeruerint, isthoc tamen digniores supplicio Parentes erant, quorum instigatione pueri illi ad contumelias in Dei servum evomendas egressi fuerant. Immatura denique ipsorum ætas & modica quæ iis inerat prudentia, valde ipsos excusare atque tam gravi supplicio defendere atque tueri poterat. Cui S. Augustinus respondet, concedens culpabiliores ipsis filiis fuisse Parentes, sed & gravius quoque punitos fuisse Parentes, dum punitos viderunt pueros suos: *ut percussis parvulis majores reciperent disciplinam, & mors puerorum fieret disciplina parentum.* Et sicut Justinus Martyr quoque clarius dixit: *quia puerorum clade parentes flagellavit.* Supplicium filiorum verum fuit Parentum supplicium, magisque ipsorum senserunt mortem, quam mortem propriam. Ad sacram denuo Genesin accedite, & invenietis Noe Patriarcham, nequaquam Cham filium sui derisorem maledixisse, sed Chanaanum filium eius, suumque nepotem à quo derisus nõ fuerat. Verum plus, inquit Chrysostomus, Cham sensit sui maledictionem filii, quam si ipsemet maledictus fuisset. *Cur peccavit Pater, & filius maledictum suscipit? Quare cum alius*

Marginal notes: Gen. 4. v. 17 — In Gen. — Serm. 205. de temp. — q. 80. ad Orthod.

alius peccavit, ille pœnam luit? Quia Pater non minorem pœnam, & cruciatum habuit, quam filius, & factum est hoc, ut ille ob naturalem amorem in puerum, majorem sentiret dolorem. Unde idemmet Chrysostomus dicit, quod quando Anna Samuelis mater acquievit se charissima sua privare prole, eandemque consecrare Deo, ut eidem in Templo deserviret, *facta est suorum viscerum immolatrix.* Non sacrificavit filium suum sed cor suum, viscera sua, denique Animam suam sacrificavit. Enimvero quando Deus suum erga nos exaggerare voluit amorem, Parentum illum comparavit amori: *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, inquit David regius. Et Isaias sub eadem matris metaphora Deum introducit, dicentem: *Domus Iacob, qui portamini ab utero meo.*

Hom. 16. in Gen.

Ps. 102. v. 13

Isaiæ 46. v. 3.

6. Verum enimvero quisquis videre vult quantum affectus Parentum cordibus à Natura ipsa insiti valeant, cernere idipsum in ipsismet quique Animalibus ratione carentibus poterit. Ecquid illos Natura non docuit ad nutriendam, educandam, protegendam suam charissimam prolem? Quibusnam non utuntur artificiis, ad acquirendum iis cibum? Quam ad illas à temporum protegendum injuriis non adhibent solertiam. Quos non excogitant modos ad fabricandum nidos illis atque cubicula? *Si aves sic feræ fœtus suos diligunt, quarum concitatus est amor & penè rabidus*, inquit Seneca. De Lyncibus quoque de Leonibus, Pantheris, Pardis Tygribus Opianus cecinit:

Epist. 99.

Iam vero natos insano Lynces amore
Depereunt, torvusque Leo, Panthera q; sæva:
Et Pardi virides, Tigris q; volatilis usque.

Dum parvulæ aviculæ, dicit Augustinus, nudæ adhuc, nec pennis etiamnum vestitæ, foris quodammodo extra nidum prostant, ac periclitantur ne in terram corruant, aut rapacibus in prædam animalibus cedant sollicitæ illarum matres circum illas volitare rostro illas in nidum suum repellere alisque reprimere, easdemq; piis cantillationibus imminētis periculi monere non cessant, *& vocibus piis testantur pericula filiorum.* Quæ fera, inquit S. Ambrosius, voluntariis se non exponit mortibus ad conservandam filiorū vitam? Quæ fera se amatæ proli suæ scuti loco nō exhibet, easdemq; adversus venabula & in ipsas vibratas hastas, emissasque sagittas, corporis sui muro securas non reddit? *Quæ fera pro catulis suis non ipsa potissimum se offert morti? Quæ fera fœtus suos, innumeris licet obsessa cuneis armatorum, non suis visceribus tegat? Ingruat licet telorum seges, illa tamen parvulos suos muro sui corporis septos immunes præstat pericul.* Concludamus ergo una cum Chrysostomo nullam hac maiorem vivacioremq; esse tyrannidem; *Nihil est quod majo-*

Serm. 160.

Lib. 6. Hexaemeron. c. 4.

Hom. 54. in Matt.

majorem vim atque eo tyrannidem habeat, quam Natura.

7. Hic ergo primus Carnifex fuit, qui ſuas Matri Dei manus intulit, lethaliſſimosque eidem ictus inflixit: *Stabat juxta Crucem IESV mater ejus.* Stabat mater vicina Cruci crucifixi filii ſui, devotoque cum affectu, quicquid in amariſſimo illo Calvarii montis conflictu accidebat, contemplabatur: *Matrem conſiderate, matrem cogitate*, dicam cum S. Ambroſio. Torquemur perſæpe & cruciamur, dum extraneum quendam aut peregrinum, nullaque nos ſive ſanguinis ſive familiaritatis, ſed ſolius Naturæ communicatione nos contingētem inexpectato aliquo correptum videmus infortunio, quanto vehementius ergo tormenta pœnasque Chriſti ſentire debebat virgo, quæ mater illius erat: *Matrem conſiderate, Matrem cogitate.* Omnes Natura Magiſtra rationabilem alienis in periculis edocemur compaſſionem; neque intermittere poteſt animus quantumvis parum generoſus quin vehementer de illatis innocenti cuipiam doleat moleſtiis. Quanto magis igitur virgo ſentire debebat hominum adverſus Chriſtum crudelitatem, atque ob tam amati filii acerbiſſimos dolores? *Matrem conſiderate, matrem cogitate.* Perdere filios ex neceſſitate Naturæ, & per ordinarias mortis inſidias quæ in omnibus ſine ullo cuiusquam procedit reſpectu, res eſt mœſtis parentibus admodum doloroſa. Eſt tamen iiſdem non modicum quoque ſolatium, eorundem lectis aſſiſtere, eo quo à morbo decoquuntur tempore, propriis manibus fugientis vitæ illis porrigere refrigerium, gelidos à fronte illorum abſtergere ſudores, ultima illis imprimere oſcula. MARIA vero ſuum perdit filium, furibundo cuidam ignominiarū mari expoſitum, nec tamen ullo ipſum honorare potuit obſequio, atque ab omni illi impendendo ſervitio impedita extitit. *Matrem conſiderate, matrem cogitate.*

8. Equidem tametſi hæc ita ſe habeant, nihil tamen hucusque dixi. Mater erat MARIA virgo ſed tanti tamque digni Filii miraculoſa mater. Mater, cuius in conceptione puritatem non temerarat, ſed duplicarat, cui in ſui graviditate pondus non attulit ſed levitatem, nec dolorem cauſavit in partu, ſed gaudium. Mater eius qui de puriſſimis clauſtris ſuis naſcens, ipſius perfecit virginitatem, qui prodigioſo ubera lacte adimplevit, qui per novem illorum menſium ſpatium quo ipſum in utero ſuo portavit, quo aliæ mulieres peregrinos ac pertinaces experiuntur appetitus, cordis animiq; deliquia, debilitatem membrorum, aliasq; millenas intolerabiles miſerias, Divinas MARIÆ cōmunicavit dulcedines & gaudia inenarrabilia. Et prouti Cyprianus dicit, eo tempore *Cor matris quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant: erat q; utriq; mira jucunditas, cum pia ſanctæ matris, ac devotæ*

vota humilitas, & sancti sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergebantur. Matrem considerate, Matrem cogitate.

9. Mater erat, sed Mater sola, id est, absque ullo Patris perpesso consortio, quo modo alii homines nascuntur universi. In verbi Dei incarnatione tota substantia è qua Divinum carnis Christi formatum est tabernaculum, de solis Beatissimæ matris sumpta est sanguinibus. Ideoq; de solo isthoc divino partu, inquit Petrus Damianus, dici potuisse, ipsum unam eandemq; cum sua Genitrice rem esse, cui Deus non solum tribus illis ordinariis inerat modis, quibus aliis omnibus inesse dicitur per essentiam nimirum, præsentiam, & potentiam, verum etiam alio quodam quarto modo, id est, per identitatem, *quia idem est quod illa.* Et uti Augustinus dicit, *Caro IESV, Caro est MARIÆ.* Eia igitur sicut Christus totus Matris, & nihil Patris fuit, talem enim in terra non habuit: ita quoque à matre unicè dilectus fuit, & consequenter singularissime deploratus. *Matrem considerate, Matrem cogitate.* *Serm. de nativit. Virg.*

10. Mater erat sed solius sola mater, Unigeniti videlicet, seu talis qui omni destitutus est fratris consortio. Et consequenter totum suum unico huic bono impenderat amorem, absque ulla eiusdem in alios divisione. Quanto autem amor plus unicus erat, tanto etiam dolor quē sub cruce experta fuit, singularior extitit. Non est modicum matris alicuius solatium, post unius chari filii mortem superstitem habere alium, cui suas impendere possit maternas blanditias, suosq; amores. Denique sicut affectus in plura dispersus est subiecta, ita quoq; in eorundem amissione divisus similiter est dolor. Filius quem MARIA plangit unicus erat & unigenitus, cui soli omnem cordis sui impenderat affectum omnemque viscerum suorum ardorem. David mortem Jonathæ deplorans, ut ingentem quo in eum ferebatur amorem magis exaggeraret, dicit se ipsum ea ratione amasse, quâ mater unicum suum amat filium: *Sicut mater unicum filium suum diligit, sic ego te diligebam.* Tobias quoque Angelo dicebat, vereri se ne ab Asmodæo Dæmone occideretur, suisq; parentibus eam infligeret cordis compassionem, quam filius unicus, qualis is erat, adferre consuevit: *Cum sim unicus Parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.* Orator itidem Romanus ingentem declarare volens dolorem, quo ob Reipublicæ affligebatur adversa, eandem se *eo modo* luxisse affirmat, *quo mater solet unigenitum filium.* Et Dominus populo ut supervenietes sibi deplangeret ruinas, præcipiens, ita illum apud Jeremiam alloquitur: *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Unicus ergo & unigenitus MARIÆ Christus erat, ideoq; unice dilectus ac proinde in sua etiam Passione unice defletus: *Matrem considerate, Matrem cogitate.* *2. Reg. 1. v. 26.* *Tob. 6. v. 15.*

11. Ma-

II. Mater erat, sed mater filii sibi per omnia simillimi. Christus namque Beatæ Virgini simillimus erat non tantum per naturalem sympathiam, siue per indolem & inclinationem, quia vti iam dicebamus, Caro Christi, Caro erat Mariæ: sed similis quoque illi quoad mores erat, & per virtutes illis Matris simillimas, cuius non dedignabatur recipere mandata, audire cōsilia, approbare determinationes, obedire præceptis. In summa Christus Mariæ adeo similis extitit vt Ecclesia illuminata à Deo quicquid in sapientialibus diuinarum scripturarum Libris de Christo literaliter dictum est, de Maria id mysticè intelligat. Similitudinem autem amoris esse conciliatricem, quotidiana probat experientia. Quanto ergo Christus Mariæ similior fuit, tanto plus fuit ab eadem dilectus, quanto autem plus dilectus extitit, tanto quoque magis deploratus & deplanctus in Passione fuit. *Matrem considerate, Matrem cogitate.*

12. Mater erat, sed amantissimi filii mater. Nullus vnquam à Christo magis matre sua dilectus est, siquidem nequevlla extitit creatura ob raras sui excellentias singularissimasque dotes ipsa amabilior, adeo vt è doctis nōnulli dicant plus à Christo amatam esse Mariam virginem, quam sint omnes prædestinati cæteri simul iuncti. Vnde ipsa infinitis sese beneficiis nouis, stupendis, mundoque inauditis ab ipso conspiciebat esse constrictam, quæ amoris illius magnæ matris magnes haud dubiè erāt efficacissimus. Hailgrinus Cardinalis super illa Cantici verba: *Dilectus meus mihi & ego illi* dicit: Virginem ibi sententiam quandam quasi dimidiatam, truncam & imperfectam eloqui. Dic ergo ô Domina, quidnam tibi est Dilectus tuus: *Dilectus meus mihi.* Et quid tu ipsi es? Et ego illi. *Non exprimitur, quid vel ipsa sit dilecta, vel quid dilectus sit ei, quia illud quid est tantum, vt ad ipsum explicandū verba deficiant.* Dici ergo nequit, quantopere Christus Virginem amarit, nec quantum virgo dilexerit Christum, adeoque neque possibile est eloqui, quantum ipsa in eiusdem doluerit passione. *Matrem considerate, matrem cogitate.*

13. Mater erat, sed talis filii mater, qui super omnē cogitatum humanum longe erat amabilissimus. Aliȩ matres nonnunquam cōstringuntur ad mitigandas ingentes illas Naturæ flammas, atque ad denegandum illum filiis suis affectum, alias tantopere in cordibus suis radicatū, siue quia illos vultibus suis deformes, aut corpore vitiatos conspiciunt, siue quia tardi sunt ac hebetes animiq; vilis & abiecti, siue quia illos prauis cernunt imbutos esse moribus, vitiisque ac aliis plurimis inconuenientiis experiuntur esse deditos atque obnoxios, siue denique quia ingratos illos, & nonnunquam etiam iniuriosos esse cognoscunt. Hic autem MARIÆ filius

lius talis erat, qui nec parem habebat, nec habere poterat; qui vultu-tenus cœlestis erat morib. diuinus, in modo agendi inenarrabilis, virtutibus prodigiosus. Semper Iovialis atque hilaris in aspectu, semper in obsequiis amabilis, semper ad beneficia pręparatus, semper ingeniosus ad beneuolentias, ad reuerentiã exhibendam semper deuotus, à quo nil vnquã Maria aliud recepit, præterquam gaudium atq; Lætitiã. Ecqualibus ergo Lachrymis à tali matre talis deplorari debebat filius? Quales transfigere debebant dolores Cor virginis illius, quæ tã amabili obiecto fruita fuerat, quæ numerarat omnes quotquot gressus fecerat, quotquot de illius ore verba manabant, quotquot operatus fuerat miracula? quæ omniũ ad amussim & sigillatim præteritorũ recordabatur gaudiorum? Sicut n. monet Laurentius Iustinianus *Argumentum præsentis infortunij memoria præteritæ fælicitatis. Matrem considerate, matrem cogitate.*

Lib. de casto Connub. c. 21.

14. Hisce iam adde, ingens amorẽ illum à tam longa multorũ anno ũ cõsuetudine accepisse incrementũ. Fruita fuerat Virgo in domo sua hoc tã ingenti bono tota vita sua, cũ illo commorata fuit trib. postremis prædicationis suæ annis, intra quos ipsa quoq; haud paucorũ à filio suo patratorũ miraculorũ testis extitit. Omnes igitur hæ actiones adeo perfectæ, omnes illi tã suaues discursus, cuncta illa ad Patris gloriã patrata miracula, omnes ad animarũ conuersionẽ directæ prædicationes, omnes orationes adeo feruentes, omnes illæ adeo deuotæ sacri templi visitationes, omnes illæ in paterna domo exhibitæ humiliationes, cuncta illa diuinarum virtutum exempla, in frugali mensa, in somno adeo brevi, in obsequio Iosepho exhibito servitio, in cõmercio cum civibus, in conversatione cum sodalibus & amicis, Hæc inquã prædicta omnia tot veluti Lignorũ strues erant, ingenti cuidam fovendo incendio adiectæ. Vnde si Ambrosius in morte Satyri fratris sui, quocũ tot iam annis in summa pace animorumq; mutua vnione cõversatus fuerat tam acerbe adeo gratæ conversationis plangebat iacturã, vt diceret: *Nil habui fratres charissimi, in rebus humanis tanto fratre pretiosius, nihil amabilius, nil charius.* Cur non maiori cũ ratione Virgo dicat: Nil vnquã in mundo charius, pretiosius, aut amabilius habui præ cõversatione tanti filii. Videbã persæpe Angelos descendentes de cœlo, seq; reverentes prorsus ac venerabundos coram incarnato cœlorum factore in paupercula domo mea inclinantes; Mihi aũt in huius charissimi summiq; boni mei cõspectu, omnis totius cœlestis curiæ euanescebat obtutus: Tantasq; mihi Venerabilis ille maiestateq; plenus aspectus pariebat delitias, vt nullum mihi deinceps qualecunq; tandem placeret spectaculum. *Nihil, Nihil habui in rebus humanis tanto filio pretiosius, nihil amabilius nihil charius.* Quærit, inquit idemmet Ambros. parem ac socium suum mœstus iuvencus,

Orat. de obitu fratris.

vencus, *nec se integrum esse existimat, donec abest, qui idem cum ipso ducebat iugum, trahebatq; aratrũ, & non quæram ego te, O frater dulcissime? Bos bovem requirit, seq; non totum putat, & frequenti mugitu piũ testatur affectum, si forte defecerit, cum quo ducere collo aratra consueuit; Ego te fratrem non requirã?* Maria vna cũ Christo tot iam annos portaverat Divinæ Legis iugũ, iugũ negotiorum domesticorũ, iugum mortalitatis istius, & nõ dicat etiam ipsa: *Ego te fili non requiram?*

4. Ethic. 15. Sapientes vna cum Aristotele inquirunt, *num parentes inter & filios præter amorem naturalẽ esse quoq; possit amor veræ amicitiæ acquisitus?* atq; concludunt quod sic. *Probatq; idipsũ affatim clare Doctor Angelicus, veræ amicitiæ enumerando partes, cuiusmodi sũt*

22. q. 27. *hæ tres: Vt sit amor benevolentiæ erga rẽ amatam, qua ei bonum velimus:* Ecce primã: *Vt sit amor mutuus fundatus in aliqua communicatione bonorũ, vtpote Sanguinis, virtutis, vel officii:* Ecce secundã. *Vt amor mutuus vtriq; amico sit cognitus,* quia vti Philosophus docet: *amicitia est redamatio non Latens.* Ecce Tertiã. Hæ veræ amicitiæ cõditiones in Christo & matre eius perfectissime erant. Erat nãq; ibi *amor benevolentiæ,* quo mater gloriã filii, filius autem bonum quærebat matris: Erat *summa bonorũ cõmunicatio,* & quidẽ sanguinis inprimis, nã vti diximus Caro Christi erat Caro Mariæ, *insuper virtutis* ẽt, Christus n. & Maria simillimi erant, quantum videlicet Creatura Creatori suo assimilari valet. Deniq; & officii, mundi videlicet redemptionem ac Dei gloriam promovendi, quibus Maria tot cooperata est modis, vt S. Patres illam Redemptricẽ appellare non dubitarint. Postremo denique *summus hic amor notissimus* erat tũ Christo, qui Dei erat sapientia, tum etiã Mariæ quę ipsis Paradisi Cherubinis in animo suo illuminata magis erat. Adeo vt Christum inter & Mariam perfectissima intercesserit amicitia. Vnde ipsa de filio suo dicebat: *Et ipse est amicus meus. Porro qui videre cupit, quantũ in Maria dolor ex tã excessiuo amore incrementum acceperit, idipsum in Persona S. Augustini ad viuum intueatur expressum, cũ n. amicorũ suorũ non nemo illi mortuus fuisset, videbatur mox cum eodẽ amico, Augustino quoq; omne aliud quodcunq; bonum vitæ huius emortuum fuisse; vnde plãgere non destitit dicens: Dolore contenebratũ est cor meum, & quidquid aspiciebam mors erat. Et erat mihi Patria suppliciũ, & paterna Domus mira infœlicitas, & quidquid cũ illo cõmunicaueram sine illo in Cruciatum immanẽ vertebatur. Expetebant eum vndique oculi mei, & non dabatur mihi, & oderam omnia, quia non habebam eum.* Lib. 4. Confess. cap. 11. Pari quoque ratione omnia cordi MARIÆ horror & mors erant, quippe quod absque charo suo pignore, id quod vnicum illi solatium suaque vita erat, totũ obscurum erat ac tenebrosum, extincta namque videbatur clara lux oculorum suorum. Ciuitas ipsi tormento erat, in qua adeo rara inauditarum virtutum dari viderat exempla, Domus supplicium videbatur; in qua vna cum ipso commorari consueuerat, veluti certissima continuorum miraculorum testis. Templum in quo ipsum aliquando Doctores inter reperit, atque in quo tot aliis vicibus coram Sacro altari religiose ac deuote orans visus fuerat, squalidum videbatur ac desolatum: desertæ ac Lugentes viæ Syon in quibus tot ipsum vicibus verbum DEI

prædicantem audierat: Molestæ denique ac graues omnes Creaturæ, in quibus ipsum prodigia operantem conspexerat: *Quidquid in illo communicaueram, sine illo in Cruciatum immanem vertebatur. Repleuit me amaritudinibus. Inebriauit me absynthio.*

Secundum Punctum.

16. Secundus virginis tortor Gratia extitit, quæ vel à charitate non distinguitur, vti discipuli Doctoris subtilis sentiunt, aut si distinguitur, quæ est aliarum Scholarum opinio, charitati semper coniuncta existit, & secundum mensuram gratiæ, supernaturalis in nobis gignitur amor. Atque cœlestis hic amor quamuis naturalem in immensum superat beneuolentiam; Neque vnquam naturalis amor illa in mundo operatus esse reperitur mirabilia, quæ patrata fuere à Martyribus, à supernaturali amore incitatis. Amor iste in gloriosissima Matre adeo ingens fuit, vt non duntaxat Martyrium superarit amorem, verũ ipsorummet quoque Seraphinorum ardorem. Atque hinc est, quod MARIA in Diuinis Literis, non solum dicatur amans, sed & ipsusmet quoque amor: *Adiuro vos, ne suscitetis dilectam:* Litera originalis legit, *ne suscitetis Dilectionem.* (*Cant. 2. v. 7.*) Adeo vt MARIA virgo amor appelletur in abstracto, ad eum fere modum quo S. Ioannes Deum Charitatem appellauit & amorem. *Deus Charitas est.* Dicam cum Ildephonso (*Orat. 1 de Assumpt.*), *quam velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit, ita vt in ea tantum Spiritus Sancti flammæ videretur, nec sentiretur nisi tantum ignis amoris Dei.* Amicta fuit MARIA diuini amoris igne, idque modo quodam adeo perfecto vt non tantum ignea, sed tota ignis esse videretur, neque iam amans tantum, sed ipsusmet quoque amor erat, *ita ut in ea tantum Spiritus Sancti flamma videretur.* Faciamus igitur hanc cum S. Hieronymo (*Serm. de Assumpt.*) consequentiam: *Quia plus omnibus dilexit propterea & plus omnibus doluit. In tantum vt Animam eius totam pertransiret vis doloris ad testimonium eximiæ delectionis.* Ad amoris mensuram à dolore afflicta fuit MARIA: Amor autem immensus fuit, immenso igitur modo à dolore afflicta extitit. Ipsa tota amor extitit, tota igitur & dolor fuit. Vnde S. Bernardinus Senensis (*Serm. 44. in Quadrages.*) plus vltra progreditur, adeo vt dicere non dubitaret, infinitum fuisse MARIÆ amorem, adeoque certo quodam modo infinitum pariter & dolorem extitisse: *Quanto plus amabat, tanto plus dolebat, & amor suus quem ipsa portabat Christo eius vnigenito filio erat infinitus.* Dicat ergo virgo: *repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio.* Replesti me O chare & dilecte fili, charitate, & repleuisti me amaritudine, quantum me per gratiam tuam amare fecisti, tantum me pati fecisti per tuam passionem, me totam quanta sum amorem effecisti, meq; totam adhęc constituisti dolorem. *Quia plus omnibus dilexit, plus omnibus doluit.*

17. Memini verborum iusti illius, qui

qui dicebat: *Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Inimicos tuos ego videbam, O supreme Paradisi Domine, Legis tuæ oblitos ipsorum considerabam, in beneficiis tuis nequicquam appretiandis ingratitudinem, temeritatem in non formidando iudicia tua, atque hisce in cogitationibus, totum me videbam tabefieri, totum colliquescere, totum linqui animo & consummari: *Tabescere me fecit zelus tuus. Tabescebat,* inquit Augustinus *quia diligebat.* Rodi sibi cor suum sentiebat, crepare viscera, torqueri spiritum, animamque tabefieri. Eccur ita? Quia amabat. *Tabescebat, quia diligebat.* Qualis ergo illa MARIÆ agonia erit, dum magnum illud videt committi Deicidium? Qualis benedictæ illius Animæ afflictio, offensæ considerantis enormitatem, & maiestatem offensi? Quanta denique erunt pii cordis illius vulnera, dum Regis gloriæ vulnera contemplatur? *Tabescebat quia diligebat.* Quia vti docuit Augustinus, *tantum necesse est vt vrat dolor, quantum hæserat amor.* Petrus Cardinalis Damiani Loquens de Spiritu Sancto MARIAM superueniente: *Spiritus Sanctus superueniet in te,* verba quædam consideratione dignissima edixit, suntque hæc sequentia: *Spiritus ille multiplex ineffabiliori modo superuenit in virginem, quam tota Diuinitatis plenitudo sine mensuræ discretione perfudit, vt totam caperet qui fecit totum.* Spiritus Sanctus non eo modo MARIAM implet, quo sanctos cæteros, qui mēsuratim dona illius recipiunt, cumque ad mensuram æternas illas flāmas recipiant, ad mensuram quoque amant; MARIA autem Sancti Spiritus ignem citra mensuram recepit, ideoque necessum est dicere, quod sine mensura quoque dilexerit: *Quam tota Diuinitatis plenitudo sine mensuræ discretione perfudit.* Sic ergo nunc dicere licebit: Sine mensura amoris Diuini flamma in MARIA fuit: fuit igitur & amor in ipsa omnis expers mensuræ; sineque mēsura pariter & dolor extitit, *tantum enim necesse est, vt vrat dolor, quantum hæserat amor. Spiritus ille multiplex ineffabiliori modo superuenit in virginem.* Ineffabilis est modus, quo MARIA Spiritum Dei recepit, pariter ergo ineffabilis modus erit, quo ipsa dilexit; *à primo igitur ad vltimum,* ineffabilis quoque dolor erit is quem in Christi passione persensit. O sacratissima virgo quid amplius dicam, aut dici amplius poterit? Plena fuisti Spiritu Sancto, Dilectione plena fuisti, plena igitur fuisti pariter & dolore, quia *tantum necesse est vt vrat dolor, quantum hæserat amor.* Hildebertus Episcopus ad amicorū suorum non neminem scribit, qui in prolixo quodam itinere, quod Romam versus instituerat, constitutus, infinitas, tum ratione temporis, quod horridissimum in ipso videlicet hyemis corde siue medio constitutum erat, tum ex variis quæ pertransire oportebat periculis, tum ob asperitatem ipsiusmet

Lib. 21. Ciuit. Dei c. 26.

Serm. de S. Ioan. Bapt.

viæ, quæ per inuias rupes, præruptosque montes protendebatur, passus fuerat iniurias, tandemq; dicit: Ego per prolixi ac laboriosi itineris vias te comitatus sum semper, tecum fui Romæ, tecum niuium sum perpessus iniurias, tecum montes vel Lubricos glacie, vel scopulis exasperatos; vniversa tecum pertuli, quæ dolui dū perferres. Verum enimvero vndenā ingens isthæc in pientissimo hocce Prælato subnata est cōpassio? Haud profectò aliunde quā ab amore, qui res amicorum inter eosdem veluti communes efficit, qui omnia eorundē negotia ob strictam cordiū vnionem, vnam quandam indivisam constituit Rempublicam. *Hæc enim est inter amicos Animorum cōcordia, vt nihil ab altero sit alienum nihil alteri singulare. Omnia facit eis vnam Rempublicam, voluntas vna.* Itane? An non igitur dilectissimo filio suo idem pariter dicet virgo sacratissima? Tecum O dilecte Animæ meę, in horto Gethsemani fui, tecum fui in Pilati prætorio, tecum plateas Ierosolymæ oberraui, tecum Herodis ingressus sum Curiam, in Calvariæ montem me vna tecum recepi, tecum afflictissimi Spiritus tui sustinui agoniā, immaculatæ Carnis tuæ flagella, venerandi vultus tui sputa & alapas, Divini Capitis tui spinas, sacrosanctæ Crucis tuæ clavos, fel gratiosorum Labiorum tuorum, confusionem faciei tuæ sacratissimæ, honoris tui ignominiam & contumelias, accusationes innocentiæ tuæ, improperia inimicorum tuorum, discipulorum tuorum fugam, ipsiusmet denique Patris tui derelictionem: *Vniversa tecū pertuli, quæ dolui dum perferres? Quanto plus amabat, tanto plus dolebat.*

Epist. 18.

18. Nobis qui in Charitate tepidi sumus, Bernardus dicebat: *Cogita vt Creatorem, cogita vt conservatorem, cogita vt benefactorem, cogita vt Redemptorem, & per omnia dole.* Hęc sunt quatuor motiva, quæ erga Christum crucifixum, nostrū vehementer excitare possunt affectū ipsum videlicet esse Creatorē Conservatorem, Benefactorem & Redemptorem. Verum omnes hi tituli modo quodam particulari in Maria fuere, vnde in omnibus ipsa particularis cuiusdam amoris habuit incentivū. Et Primo quidē erat Christus Creator matris suæ, ipsa vero in Creatione in Divina mente primogenita erat omnium Creaturarum, cui tot destinaverat gratias tot dona cælestia, quibus cuncta alia mundi prodigia longe superatura erat: Et sicut Author imperfecti dicit: *Maria speciosior facta est, & dignior, quam totus mundus.* Vnde vbi nos in Proverbiis legimus verba hæc à multis de B. Virgine exposita: *Delectabar per singulos dies,* aliter alii vna cum septuaginta interpretibus legunt: *Ego eram cui adgaudebat,* adeo vt *To delectabar per singulos dies* explicēt: *Delectationē illi adferebam.* Quādo Deus cunctas in æterna Idæa sua formaverat Creaturas, ego sola eram quæ gaudiū illi adferebam & delectationem, reliquum Diuinis oculis vulgare videbatur vilisq; pretii. Audite Petrum Damiani, qui hunc

Tract. de Passione.

Imperfectum in cap. 1. Matth.

hunc sacrorum Canticorũ versum: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens*: vbi Deus ex hoc manuũ suarum opere obstupefactus videtur, exponens dicit: *Nunquid in Angelis voluptatẽ habet altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? Nunquid in constellatione, seu scintillatione stellarum, quarum aliæ convertentur in sanguinem, aliæ cadent de cœlo, aliæ tenebris obscurantur? Nunquid in aere, vel in igne, vel in ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus. Nunquid in Aquis, vbi furens & tortuosus Leviathã commoratur? Aut in terra quæ sub maledicto Adæ spinas emittit & tribulos? Non est Locus voluptatis, nisi vterus virginis.* In toto igitur omnium Creaturarum multitudine sola Maria erat quæ eminebat, & consequenter quæ Cor Dei Lætificare poterat: *Ego eram cui adgaudebat. Cogita Creatorem; Cogita conservatorem.* Deus semper sanctissimæ Matri suæ astitit, vt eidem perpetuam concederet defensionem continuum præsidiũ, atque securitatem æternam: poteratque dicere illud Psalmistæ: *Tu formasti me & posuisti super me manum tuam.* Non me fecisti & dereliquisti postea, neque ex nihili abysso me eduxisti, neque postea periculo corruendi in peccati abyssum exponi permisisti, sed formasti me, & posuisti super me manum tuam; pulchram me effecisti, & pulchram me conseruasti. *Tu formasti me*, inquit Bruno, verum non se hic sistunt gratiæ tuæ, quia *posuisti super me manum tuam, ne aliquatenus à formositate illa deficiam. Cogita Creatorem, Cogita Cõservatorem, Cogita Benefactorẽ.* Quis collata à Deo magnæ Matri suæ explicare poterit beneficia? Quis gratias illas enumerare poterit, quibus ipsa cumulata fuit? Quis immensũ illud virtutum pelagus, quod Littus non habet, nauigare sufficiet. Sufficit dicere idipsum quod Doctorũ Angelus dixit, videlicet: *Virgo sancta totam sibi hauserat Spiritus Sancti gratiam. Cogita Redemptorem.* Modo autem quodam particulari Christus Marię redemptor extitit sicut n. duo sunt Redemptionis modi; vnus scil. eripiendo à peccato: alter v. nobilior præueniendo ne peccetur. Maria secundo hoc modo redẽpta fuit. *Qui erexit hominẽ Lapsum*, inquit S. Bernard. *dedit Angelo stanti, ne labe-retur.* Et cur nos hic dicere non possemus: *Erexit hominem Lapsum, dedit Matri stanti ne Laberetur?* Eia igitur *Cogita Creatorem, Cogita conservatorẽ, Cogita benefactorem, cogita Redemptorẽ & per omnia plora.* Hæ quatuor adductæ considerationes quatuor sub Cruce Marię infixerunt acerbissima vulnera. O mundi Creator (ita illum dixisse opinor) cui complacuit me inter omnes mundi Creaturas adeo magnam efficere, qua ratione ego potentissimũ artificẽ meum nunc à vilissimis abiectissimisq; mundi Creaturis iniuriis repletũ esse conspicio? O sollicite Salutis meæ conservator, cur nõ liceat mihi ex hac vita mea aliquod facere adversus tot tamq; crudeles, quæ te torquent,

Ps. 138. v. 5.

D. Thom. in Cat. in Lucam.

Suarez 3. p. disp. 3. Sect. 27.

Serm. 21. in Cant.

torquent, pœnas, defensionis præsidium. O amabilis munificeque benefactor, à quo tot ego recepi gratias, quot explicare nunquam possibile mihi erit, quomodo liberalissimas illas manus ab indignis clauis transfixas considerare possum nec tamen mori? O singularissime Animæ meæ Redemptor, tibine mors irrogatur, qui dator es vitæ? tu velut reus tractatus es, qui destructor es culpæ? tu ad instar vilissimi mancipii vexatus, qui cunctis filiorum Dei comparasti libertatem? Tu nudus existis, qui viridi Herbarum germine Campos contegis, nostramque immortalitatis ac gloriæ veste cooperis nuditatẽ? Tu in Cruce, qui ad ipsos vsque Latrones, ad tuos vsque crucifixores Cœli sedes omnibus acquiris? Prædicti omnia quandam in tenerrimo hoc corde, Æthnam accendebant amoris, crescebatque ad tam ingentis amoris mensuram, Dolor haud absimilis. *Quanto plus amabat, tanto plus gaudebat.*

19. S. Basilius Nectarii nobilissimi Equitis Coniugi, cui dilectissimus quidam mortuus erat filius, quandam transcribit Epistolam, atque vt desolatæ huic Matronæ aliquod huius tam acerbæ plagæ adferret solatium, inter alia sic inquit: *Nunc tempestiuum est ut per patientiã partem Martyrum accipias.* Sanctissimam virginem proxime Cruci astantem hac indubie ratione alloqui possumus: Nunc O inuictissima virgo tempus est, vt extremas insuperabilis patientiæ tuæ experiare probationes: Charitas Crux tua erit: Tyranni tui erunt Melancholiæ: Dolor erit ensis tuus; Martyrium tuum pietas erit: Passio tua erit cõpassio; mors tua amor tuus erit; *Nunc tempestiuum est, vt per Patientiam partem Martyrum accipias.* Non te exurent flammæ, sed pia comburent desideria: non te torquebunt Carnifices, sed ærumnosæ Animæ tuæ te affligent Cogitationes; Non te funes constringent, sed affectus, non rapieris ad tribunalia, vt accuseris ibidem, atque confundaris à testibus, sed omnis tua Confusio in dolentis Conscientiæ situm erit tribunali. *Tempestiuum est vt per patientiam partem Martyrum accipias.* Et reuera ipsa sibi in Caluario mõte ad patiẽtis filii præsentiã gloriosissimi cuiusdam Martyrii sibi partem acquisiuit, id quod Arnoldum Carnotensem in hæc verba prorumpere coegit? *vicit sexum, passa est vltra humanitatem. Torquebatur namque magis, quam si torqueretur ex se, quia supra se incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.*

Basilius Epist. 8.

Serm. de virgine Matre.

20. Duos Seraphinos vidit Isaias coram Throno Dei: *vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Seraphim stabant.* Glossa dicit Thronum hunc significare Crucem circa quam Seraphim stabant, quorum in tota scriptura sacra, veluti Hieronymus notauit extra hunc locum nulla fit mentio. Sed quinam sunt Seraphini illi, qui coram Crucifixo Domino astant, *Isa. 6. v. 1.*

nisi

nisi MARIA & Ioannes, amore cœlesti plenissimi? Vere Seraphini, quorum nomen ab incendio derivatum provenit, vtpote qui in maximæ Charitatis suæ ardebant incendio, dumq; totus mundus Crucifixum istum blasphemat, ipsi ibidem summo persistunt cum respectu & reverentia, veluti honoratissima illa Crucifixi honorantes opprobria, ac dicere videntur: *Benedictus es Domine in Throno regni tui.* Mortuo Othone Imperatore refert Cornelius Tacitus, dum Cadaver illius secundum temporis illius cõsuetudinem igne conflagrarent, è charissimis illius aulicis nonnulli reperti sunt, qui veluti voluntarie & vltro, in rogum in quo Cæsaris consumebatur funus, sese coniiciebant: *Non noxa aliqua, aut metu sed æmulatione decoris & Charitate Principis.* In illam se flammam præcipites egerunt, non ob aliquam Culpæ Conscientiam, aut per quendam maniæ aut Melancholiæ impulsum, sed ob honoris æmulationem & Principis charitatem. Christus in Cruce in charitatis suæ ardebat incendio, quando dilecti sui MARIA & Ioannes cũ ipso in tot suppliciorum flammis participare volentes, vltro sese ob amorem honesti atque excessiuam Principis sui charitatem in ingens illud amoris incendium sese præcipitare videntur, *æmulatione decoris & charitate Principis.* An non Arnoldum clare id asserentem auditis? *Tunc erat vna Christi & MARIÆ voluntas, vnum Holocaustum pariter ambo offerebant DEO, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. Inebriavit me absynthio, repleuit me amaritudinibus.*

21. Accedamus nunc ad tertium Virginis tortorem, videlicet sensum. Ipsa namque tormentis & morti dilecti Filii sui præsens semper extitit, eiusdemque continua spectatrix: *Stabat iuxta Crucem IESV mater eius. Multo magis misericordiam provocant, quæ oculis vsurpantur*, inquit Herodianus. Indubium est quin plus moveat quod oculis cernitur, quam quod narrante & referente alio auditur: *Tertium Punctum.* *Herodia. lib. 1.*

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus.

dixit Poeta ille quondam. Dominus Heli Sacerdotẽ pœna quadam extraordinaria castigare volens ob modicam quam de filiis suis habebat curam, inter alia quæ eidem prædixit, vnum id fuit, videlicet: *videbis æmulum tuum in cunctis prosperis in Israel.* Oculi tui Carnifices tui erunt, neque vivaciter adeo pœnam tuam persenties tuas probando ærumnas, quantum illam alienam conspiciendo æmuli tui fœlicitatem experieris. Annon Ieremias quoque Propheta in magnam doloris sui exaggerationem dixit: *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius.* quasi diceret, abunde satis populi mei intelligo destructionem, magis tamen eandem *1. Reg. v. 32.* *Thren. 3. v. 1.*

eandem percipio quia video: tanto plus fratrum meorum me affligit tribulatio, quia testes illius oculi mei existunt, quam aliàs Levius haud dubie, & quodam cum refrigerio persentiscerem, si absens ab illa essem & procul remotus. Sic Sedechiæ Regi à Rege Babylonis occisi sunt filii eius coram oculis suis: *Et iugulavit Rex Babylonis filios Sedechiæ in oculis eius. Et oculos Sedechiæ eruit.* Vbi doctus quidam interpres notat, quod *prius iugularit filios quam excæcaret Patrem, vt Pater suorum funerum spectator prius in filiis, quam in seipso moreretur.* Quippe cum, vti advertit Ioannes Chrysostomus, *gravius est Parentibus videre filios suppliciis affici, quam si ipsi forent iisdem obnoxii.* Sic infortunata Agar, ne filium suum ex siti coram oculis suis morientem conspiceret, eundem sub arborem quandam proiiciens, atque inde se plurimum elongans atque recedens dixit: *Non videbo puerum morientem.* Nolo videre adeo acerbum spectaculum, quantum futurum esset mihi si filium meum coram oculis meis morientem videre cogerer. Non habuit virgo sanctissima solatium istud, vt ab illo Lachrymabili Calvarij montis spectaculo remota esset & absens, sed potius propriis oculis suis, quicquid vel maxima mundi barbaries adinvenire potuit, ipsamet conspexit. *Quia stabat iuxta Crucem IESV mater eius.*

Franc. Mēdoza in lib. Reg.

Hom. 20. in Gen.

Gen. 21. v. 16.

Serm. 109.

22. S. Augustinus de Machabæorum matre quæ omnium suorum septem filiorum morti præsens astitit, loquens dicit, ipsam septies Martyrem factam esse, toties enim pœnosissimum sustinuit Martyrium, quoties illud à filiis suis tolerari conspexit: *In omnibus passa est facta mater septem Martyrum septies Martyr; à filiis non separata spectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes, ferebat in oculis, quod in Carne omnes.* Et S. Cyprianus de eademmet Matrona omni memoria dignissima dixit, ipsam virtute oculorum adeo grave sustinuisse Martyrium, quantum filii sui per tormenta & membrorum suorum sustinuere passiones: *Tam grave Martyrium DEO præbuit virtute oculorum suorum, quam præbuerunt filii sui tormentis & passione membrorum.* Quale igitur fuit illud virginis Sanctissimæ Martyrium, quæ toti tot tormentorum patientis filii sui seriei præsens semper adfuit? Propriis oculis suis Sanctissimum illud Corpus, Divinitatis Organum membratim laceratum conspexit, vidit verberum livores, spinarum puncturas, plagas seu vulnera clavorum, lateris aperturam: vidit inhumanitatem Carnificum, improperia latronum, subsannationes Pharisæorum, vniuersalem plebis derisionem, & super hæc omnia vidit illum inter vltima vitæ suspiria agonizantem: Audivit vltima illa tenerrima morientis verba, quibus se dilecto discipulo recommendatam

In exhortat. ad Martyr.

tam percepit, audivit orantem pro Crucifixoribus, promittentem latroni Paradisum, Animam denique Patri commendantem. Vidit ipsum velut vltimum à mundo vale accepturum Sanctissimum Caput suum inclinantem, suumque beatum emittentem Spiritum. *Intuetur te illa benedicta inter mulieres* inquit Arnoldus, *& fixis in te oculis vulnera tua pietate considerat materna: & licet non ignoret quid boni conferat mundo mors tua, tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate dolorum arctatur.*

Hom. de virgine Matre.

23. Iam nunc video, quam meritissimo iure hæc afflicta mater, MARIA appellata fuerit, nam iuxta S. Hieronymum MARIA nil aliud significat, quam *mare amarum.* Poteratque virgo optime idem dicere, quod alia quondam Matrona, quæ suum amiserat filium dixit: *Nolite me vocare Nohemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine me valde replevit Omnipotens.* Nolite me hodie vocare pulchram, sed amaram vocate me, quia reapse me amaritudinis quoddam mare factam esse reperio. Nos quoque MARIÆ bene hodie dicere possumus: *Magna est, velut mare, contritio tua.* Mare profecto & ob amaritudinem suppliciorum & propter numerum. Amaritudo quidem talis ac tanta fuit, vt S. Bernardinus senensis dicere non dubitarit, quod si id quod passa est MARIA in omnes totius terræ Creaturas sensu præditas, divisum reapse esset, omnes haud dubie interituras fuisse: *Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes Creaturas, quæ dolorem pati possunt diuideretur, omnes simul interirent. Magna est velut mare contritio tua. Velut mare* etiam ob multitudinem: Et quidem insistamus nonnihil tormento, quod passa est virgo beata in sensu, vidit enim filium suum in Passione in omnibus Corporis partibus vulneratum, omni iniuriarum genere contumeliatum, omnium solatiorum orbatum sublevamine, ab amicorum omnium subsidiis & succursu derelictum prorsus ac desolatum: *Magna est velut mare contritio tua.*

Lib. de nominibus Hebr. in Exodum.

Thren. v. 2. v. 13.

To. 1. Ser. 6.

24. Et Primo quidem filium suum vidit, nullam totius vitæ ac corporis sui sanam partem habentem; adeo vt bene dicere potuisset: *Non est in eo species, neque decor: vidimus eum despectum & novissimum virorum. Virum dolorum & scientem infirmitatem.* Veneranda illa facies, quæ cunctos Angelos, vniuersumque Paradisum lætificat sub fœdorum sputorum spurcitiebus & nigricante vultus sui sanguine instar Eclipsati solis apparebat. Divinum illud Caput Cœlestis sapientiæ hospitium ab horrendo quodam spineto truculenter transfixum erat: Frons illa quæ sereni Cœli, ab influentiis gaudiorum prædiuitis instar erat, à doloribus turbida omnino erat ac nubila: oculi illi qui amorosis suis obtutibus veluti sagittas evibrabant à tot tamque impiorum Carnificum

intuitu anguſtiati erant atque afflicti: Os à felle prorſus amaricatum; Genæ ab alapis tumidæ prorſus ac lividæ; Manus & pedes à clavis perfoſſæ; Dorſum à flagellis ruptum & Lacerum: pectus Lancea transverberatum: In ſumma, *virum* vidit *dolorum & ſcientem infirmitatem.* Vniuerſas perveſtigate ſcripturas, nec tamen vſpiam reperietis, quempiam hominum virum appellatum eſſe dolorum, excepto Chriſto. In ſacris quidem Literis viros diuitiarum invenimus apud Davidem: *Viri divitiarum.* Viri prælij apud Ieremiam: *Viri prælii conticeſcent in die illa*; viri miſericordiæ apud ſapientem: *Hi ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt:* viri deſideriorum, apud Danielem: Quia *vir deſideriorum es tu:* Viri rixarum & diſcordiarum, apud Ieremiam: *Quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra?* Solus Chriſtus ob dolorum ſuorum multitudinem, vir dolorum eſt appellatus: *virum dolorum.* Atque ideo *velut mare contritio tua*, cum enim certum ſit id, quod Petrus Chryſologus inquit, ſcilicet: *Verus amor eſt feciſſe ſuas anguſtiati anguſtias*, vtique omnes patientis filii anguſtiæ, dolentis quoque matris anguſtiæ pariter fuere.

25. Præterea, *Velut mare*, quia illum in omni iniuriarum genere contumeliatum eſſe conſpexit. In ſpecie ſupplicii quod maledictum erat: *Maledictus Homo qui pendet in Ligno.* In Societate, quæ Latronum erat: In Loco, qui maleficorum erat ordinarius; In tempore quod erat Paſchatis cum infiniti populi concurſu coniunctum; in cauſa, quę ipſum veluti ambitioſum condemnabat. Fuſtigatus velut mancipium, Ligatus inſtar hominis vilis & abiecti, vti faſtuoſus Thraſo ſubſannatus, deriſus veluti ſtultus, ac denique veluti infamis derelictus: *Magna eſt velut mare contritio tua.*

26. *Velut mare:* Quia omni deſtitutus fuit ſubleuamine: in Cruce quadam nudus nec habens quo ſe cooperiat, ab immani ſiti afflictus, nec habens qui vel Aquæ ſtillam porrigeret, diffamatus à circumſtantibus, è quibus ne vel vnum in ſui ſortiebatur defenſionem: totus doloribus plenus, nec habens à quo conſoletur: *Magna eſt velut mare contritio tua.*

27. *Velut mare*: Quia fuit ab omnibus derelictus. Vnde dicebat: *Amici mei & proximi mei de longe ſteterunt*, poteratque merito illud Iobi cap. 6. dicere: *Fratres mei prætererunt me ſicut torrens, qui raptim tranſit in convallibus.* Vere amici Chriſti in hac occaſione torrentis inſtar viſi fuere, qui brumali tempore quando nulla eſt Aquarum neceſſitas, præ nimia Aquarum inundatione intumeſcit, in æſtate vero cum Aquæ vtiles & gratæ eſſent areſcit, exſiccatur, & deficit. Quam amplus erat ille turbarum torrens eo præcipue tempore quādo eum rapere volebant, vt Regem facerent? aut ille diei Palmarum,

Iob 6. v. 15.

Caſper Sanchez in Iob.

rum, quando omnes ipsum velut Deum honorabant, exclamabantque, *Hosanna filio David?* Qualis ille torrens erat, qui in vrbe cernebatur Hierichuntina, quando Zachæus ob ingentem turbæ frequentiam, eidem prout desiderabat, appropinquare non valens in arborem conscendit, vt videret illum? An non ingens quidam ac rapidissimus torrens fuit, quando Dominus à turbis oppressus hærebat, vnde eidem discipuli dixerunt: *Turbæ te comprimunt?* aut quando ad mittendum coram illo Paralyticum, opus fuit illum de tecto deorsum demittere? aut quando ad basin seu pedem montis docebat, vbi Evangelista Luca teste, concurrit *turba plurima quæ venerat ab omni Iudæa & maritima, & Tyri & Sidonis?* An non torrens erat Petrus cum diceret Domino: *Tecum paratus sum & in Carcerem & in mortem ire?* aut Thomas, quando is suos exhortabatur condiscipulos, vt vna cum Magistro in mortem subeundam sese resoluerent: *Eamus & nos & moriamur cum illo?* aut totum Apostolicum Collegium, quando Domino dicebat: *Domine ad quem ibimus verba vitæ æternæ habens.* At vero iam adestote quotquot estis, & invenietis torrentem istum in tempore necessitatis omnino deficientem. Vnus discipulorum eius tradit ipsum, alter eum negat, omnes fugiunt, ad mortem ipsum turbæ exposcunt, cives homini cuidam infami ac seditioso illum postponunt: *Fratres mei præterierunt me sicut torrens.* Verum enimvero quod supra omnem modum Cor Sanctissimæ virginis afflixit, fuit, quia in die illa vidit ipsum quoque Patrem æternum erga filium suum velut torrentem sese exhibere, vtpote qui ipsum in maxima constitutum necessitate deserit ac derelinquit. Ecce tibi illum turgentem ac aquis plenum, quando ipsum in montis Thaboris vertice gloria vestit & honore, Cœlum quoque eidem aperit, atque in eius commendationem dicit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*: quando in totius præsentia populi vocem quandam tonitrui instar auribus singulorum insonare fecit, dicentem: *Et clarificaui, & iterum clarificabo*, quando illum tot tamque stupendis glorificavit miraculis, *& quando virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Verum ecce tibi quoque eundem torrentis instar deficientem, idque tali quidem modo, vt veneranda mater illa ex ore dilecti filii sui verba audierit, quæ medullam cordis sui transfixerunt, videlicet: *Deus meus, DEVS meus, quare me dereliquisti? Magna est velut mare contritio tua.*

28. Postremo denique quis illum MARIÆ dolorem pro merito sui explicabit, quem in corde suo tunc persensit, cum defunctum filium suum è Crucis trunco depositum, intra brachiorum suorum strinxit, atque detinuit complexus?

plexus? Tunc profecto doloris gladius innocentem eius animā transverberavit: Tunc acutos illos haud dubie persensit dolores, à quib.in partus sui tempore fuerat exempta: Tunc certe, si vnquam dicere potuit: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* O charum summeque amatum bonum meum, vt quid ego in hac te tam lachrymabili conspicio forma, quæ ipsas quoque durissimas emollire Petras potuit? Nunc mihi es O dilecte mi, amaræ cuiusdam myrrhæ fasciculus. Nunc ego obstupefacta ac præ stupore attonita hæreo, dum inter brachia mea complector Cœlum sine motu, sine Luce solem, gratiam sine pulchritudine, sine vita vitam, sine gloria Divinitatem. Eheu quam te infernales illi ministri tractarunt indigne? Quam longe aliter ac differenter te præ illis tractavit humillima ancilla tua, dum raro illo favore de cœlo dignata est, vt te in domum suam recipere, suaque paupercula servitia in tam honorati depositi cura adhibere posset? Ego purissimam carnem tuam manu mea contextis pannis vestiebā, ipsi te vestibus tuis spoliarunt, nudumque in totius populi conspectu exposuerunt. Ego te sinui meo firmiter astrictum tenebam, tibique oscula reverentia quidem, sed tamen affectuosa atque materna imprimebam: ipsi vero sacratissima membra tua cæcidere virgis: Ego te vberum meorum lacte potavi, ipsi autem felle te potarunt & aceto. In cunas ego te collocabam, candidis obuolutum panniculis: ipsi super durissimum Crucis truncum clavis te afflixerunt. Ego te veluti verum DEI filium flexis adorabam poplitibus: ipsi post infinitorum iniuriarum effusa plaustra, impie te blasphemarunt. O quantum ego te mutatum conspicio, à tempore illo, quod mihi fortunatum adeo faustumque erat. Tunc inter brachia mea eras veluti quidam Liliorum Rosarumque fasciculus, nunc vero fasciculus myrrhæ factus es mihi: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Atque ingens isthæc amaritudo quam MARIA virgo in illo temporis puncto persensit, Sanctum Anselmum dicere coegit, quod *quicquid crudelitatis inflictum est Corporibus Martyrum leve fuit, aut potius nihil in comparatione tuæ Paßionis.* Fuitque dolor iste adeo ingens, vt illum digne vobis repræsentare posse diffidens piæ cordium vestrorum considerationi ruminandum relinquere statuerim.

PARS SECVNDA.

29. QVartus mihi superest virginis tortor; Ratio videlicet. Vbi equidem opus est, ut præsupponamus id quod est certissimum videlicet tali virginem matrem à DEO dotatam fuisse sapientia, cui nunquam in mundo visa fuerit similis; ac consequenter præsupponere debemus, cogno- *Quartum Punctum.*

cognovisse sanctissimam virginem omnia maiora secreta, omniaque magis recondita Cœli sacramenta. Vnde S. Bernardus illam vocat, *scientiarum scientiam Sanctarum*. Rupertus Abbas: *Prophetissam prophetarum, & magistram magistrarum*: & S. Bernardus hanc quoque magnam de illa pronuntiat sententiam, videlicet quod *profundissimam Divinæ sapientiæ vltra quam credi valeat, penetravit abyssum*. In summa, habuit B. Virgo sapientiam omni ea quæ in Prophetis reperitur, excellentiorem, præ ipsis Evangelistis illuminata magis extitit, plura quam ipsimet Angeli penetravit secreta. Hoc ergo iam supposito, dico Beatissimam Virginem sublimissimo suo intellectu tria circa mortem Christi considerasse, è quibus vnum præteritum est, præsens alterum, tertium denique futurum. Primum est, Dignitas, Maiestas, & merita Christi: Secundum enormitas peccati hominum. Tertium vero exiguus quem Passio hæc adeo acerba in multis ob gravem illorum culpam factura erat fructus.

Bern. in Salve Regina. Lib. 5. in Cant. In signum magnum.

30. Considerabat Virgo immensam personæ adeo acerbè cruciatæ dignitatem; rara considerabat beneficia quæ in quantum DEVS, & in quantum Homo, huic mundo contulerat, atque super hæc omnia summum illud Incarnationis Verbi pensabat beneficium, idemque maximi intellectus sui profunditate penetrabat, immensamque adeo gratiam istam, cum immensa hominum comparans ingratitudine, in afflictissimo corde suo, vti equidem credo, hunc in modū ratiocinabatur. Respuerunt Messiam illum, qui desiderium erat collium æternorū, desideratusque cunctis gentibus, de quo tantas Divinæ scripturæ dixerunt & prædixerunt prærogativas. Verum Dei occiderunt filiū, à quo Corporis acceperant vitam, à quo etiam Animæ vitam, atque vitam Gloriæ æternam facillime recipere poterant. Divinitatem negarūt illi, qui tot eandem monstrarat argumētis videlicet sanctitatis vitæ, Doctrinæ cœlestis, operationis miraculorum, Lucis Exempli. Amantissimi illius Benefactoris sparserunt sanguinem, qui illos in nulla vnquā re offenderat, econtra vero illis benefecerat semper. Viuorum mortuorumque iudicarunt iudicem, ad Crucem sententiarunt Maiestatis Dominū, stultum reputarunt magni Consilii angelum, accusarunt agnum sine macula, ligarunt leonē de tribu Iuda. *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens?*

31. Secundo consideravit Virgo atrocitatem peccati Iudæorum; peccati nimirum talis, quod omnibus amictum erat conditionibus, quæ delictū aliquod aggravare possunt. Qui illud commisit, Creatura erat abiectissima: Is contra quem factum est, Deus erat: prætextus sub quo commissum est Religio erat, revera autem invidia & ambitio: Medium quo vsus est committens, est tur-

est turbarum subornatio, quæ simplices erant & idiotæ: tempus quo patratum fuit, erat, prouti dixi Paschatis, quando ad Ierosolymorum vrbem tota concurrebat natio Hebræa. Locus delicti mons fuit Caluariæ, Locus nimirum vbi occidebantur Latrones. Commissum est per vnius discipulorum Domini traditionem, paucularum monetarum pretio, multorum tribunalium interueniente examine, per variorum testium accusationes ac depositiones, per sui cum homicida quodam ac seditioso æquiparationem, in duorum Latronum societate, per infinitorum cruciatus tormentorum, per Crucis vituperosissimam mortem. Huiusmodi ergo tam atrox delictum, tamque enormem filio Dei irrogatam Beata Virgo considerauit iniuriam, indeque in corde suo truculenter adeo afflicta fuit & cruciata.

32. Postremo denique optime ipsa præuidit exiguam æstimationem, quam de magno isthæc beneficio habiturum esset genus humanum, nec non quam modicus inde à mundo colligendus esset fructus: optime norat futurum fore vt Crux Christi Iudæis esset scandalum gentibus autem stultitia. Non ignorabat maledicendum esse Sanctum Christi nomen, proscribendos eius discipulos, suamque Legem repudiandam esse. Videbat in spiritu quantæ contra filium suum exsuscitandæ essent persecutiones, quot decreta promulganda contra eius Evangelium, quot in Sanctam illius Ecclesiam opponendæ essent Calumniæ, quot ad sepeliendam professionem Christianam diuulgandi essent errores. Super hæc omnia tamen Mariæ cor lacerabat, malorum ingratitudo Christianorum quos præsciebat parvi admodū magnum hocce facturos esse benecium, multosque illorum futuros quidē nomine tenus fideles factis aūt ipsis paganos, sub gratia Baptismi, & simul sub macula iniquitatis; habituros thesauros sacramentorum sed rerum sacrarum cōtemptum, erecturos quidem sacrorum templorum fabricas, sed per sacrilegiorum audaciam, possessuros quidem cœlestem Eucharistiæ panem, extrema tamen illam vsurpaturos cum negligentia. Existimo equidem memorem fuisse hac occasione sanctissimam virginem versiculi illius Psalm. 29. *Quæ utilitas in sanguine meo dū descendo in Corruptionem?* Quam mors mea vtilitatem mundo adferet si tot illam gravi culpa sua non vsurpabunt. Ita Locum istum in Commentario super Isaiam explicat S. Hieronymus: *ob incredulorum multitudinem quodā-modo frustra passum se esse dicit.* Omnesque hæ Marianæ mentis considerationes atque reflexiones, haud dubie tenerrimo cordi suo fuerunt afflictioni.

Hier. in Isa. 49.

33. Enimvero priusquam hunc claudamus discursum, opus est, vt dubio cuipiam quod à nonnullis movetur, respondeamus: Qua ratione

ratione permisit Dominus, ut Virgo quæ innocentissima erat, tantum in sua sustineret passione? Respondebo enim primo, Erat quoq; Christus prorsus innocentissimus, & tanta nihilominus, uti notum omnibus, est passus. Mater ergo Christo assimilari debebat, & sicut Tertullianus inquit, majorem Martyrum gloriam in eo cõsistere, quod Christi assimilati sint passionibus: *Hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debet, æquari passionibus Christi*: ita quoque summa Virginis gloria fuit, eam quoque patiendo filio coæquatam fuisse patienti. S. Leo Papa dicere non dubitavit, universalem illam omnium Creaturarum commotionem, quæ in morte Christi passim cernebatur, signum fuisse amoris qua res omnes versus suum ferebantur Creatorem, ad cujus similitudinem mori cupiebant, dum ipsum viderent morientem. *Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, ut in occasu Conditoris vellent universa finiri.* Quanto magis ergo tale Beatissimo filio suo Virgo sacratissima dare debuit amoris testimonium, quo cum Passionibus affligi voluit tunc cum illum videbat patientem. Notavit Germanus Patriarcha Seraphinos, qui apud Isaiam coram Dei astabant Throno, qui, uti jam dictum est, Christi referebat Crucem, ex amore affectasse tot se facere crucifixos, duabus namq; alis velabant faciem, duabus itidem pedes, denique duabus volabant atque hoc modo crucifixum repræsentabant: *Illi qui tuæ gloriæ assistunt, tibi conformantur & nova quadam ratione imitatione tui glorificantur, & in formam Crucis volantes, victoriæ tuæ laudes & præmia decantant.* Quid mirum igitur MARIAM quæ ipsis seraphinis longe ardebat vehementius, una cum crucifixo filio suo crucifixam remanere voluisse? Discite hinc vestros non adeo vehementer sentire labores, quãdo tot nunc laboribus atque doloribus expositos videtis Christum & MARIAM: Non vos Crux vestra affligat, quando crucifixum cernitis Christum & MARIAM. Erat olim una cũ Photione magno Græcorum Capitaneo, ad mortem pariter condemnatus miles quidam gregarius, qui de mala sorte sua gemens ad Cœlum usque clamans maximè conquerebatur: Huic igitur post acerbas repræhensiones hunc in modum objectum est: *An tibi parũ videtur cum Photione mori?* Eodẽ igitur modo tibi ô pusillanime & infirme improperare liceat; qui tãtoperè ad Crucis expavescis præsentiã: An parũ tibi videtur cum Christo mori? Exiguusne tibi favor esse videtur, mori cum MARIA. Seneca dicebat, Poetas introducere Deos suos patientes & morientes, idq; ne nobis tormenta, nec non & mors adeo displicerent, *ut nostrorum funerum levamentum esset & divina coincidere.* Solatium igitur sit nostrum nosse MARIAM Virginem una cum Christo compassam esse in Calvario monte. Solatium quoque nostrum esto, cire, crucifixã quoq; ipsam MARIAM virginẽ fuisse.

lib. de bono martyrii.

ser. 6. de passione.

In consolat. ad Martiã

34. Secundo vult Deus ut intelligamus, qua ratione passiones & afflictiones amicorum ac dilectorum suorum sint propriæ. Sic Archangelus Tobiæ dixit: *Quia acceptus eras Deo necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Macti animis estote ô tribulati, hoc namque signum est, bene vobis velle Deum, ex electorum suorum vos esse numero, destinatosque vos esse ad gloriam. *Hæc est gratia*, dicebat S. Paulus, *non tantum ut in illum credamus, sed etiam ut pro illo patiamur.* Intelligamus igitur veritatem istam, favorem nimirum esse, cum Deus nonnunquam tibi eripit filium, in tuum namque id facit commodum, ut à rebus te hisce præsentibus abstrahat, futurorumque tibi ac æternorum instillet amorem. *Docemur*, inquit Augustinus, *amare meliora per amaritudinem inferiorum. Ne viator tendens ad Patriam stabulum amet pro domo sua.* Multos igitur magnus hisce conceptus consolari debet, cogitantes nimirum Tribulationes amicorum Dei esse proprias, quantoq; MARIA gratior fuit, tanto illam plus pati debuisse. *Hæc est gratia, ut pro illo patiamini.*

Tob. 12. 13.

Phil. 1. 29.

35. Postremo denique Crucem adeo grandem MARIÆ imposuit, ut omnibus fieret perspicuum, quanta cum resignatione, quantaque cum fortitudine eandem portarit. Atque hæc est ratio ob quam Deus Benedictam matrem suam, quantumvis sanctam, quantumvis innocentem, quantumvis ipsis quoque Angelis puriorem, laboriosissimæ nihilominus vitæ nostræ suppositam esse voluit passionibus atque doloribus, ut ab illa videlicet nostras cum tantarum virtutum exemplo portare disceremus ærumnas: *Eo quod fragilitatis nostræ jugum cum tanta puritate portavit*, inquit Richardus Victorinus, portavit Crucem suam, atque fragilitatis hujus pondus tanta cum puritate sustinuit; id est sine querela, sine impatientia, sine dolore, imo summa cum conformitate ad divinam voluntatem. Supra Calvariæ montem contemplemini MARIAM, ibique eam non minorem videbitis, quàm Dei matrem decebat, inquit S. Ambrosius: *sed MARIA nec minor quam matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante Crucem stabat, & piis spectabat oculis filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Dei mater, inquit Ambrosius, eo cum decore ac decentia quæ Dei matre digna erat, stabat; & tametsi Filij consideraret passiones, magis tamen bonum & utilitatem quàm mundus inde accepturus esset, considerabat. Disce hinc ô Christiane, cum à Deo flagellaris, non solum considerare flagellum quo te affligit, verumetiam utilitatem considerare tibi inde provenientem. Non solam respicere tribulationem quam in præsentiarum tibi immittit, sed oculum tuum quoque ad hæreditatem dirigere, quæ tibi in futurum promittitur, prouti Augustinus dicebat; *Noli attendere quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento.*

Epist. 82.

36. Ad

37. Ad te interea ô magna patientum ac tribulatorum primiceria recurrimus, quæ Passionum nostrarum jugũ tanta cum puritate portasti: A dolorosissimo filio tuo impetra nobis, ut dolorum nostrorum pondus simili portemus cum puritate. Ut Crucem non fugiamus, à Deo nobis forte immissam, sed amplexemur, ut illam pio ac venerabundo respiciamus oculo, in divinam plenissimè resignati voluntatem, sine oris querela, & sine cordis amaritudine. Vt denique Crucis non respiciamus pondus, sed quod Crux parturit præmium, quod pauculis nos quidem momentis aggravat, per omnem verò æternitatem beatos nos reddit.



CONCIO XXXVII.

In Diem Veneris sanctum, sive Feriam VI. Parasceves.

THEMA.

Paßio Domini nostri JESV Christi.

ARGVMENTVM.

Redemptor noster in Passione conformiter dicto Apostoli: *Exinanivit semetipsum*, quinque rebus exinaniebatur, scilicet Lætitia Cordis, Claritate honoris, salute Corporis, pulchritudine Vultus, ac denique Thesauro Vitæ.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Majores Deus misericordias populo Christiano quam olim Hebræo populo exhibuit num.1.

Lachrymæ Verborum vicem in iis explicandis suppleant n. 2.

Cumque universa Natura insolito horrore perfusa à se nos hodie repellat lachrymis operam daturi sub Crucem nos recipiamus, ibid.

Elogium Crucis perstringitur, n.3.

PARS I.

Christus in Passione sua semetipsum ab omnibus Divinis attributis exinanivit ut veluti otiari viderentur. Perstringitur locus S. Ambrosij, n.4.

Præcipuè vero quinque rebus se exinanivit, quarum in Argumento Concionis fit mentio. n.4.

PUNCTUM I.

Primo *Exinanitus est lætitia & gaudio cordis sui, quia immensos passus est dolores & angustias, tametsi reapse beatus extiterit & comprehensor.* n.5.

Miraculum novum & inauditum est, quod cum illo Beatitudinis gaudio, quod Visio Dei secum infert, tales dolores qui à nulla mortali lingua exprimi possunt, in Christo conjuncti fuerint, n. 5.

Dolor & tristitia sunt pœnæ, quæ peccato semper sunt conjunctæ. n. 6.

Quomodo igitur tristatur & dolet Christus qui peccatum non fecit? ibid.

Nostri sunt dolores & tristitiæ quas Christus patitur. ibid.

Non una est dolorum & tristitiæ Christi causa, sed multæ quæ recensentur numero 7.

Quomodo appropinquante Passione tristari potuit Christus, qui ad Passionem tantopere anhelabat? Variè varij Patres ad id respondent. num. 8.

Christus facie sua in terram in horto Gethsemanni procidens, suam terræ exprobrare voluit pro tot collatis beneficiis ingratitudinem. nu. 9.

Cur Christus sanguinem in agonia sua sudarit, variæ ex variis Scriptoribus adducuntur rationes. n. 10.

Præcipua verò sanguinei sudoris ratio est vivacißima acerbißimorum tolerandorum dolorum apprehensio. Vnde elicitur Argumentum à minori ad majus scil. si Passio in corde per apprehensionem depicta, sudare facit sanguinem, quid in Corpore tolerata faciet Passio? n. 11.

Quibus verbis Angelus Christo agonizanti apparens, illum solatus fuerit, ac confortaverit, ex S. Epiphanio exponitur. num. 12.

PUNCTUM II.

Secundo Exinanitus est Christus claritate Famæ & honoris sui. n. 13.

Premuntur ad hoc propositum verba illa Psal. 88. Tu verò repulisti & despexisti Christum tuum. num. 14.

Dilucidantur verba illa in Apocalypsi cap. 7. v. 12. Benedictio & claritas & sapientia, &c. *quibus sex laudum genera exprimuntur, quibus Deus in cœlo à beatis exaltatur.* num. 15.

Omnibus autem hisce Laudum generibus Christus in Passione sua exinanitus est. num. 15.

Contumelias suas Christus nostros fecit esse honores, Humilitatem suam nostram gloriam, & tamen O stupor! O dedecus

dedecus nos illum turpiter contemnimus & spernimus. num. 16.

PARS II. Concionis.

Dei filium incarnatum doloribus & plagis subjectum esse posse, adeo mirum visum est Isaiæ, ut existimarit, id mundum Apostolis prædicantibus contumaciter non crediturum. num. 18.

PUNCTUM III.

Tertio exinanivit se Christus salute & integritate Corporis sui. n. 18. in fin. & n. 19.

Flagellatio Christi truculentum adeo spectaculum extitit, ut vel ipsammet lapideam emollire columnam potuisset, cui sanctissimus Redemptor noster alligatus fuerat, ne dicam homines. n. 19.

Humanitas Christi merito vocatur Tabernaculum nominis Dei, *de quo Psal.* 33. Polluerunt tabernaculum nominis tui. *& cur?* n. 19.

In hoc tabernaculo adimpletur illud Iob. 19. Latrones ejus in gyro obsederunt Tabernaculum meum. n. 20.

Invectivæ in milites Christum flagellantes variæ. ibid.

Christus in flagellatione sua tot ora habuit Iudæos flagellantes inclamantia, quot accepit vulnera. Premitur locus Petri Chrysologi. ibid.

Apostrophe qua in auxilium advocantur B. Virgo, B. Maria Magdalena, piæ turbæ vestimenta sua in die Palmarum Asino substernentes: Item seraphini alis suis Deum obvelantes, vestimentum Christi in Thaboris monte niveum. Denique Pater æternus, &c. n. 21.

Christus in flagellatione sua percussores habuit notos & ignotos amicos & persecutores, Domesticos & extraneos, ib.

Flagra olim erant supplicium furum sive latronum, fugitivorum, ac denique otiosorum & inertium, à quibus criminibus Christus immunis, & consequenter innocenter flagellatus fuisse ostenditur. num. 22.

Nos sumus fures, fugitivi, ac inertes pro quibus Christus utpote pro nobis factus fidejussor flagellari debuit. ibid.

Prodigiosum equidem fuit quod Verbum æternum in utero Virgineæ matris suæ novem mensibus ligare potuerit; longe tamen majus prodigium extitit, quod amor IESVM Columnæ, infami nimirum servorum supplicio flagellandum alligarit. Premitur Zenonis Episc. Veronens. & Laur. Iustin. authoritas. n. 23.

Variæ inter sinum B. Virginis & Columnam ad quam flagellatus est IESVS anthiteses. ibid.

PUNCTUM IV.

Quarto Exinanivit se IESVS incredibili faciei suæ pulchritudine. n. 24.

Pulchritudo faciei Christi Domini ex omnibus ejus partibus pulchrè depingitur. ibid.

Atque inde quantum pulchritudo illa per Coronam spineam Capiti ejus impressam exinanita fuerit ostenditur. ibid.

Christus in coronatione sua nos erudit ad patientiam, ad æquanimitatem, ad contemptum mundi, ad Humilitatē. ib.

Mira quidem fuit humilitas Christi permittentis, ut Baptista Ioannes manus suas Capiti ejus superimponeret ac baptizaret: Longe tamen majorem exhibuit quando in coronatione sua venerandum Caput suum sceleratissimis subjecit carnificibus coronandum. n. 25.

Spinæ in maledicta terra nostra plātatæ

dolorosæ sunt, transplantatæ autem in Christi verticem pretiosæ factæ sunt, adeo ut nunc multi Diadema aureum spineæ Coronæ cum S. Catharina Senensi posthabeant. Cyrillus Hierosol expensus.

Peccatores sunt spinæ pungentes, quos Christus velut triumphalem gloriam & Coronam suam suo inserit vertici. Expensus Ambrosius.

Opera peccatoris spinæ sunt ipsum lædentes, quas Christus è manu peccatoris sublatas, ne ipsum lædant, capiti suo imponit. Athanasius adductus. n. 27.

Iudæi inter tot Christo illatos contemptus coacti sunt vel inviti Christum verum totius universi Regem confiteri. Favet idem Athanasius num. 28.

Non indiget Christus coronari auro & gemmis, quia Corona ejus sunt opera sua sublimia adeo atque excelsa, quæ ipsum inter spinas gloriosiorem efficiunt, quàm esse possint Reges terræ auro ac gemmis ornati. ibid.

Verba illa Pilati: Ecce homo *pathetice exponuntur.* num. 29. & 30.

Iudæi vociferantes: Tolle, tolle: crucifige eum *complent illud Iobi oraculum.* Terra de qua oriebatur Panis, in loco suo igne succensa est. Gregorius Papa advocatus, n. 29.

Pulchrum Authoris ad Deum pro peccatoribus votum, num. 31.

PARS III. Concionis & PUNCTUM V. & ultimum.

Quinto, exinanivit se Christus pretioso vitæ suæ thesauro. num. 32.

Amor divinus in illata Christo nece ingeniosus fuit, & potens. num. 32.

Invectiva valde urgens in cœcum & timidum Pilatum Iudicem Christum iniquissime condemnantem absoluto Barabba homine sceleratissimo. num. 33.

Multi etiamnum reperiuntur Pilato simillimi. ibid.

Ingens fuit Pilati scelus tradentis IESVM voluntati Iudæorum. n. 34.

O quoties æternus in nobis moritur Deus, ut terreni & Animales in nobis non vivant peccatorum affectus. ibid.

Valde fortunatum fuit Crucis lignum, cui felix illa sors obtigit, ut tot fieret mirabilium instrumentum. Ubi plura alia adduntur S. Crucis encomia, num. 35.

Apostrophe ad mulieres Christum deflentes, ne fleant. num. 36.

Monentur mundi hujus peccatores ut Christum Crucem suam ad Calvariæ montem efferentem sequantur, nec deterreantur à Crucis illius acerbitate. num. 37.

Exponitur Christi Crucifixio, & crucifixus adoratur, num. 38.

Montis Golgothæi encomia & laudes pulchrè depinguntur. num. 39.

Mons Golgothæus pompa & Majestate sua cum ipso concertat Cœlo Empyreo. num. 39.

Votum Authoris, quo optat ut desolatus Christianismus à montis Calvariæ possessione pulsus, eundem sacratissimum Collem recuperet. num. 39.

Commonentur Principes ad recuperationem terræ sanctæ studia sua convertere. n. 39.

Christus in Cruce testamentum suum condit. num. 40.

Prima pars Testamenti continetur hisce verbis: Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt; *quæ tangunt*

gunt peccatores , quibus supplicat dari veniam. num. 41.

Secunda pars Testamenti contingit Latronem justum , cui promittitur Paradisus. Hodie mecum eris in Paradiso. Vbi egregia adducuntur sancti Latronis elogia. num. 42.

Tertia pars Testamenti concernit Matrem & Ioannem dilectum discipulum suum, Ioanni enim dat MARIAM in matrem , & Matri dat Ioannem in filium. num. 43.

Quarta parte Testamenti à Matre transit ad Patrem; eidemque extremos Cruciatus suos, amorosa querimonia lamentatur dicens Deus meus , Deus meus, &c. num. 44.

Hisce verbis Deus meus , &c. *Christus tria docet.* ibid.

Quinto loco Ecclesiæ suæ pretiosum quoddam & inæstimabile Cymelium legat Estque amor ille & desiderium salutis humanæ, quo se torqueri lamentabatur dicens sitio. num. 45.

Sexto loco Christus ingratæ Synagogæ post se relinquit pro umbris veritatem, pro figuris figuratum, dicens: Consummatum est. num. 46.

Septimo & ultimo spiritum suum relinquit in deposito æterni Patris sui. numer. 47.

Author semetipsum ad describendam tandem Christi mortem excitat. n. 48.

Mortis Christi egregia adducuntur & exponuntur Epitheta & encomia. num. eodem.

Adorat author Christum iam mortuum, cujus eximiam commendat in nos charitatem, atq; ad Pœnitentiam ac firmam in Deum fiduciam concipiendam hortatur peccatores. n. 49.

1 HOdie dum gloriæ Dominum, pro generis humani redemptione in infami patibulo, in medio duorum latronum suspensum contemplor , dulci quadam violentia trahi videor ad ingeminandum illa Prophetæ regij verba: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Si enim Psal. 88. 1.
pius ille Princeps quondam id dixit, loquens de gratijs temporalibus collatis à Deo nationi illi Hebræor. semper honoratę, & semper ingratę; semper quęsitæ, semper a.fugibūdæ; semper amatæ , & odienti semper: quid Populo Christiano inter amaras illas sed amorosas Passionum Redemptoris sui memorias hærenti dicere conveniet ? siquidem misericordiæ illi exhibitæ adeo sunt magnæ, ut majores esse nequeant, adeo novæ, ut exemplo careant, universales adeo, ut ad omnes omnino pertineant, adeo utiles & proficuę, ut omnes secum bonum ferant, adeo pretiosæ, ut tantundem valeant, quanti ipsemet Deus æstimatur. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Vere etenim stupendæ illæ & prodigiosæ misericordiæ dignæ sunt, quæ semper deprædicentur, utpote quæ nobis piæ , authori verò suo crudeles, mortem inferre potuerunt Deo vitæ, ut vivere posset, qui ob scelera sua æternum mori debebat : Quæ insuper causa fuerunt, ob quam amoris Deus eo usque amando progressus fuerit, donec ad eum pertingeret amorem, quo amicum amaret omni amore carentem, atque pro illius tam duræ adeoque sumptuosæ amici-

amicitiæ conservatione opprobria pateretur, spargeret sanguinem atque in Cruce mortem obiret

Tantum infœlicem nimium dilexit amicum.

2. Vbinam ergo & quæ verba hodie inveniam, quæ tantam Dei benignitatem & benevolentiam exaltare sufficiant? aut quænam ab oculis meis derivabuntur lachrymæ, quæ infamem & vituperabilem oblivionem nostram deplorare prævaleant? Quid de te dicam ô Domine, quod immensæ tuæ inferius non sit pietati, aut quid de nobis dicturus sum, quod enormitati Culpæ nostræ non sit improportionatum? unde adeo funesti & lachrymabilis subjecti seriem exordiar? aut ubi narrativæ hujus adeo interminati amoris terminum ac finem reperiam? O infœlix materia! O difficile quod à me hodie expectatur opus! Heu me malum male consultum oratorem! Omnia mihi, ut loquar, persuadent, omnia similiter hortantur, ut taceam, ad loquendum cogit me amor qui tacere nescit; ad tacendum vero me stupor coercet qui loqui non novit; Divinæ magnitudinem misericordiæ silere non possum absque nota ingratitudinis, neque adeo profundi sacramenti sublimitatem eloqui valeo absque macula temeritatis. Vos ergo O mea suspiria linguæ officium hodie præstate, vos ô lachrymæ meæ officium supplete sermonis. Hodie vos ô mei oculi plangere discite, si ad modum planctus universalis plangere nescitis: *Solvamus bono Principi* (dicam cum S. Ambrosio) *stipendiarias lachrymas, quia ille nobis solvit etiam suæ mortis stipendium.* Deo qui ob merum nostri amorem moritur, in talem qualem compensationem magni illius excessus, modicum hoc devotionis reddamus tributum. Atque si universa Natura creata horrore insolito, atque extraordinaria armata formidine à se nos repellat, ad eam hoc sacratissimo die recurramus, quæ derelictum ab omnib. & desolatum Christum amicissime recipit, ad Crucem sanctam inquam. Si hodie Cœlum obscuratur, Crux Lux nostra erit: Si tremit terra, in Cruce stabiliemur; Si Angeli pacis plangunt, Crux consolatio nostra erit: Si ferociunt & in rabiem aguntur homines, Crux erit defensio nostra: Si fremit infernus, nostrum à Cruce expectemus auxilium: Si denique MARIA virgo dolore nimis oppressa, potius succursu nostro eget, quam ut prompta nobis succurrat, Crux dux nobis erit fidelis. *Orat. de obitu Valet.*

3. Salve sis igitur venerabile lignum, quo mediante Cœlum terræ inclinatur, terra autem elevatur in Cœlum. Homo Deo gloriam reddit, Deus autem homini restituit gratiam, per quod facta est ingens illa Iustitia, quæ Iustitiam divinam contra peccatores rationabiliter obarmatam, exarmare potest: *Benedictum est ergo lignum per quod fit Iustitia.* O vere benedictum lignum, quod gloria es Paradisi, terræ pax & terror inferni. Lignum hactenus in mundo *Sap. 14.7.*

mundo maledictum, nunc vero omnium mundi maledictionum terminus, olim instrumentum mortis per vitam, nunc vero machinamentum vitę per mortem, feretrum quidem in quo Deus moritur, simul tamen etiam cunæ, in quibus Homo renascitur. O Crux amata quæ in beato sinu tuo & fortunatis brachijs universi Creatorē, non minori cum Majestate & amplitudine portasti, quam sit in gremio æterni Patris sui, nisi quod ut tibi inexistit inter suas magnificentias cęteras, maxime nobis pius & clemens exhibetur.

Quantū tibi debeo ô felix planta, quæ mihi Deum meum plagis plenum, & plenum misericordia, inter opprobria absconditum, in beneficiis autem manifestum, Regem doloris & Regem amoris, superatum à morte, vitę autem donatorem monstrasti?

Quantum tibi debeo O beatissime trunce, qui terminus Calamitatis humanæ, gratiæ vero divinæ principium extitisti, qui fuisti pax terræ, & inferni excidium, gloria Ecclesiæ, & desideriorum nostrorū complementum. Te O gloriosum Christianismi vexillum, omni cum Reverentia in terram prostrati adoramus, dicimusque cum Anima illa sancta & ter maxima? *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi.*

PARS PRIMA.

4. Si unquam, certe hodie illud Doctoris gentium Pauli oraculum adimpletur, quod tradit in ea quam ad Philippenses scripsit Epistola c. 2. scil. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens:* Hodie evacuat seu exinanivit Dominus seipsum à semetipso, ea namque ratione personæ suæ attributa abscondit, ut cum ea essentialiter summum bonum existat, nihilominus omni bono spoliata videri potuerit, & cum omni fœlicitate & gaudio cumulata sit, tamen quasi ad extremam infœlicitatem & miseriam redacta apparuerit. *Exinanivit semetipsum* (explicat S. Ambrosius) *hoc est, potestatem suam ab opere retraxit, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur:* Otiosa visa fuit sapientia, siquidem permisit amentem se æstimari & stultum: Otiosa illius potentia, utpote quam furiæ, rabiei & crudelitati Carnificum plane permisit: Otiosa libertas, cum stringi se viderit catenis & vinculis, nec tamen se moverit. Innocentia otiosa, videns enim se falsis superatum testimonijs, ne quidem os suum aperuit. Otiosa gloria, quam infinitis opprobrijs & injurijs proscindi & obrui permisit. Otiosa Justitia, quæ inter tot injurias nullam sui vindictam tentavit. In summa: *potestatem suam ab opere retraxit, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur.*

Phil. 2. 7.

Verum ut discursus præsens ad pauca capita redigatur vestigia Historiæ Evangelicæ insequendo, dicam Christum hodierna die quinq; rebus particulariter exinanitum seu

evacuatum fuisse, videlicet Cordis sui Lætitia, Ecce primum. Honoris claritate seu reputatione. Ecce secundum. Salute Corporis. Ecce tertium. Aspectus pulchritudine. Ecce quartum; denique vitæ suæ thesauro. Ecce quintum.

5. PRIMO, Exinanitus est hodie Dominus lætitia & gaudio cordis sui, hoc enim die tantos passus est dolores & angustias adeo acerbas, ut per os Prophetæ regij dixerit:
Psal. 17. 5. *Circumdederunt me dolores mortis &*
Psal. 117. 3. *pericula inferni invenerunt me.* q.d. doloribus & agonia omnino cinctus & circumdatus sum, adeo ut inter tot afflicti cordis mei angustias, nullius prorsus alleviationis habeam consolationem. Imo Pater meus æternus, qui est *Deus totius consolationis*, mihi hodie factus est, *Deus totius Pœnalitatis. Circumdederunt me dolores mortis.* In cujus personæ figura patientissimus Iob loquebatur dicens.
Iob. 19. 6. *Saltem nunc intelligite, quod Deus flagellis suis me cinxerit.* Tangimur à Dei flagellis dicit Gregor. quando aliquam inter illa habemus consolationem, cingimur autem quando
Lib. 14. Moral. consolatione flagella carent: *Aliud quippe est flagellis percuti, aliud cingi. Flagellis namque percutimur, cum consolationem & in doloribus ex rebus aliis habemus: nam cum tanta nos afflictio deprimit, ut ex nullius rei consolatione respirare animus possit, non jam flagellis solummodo ferimur, sed etiam cingimur.* Dicit ergo Christus Redemptor noster: *Scitote quod Deus flagellis suis me cinxerit*, tanta namque amaritudine plenus fuit, ut omnis prorsus solatij expers videri potuerit. *Circumdederunt me dolores mortis.*

Ingrediamur obsecro hortum Gethsemani, ibi enim ex parte patebit, quantum Dominus omni illa lætitia exinanitus fuerit, quæ tunc ipsi naturalis erat & debita. Evidens hujus immensi doloris indiciū fuit apud S. Matthæum, tristitia illa & mœror ac melancholia. *Cœpit tristari* *Mat. 26. 37*
& mœstus esse. Apud S. Marcum, pa- *Mar. 14. 33*
vor & tædium: *Cœpit pavere & tædere.* Apud S. Lucam, Angor & Agonia. *Luc. 22. 43*
Et factus in agonia prolixius orabat. O miraculum novum, nec unquam visum hactenus. Christus, etiam, quātum Homo, beatus erat, & comprehensor, & ut talis, Divinitatem semper est intuitus, & per consequens ineffabili semper lætitia plenus fuit. Quis autem nunc modum inveniet res tam procul ab invicem dissitas & disparatas simul copulandi, & cum illa Beatitudine, quam secum Visio Dei infert tantos dolores, quales à nulla mortali lingua exprimi possūt conjungendi? Quis stupendorum illorum prodigiorum inventor extitit, qui unum idemmet Cor violētare, ut ita dicam potuit, ut uno eodemq; tempore, in uno eodemq; sinu locum daret, & Cœlorum gaudiis & angustiis inferni, Angelorum delitijs & peccatorum angoribus, luci innocentiæ & tenebris culpæ, Bonæ serenitati Conscientiæ, & pectoris criminum conscij turbinibus, Paci filiorum Dei, & inimicor. Dei agoniæ? Si hic Dominus noster beatus est,

est, quomodo etiamusq; ad mortem afflictus est: *Tristis est Anima mea usq; ad mortem.* Si Deum videt quomodo Deo indiget, eundemq; in præsentium periculorum succursum advocat? *Pater si fieri potest, transeat à me Calix iste.* Si gloria & immortalitate est amictus, quomodo totus proprij sanguinis purpura coopertus conspicitur? *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Si ipse gaudium & solatium est Angelorum quomodo ab Angelo quodam consolationem accipit? *Apparuit ei Angelus de Cœlo confortans eum.* S. Augu- In Ps. 101. stinus ad id respondebit, sc. *quod ideo omnia mala pati voluit ut consolaretur patienter.* Passus est hosce dolores, ut inde consolationem acciperent afflicti. Gaudio suo exinanitur Dominus, ut servos suos illo adimpleat. *Potestatem suam ab opere retraxit, ut humiliatus otiosa virtute, infirmari videretur.*

6. Dolor & tristitia pœnæ sunt semper conjunctæ peccato. En Oraculum divinum apud Moysen, *Dabit tibi Dominus cor pavidum, & Animam consumptam mœrore.* (Deut. 28. v. 65.) Esto fœlix quantum ardentissima desideria somniare tibi possunt, attamen cum peccato inevitabilem illam probabis infœlicitatem & miseriam. *Cor nequam gravabitur in doloribus,* dicit Spiritus Sanctus Ecclesiastici, (Eccl. 3, 29.) lautæ & copiosissimæ accumbes mensæ, sed una cum exquisitissimis ferculis, amarissimas quoque buccellas interioris amaritudinis, ibid. ex peccatis depræhendes. Ex auro & gemmis dulcissimos delibabis liquores, sed aderit permixtum semper mortiferum remorsuum venenum. Musicam audies concinnam & suavissimam, sed inter illius modulos, gemitus pariter audies & afflictæ Conscientiæ suspiria. Habitabis in Palatijs regia magnificentia exornatis, inibi tamen in societate tua tecum hæc doloris infernalis furia habitabit, quæ neque unius tibi momenti quietem indulgebit. Dormies in lecto mollissimo, & tamen culparum tuarum spinæ acutissimis te puncturis continuo transfigentes, somnum tibi frequenter interrumpent. Tu sive per potentiam, sive per amicitiam aut donativa te quidem à Legum rigoribus & severitate eximes, nunquam tamen possibile tibi erit, ut te à secreto illo Synderesis tribunali subtrahas. Ibi semper, & occultas, quæ te accusent, leges, ibi abscondita testimonia, quæ te accusent, qui te sententiando judicent incorruptos judices, ibi qui te torqueant severissimos Carnifices reperies. Hæc omnia S. Paulus uno verbo edixit. *Tribulatio & angustia in omnem Animam hominis operantis malum.* (Rom. 2, 9.) Estque idipsum rationabile, ac peccatori jure debitum, cujus cor fœdissima quædam est omnium iniquitatum sentina.

At vero quomodo hodie innocentissimi Salvatoris nostri Anima, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus,* in quo omnis sanctitas in eminentissimo gradu erat, quomodo inquam à doloris vulnere

adeo malè tractatur? ut cogatur dicere? *Tristis est Anima mea usq; ad mortem.* Quomodo à nube tristitiæ tantæ innocentiæ serenitas obnubilatur? Qua ratione tantæ puritatis candidissima lux inter doloris tenebras Eclypsin patitur? Qui fieri potest, ut illud virtutum perfectionumque mare vere pacificum, à melancholiæ turbulentis procellis agitetur? Quomodo is qui à peccato tā procul semper abfuit, pœnas peccatorum sustinet? *Vt humiliatus otiosa virtute infirmari videretur?* Ratio est dilectissimi, quam Isaias Propheta clare insinuat, dicens, *vere dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portavit*, q.d. Nostri sunt dolores isti, nostra est illa tristitia; apprehendit optimus Dominus noster hominem, & cum humana Natura affectus quoque assumpsit homini proprios & ut Cyrillus Alexandr. in Ioannem notat: *Caro factus, permisit Carni, ut sua pateretur.* Vnde haud immeritò S. Ambrosius, in magnis illis doloribus pietatem & amorem Christi admiratur, seque infinito debito fatetur obstrictum eidem Domino, qui se usque ad infimos Naturæ nostræ affectus humiliare dignatus, ut cum ex causa propria non habeat unde dolere possit, nostrum causa dolores ferat. Sic ait in Lucam: *Ego nusquam magis pietatem ejus Majestatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret: & sequestrata delectatione Divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur, suscepit enim tristitiam meam, ut mihi lætitiam suam largiretur.*

Cyrill. lib. 4. in Ioan.

Lib. 10. in Lucam.

7. Neque una tristitię illius quæ cor Redemptoris invasit, causa fuit, sed plures simul, quæ instar armati Cunei feroci insultu sacratissimum illud omni gaudio & lætitia dignum pectus aggressæ sunt. Vnde ubi nos in vulgata versione legimus. *Tristis est anima mea*, græca phrasis legit: *Circumtristis est anima mea*, id est, integer quidam dolorum exercitus me obsidet, mare quoddā afflictionum me suffocat, me opprimit Tristitiæ abyssus, & proprie, uti Rex sanctus Psal. 87. dicebat: *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* Vbi sanctus Pater Augustinus dicit: verba illa esse eadem cum illis quando Salvator dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem. Quod enim ait, Tristis est anima mea, hoc dictum est, repleta est malis anima mea. Et quod sequitur, usque ad mortem; hoc dictum est: & vita mea inferno appropinquavit.* Anima mea non solum afflicta, sed doloribus plena est, nec à flagellis tantum icta, sed circumdata, neque à tristitia solum infestata, sed stricte circumvallata, & obsessa: *Circumtristis est anima mea*, vere circumtristis: contristabatur enim tum ob multitudinem offensarum, quibus mundus irritaverat Patrem suum æternum, quæ omnes illi vivaciter in imaginatione præsentabantur, pro quibus omnibus antequam sanguinem funderet, voluit prius incruentum

Psal. 87, 4.

August. in Psal. 87.

hoc

hoc litare sacrificium. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: tum ob tormentorum suorum vehementiam, & atrocitatem, quę omnia in illa hora, in corde suo depicta, & delineata habebat, poteratque merito dicere: *& dolor meus in conspectu meo semper*: tum ob gravissimum scelus, quod à populo suo dilecto committendum videbat, dum videlicet homicidæ & seditioso homini ab illo posthabendus erat: tum ob scandalum Apostolorum, quos postquam tot tantaque Magistri sui miracula conspexissent, perdituros fidei lucem prævidebat: tum ob Iudæ traditionem, qui per fictum oris osculum illum in manus inimicorum suorum daturus erat: tum ob Petri infirmitatem, qui ipsum in domo Pontificis tribus vicibus negaturus erat: tum ob erubescendam omnium fugam, qua se adeo viles & ignavos ostendebant: tum ob benedictæ matris suæ afflictionem cui prævidebat seriem funestissimæ illius tragædiæ infinito dolori futuram: denique quia prævidebat fore, ut hæc tam ingens & pretiosa passionis suæ medicina, tam exiguum mundo à natura esset fructum, utpote, quam à multis per malitiam contemnendam cognoscebat, ab aliquibus per ignorantiam non magni æstimandam, ab alijs per ingratitudinem non cognoscendam, à plerisque per temeritatem abusu temerandam, à non paucis irridendam, ab infinitis per impudentiam non usurpandam. *Hos autem humanæ infirmitatis affectus* (concludo cum Sancto Augustino) *Dominus IESVS non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit.* Hoc autem totum mera Redemptoris nostri misericordia fuit, quæ ad mitigandum nobis dolores acerbe affligi voluit, atque timore repleri, ut ab illo disceremus in malis non timere. Sanctus Leo Papa: *In nobis Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret.*

August. in Psal. 87.

S. Leo serm. 3. de pass.

8. *Circumtristis est anima mea usque ad mortem.* Porro tristitia hæc in corde CHRISTI tam fuit acerba & vehemens, ut illum coegerit dimittere abs se discipulos, in partem horti magis solitariam penetrare, seque humillime in terram prosternere, magna etiam cum instantia sui ab imminentibus periculis liberationem postulare, denique per replicatas preces Patris sui auxilium invocare ac dicere: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Agnosco, agnosco in duce belli pusillanimorum trepidationem* (utor verbis Sancti Bernhardi) *agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem.*

Bern. serm. de S. Andr.

In Deo consolationis dolores meos cognosco, conflictus meos

meos video in Domino pacis, fragilitatem meam in fortissimo exercituum Monarcha, considero, qui ijs gaudijs, quæ omni jure illi debebantur exinanitus ad modum homuncionis alicujus orabat, *ut si fieri posset, transiret ab eo hora.* O vera paradisi gloria, quænam ex ore tuo in illa tristi hora efferri audio? Annon ista est hora illa à te tantoperè per totum vitæ cursum desiderata? Annon jam inde ab instanti conceptionis tuæ hanc heroicam oblationem fecisti? *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio.* Nunquid hic est Baptismus ille, qui Cor tuum adeo coarctabat, donec videres horam quâ compleretur? Nunquid hic calix æterni Patris tui, qui te fecit adeo acerbe reprehendere discipulum illum, qui illum à te declinare volebat? An non hanc Passionem exaltationem tuam vocasti, atque de eadem veluti tali in medio gloriæ tuæ in monte Thabor cum Moyse & Elia locutus es? Quâ ergò ratione nunc dicis? *Transeat à me Calix iste.*

Heb.10.5.6. & 7.

Ad hoc totum respondebit Sanctus Augustinus: *Quod amarum poculum prior medicus bibit, ne timere haberet ægrotus.* Respondebit Ambrosius, *quod mihi luctatus est, ut mihi vinceret.* Respondebit Leo Papa, quod *nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat.* Respondebit Chrysologus, quod *venit CHRISTVS nostras suscipere infirmitates, & suas nobis conferre virtutes.* Denique ECCLESIAM suam docere voluit, qua ratione se in afflictionum medio habere deberet, in cœli videlicet beneplacitum se remittendo seque conformando voluntati divinæ, ideo namque subjunxit hoc verbum: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Verbum capitis dicit, Sanctus Leo, quod totius corporis salus extitit, verbum quo instruxit omnes fideles, omnes inflammavit Confessores, & cunctos Martyres coronavit: *Hæc vox capitis salus est totius corporis. Hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus, & pro omnibus Patri diceret: fiat voluntas tua.*

Aug. in Psal. 98.

Amb. in Psal. 108.

Leo Papa serm. 3. de pass.

Chrysol. serm. 150.

Leo serm. 7. de pass.

9. Verum enimvero quænam in isthoc momento fuerunt illæ cogitationes tuæ afflictissimi cordis tui, O sanctissime omnium patientium Rex, quando sive ad modum miserabilis illius servi, qui non minus quam decem millia talenta debebat, sive ad instar pauperculi publicani evangelici vel oculos

oculos quidem ad Cœlum levare non præsumentis pulcherrimam faciem tuam in terram declinasti, *procidit in faciem suam orans.* Illique dixisse te credo verbum illud Prophetæ *Terra, terra, terra, audi verbum Domini.* O terra ingrata! O vilissima terra! quidquid enim ego dono tibi dedi, sive ad tui utilitatem, sive ad pulchritudinem, tu in dolorum meorum convertisti materiam. Vestivi te recentibus & amœnis herbis, & velut viridi ac florido pallio naturalem nuditatem tuam operui, tu verò ex herbis istis collegisti vimina, fecisti funes & ligacula, vincula, quibus ego ligarer, atque ex lino texenda dedisti vela, quibus òculi mei obvelarentur, nec non vestem albam, in qua veluti stultus deriderer: Ego te tanta virgultorum varietate adornavi, tu mihi inde arundinem subministrasti & spinas, quibus me ludicrum crearent Regem, imo & virgas quibus flagellarer. Ego te tot plantarum speciebus locupletavi, quot in sylvis seu etiam campis conspiciuntur, tu inde duram & ponderosissimam ministrasti quercum, unde patibulum mihi fabricaretur. Ex mari mille rivos ad tuam ariditatem humectandam deprompsi, tu mihi inde purpuram, qua Rex dolorum crearer porrexisti. Annon argentum è visceribus tuis protulisti, quo venderer; ferrum, quo cruci affigerer, mihique latus transfigeretur. An non de animalibus tuis fel congregasti, quod potando amaricarer, & viscera, quibus vapularem? ob quæ scelera tua, omninò à me annihilari promeruisses, quod tamen ne faciam aut permittam, sola me continet pietas mea; imo in vicem adeo bene meritæ castigationis, me ad dandum tibi pacis osculum impellit, quod ex nunc imprimo tibi. Atque ut deinceps meliores possis producere fructus, en proprio te sanguine irrigo & humecto. *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

10. Verum quod vel quale signum novum est istud, O DEUS meus, qui te in cœlo luce & splendoribus vestitum exhibes, *amictus lumine sicut vestimento.* Qui sunt hi novi personæ tuæ ornatus, qui aureâ vestiri consuevisti immortalitatis & gloriæ veste? unde tibi regium hocce paludamentum in sanguine tuo rubricatum? *Quare rubrum est vestimentum tuum, & vestimentum tuum sicut calcantium in torculari?* fortasse, ut dicit Ioannes Maldonatus, Dominus sanguinem sudat ob verecundiam, nam ut Philosophus dicit, *qui verecundantur erubescunt*, ita Redemptor *naturaliter sudavit sanguinem apprehenso ignominioso mortis genere.* Forsitan, ut dicit S. Hieronymus ob fervorem, quia videlicet tanta

cum

cum devotionis vehementia orabat, ut in venis ejus sanguis ejus ebulliret, nec se interius amplius continere valeret: tam vehementer orabat, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus. Fortè, ut magnus ille Cancellarius Parisiensis Gerson asserit, quia, uti notum est, sanguis in lætitia dilatatur, unde ad hujus in Christo internæ lætitiæ significationem dies hic vocatur dies nuptiarum CHRISTI, & dies lætitiæ cordis illius. *Gaudium enim ejus fortitudo nostra.* Forte ut opinatur Jacobus Pintus propter obedientiam, quia sicut timor sanguinem ad cor mittit, ita obedientia videns quod Pater æternus sanguinem Christi posceret, illum à corde repellit, atque ex Venis effundit: vi obedientiæ timorem superantis. Forte ob stratagema quoddam militare, ut dicit Epiphanius, videlicet ad decipiendum dæmonem, sese timidum & mœstum exhibuit, qui aliàs nunquam ausus fuit illum aggredi, nisi illum in carnis nostræ infirmitate conspexisset: *provocat per hunc modum CHRISTVS adversarium, id est, diabolum, ut eo opinante timere Salvatorem, inferat illi mortem.* Forte, ut Sancto Bernardo videtur, ob compassionem quippe videns omnia mundi peccata, æstimabat duos oculos non forte pares seu sufficientes ad illa deplangenda, unde id facere voluit totius corporis sui lachrymis. *Non solis oculis flevisse videtur, sed omnibus membris, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius corporis lachrymis lavaretur.* Fortè ut sentit Sanctus Augustinus, sanguinem sudavit ob mysterium, significando, quantus Martyrum sanguis in toto corpore suo mystico, quod est Fidelium sancta congregatio, fundendus esset. *Orans cum sudore sanguineo IESVS CHRISTVS, significabat, de toto corpore, quod est Ecclesia emanaturas Martyrum Passiones.* Forte, ut vult Theodoretus, ut indicaret, quod ipse in suis fidelibus qui sunt membra sua confligeret & dimicaret, faceretque ab illis omnes timoris fontes evanescere atque hinc viderentur tanta cum alacritate & fortitudine ad passiones suas accurrere. *Videtur significare, quod in natura nostra exurat & abstergat, & à nobis cadere faciat fontes timoris.* Forte, ut venerabilis Beda putat, ut testaretur quod hoc in terram decidente sanguine purgaturus esset imperfectam & terrenam discipulorum fidem. *Vt fidem videlicet discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat suo sanguine purgaret.*

Verum

Verum dicamus & nos quod hac in re sentiamus, videlicet quod hic tantus sudor sanguineus ab intensissimi doloris acerbitate nascatur, quæ cor Christi premebat & tamen non opprimebat in vehementi illa apprehensione, quam habebat omnium illorum quæ passurus erat: *O Dulcissime Domine IESV* (dicit venerabilis Beda) *quanta fuit Passionis tuæ acerbitas jam exhibitæ, cujus adhuc absentis distincta apprehensio ita naturam terrendo concusserat, ut sudare sanguinem cogeretur.* Passio in corde depicta sanguinem sudare facit, quod faciet Passio tolerata in corpore? ferrum in corde Christi apprehensum exprimit sanguinem, quid faciet in Carnificum manibus? Dicat etiam Dominus, & audiant omnes mundi peccatores verbum Prophetæ sui Ezechielis cap. 24. *Nimio labore sudatum est, & non exivit nimia rubigo ejus. Immunditia tua execrabilis est, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus. Væ tibi amaritudo peccatorum nostrorum* (dicam hic cum Bernardo) *propter quæ solvenda tanta amaritudo necessaria est.* O magna peccati amaritudo, quæ ipsam quoque Paradisi dulcedinem tantopere amaricare potes! O crudele torcular quod botrum illum Cœlestem, nobis è terra promissionis allatum premere videris, ut inde in tanta abundantia foras emanet sacratissimus ille liquor plagarum mundi huius indubitatum remedium. *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* O sanguis tantopere in mundo desideratus, in illo repræsentatus sanguine qui continuo in legalibus antiqui Testamenti victimis effundebatur. O sanguis prodigiosus qui priusquam ferro è venis Christi foras eliceretur, ab amoris fortitudine inde manavit. O columba immaculata quæ in tam ingenti doloris diluvio non invenisti, ubi pedem cogitationum tuarum reponeres. Torquet enim te cor tuum, sensus te affligit, locus formidinem incutit, dolore te tempus afficit, Pater tuus te non audit, dormiunt discipuli, amici longe recesserunt à te, te Judas vendit, Judæi ad mortem te quærunt & inter tot tamque horrendos eventus non sudares? Ad talem angustiæ extremitatem optimus Dominus noster redactus est, ut ipsum de cœlo confortari & solatium accipere necessum fuerit. *Apparuit & Angelus de cœlo confortans eum.*

Ezech. 24. v. 12.

12. Verum ecquid Nuncius è cœlo missus unquam dicere poterit, quod aliquis angustiato adeo Domino consolationem adferre possit? *Tua est adoratio* (sic Epiphanius explicat Angelum dixisse) *tuum est Dominium, tua est potentia, tua est fortitudo.* Non diminuuntur O Dominator universi tuæ magnificentiæ, siquidem ex bona voluntate tua præsentibus angustiis ultro citroq; subiectus es, imo hi dolores & angustiæ quæ nunc te torquent, hæc tam acerba passio quæ tibi imminet, portam aperiet honoribus tuis & gloriæ tuæ per universũ mundum

dilatandæ. In omni loco nomen tuum audies exaltari, neque regio aut vicus in terra erit, ubi non laudentur amabiles illæ tuæ charitatis inventiones. Neque ego hic coram te ô Domine compareo, ut quicquam quod nescias edoceam sed ut te in hisce doloribus constitutum eadem prorsus cum reverentia adorem, qua in cœlis in throno gloriæ tuæ adoraris. Animosus ergo ingredere montis Calvariæ improperia, fructus enim passionum tuarum adeo erit copiosus, ut omnium præteritorum dolorum oblivionem superinduci faciat. Spontaneè igitur ô Domine solve ultimum istud pretium pro tot salutis egenis animabus, ruinarum item nostrarum damna dignãter restaura, uno eodemque tempore tam humanæ quam Angelicæ benefaciendo Naturæ, illi per redemptionem, huic vero per ruinæ restaurationem. Caro tua sacratissima quæ mox adeo crudeliter tractabitur, nec non ad modicum tempus ab innocente spiritu tuo destituetur, eidem de novo reunita, ad sole splendidiorem gloriosam vitam resurget, atque omnibus cœli incolis in cœlesti gloria post Divinitatem gratissimum & amantissimum gloriæ obiectum erit. Deniq; æternum Patrem tuum hac humili tua in sanctam illius voluntatem resignatione mirum quantum magnificabis, qui proinde ex tunc dignum te tanto Patre filium recognoscet. Ego interea ô Domine ob ingentes charitatis tuæ excessus stupore plenus à te recedens ad Angelos socios meos servosque tuos me recipio, ut gloriam tuam in æternum decantem ac triumphos tuos celebrem, atque millies replicem. *Tua est adoratio, tuum est Dominium, tua est potentia, tua est fortitudo.*

13. Fateor equidem dilectissimi quod ab horto illo sacrosancto, & millies beato, in quo Salvator noster omni se cordis sui lætitia tot illi titulis debita exinanivit vix avelli possim, attamen aliunde exspectamur, ut consideremus eundem Dominum omni honore & gloria sua exinanitum. *Exinanivit semetipsum.* Hinc me licet invitus recipio, atque alterum punctum aggredior.

PUNCTUM II.

Ecce igitur Apostolum traditorem, qui ipsum vendit veluti mancipium. Ecce satellites qui ipsum apprehendunt veluti latronem. Ecce discipulos qui ipsum fugiunt veluti scandalosum. Ecce ministros qui ipsum percutiunt veluti arrogantem. Ecce Pontificem qui ipsum condemnat veluti blasphemum. Ecce Petrum qui ipsum renegat veluti turpem & inglorium. Ecce falsa testimonia, quæ ipsum accusant tanquam reum. Ecce Herodem qui ipsum contemnit veluti stultum. Ecce turbas quæ ipsum spernunt & respuunt veluti vita indignissimum hominem. *Exinanivit semetipsum, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur.* Fueruntque contu-

contumeliæ & ignominiæ quibus Dominus in sua Passione affectus est tot & tantæ, ut sicut dicit Isaias cap. 53. magnificentia illius & majestas omnino sepulta & abscondita esse videretur : *Et, quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Tot injuriis & probris onustus fuit, ut omnem perdidisse reputationem censeri posset. *Unde nec reputavimus eum.* Ideo idem Propheta hæc verba subjungit *De judicio sublatus est,* aut sicut legitur Act. 8. *In humilitate judicium ejus sublatum est,* id est, ut interpretatur S. Bonavent. tanta eius humilitas fuit, ut nullus de eo daret rectum judicium & à nullo crederetur Deus. Eo videlicet modo ipsum tractarunt, ut nullum de eo fieri posset judicium aut æstimatio, atque tantum aberat ut Deus crederetur, ut inter omnes homines censeretur ultimus & vilissimus, *novissimum virorum.* Atque hoc sensu explicavit S. Bernardus verba illa S. Joannis 14. *Sciens quia à Deo exivit. Talem se hominibus probavit, quod posset ligari, colaphizari, flagellari, conspui, & ad ultimum occidi, hoc est quod dicitur: à Deo exivit.* Exivit à Deo, quia exivit à seipso, exivit à magnificentia, exivit ab honoris sui claritate, seque exinanivit luce magnæ majestatis suæ. *Exinanivit se, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur.*

Actor. 8 v. 33.

De perfect. vitæ.

Serm. 2. in Cœna Domini.

14. Prædixit idipsum qui totam Passionis Domini seriem prænunciavit, Rex inquam David, quando ait : *Tu vero repulisti & despexisti Christum tuum.* Quod est idem cum eo quod dixerat Isaias : *Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum*, adeo illusus, vilipensus, & abiectus est Dominus, ut author tantæ tamque extraordinariæ humilitatis videri possit alius esse non posse quam Deus. *Tu repulisti & despexisti Christum tuum.* S. Hieronymus ita legit : *Tu vero retrocedere fecisti splendorem tuum*, id est, filium tuum qui miraculosis operibus suis te adeo mirabiliter in mundo clarificaverat, ipsomet teste cum dicit: *Ego te clarificavi super terram opus consummavi quod dedisti mihi.* O quam vere dicere possumus : *Retrocedere fecisti Christum tuum.* Dederat Pater æternus Christo ad Jordanem & in monte Thabor magnum illud testimonium : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui,* postea vero illum manibus inimicorum suorum permittens tanquam derelictum & desolatum relinquendo illum veluti signum seu scopum in quem tot tantaque ejacularentur opprobria, visus est quasi certo quodam modo gratias suas revocasse, nec non magnitudinis filio suo concessæ pœnituisse, effecisseque ut Christus à tantæ gloriæ sublimi culmine in tantam ignominiæ atque confusionis abyssum descenderet : *Retrocedere fecisti splendorem tuum.*

Ps. 88. v. 39.

In Commẽtariis super Isaiam.

15. Sex laudum generibus Dominus noster in quantum Deus à Beatis in cœlo exaltatur, quarum meminit S. Joannes in Apocalypsi dicens : *Benedictio & claritas, & sapientia,*

pientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Quas easdem laudes Pater æternus amantissimo filio suo dari voluit ab omnibus in terris. Et quidem imprimis benedictionem, nam uti omnes norunt pia turba in die Palmarũ clamabat: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Item claritatem seu quod idem est gloriam & famam nominis sui. An non enim Lucas dicit quod *divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis?* Gratiarũ actio ipsi data fuit ab infantibus quando dicebant: *Hosanna filio David.* De Sapientia dicitur, quod illa omnes stupore repleverit *stupebant omnes qui eum audiebãt super prudentia & responsis ejus.* Si loquamur de honore qui est testimonium æstimationis quam populus habet de illo, quem vult honorare, hic eousque ascendit, ut nisi fugisset Dominus turbæ illum violenter rapere, atq; Regem creare voluissent: Joan. 6. *Iesus cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eũ & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Si loquamur de virtute seu facultate operandi mirabilia testatur S. Matthæus *quod virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Si denique de fortitudine, poterat ipse tribus duntaxat verbis totum confundere infernum, unde conquerebantur dæmonia dicendo; *Venisti ante tempus perdere nos.* Omnibus hosce exaltationum seu laudum generibus tempore Passionis suæ exinanitus est Redemptor noster. Et quidem imprimis spoliatus est Benedictione, utpote quem ad mortem Crucis quæ apud illum populum maledicta erat, postulabant. Unde dixit Paulus Apostolus ad Galat. 3. *Christus redemit nos de maledicto, factus pro nobis maledictum.* Advertitque S. Joannes Chrysost. Voluisse Judæos ut moreretur in Cruce, ut si discipuli non moverentur ad relinquendum & deserendum eum eò quod mortuus esset, ad minus illum desererent eò quod tam probrosa & ignominiosa morte mortuus fuisset: *Iudæi studio ista morte eum interimere sategerunt, ut probrosum quoque efficerent: ut etsi nemo propterea ab eo abstineret quod occisus esset, abstineret tamen vel ideo quod hoc pacto occisus esset.* Fuit exinanitus gloria, omnes enim injurias & contumelias, quibus illum affecerunt, machinati sunt ex invidia sui adeo gloriosi nominis. Unde inimici eius apud Jeremiam dicebant: *Non memoretur nomen ejus amplius.* Exinanitus est & Sapientia, quia alba veste tanquam stultus indutus est atque oculi eius obvelati sunt ab eis dicentibus: *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit?* Gratiarum actione quoque destitutus est, quia non tantum obliti sunt beneficiorum, quæ eis præstiterat, verum insuper malefactorem illum nominarunt: *Si non esset hic malefactor non tibi eum tradidissemus.* Exutus est & honore quia inter duos latrones eum crucifixerunt; imo latronibus eum posthabuerunt unde eis dicebat Isaiæ

Luc. 4. v. 14

Luc. 2. v. 47.

Ioan. 6. v. 15

Gal. 3. v. 13.

Homil. 2. in Epist. ad Philipp.

Isai. v. 2

Lib. Ioann.

Isaiæ 40. *Cui assimilastis me & adæquastis?* Exinanitus est virtute & & potentia, cuius fidem faciunt improperia illa, quæ ei dixerunt quando erat pendens in Cruce: *Alios salvos fecit se ipsum salvum facere non potest.* Denique potentia spoliatus est, quando illum instar mancipii ligarunt, tanquam infœlicem flagellarunt, veluti reum ad varia illum traxerunt tribunalia, configendo illum crucis trunco sicut abominabilem, adeo ut dixerit apud Psalmistam Psalm. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Videte ergo an Propheta non bene dixerit: *Retrocedere fecisti Christum tuum.* Retrogradum illum ire fecisti à fœlicissimo gloriæ tantæque magnitudinis cursu, atque de sublimitate honoratorum adeo encomiorum raræque commendationis in profundum dedecoris & probri illum præcipitasti. Exinanisti illum à tam gloriosæ famæ claritate atque in medio tenebrarum tantæ confessionis deseruisti. *Retrocedere fecisti splendorem tuum, exinanivit semetipsum: ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur.*

Isaiæ 40. v. 25.

16. Et quid aliud O Christiani hisce suis ignominijs & contumeliis Dominus noster prætendit, quam nos reddere honoratos & gloriosos? *Dedecorati peccato fuimus* (dicebat Sanctus Cyrillus) *quam notam injustum Christi detersit dedecus*, contumeliæ Christi sunt nostri honores, sua humilitas est nostra gloria, suæ demissiones sunt magnificentiæ nostræ. Ipse instar mancipii ligatus fuit ut nos libertatem filiorum Dei consequeremur. Tanquam culpabilis apparuit, ut per hoc culpæ nostræ delerentur. Judicatus fuit ad mortem, ut nos à sententia mortis æternæ absoluti essemus. Unde si nos sumus illi qui Dominum gloria sua spoliavimus toties quoties per nostrum capritium & pertinaciam violavimus sanctam legem illius: Si nos illum brevi delectatiunculæ aut vanæ magnificentiæ aut somniato bono posthabuimus, ad nos profecto pertinebit justa illa apud Isaiam cap. 1. querimonia: *Filios enutrivi & exaltavi: Ipsi autem spreverunt me.* Sed|ehem possibile erit, tantam iniquitatem in pectus humanum incidere posse, ut DEUM immensæ majestatis vilipendat? Ut nullam Monarchæ totius mundi rationem habeat? ut paradisi gloriam despiciat, quam excusationem adferre poterimus de delicto adeo inexcusabili? Quem prætextum adducemus, qui non sit frivolus & impertinens? Quam satisfactionem pro tanto errore? Nemo tam inverecundus aut protervus esse potest, qui rem adeo manifestam & patentem negare velit. Advoco circa hoc totum mundum in testimonium. An non quicquam in terra existat quod à nobis gloriæ & honori Christi non posthabeatur. Ira impellit ad blas-

Lib. 12. in Ioann.

Isaia 1. v. 2

blasphemias sui sancti nominis, & prævalet: impatiētia movet ad querelas contra suam providentiam, & vincit. Odium addit animum ad faciendam vindictam contra expressum legis suæ conceptum, & obtinet. Proprium interesse seu commodum exstimulat ad rapinam rei alienæ & non obstantibus tot suis comminationibus, superat. Sensus ad soporem provocat, facitque nos oblivisci delitiarum cœlestium, nec illas aspicimus. Et sunt filii, nō vero inimici qui non solum non curant, verum etiam negligunt Patris gloriam? Qui adeo brute & bestialiter ab honoratissima progenie sua degenerant? Qui facto ipso demonstrant nihil se tam ingentis patrimonii hæreditatem æstimare? *Filios exaltavi & enutrivi, ipsi autem spreverunt me.* Sed obsecro vos dilectissimi recordemini quod si nos peccando amabilem Patrem nostrum contumeliemur erit peccatum nostrum incomparabiliter majus & enormius peccato Hebræorum, cū maiora sint beneficia quæ nobis exhibuit, maior lux qua illuminamur, maior gratia qua donati sumus, maius deniq; præmium, quod promisit.

17. Sint interim honoratissimæ illæ ignominiæ in æternum benedictæ, utpote quæ vituperia nostra sustulerunt, & litura perpetua deleverunt infamias nostras. Sit benedicta illa agni immaculati mansuetudo quæ illum inter tot contumelias & ignominias mutum reddidit & tacentem. Benedicta sit immensa illa patientia, quæ illum tanta cum confusione ducere potuit ad tot tribunalia, sed semper æquanimem ante tot iniquos judices, sed semper sedatum inter tot turbas falsorum testimoniorum, sed compositum semper & serenum. Benedicta sit huius Domini nostri magnanimitas, quæ ut Deo honorem suū conservaret, nobis autem gloriam promereretur æternam, illum obliviosum reddere potuit gloriæ illius, quæ personæ suæ conveniens erat atq; debita. Sit in æternū benedictus amor ille qui illū majestate sua spoliare, & sua amplitudine exinanire potuit, & ob hanc adeo ingentē charitatem illi in æternum illud Beatorum decantabimus canticum: *Benedictio, & claritas, & sapiētia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum Amen.*

PARS II.

18. ADeo Isaiæ peregrinum visum est, quod æternus Dei filius incarnatus doloribus & plagis huic nostræ carni peccatrici debitis, subiectus esse posset, ut ob existimarit mundum indubie refractarium & contumacem futurum prædicationi Apostolicæ. Ideo namque cap. 53. suæ Prophetiæ ubi mysteria Passionis Christi tam clare describit, hæc verba præmisit: *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Quis unquam persuadere sibi poterit res tam procul dissitas & con- *Isaia 53. v1.*

contrarias? Videlicet quod hic sit brachium Dei, & quod nihilominus fragile sit & infirmum? Quod sit planta illa fœlicissima, sub cuius beatis ramis habitare debeant omnes gentes, & quod ad modum modici germinis ex ignobili radice & arida, & sicca terra nascatur: *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Quod specie sua ad amorem provocaturus sit omnem humanam generationem, nec tamen habeat pulchritudinem aut venustatem aliquam in vultu suo: *Non est ei species, neque decor?* Quod appelletur desideratus cunctis gentibus, nec tamen res ulla desiderabilis in illo videatur: *vidimus eum & non erat aspectus & desideravimus eum.* Quod Reges terræ ipsi genua flectant, ipsumque adorent, & tamen contemptibilis appareat & inter omnes homines postremus: *despectum & novissimum virorum.* Beatus in se ipso, & à se ipso, & simul Rex dolorum, atque sciens informitates mundanas: *virum dolorum, & scientem infirmitatem?* Medicus plagarum nostrarum, atq; simul doloribus nostris onustus: *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* Leprosorum curator, & tamen ipse leprosus, & à Deo percussus & ipse: *& nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo?* Innocens & tamen veluti culpabilis sive reus castigatus: *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* Plenus thesauris sapientiæ cœlestis attamen & instar hominis sensib⁹ destituti mutus: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Leo victor de tribu Juda, sed tamen instar ovis ad macellum & lanienam ductus: *sicut ovis ad occisionem ducetur?* Universalis rerum omnium Dominus, & tamen instar agni tonsus, & spoliatus ad ipsas vestes usq;: *Quasi agnus corā tondente se* &c. Verum justæ huic admirationi Isaiæ, convenientior aut aptior responsio dari nō potest quā illa Pauli scilicet *exinanivit semetipsum.* Nam sicut Dominus se exinanivit lætitia & jubilo cordis nec nō & claritate & splendore honoris & bonæ famæ, sic quoque tertio loco exinanitus est salute & integritate corporis sui & carnis suæ. Unde non defuerunt qui de ipso intelligerent illa Prophetæ verba: *à planta pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas.*

PUNCTUM III.

19. Consideremus ipsum in prætorio Pilati existentē ubi per Præsidis sententiam ad columnam quandam flagellatus est, & constrictos nos nunc esse cernemus ad dicendum, *quod potestatem ab opere retraxit, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur.* Truculentum profecto spectaculum est atque tale, ꝙ ipsum met quoq; lapidē cui sanctissimus Redemptor alligatus astabat emollire potuisset & ut de cordibus humanis taceam, nisi hæc ipsis quoque lapidibus duriora existant. Videre nimirum in conspectu Romano cohortis spoliatum & nudum illum,

lum, qui campos floribus vestit & herbis: libertatis nostræ authorem funibus fortiter alligatum: totius universi Monarchã in potestate carnificum; à capite ad pedes usq; quinquies mille vulneribus percussum & saucium illum, qui gaudium & lætitia est Beatorum. Quis adeo horribilem & sanguinolentam carnificinam contemplari ausit, nec tamen angi aut cruciari? aut quis sibi confidat verba se invenire posse quibus adeo atrocem impietatem eloquatur, nec tamen in ipso dictionis medio stupefiat & obmutescat. Non jam deinceps S. Propheta dicat

Ps. 90. v. 10. Psal. 90. *Non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, siquidem cœlesti huic tabernaculo tot hodie flagella approximarint, ut lacerum totaliter esset atque discerptum, *& in ipso carnis tabernaculo tentatus est* (sunt verba S.

August. in Psal. 90. Augustini) *militavit pro nobis, in ipso suo tabernaculo tentatus est, ne miles deficeret. Hoc tabernaculum sensit flagella, quia pro nobis flagellatus est Dominus.* Et S. Augustino consentit

Ambros. lib. 10. in Luc. Ambrosius dum dicit: *Nec flagella vacant, quia flagellatus est ipse, ne nos flagellaremur.* Taceat inquam boni illius Davidis magnum Oraculum, in quo deprædicat quidem id, quod merito esse debebat, non vero illud quod revera factum est, conveniebat quidem naturali potentiæ & majestati illius Domini ne scilicet malum aut flagellum aliquod tabernaculo suo propinquum fieret, sed contrarium tamen factum est.

Potius ergo illud Psal. 73. quod magis clementiæ & bonitati suæ est proprium dicat scilicet: *Polluerunt tabernaculum nominis tui.* *Ps. 73. v. 7.* Contaminarunt & prophanarunt tabernaculum nominis DEI. Christus enim purissima & sanctissima carne sua magnalium divinorum præco fuit, & revera quam famam aut claritatem nomini divino non acquisivit divinum illud Tabernaculum, quod salutem & gratias secum ferebat, quocunque demum duceretur? *Tabernaculum nominis tui.* Audierunt verba sua mortui ex tumbis, contactus sui virtutem cognoverunt antiqui & inveterati morbi; ad ipsius majestatem immobiles steterunt satellitum & ministrorum catervæ. Potentiam suam Dæmones inferni confessi sunt, præceptis suis obedierunt venti & maris procellæ. Imo an non ipsimet quoque Publicani & discipuli piscatores, ac turbæ omnes quasi catenatæ steterunt ad fulgur divinæ & inenarrabilis suæ pulchritudinis? Dicamus ergo *Tabernaculum nominis tui.* Sacrosancta enim Christo humanitas erat tabernaculum honoris & famæ Dei, siquidem illa mediante mundo manifestata sunt Divinitatis magnalia, interius in illo abscondita, ita tamen abscondita, ut, sicut dicebat S. Hieronymus: *Divinitatis majestas latebat in facie.* *S. Hieron. in cap. 21. Mat.* Verum ô crudelitas! O ingratitudo! O scelestum facinus! *Polluerunt Tabernaculum nominis tui*, armarunt se adversus pulcher-

cherrimam hanc fabricam architectatam à Spiritu S. & à tam digno habitatore honoratam qualis erat Anima Christi, imo qualis erat ipsamet verbi æterni divinitas.

20. Et ecce dilectissimi adimpletum in Christi innocentissima carne illud, quod tanto demum tempore S. Job prædixerat cap. 19. *Latrones ejus obsederunt in gyro tabernaculum meum, & noti mei quasi alieni recesserunt.* O latrones sacrilegi & impii, qui circumvallando vivum hoc divinitatis tabernaculum, idemque innumerabilibus ictibus millenis in locis effringendo, pretiosissimi sibi sanguinis thesauros, qui ex omnibus partibus defluebant in terram, atrociter sibi rapuêre. O crudeles & inhumanissimi latrones, non jam cor carneum, sed adamantinum, imo adamante durius habuerunt, utpote quod virtute sanguinis Agni huius immaculati frangi se, aut rumpi minime sinit. O latrones barbari & truculenti, qui dum sanguinem istum in sua jam facultate in horto Gethsemani habebant effusum, quem tam anxiè quærebant; nihilominus cum atroci adeo laniena & carnificina illum insuper hic rapiunt & eliciunt! O latrones stulti & amentes qui gravi adeo suomet damno in pulchros illos rubinos, mundi divitias, & thesauros Paradisi involarunt! O latrones infœlices & miserabiles, qui nec tantum prudentiæ habuere, ut per fenestras & foramina illa, quæ suis flagellis in Christi corpore aperuerunt, usque ad ipsa Redemptoris viscera penetrarent, eademque specularentur. O surdi & insensati latrones, qui vocem illam per tot ora, quot in sacratissima humanitate erant vulnera, prolatam non audierunt, *quia per oris organum* (loquor verbis Petri Damiani) *forte non possent audire clamorem, de toto corpore linguam fecit.* Quibus adnecto verba alterius cuiusdam Petri cognomento Chrysologi in eundem sensum loquentis, *quia obduratis auribus unius oris nihil erat vox clamantis, totum corpus vulneribus aperit, ut in admonendo tot essent ora, quot vulnera producuntur.* Loquitur Redemptor per tot ora, quod erant benedictæ carnis suæ vulnera, objurgat corporũ nostrorum mollitiem, vestium nostrarum luxum repræhendit, nec non & sensuum nostrorum voluptates, detestatur humilem membrorũ nostrorum servitutẽ, quæ toties iniquitati & offensæ divinæ subservierunt; econtra vero ad rigorem pœnæ, ad disciplinæ austeritatem & carnaliũ concupiscentiarum nostrarum refrænationem invitat. *totũ corpus vulneribus aperuit, ut essent tot ora, quot vulnera. Latrones ejus obsederũt in gyro tabernaculum meum. Et noti mei quasi alieni recesserunt à me.*

Job. 19, v. 12

Petr. Damiani Epist. 53.

Petr. Chrysologi Serm. 120.

21. Verum ô MARIA ubi es cum candidis illis tuis panniculis, quibus hunc tuum charissimum & amantissimum filium tuum tanta cum reverentia quondam involuisti? Ubi es Magdalena cum illis tuis osculis, cum illis comæ tuæ ca-

pillis, cum unguentis tuis, quibus cum illum quondam in domo Pharisæi honorasti? Ubi estis O vos piæ turbæ, cum vestimentis vestris, quæ quondam etiam ipsi, cui Dominus inequitabat, jumento substravistis? O vos Seraphini ubi estis cum alis vestris, à quibus quondam magnificè obtectus à vobis fuit? Ubi candidum illud & superbum Thaboris vestimentum in quo in medio Moysis & Eliæ tribus exhibebatur discipulis? O Pater æterne ubi es cum beatissimo sinu tuo qui innocentissimi huius rei fœlicissima est habitatio & sempiterna quies? ah redactus est hic filius tuus in potestatem impiorum & truculentorum hominum, sed quid dico hominum, imò monstrorum humanæ naturæ. Ah incidit in eos, quos fortitudo potius deficiet quam rabies & furor insanus. Ah datus est in manus latronum, apud quos crudelitas augetur per id, per quod omnino è medio auferri merito debebat, qualia sunt, pulchritudo, aspectus, majestas frontis, modestia faciei, verecundia oculorum, silentium oris, cordis patientia, ac deniq; submissio corporis. *Et noti mei quasi alieni recesserunt à me*, adeo, ut benignissimus Dominus noster, pro ut videtur S. Bernardo percussores habeat cognoscentes, & non cognoscentes, amicos & persecutores domesticos & extraneos. Percussus à Patre fuit, qui ob amorem nostri, dedit illum, unde mille ipsi debem⁹ benedictiones: percussus fuit à seipso, se enim ipse dedit in manum inimicorũ suorum, & ideo infinitis gratiarum actionibus dignus est. Fuit percussus ab impio discipulo, qui illum tradidit in manum cohortis, qui proinde ęternum meritus est vituperium. Ab Hebræis percussus fuit, qui in faciẽ eius impegerunt colaphos, qui proinde execrandi sunt & abominandi. Deniq; percussus fuit à gentilibus & à peccatoribus, qui sumus nos. Unde nisi veram in nobis curemus pœnitentiam, ad æternas pœnas merito destinabimur. *O quantos Domine IESV habes percussores*, (dicit D. Bernardus) *percutit te Domine Pater tuus, qui proprio filio suo, id est, tibi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit te. Percutis tu te ipsum, tradis enim in mortem animam tuam, quam nemo potest tollere à te sine te. Percutit te discipulus impius osculo falso. Percutit te Iudæus colaphis & alapis. Percutiunt te gentiles flagellis & clavis. Ecce quantum mi IESV percussus es & humiliatus.* *Bernardus lib. de passione Dom. c. 5.*

22. Flagella quondam teste Polibio erant triplici hominum generi destinatum supplicium, latronibus scilicet, fugitivis, ac otiosis seu vagabundis. Quod si ita est, ubinam liberalissimi huius Domini furta sunt & rapinæ, qui nõ contentus donasse se homini quidquid ipse possidebat prodigiosam tandẽ & hactenus inauditã semetipsum in Venerabili Eucharistiæ sacramento donandi molitus est inventionem? An igitur fortasse fugitivus audiet, nequaquam, nunquã enim æterno Patri suo dorsum

sum aut terga vertit, nunquam illi contradixit, nunquam alicui illius præcepto repugnavit, imo dum aliquando oraret, orationem suã mira cum resignatione fudit dicẽs: *Veruntamen nõ mea, sed tua voluntas fiat.* Num ergo forsitan otii aut inertiæ argui poterit, qui pro mundi utilitate transibat discurrẽdo per civitates & castella Judææ & Galileæ, inibi continuo legem gratię prędicando, atque ubiq; operibus novis, stupendis, nec hactenus visis post se sanctissimorum exemplorum relinquendo vestigia? Per noctes enim in orationibus vigilabat, turbas vero docebat per diem, in desertis jejunabat, miracula operabatur in domiciliis, inter feras cum dæmonibus confligebat, inter homines pugnabat cũ vitiis, in terra populos pascebat, in mari compescebat tempestates, in montibus gloriam monstrabat, in planitie sanabat languentes, adeo, ut magna cum fiducia hoc de se ipso dare potuerit testimonium: *Pater meus usque modo operatur & ego operor?* Quid ergo hic innocens homo mali fecit, ut dicat Præses: *Corripiam illum & dimittam.* Ecquid unquam tu ô sine Judicio Judex invenisti? In quo correcturus & emendaturus es sanctitatem atque justitiam? Quid habes adjungendum operibus Domini huius perfectissimis & consummatissimis? qua in re culpabilis ipse tibi videtur aut repræhensibilis? Anne tu ipsemet veritate coactus dixisti: Ego nullam causam invenio in homine isto? Qua nunc ergo ratione dicis: Corripiam illum & dimittam? nunquid ingens tibi esse videtur iniquitas corrigere illum quem tu ipse judicasti non promeruisse correctionem, & eum castigare, quem ore tuo nullius castigationis reum pronunciasti? *Congregata sunt super me flagella & ignoravi*, dicit ipsemet, quod idem est ac si diceret, fui atrocissime flagellatus, neque tamen causam illius depræhendere potui. Si enim flagella pœnæ sunt furum, fugitivorum, seu inertium, certe nescio cur me ad columnam flagellent, siquidem ex parte mea non invenio causam. Sed ô Redemptor clementissime, si non invenis aliquam tuorum flagellorum causam ex parte personæ tuæ, invenies utique causam ex parte filiorum Adæ, hi enim fures sunt, qui tentarunt rapere & furari tibi gloriam & Divinitatem tuam & uti docet S. Augustinus: *Rapere voluerunt divinitatem & perdiderunt fœlicitatem.* Hi sunt fugitivi illi, de quibus lamentabaris per Prophetam tuum Jeremiam 8. *Quare aversus est populus iste aversione contentiosa? Appræhenderunt mendacium, & noluerunt reverti.* Hi sunt otiosi illi & socordes, qui præcepta tua continuo negligunt, nec quicquam alicuius momenti norunt saluti æternæ consequendæ deserviens, quibusq; merito dictum censetur. Quid hic statis tota die otiosi? Tu pro ipsis factus es Fidejussor, ideoque hæc ab æterno Patre tuo data fuit sententia Proverb. 20. *Tolle vestimentum*

August. in Psal. 68.

Ierem. 8. v. 5.

Prov. 20. v. 16.

pillis, cum unguentis tuis, quibus cum illum quondam in domo Pharisæi honorasti? Ubi estis O vos piæ turbæ, cum vestimentis vestris, quæ quondam etiam ipsi, cui Dominus inequitabat, jumento substravistis? O vos Seraphini ubi estis cum alis vestris, à quibus quondam magnificè obtectus à vobis fuit? Ubi candidum illud & superbum Thaboris vestimentum in quo in medio Moysis & Eliæ tribus exhibebatur discipulis? O Pater æterne ubi es cum beatissimo sinu tuo qui innocentissimi huius rei fœlicissima est habitatio & sempiterna quies? ah redactus est hic filius tuus in potestatem impiorum & truculentorum hominum, sed quid dico hominum, imò monstrorum humanæ naturæ. Ah incidit in eos, quos fortitudo potius deficiet quam rabies & furor insanus. Ah datus est in manus latronum, apud quos crudelitas augetur per id, per quod omnino è medio auferri merito debebat, qualia sunt, pulchritudo, aspectus, majestas frontis, modestia faciei, verecundia oculorum, silentium oris, cordis patientia, ac deniq; submissio corporis. *Et noti mei quasi alieni recesserunt à me*, adeo, ut benignissimus Dominus noster, pro ut videtur S. Bernardo percussores habeat cognoscentes, & non cognoscentes, amicos & persecutores domesticos & extraneos. Percussus à Patre fuit, qui ob amorem nostri, dedit illum, unde mille ipsi debem⁹ benedictiones: percussus fuit à seipso, se enim ipse dedit in manum inimicorũ suorum, & ideo infinitis gratiarum actionibus dignus est. Fuit percussus ab impio discipulo, qui illum tradidit in manum cohortis, qui proinde ęternum meritus est vituperium. Ab Hebræis percussus fuit, qui in faciẽ eius impegerunt colaphos, qui proinde execrandi sunt & abominandi. Deniq; percussus fuit à gentilibus & à peccatoribus, qui sumus nos. Unde nisi veram in nobis curemus pœnitentiam, ad æternas pœnas merito destinabimur. *O quantos Domine IESV habes percussores*, (dicit D. Bernardus) *percutit te Domine Pater tuus, qui proprio filio suo, id est, tibi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit te. Percutis tu te ipsum, tradis enim in mortem animam tuam, quam nemo potest tollere à te sine te. Percutit te discipulus impius osculo falso. Percutit te Iudæus colaphis & alapis. Percutiunt te gentiles flagellis & clavis. Ecce quantum mi IESV percussus es & humiliatus.*

Bernardus lib. de passione Dom. c. 5.

22. Flagella quondam teste Polibio erant triplici hominum generi destinatum supplicium, latronibus scilicet, fugitivis, ac otiosis seu vagabundis. Quod si ita est, ubinam liberalissimi huius Domini furta sunt & rapinæ, qui nõ contentus donasse se homini quidquid ipse possidebat prodigiosam tandẽ & hactenus inauditã semetipsum in Venerabili Eucharistiæ sacramento donandi molitus est inventionem? An igitur fortasse fugitivus audiet, nequaquam, nunquã enim æterno Patri suo dorsum

sum aut terga vertit, nunquam illi contradixit, nunquam alicui illius præcepto repugnavit, imo dum aliquando oraret, orationem suã mira cum resignatione fudit dicẽs: *Veruntamen nõ mea, sed tua voluntas fiat.* Num ergo forsitan otii aut inertiæ argui poterit, qui pro mundi utilitate transibat discurrẽdo per civitates & castella Judææ & Galileæ, inibi continuo legem gratię prędicando, atque ubiq; operibus novis, stupendis, nec hactenus visis post se sanctissimorum exemplorum relinquendo vestigia? Per noctes enim in orationibus vigilabat, turbas vero docebat per diem, in desertis jejunabat, miracula operabatur in domiciliis, inter feras cum dæmonibus confligebat, inter homines pugnabat cũ vitiis, in terra populos pascebat, in mari compescebat tempestates, in montibus gloriam monstrabat, in planitie sanabat languentes, adeo, ut magna cum fiducia hoc de se ipso dare potuerit testimonium: *Pater meus usque modo operatur & ego operor?* Quid ergo hic innocens homo mali fecit, ut dicat Præses: *Corripiam illum & dimittam.* Ecquid unquam tu ô sine Judicio Judex invenisti? In quo correcturus & emendaturus es sanctitatem atque justitiam? Quid habes adjungendum operibus Domini huius perfectissimis & consummatissimis? qua in re culpabilis ipse tibi videtur aut repræhensibilis? Anne tu ipsemet veritate coactus dixisti: Ego nullam causam invenio in homine isto? Qua nunc ergo ratione dicis: Corripiam illum & dimittam? nunquid ingens tibi esse videtur iniquitas corrigere illum quem tu ipse judicasti non promeruisse correctionem, & eum castigare, quem ore tuo nullius castigationis reum pronunciasti? *Congregata sunt super me flagella & ignoravi*, dicit ipsemet, quod idem est ac si diceret, fui atrocissime flagellatus, neque tamen causam illius depræhendere potui. Si enim flagella pœnæ sunt furum, fugitivorum, seu inertium, certe nescio cur me ad columnam flagellent, siquidem ex parte mea non invenio causam. Sed ô Redemptor clementissime, si non invenis aliquam tuorum flagellorum causam ex parte personæ tuæ, invenies utique causam ex parte filiorum Adæ, hi enim fures sunt, qui tentarunt rapere & furari tibi gloriam & Divinitatem tuam & uti docet S. Augustinus: *Rapere voluerunt divinitatem & perdiderunt fœlicitatem.* Hi sunt fugitivi illi, de quibus lamentabaris per Prophetam tuum Jeremiam 8. *Quare aversus est populus iste aversione contentiosa? Appræhenderunt mendacium, & noluerunt reverti.* Hi sunt otiosi illi & socordes, qui præcepta tua continuo negligunt, nec quicquam alicuius momenti norunt saluti æternæ consequendæ deserviens, quibusq; merito dictum censetur. Quid hic statis tota die otiosi? Tu pro ipsis factus es Fidejussor, ideoque hæc ab æterno Patre tuo data fuit sententia Proverb. 20. *Tolle vestimentum*

August. in Psal. 68.

Ierem. 8. v. 5.

Prov. 20. v. 16.

mentum ejus, qui fidejussor extitit alieni, & pro extranea oppignoravit se. Tu oppignoratus es ô amantissime JESU pro natura humana, pro aliena ista & extranea, ideoque tu vice illius à Justitia divina conveniris tanquam debitor, tibique tollunt vestes sacræ carnis tuæ tanquam indebitato, adeo ut dicere debeas illud Psalmi 68. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam*, interpretatur Augustinus: *Non peccavi, & pœnas dabam.* Ecquis ergo amor cum illo Christi amore comparabilis est dicit Joannes Chrysostomus, qui flagella peccatoribus debita in sua carne recipere voluit? *Multa flagella peccatorum. Præstet quis beneficia, largiatur dona, sit benefactor, in prosperis diligat obsequentes: nunquid illi poterit comparari, qui in se suorum suscepit necessitates? qui se periculis anteponit suorũ? qui pro suis dat pœnas? Corpus objectat morti, ut illos neci subtrahat, illos reservet ad vitam? Adversis pensatur amor, affectio probatur periculis, pœnis examinatur dilectio.*

Psal. 68. v. 5.

23. Magno illi Veronensium Pontifici, Zenoni inquam valde visum est extraneum & prodigiosum, quod amor verbum æternum per 9. menses in ventre MARIÆ Virginis Matris suæ ligare potuisset: *O Charitas, inquit, quantum potes? Nihil habet, qui te non habet.* Tu Deum virginali carceri 9. mensibus religasti. Quid sanctus ille & pientissimus Doctor diceret in præsenti eventu, quando scilicet amor Deum non alligat purissimis MARIÆ claustris, verum columnæ infami scilicet mancipiorum supplicio astringit: non illum clausum retinet in sacratissimo illo tabernaculo, quod sanctitate & pulchritudine, cum ipsomet concertat cœlo Empyreo, verum illum retinet in prætorio Pilati, quod veluti nidus est omnis impietatis, omniumque scelerum sentina: non illum opera & Magisterio Spiritus Sanctus vestit purissima carne, sed veste hac discingit & exuit, idque crudelium Sathanæ ministrorum opera, non illum inter horti illius conclusi reponit delitias, ubi sanctissimis horti illius affectibus recreetur & delitietur, verum illum libidini & liberæ voluntati exponit cohortis, ut proinde illi à sacrilegis turmis militari more illusum sit; non est in ventre benedictæ matris suæ speciosus forma præ omnibus Adæ filiis figuratus, verum sub crudeli impiæ synagogæ disciplina barbare omnino deformatus est. Dicat ergo merito Laurentius Justinianus: *O charitas, quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit? Nullum vinculum filium Dei ad columnam tenere posset, si charitatis vinculum defuisset.* Sit ergo glorificatus à nobis millies bonus ille JESUS, qui per se invincibilis existens, ab amore tamen erga nos vinci se passus est & cum thesauri adeo bene custoditi essent, ut contra illos nulla vis mortalis prævalere posset, nihilominus permisit,

Laur. Iust. lib. de ligno vitæ.

misit, ut immensæ charitatis suæ fortitudo & vis illis prævaleret, qui porrecto, fortissimo huic propugnaculo, quod custodit Israel, summo idipsum divitiarum suarum thesauro intus inibi asservato prorsus exinanivit: *Exinanivit semetipsum, hoc est, potestatem suam ab opere retraxit, ut humilitas otiosa virtute infirmari videretur.*

PUNCTUM IV.

24. VEnerandum illud caput, secretorum cœli consistorium hactenus, uti æstimo, à plagarum vulneribus intactum remanserat: pulcherrima illa lumina, quæ suis obtutibus ipsosmet inferni carceres beare potuissent, serenitatem suam nunquam perdiderant: Genæ illius quæ ipsis Seraphinis perpetuũ incendium erant, hactenus illibatæ fuerunt; frons illa, præ qua neque Sol ipse quicquam viderat, quod aut magis alliceret, aut amabilius esset, regia semper & majestate plenissima hactenus perseverabat: imo inter tot opprobria & contumelias in vultu illo quantumvis pallido & exsangui, & in quibusdam locis ex colaphis seu alapis livido etiamnum antiquæ pulchritudinis vestigia conspiciebantur, quando ad hoc ut benignissimus Dominus noster etiam gratiositate & amabilitate aspectus seu vultus sui exinaniri seu destitui posset in caput illius immittunt diadema quoddam ex acutissimis spinis ruditer complexum: *Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.* O *Rex gloriæ Domine IESV Christe* (verbis Bernardi uti eogor) *corona omnium te confidentium, te sequentium, pro te pugnantium, manentium in te, quis te tam amaro vinculo confusionis addixit? Ecce operuit confusio caput tuum, & faciem tuam amabilem. Ingeritur tibi à generatione prava & amaricante honor derisorius in corona.* O gloriosum caput auro obrizo, gemmis, imo radiis & stellis coronari dignissimum, qua ratione fit, ut hodie crudeli spina coroneris? Spina inquam ex una parte instrumento hactenus nunquam visæ confusionis, extremi item doloris ex parte altera? O veneranda capiti cæsaries, quæ pulchritudine tua solis splendores excedis, quomodo te hodie video nigris sanguinis grumis madidam & intricatam? O facies sanctissima quę unicum Angelorũ es gaudium, quò abiit pulcherrima illa tua serenitas? Quo illa gratiositas, quæ cordium humanorum dulcis violentia & magnes efficacissimus erat? *Non est ei species neque decor.* Ecce tibi illam naturali sua pulchritudine exinanitam: Ecce illam nostrum amore prorsus deformatam & destructam: Ecce illam confusione & verecundia omnino coopertam: *Non habebat speciem neque decorem* (respondet S. Augustinus) *ut tibi daret speciem atque decorem.* Ipse pulchritudinem suam amisit, ut nos speciosi evaderemus; neque curat in conspectu hominum brutus comparere ac

Serm. de Pass. cap. 4.

S. August. Tract. 19. in Epist. Ioann.

turpis, ut homines ante Deum gratiosi & pulchri comparere possent. Sic Martyres informabantur ad patientiam dicit S. P. Augustin. ne scilicet timerent quando capiti illorũ loco coronæ galeæ imponerentur igneæ atque candentes. Sic tolerantia commendabatur, ut omnibus fidelibus efficax daretur instructio æquis oculis omnia probra & contumelias à persecutoribus illatas sufferendi. Monstrabatur hoc pacto vanitas omnium mundi magnalium in quibus Regnum suum constituere dedignatus est Rex gloriæ: hac ratione virtus humilitatis hactenus à terra hac exulans reintroducebatur, modusque docebatur veram assequendi gloriam veraque magnalia: *Sic implebantur, quæ de se prædixerat Christus, sic Martyres informabantur ad omnia quæ persecutores excogitare poterant horrenda: sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia: sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat: sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili confusione, ut mirabili pullularet in gloria. Plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.*

Idem Tract. 16. in Ioann.

25. S. Maximus Episcopus Taurinensis satis mirari non potest magnam illam Domini humilitatem, quam exhibuit permittens ut Baptista manus suas capiti eius superimponeret ac baptizaret. Tanta sese benignissimus dignatione subjecit, ut illud sacratissimum caput tremendum potestatibus, Angelis venerandũ ad suscipiendum baptismum servuli sui manibus inclinaret. Verum adsis hodie ô Sancte & magne Sacerdos, & contemplare hoc longe magis mirandum, scilicet, filium Dei caput suum submittere, non jam dexteræ illius, qui totius terræ maximus est sanctus, verum sacrilegis sceleratissimorum totius mundi carnificum manibus: Non jam ut ab illis Jordanis aquis mysticis lavaretur, sed ut spineti cuiusdam acutissimis spinis & puncturis transadigeretur. Non jam hic videbis Spiritum S. in columbæ specie, sed potius Spiritum S. in humana similitudine seu figura. Non jam videbis cœlos, ad recognoscendum Dominum suum apertos, sed reclusum infernum, & potestates tenebrarum contra mundi Salvatorem dimicantes: non jam vocẽ audires paternam quæ innocentiæ filii sui testimonium reddat, sed millena testimonia falsa, quæ ipsum veluti mortis reum condemnent audires: *Quis te tam amaro vinculo confusionis addixit.*

S. Maximus Hom. 8. de Epiph.

26. Nihilominus *mysteriũ erat corona spinea,* dicit S. Cyrillus Hierosolymitan. erat haud dubie corona illa mysteriis & sacramentis, plenissima. Aliquæ sunt plantæ venenosæ, quæ satæ in terram bonam atq; sub nobilius atq; benignius cœlum repositę naturam suam mutãt, fiuntq; fœcundę, atq; dulcium feraces fructuũ. Sic spinæ in terra nostra ob peccatũ à Deo

S. Cyrillus Catech. 12.

à Deo maledicta plantatæ afflictivæ, & dolorosæ excrescebant: in terram autem sanctam & benedictam temporũ Christi transplantatæ pretiosæ factæ sunt & admodũ salutares, adeo ut hodie multi servi Dei una cũ Virgine Senensi ab hinc deinceps rosas spinis postpostituri sint, adimplebiturq; illud Prophetæ oraculum Ezechielis 28. *Non erit ultra spina dolorem inferens undiq; per circuitũ.* Hoc modo S. Cyrillus mysticã hanc Domini Coronam vocat *Solatiũ peccatorum, & dissolutionem maledictionis.* Porro si peccatores in divina pagina spinæ vocantur ad ignem destinatæ Isaiæ 33. *Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igne comburentur.* Attamen dum hodie spinas in capite Salvatoris repositas intueor, dicam id quod me docet S. Ambrosius quod corona de spinis capiti eius annexa ostendit, quod de peccatoribus mundi triumphalis Deo gloria quæreretur. Macti igitur animis estote peccatores, quippe Dominus non tantum vos non abhorret, non solum vos non rejicit à suo divino conspectu, non solum vobis non comminatur pœnas adeo bene meritas, quin potius veluti triumphum gloriæ suæ ex vobis nobile suum & majestate plenum diadema sibi conficit, & tanquam quod valde pretiosum vos venerando suo vertici imponit, videturq; de vobis dicere: *Gaudium meum & corona mea. Mysterium erat corona spinea.*

Ezechiel. 28. v. 24.

Isai. 33. v. 12

S. Ambros. lib. 10. in Lucam.

Prov. 26. v. 9.

27. Dicit sapiens Prov. 26. quod spinæ nascerentur continuo in manibus peccatoris: *Spinæ nascuntur de manibus ebriosi,* quod idem est, ac si diceret peccatorem operibus suis malignis, quę perpetuo perpetrat, se pũgere & torquere: nunc ergo ô supreme cœlorum Rex quod apprehenderis spinas nostras, easq; capiti imposueris, idem est, ac si arma è manibus ebriosi sustuleris, ne is deinceps iisdem lædat semetipsum. *Spineam coronam gestare voluit* (inquit S. Athanas.) *ut solicitudines vitæ nostræ exstirparet, & spinarum gestatione omnes in securitatem assereret. Ipse in doloribus erat, ut nos dolore careremus.* O Pater æterne, ô verè Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, nã ut nos in tantis nostris angustiis consolati essemus, permisisti ut unigenitus filius tuus desolatus existeret, & ut magna misericordia tua ingentibus miseriis nostris responderet, noluisti nec unicæ proli tuæ misericordem te exhibere. Quis hic nõ exclamet cum S. Augustino: *O immensa pietas! O inæstimabilis charitas! ut liberares servum filium tradidisti,* filium dereliquisti, ne nos derelinquere cogereris, ipsum tormentis exposuisti, ne torqueretur genus humanum, ipsum gloria spoliasti, ut nos gloriosi esse possemus: *Ipse in doloribus erat, ut nos dolore careremus.*

S. Athanas. Serm. de Pass.

S. August. lib. 5. contra Hæreses.

28. Adhæc vere ita est, in vestrum ô perfidi despectum inter tot Christo illatos contemptus, & vilipendia coacti estis, dum id minimè cogitaretis, confiteri hunc Christum vere totius universi Regem esse, & inter tot probra & blasphemias eũdem

dem præconizare seu proclamare Dominum gloriæ, idq; coronæ hujus impositione, nā ut dicit Plinius: *Corona antiquitùs nulli nisi Deo dabatur.* Unde S. Athanasius de hoc ingenti prodigio merito summoperè admiratur & exclamat: *O miraculum novum, & incredibile: quem per ludibrium pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta.* Interea dum & illudebant exaltabant illum, & quando statuebant gloriam eius illum coronando sepelire, ipsum vere gloriosum declarabant: atq; si corona eius ex spinis facta est, etiam antiqui è quercu coronabant eos, qui civi cuipiam vitam servasset, ad insinuādum, eum qui ejusmodi est, alia corona non indigere, per quam valorē suum accipiat, utpote qui virtute sua sufficienter coronatus sit unde meritò exclamat Historicus ille Plinius: O mores æternos, qui tanta opera honore solo donaverunt, & cum reliquas coronas auro commendarēt: salutem civis in pretio esse noluerunt. Agedum igitur ô sanctissime gloriæ Rex qui pro honore personę tuæ conciliando, non indiges gemmis aut auro coronari, corona nāq; tua sunt opera tua sublimia & excelsa, nec non & tua illa singularis virtus, quæ te hodie inter hasce spinas facit comparere majori circumdatū gloria, quam comparere possint Reges terræ cymeliis pretiosis, auro & margaritis amicti & compti. Corona tua sunt animæ per te redemptæ, atque è peccati captivitate efficacissimè liberatæ: corona tua sunt Martyres, qui pro te sanguinē & vitā suam profundent, aliją; tui fidelissimi servi qui amore tui mundū, cūctasq; res mūdanas pedibus suis calcabunt, & tametsi nunc in hoc doloroso diademate totus deformatus, omnią; exutus pulchritudine compareas, recordare tamen interea hāc tuam deformitatem Ecclesiæ charissimæ sponsæ tuæ eam conciliaturā esse elegantiam, & speciositatē, quæ oculis tuis summo gaudio, Angelis autem in cœlis æternæ futura sit admirationi. *Mysterium erat corona spinarum.*

S. Athanas. Serm. de cruce & Pass. Domini.

Plin. lib. 16. cap. 4.

29. Verum en tandē coronatus Rex noster in publicū egreditur seq; turbæ principatus sui insignibus instructum, conspiciendum exhibet, purpureo coopertum paludamēto, arundinē loco sceptri manu sua ferentem, atq; hoc modo is, qui cœli est pulchritudo & decor, ab omnib⁹ conspicitur amore nostri omni sua speciositate & pulchritudine inanis & vacuus, videtur inquam Princeps ille noster ab omnibus (loquar cum S. Augustino.) *Non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Exivit ergo IESVS portans coronam spineam & purpureum vestimentum, & dixit eis Ecce Homo.* En præsentem hîc vobis hominem illum adeo à vestra rabie male tractatum, ut non amplius homo appareat esse. Ecce homo ille, qui à vobis tanquam reus accusatus, reipsa vero adeò innocens repertus, quam esse possit ullus inter homines. Ecce homo cui tantopere invidistis quia Regem se vocavit cum tamen aliàs à vobis quæsitus sit eo fine, ut illum Regem vestrum crearetis: *Si Regi*

S. Augustin. Tract. 16. in Ioann.

invi-

invidetis (loquor cum S. August.) *iam parcite quia deiectum videtis, fervet ignominia, frigescat invidia*, at vero nequaquam obstinata isthæc pectora ad tam miserabile & dolorosum spectaculum, quod insensatas emollire petras posset commoventur, imo sacrilega ora sua aperiunt vociferantes: *Tolle tolle crucifige eũ*; ecce dicit S. Gregorius completum oraculum Iob: *Terra de qua oriebatur panis, in loco suo succensa est*, hoc est, Terra Iudæa, in qua nascebatur panis legis, ignem produxit invidiæ, terra inquam, à lege quidem suaviter pasta, ab invidia vero crudeliter consummata, *videbant*, sunt verba Greg. *vnde converti debuerunt, atque exinde perversiores fiebant: quærebant extinguere, quem cernebant mortuos vivificare: in ore ferebant legem, sed legis persequebantur authorem. Terra ergo de qua oriebatur panis, in loco suo igne subversa est, quia Iudæa in semetipsa & prius habuit legem quæ reficeret, & postea invidiam quæ cremaret.*

S.Gregor. lib.8.moralium.

30. Interim dilectissimi verba hæc *Ecce Homo* tanquam nobis dicta accipiamus. Ecce filius Dei nostrûm amore factus homo, ut hac ratione veluti homo eas sufferre posset iniurias, quas sibi proprias habet homo. Ecce homo per antonomasiam sapientissimus, rationabiliumque consiliorum plenissimus quibus modum humanam naturam Deo reconciliandi adinvenit. Ecce homo, qui cum Deus esset, ad miserias nihilominùs hominis se demisit, vt hominem sublevaret, & vt S. Chrysostomus dicit *totius Dominus naturæ, servi formam intravit, vt totas servitutis iniurias sustineret. Ecce Homo*, O Homo divine, qui & hominem redimeres homine minor factus es. O Homo vere humanissime & amabilissime, qui vt rem adeo modicam, veluti homo est, recuperares, adeo magnum pretium, quantus tu ipse es donasti, ut Deus sit & Homo. O Homo hominis reformator tanto tuo sumptu factus, vt adeo deformis factus sis, vt vix Homo esse videreris: *speciosus forma præ filiis hominum*, (dicit S. Bernardus) *præ filiis hominum decorandis obscuratur in passione, turpatur in cruce, pallet in morte, & ex toto non est ei species neque decor, ut sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine macula atque ruga. Ecce Homo, Ecce Homo*; non iam homo amplius O Deus meus, dicat, quod hominem non habeat. *Hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam*, neque amplius illud Ieremiæ verbum replicet: *Maledictus homo qui confidit in homine*, imo potius benedictus est homo ille, qui in hoc confidit cœlesti & divino homine, in hoc homine novo, in hoc homine hominum omnium Salvatore. Benedictus qui ita prudens extiterit, vt appretiari norit honoratissimos illos contemptus & ignominias gloriosas Christo illatas, vti anima illa devota faciebat, quæ dicebat: *Quam decorus es mihi Domine IESV, etiam in*

S. Chrysost. hom.6.de Pass.

ipsa tui depositione decoris. O quam pulcher es inter ipsas quoque turpissimi mundi deformitates! O quam gratiosus inter ipsos sacræ humanitatis infortunatos eventus, quæ facta est veluti scopus ad sagittam iræ dæmonum & crudelitatis mortalium' *O novissimum & altissimum! O humilem & sublimem! O opprobrium hominum, & gloriam Angelorum.*

31. Interea te O dominator Paradisi toto cordis nostri affectu per illos contemptus tuos & iniurias obsecramus, ut miserias nostras misericorditer respicere, nostræque temeritati compati digneris, quod innocentiæ baptismatis vestem toties turpissimis culparum maculis contaminaverimus: quod è pectoribus nostris pulcherrima tui imagine abolita turpem in vicem seu locum veteris Adæ superinduxerimus imaginem; quod offensas contra divinam personam tuam factas toties iterando à vertice ad pedis plantam vsque fœtidissimus cooperti plagis: cooperiat O benignissime Domine sanguinis tui purpura id, quod divinis oculis tuis in nobis displicet, funibus illis, qui tuas illas cœli terræque fabricatrices manus constringunt, impetuosæ nostræ in nobis ligentur & reprimantur passiones; sit nobis spinetum istud, quo tempora tua cinguntur, contra omnes stultas & importunas cogitationes, contraque pravas mundi & carnis suggestiones tutamẽ & defensio, denique fragilis subsistentiæ nostræ arundo in beatis manibus tuis consolidetur, atq; stabilis & alacris evadat. Amen.

PARS TERTIA & PVNCTVM V. & VLTIMVM.

32. SIcut nobis qui mortales sumus, lex universalis & inevitabile est decretum mortis parere imperio: ita Deum immortalem cui vita essentialiter convenit mortem subire maximum semper existimatum est mundi prodigium, & tamẽ hodie videmus ipsam vitam amore eius qui necessariò mori debebat, vita exinaniri, atque mori eum qui vivit, ut vivat qui moritur: *Exinanivit semetipsum, vt humiliatus otiosa virtute infirmari videretur*; id quod erat vltimum punctum nobis proponendum, nec non vltimus lamentabilis huius tragœdiæ actus. Et quidem O amor divine quantum fuisti ingeniosus & potens, ingeniosus quo ad artem, potens quoad virium fortitudinem, ars tua modum invenit Cœli terræq; Dominum communicandi cum hominibus; fortitudo tua nova, nec hactenus visa potentia vim fecit fortitudini divinæ, atque inexpugnabilem vitæ arcem superavit, inferendo mortem illi, qui morti subiectus non erat, *non erat illi* (dicebat S. Augu-

S. August. serm. 144. de tempore. Augustinus) *unde haberet mortem, non erat nobis unde haberemus vitam; accepit ille mortem de nostris, ut daret nobis vitam de suo*, huius obsecro mysteriosæ mortis pia cum attentione consideremus circumstantias, forte enim inde fiet ut corda adamantina huius innocentis agni sanguine emolliantur & confringantur: forte dum regiâ Crucis virgâ obstinati cuiuspiam & rebellis pectoris petra percutitur, inde devotarum lacrymarum humorem eliciet: forte universalis totius naturæ motus viscera quoque insensati alicuius commovebit, aut compassivum aliquod cordis suspirium exprimet, eoque eundem rediget, vt cum illo quondam Servo Dei scilicet Emisseno ipse quoque dicat: *Cur pretiosus authori meo, apud me vilis sum.*

Emissenus Homilia de arbore infructuosa.

33. Verum ante omnia alia menti meæ occurrit is, qui Iudex mortis huius fuit; voluit enim Christus per Iudicis alicuius sententiam mori, ut hac ratione mors acerbior esset Luc. 23. *Tunc Pilatus adiudicavit fieri petitionem illorum, dimisit autem illis eum, qui propter seditionem & homicidium fuerat missus in carcerem, quem petebant, IESUM vero tradidit voluntati eorum.* O Iudex iniquissime, quo te tua perducit cœcitas, aut vanus timor tuus, aut ambo simul? cœcitas tibi non permittit vt videas, quod verè illum iudices, qui vivorum & mortuorum est Iudex: Timor vero cogit te, vt contradicente tibi conscientia tua tanquam reum condemnas illum, quē ipsemet inculpatum esse confessus es; quis unquam cogitasset fore, ut humana temeritas eò dementiæ redigeretur, ut hominem seditiosum Deo pacis postponeret, Homicidam vitæ datori, enormissimorum criminum reū illi, qui fons est omnis sanctitatis & iustitiæ? si in Christo ingens illud meritum non agnoscis, ubi saltem demeritum, quod mortem mereretur, deprehēdisti? si non vidisti illum vere Deum esse, cur illum non tractasti saltem ut hominem? si tibi curæ non fuit acceptare illum, uti conveniebat, veluti Regem, quomodo oblitus es illum recipere saltem tanquam Magistrum? si illum noluisti honorare uti filium Dei, cur illum sicut opprobrium hominum inhonorasti? si illum nō existimasti veluti caput, & cæteris maiorem, quomodo eundem veluti omnibus homicidis aut subornatoribus minorem aut deteriorem condemnasti? Barabbas plebem ad perfidiam & seditionem excitat, & absolutus erit: Christus ad humanarum divinarumque legū observantiam exhortatur, eritque condemnatus? ille vivos pariter & innocentes occidit: hic vero etiam mortuus vitam largitur, & reus proclamatur? ille civium rapit substantiam, omniumque favore & gratia dignus est: hic ingentes suas divitias prodigiose distribuit, & odium promeretur ad malevolentiam? hocci-

Luca 23. v. 24.

hoccine est illud innocentum refugium cuius gratia curiæ & tribunalia sunt instituta? hæccine oppressorum ac desolatorum spes & fiducia? *vt ibi inveniatur dolor, vbi putabatur auxilium*, verbis loquor Sancti Hieronymi, dumque Barabbas absolvitur, condemnatur vero Christus, quid fuit hoc aliud dicere, quam occidatur ille, qui suscitat mortuos, & dimittatur latro, qui occidit vivos? vti discurrebat S. Augustinus. O sine iudicio mundi iudicia, quam temeraria estis & fallacia? O imprudens carnis prudentia, quam graviter tuis erras in consiliis? O passio humana, quam violenta es & vrgens, quam es stulta omnique consideratione destituta? vbi nunc estis O Iudices mali atque perversi? vbi vos O dierum nostrorum veri Pilati, qui ob modicum interesse & lucrum vestrum pedibus conculcatis omnem pietatem ac debitum, leges quoque humanas ac divinas? Christum tunc condemnastis, quando pupillum innocentem, afflictam viduam, aut pauperem desolatum condemnastis. Tunc ipsum reo posthabuistis, quando ad obsequendum irrationabilibus innocentum prætextibus, vos omnibus rationibus adductis opposuistis; quando ad subterfugiendum amici offensam, non curastis offendere Creatorem, quando ad adulandum Magistratibus, in quibus vestram collocatam habebatis fiduciam, omnem in cœlo fiduciam post tergum reposuistis. Alacres sint & evigilent, monet S. Augustinus, qui ad regendum Reipublicæ navigium ad clavum collocati sunt, ne perdant dum lucrari quærunt. *Ne forte dum acquirunt, perdant; nemo enim habet iniustum lucrum sine iusto damno, vbi lucrum & ibi damnum, lucrum in arca, damnum in conscientia. IESVM vero tradidit voluntati eorum.*

S. Hieron. in Mich. 7.

S. August. Serm. 215. de temp.

34. Atque O ingens cordium humanorum perversitas, quia Dominus totius universi in passionum incompositarum arbitrium traditur, absolutus mortalium Dominus, inordinatæ mortalium obsequitur voluntati, æternus moritur Deus, vt terreni & animales vivant peccatorum affectus. *IESVM vero tradidit voluntati eorum.* O DEVS meus anne ab ingratitudine nostra ignominiosiorem exspectare poteras iniuriam? quod tu ab impiis manibus nostris occidaris, ad hoc, ut malæ cordis nostri inventiones vivant, hic certe nimius est scelerum nostrorum excessus, & tamen quoties ego te offendi, toties vitam tuã contempsi, ut tu igni furoris mei, libidinis meæ calori, siti emolumenti mei, atque superbiæ meæ fumo vitam dares. JESUM vero tradidit voluntati eorum, quid tibi O paradisi gloria in manibus feræ adeo crudelis, uti est humana voluntas aliud superest, quam ut illa ab ipso mundi exordio assueta te lignis sive arboribus offendere, tibi quoddam infamis ac pœnosi patibuli lignum fabricet, in quo indignissi-

gnissimis clavis confixus vitam tuã perdas? *Et baiulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum.*

35. O Fortunatum lignum cui fœlix sors illa obtigit, ut instrumentum fieret tantorum mirabilium, videlicet salutis mundi, reparationis Angelorum, acquisitionis cœlorum, atque internecionis ipsiusmet inferni, quænam adeo fœlix silva te O pretiosa planta produxit, vtpote quæ thronus Regis gloriæ facta, iubilus quoq; & exultatio facta es Cœli & terræ? quænam adeo benedicta terra mater tibi extitit, O chara spes cordium nostrorum, teque ad maiora enutrivit magnalia, quam in hoc mundo nostro vnquam visa sint? quis humor ille, qui tuas illas beatas humectavit radices, teque fœliciter vegetari & crescere fecit, ut columna fieres triumphalis Redemptoris nostri? Nunc ego te video in pectore Equitum nobiliũ, in manibus sacerdotum, in frontibus Regum, in fidelium ore, atque in corde iustorum, nũc ego te ab ipsomet Dei filio amplexatam atq; summo cum honore & reverentia tanquam iubilum cordis sui singularem receptam video, vt videlicet honore isto omnes terræ huius dishonorati semper cohonestentur, audio nunc teneros illos & affectuosos accentus, quibus ab incarnato Verbo reverenter salutata fuisti te hoc modo alloquente. O Crux thesaurus animæ meæ, O gaudium viscerum meorum, quanto tempore tuam desideravi præsentiam? quoties te expostulavi ab æterno Patre meo? quanta cum siti toto vitæ meæ tempore exspectavi vt tandem hora ista millies mihi beata adveniret, ut te brachiis meis cõstringere, ore te exosculari atque contemplari oculis meis possem. O lignum benedictum votorum & desideriorum meorum complemẽtum. Nihil te minus æstimo, quam gloriæ meæ thronum siquidem si in illo adoratus sum ab Angelis in te ab Angelis pariter adorabor & hominibus; atque id quod vivus inter Seraphinorum laudes facere non potui, id super te mortuus efficiam inter blasphemantium iniurias, totum mundum ad obsequium seruitutis meæ attraham per abiectionis & vilitatis tuæ humilitatem, & quos non est concessum trahere per Maiestatem & magnitudinem gloriæ meæ, illos meos esse faciam per tuas iniurias & ignominias tuas, siquidem inter tot potentiæ meæ demõstrationes me non cognoverunt. *Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.*

36. Cur autem piæ & afflictæ illæ mulieres adeo plangunt & lamẽtantur? *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabãtur eũ*, importunæ sunt hæ lacrymæ in tanti triumphi festivitate, vanus est plãctus inter iubilos & hilaritates adeo honoratæ victoriæ, vani gemitus atque suspiria inter tam ingentis & insignis lucri emolumenta. Crux illa quæ ab illo in sacratis suis humeris

Lucæ 23. v. 27.

meris deportatur. O Matronæ Hierosolymitanæ si id nescitis, insigne est Principatus sui: Patibulum istud, quod tantum vobis adfert horrorem, clavis est Paradisi, arbor illa, quæ à vobis, & toto mundo execranda æstimatur & maledicta, eiusdem mundi salus erit & benedictio, venerandum lignum illud, non iam deinceps amplius mortuorum feretrum erit, sed Cunæ vivorum: non mancipiorum supplicium, sed insigne Dominorum: trophæum victorum, non pœnitentia eorum qui victi sunt, & uti docet S. Augustinus: *Crux honorata est & finita, finita est in pœna manet in gloria: à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum.*

S. August. in ps. 36.

37. Et tu O munde quid facis ad magnum hoc spectaculum? quid ad pii huius sacramenti conspectum cogitas? quando amicus crucis eris, si modo illius inimicus existis? quando Christum ad Calvariæ montem sequi audebis; si nũc illum fugis; hodie, si forte id nescis, præceptum illud tibi intimatur, quod in divinis scripturis legimus Iosue 3. *Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite & sequamini præcedentes*, quando S. Crucis arcam à summo sacerdote nostro portari videritis vos quoque consurgite, & festino passu illum insequamini. ad Crucem. O popule Christiane, non iam dicam invitati sed violentati quodammodo sumus, ponderosa quidem Crux est, sed portatur simul cum Christo, deformis Crux est, sed chara & amabilis facta est, ex Christi Societate atque consortio. Crux maledicta est, sed etiam consecrata est atque à Christo benedicta; Crux est infamis, sed per Christum gloriosa facta est & honorata.

Iosue 3. v. 3.

pœnam vestivit honore:
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.

Sedulius l. 5.

canit Sedulius Poëta Christianus. *Consurgite consurgite, & sequamini præcedentes*, audiamus omnes verbum illud Pauli ad Hebræos 15. *Exeamus igitur ad eum extra castra improperium eius portantes.* Exeamus in Societate Domini ad montem Calvariæ vltro improperium eius portantes, quod nobis in fœlicitatem cedet & consolationem: associemus Capitaneum nostrum in via passionum suarum, si socii illius esse volumus in terminis gloriæ: portemus crucem in humeris, si Coronam in Capite portare desideremus. *Et baiulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.*

38. Salit interea Rex noster super thronum Regni sui, à toto mundo liberalis conspicitur usque ad sanguinem, & usque ad vitam prodigus, erigitur in deserto nostro mysticus hic serpens, ut nunc deinceps humanæ plagæ curatæ existant, audio iam funestorũ ferramentorum strepitus, audio truculentos

ſentos ictus malleorum, iam video puriſſimam & innocentiſſimam hanc victimam in altari Crucis extenſam, iam è manibus & pedibus profluunt rivi pretioſi ſanguinis, qui pretium eſt Redemptionis noſtræ, & immundi, & reprobi mundi huius purgatio & decor, iam Dominum gloriæ in medio duorum latronum conſpicio. Lucæ 23. *Poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum; venite adoremus & procidamus ante DEVM, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius & oves paſcuæ eius*, venite quotquot eſtis omnes, & adoremus Regem & Deũ noſtrum ex mero amore uſque ad crucis ignominiam humiliatum, adorate magnum hoc divinarum miſericordiarum tribunal, adorate glorioſas has ſui demiſſiones, & honoratiſſimas eiuſdem ignominias, adorate benedictos illos claves qui veræ Cœli claves ſunt. *Ecce quomodo amabat eum*, dicebant Hebræi, dum illum ad Lazari ſepulchrum plangentem viderent, & quid nos O dilectiſſimi dicemus videntes eum ex omnibus corporis ſui partibus plangentem ad ſepulchrum Adami in monte Calvariæ lacrymas ſanguinis? *Ecce quomodo amabat eum.* Ecce quomodo charum hunc amicum ſuum deperibat, cuius mortem tam copioſa lacrymarum deflet abundantia, cuius vitam tanto recuperat pretio, cuius ſalutem tam ſumptuoſa reſtituit medicina?

Lucæ 23. v. 33. Pſal. 94. v. 6.

39. Tantum infœlicem nimium dilexit amicum. O Sancte & Benedicte mons Golgotha, qui altorum adeo & profundorum conſiliorum ſapientiæ divinæ teſtis extitiſti! tu illum in ignominioſo patibulo nudum vidiſti, qui prata herbis veſtit, & hortos floribus, tu pios illos concentus audiſti, qui petras frangere potuerunt, nec tamen potuerunt diſcindere corda, tu vltimos illos conflictus, & extremas deſolati Redemptoris contemplatus es agonias, tu vidiſti tantam patientiam inter tot tantaſque paſſiones, tantum amorem inter tanta odia, inter tantas vexas tantam pietatem, beatum illud ſolum tuum aſperſum fuit cœleſti illo balſamo incurabilium infirmitatum noſtrarum vnica & ſingulari medicina. Mons verè memorabilis & glorioſe, in quo æternus DEVS terræ ſalutem operatur modis adeo reconditis & novis, mons miraculoſe in quo viſa ſunt prodigia nunquam hactenus viſa, in quo mors mortua eſt dum moritur vita, Cœlum terræ apertum, eo tempore, quo ſi vnquam, tunc certe Cœlo indigniſſima erat. DEVS homini reconciliatus eſt, quando homo grandem adeo contra DEVM iniuriam molitur. Mons pietatis & miſericordiæ, in quo Regnum donatur omnibus, ad ipſos & uſque latrones, ipſis quoque Crucifixoribus impetratur venia: *Et ipſum ſanguinem*, dicit Auguſtinus, *quem per ignorantiam fuderunt*

fuderunt, per gratiam biberunt, mons plene divitiarum & thesaurorum, vbi per quinque Canales munificentia certe DEO digna in tanta Copia ad nos derivatæ sunt divinæ misericordiæ, mons myrrhæ & thuris conformiter illi oraculo: *Vadam ad montem myrrhæ & thuris*, myrrhæ propter Christum, thuris propter nos; myrrhæ ob passionis amaritudinem, thuris ob fragrantiam sacrificii; mons in quo Dominus toti humanæ generationi nobile quoddam & sumptuosum exhibuit convivium, in quo Carnem suam in cibum, & sanguinem suum dedit in potum, vti antea prædixerat Isaias: *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinquium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Mons denique qui pompa & maiestate sua cum ipsomet concertat cœlo empyreo, tametsi enim Christus ibi in cruce constitutus sit, non vero in throno resideat, tanta tamen ibi potentia valet, vt crucem præ quocunque throno gloriosiorem reddat, tametsi non sit in cruce inter Seraphinos, sed inter latrones, & est tamen inter illos longe admirabilior, quippe qui latrones in Seraph. numerũ repente reponere potest, tametsi in Cruce blasphemiæ audiantur Pharisæorum, non vero Angelorum laudes, magna tamen laus eius est, quod laudẽ quoque suam ex ipso blasphemantium ore eliciat, faciatque honoratum illud resonare encomium: *Vere filius Dei erat iste*. Tametsi ibi fel bibat Hebræorum, non vero vinum gloriæ, attamen gloria eius est specialis, quod de amaris suis labiis foras emanare faciat accentus illos suavitate & dulcedine plenissimos: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*. Tametsi ibi coopertus sit plagis & livoribus, non vero luce & splẽdoribus amictus, tamen maius miraculum est, quod in extrema illa humilitate & abiectione ab omnibus recognitus sit creatis. *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte Sancto eius*. Psal. 98. v. 9. Ah quis mihi det ut super fœlicem hanc terram sanguine mundi Redemptoris exhilaratam prosternere me possim? quis mihi det ut pulverem illum auro gemmisque pretiosiorem lingua mea valeam lambere? quis mihi det vt sanguinis & vitæ meæ pretio desolato Christianismo sacratissimum collem istum recuperare queam? aut vero si vita mea tanti nõ valet quis det ad minus tãtam dictioni meæ vim, ut Principibus Christianis persuadere possim, ut alternantes illas contentiones & bella, quibus se mutuo pertinaciter infestant, nec non & arma sua maiori cum fervore contra barbaros illos venerabilis illius & augustissimæ tanto tempore obtentæ terræ iniustos possessores converterent? quænam enim mirabilis & extraordinaria est isthæc stultitia, ad hoc vt proficiat & floreat illud imperium latronum, nominis & reputationis nostræ Capitalium inimicorum, malè se invicem tractare

& destruere illos, qui tandem in fine per amicitiam sunt colligati, Religione Fratres sanguine autem & parentela coniuncti? ergone tantus sanguis fundetur, ut vel unus superbi Principis ambitio satietur, aut satisfiat cupiditati avari cuiusdam ministri, vel invidia alicuius potentis sua vindicta non careat, interea vero permittatur ut canes illi rabidi, qui ex tam diuturna nostra socordia & negligentia insolescunt, & à castigationibus adeo bene promeritis liberi remanent, miserias nostras superbe rideant? ergone mundus vniversus susque deque vertetur? vasti campi ferro cooperientur & chalybe? maria integrarum sylvarum spoliis impedientur, sive ad acquirendum sive conservandum modicum terræ dominium, & nihil Curæ erit, ut è publici inimici nostri manibus terra illa eripiatur, quæ sanguine Christi olim flagravit? illa terra, ubi amissam spem nostram recuperavimus? illa terra in qua donatum nobis est cœlum? illa terra ubi vitæ Dominus vita se exinanivit, ut vitam nobis daret? *Exinanivit semetipsum, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur.*

40. Verum propius nonnihil, obsecro vos, appropinquemus sancto Crucifixo, videtur enim loqui velle, & forsitan prius, quam moriatur suum volet ad calamum dictare testamentum: *Melioris testamenti mediator est, quod melioribus sanctionibus sancitum est* dicebat S. Paulus Apostolus: novum hoc testamentum comparans cum veteri. Heb. 8. v. 6. O vere mirabile testamentum, in quo magnus hic testator paucis in capitulis vltimam suam voluntatem manifestat, & ut magno suo satisfaciat affectui complete & perfecte omnium recordatur, legando inimicis veniam, Paradisum latroni, matri discipulum, discipulo MARIAM in matrem, exemplum mundo, Ecclesiæ amorem, mutationem Synagogæ, ac denique Patri Spiritum.

41. *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*, hæc est prima pars testamenti Christi, hoc est punctum quod firmiùs menti suæ inhærebat, hic est thesaurus in domo Domini magis appretiatus, quem desiderabat maximè in manus hæredis sui pervenire, ad hoc, ut omnes intelligant, quantum peccatores amaret: illos quippe amabat, qui adeo magnũ cõmiserant peccatũ, quãtũ culpas dissimularet, qui illos dissimulabat, & apud Patrẽ suum excusabat, qui Cruci illũ affixerant: quã facilè acceptarum iniuriarum oblivisceretur, quando ne quidem illius iniuriæ meminisse volebat, quam ob oculos positam habebat: quantum mundi salutem desideraret, quando fœcibus & corruptelæ totius mundi veniam postulabat, in summa ad hoc ut nos illam S. Augustini faceremus consequentiam. *Quid non dimittitur, si hoc dimittitur?* & illam Ambrosij: Lib. 2. de fide cap. 3. *Quis appetitus non discat ignoscere,*

quando pro persecutoribus suis Christus & Crucifixus orabat? denique vt omnes in admirationem raperemur immensæ illius charitatis, diceremusque cum S. Bernardo: *O quam multus es ad ignoscendum! O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! O quam longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! O quam firmata est & super impios misericordia tua! Mira res! ille clamat ignosce, Iudæi Crucifige, molliti sunt sermones eius super oleum, & isti sunt iacula.*

Sermo. 4. Hebdomadæ pœnosæ.

42. At vero fœlicissime bonus ille latro ibidem aderat, vtpote qui desiderabat & postulabat in testamento Christi nominari, dicitque Memento mei dũ veneris in regnũ tuum, qui gratissimũ ad hoc refert responsum: Hodie mecum eris in Paradiso. *Qualis latro* dicit S. Aug. *pendens in Cruce cũ Domino, agnoscẽs in Cruce Dominũ? alii non cognoverũt miracula facientẽ, agnovit ille in ligno pẽdentẽ.* O q̃ viva fuit illa fœlicissimi huius latronis fides, qui Dominum cœli illũ esse credit, quẽ propriis oculis suis opprobrium terræ factum esse conspiciebat? O quam ardens charitas illa, quæ illum inter dolores Crucis suæ, sui ipsius oblivisci faciebat, ut Christo similiter Crucifixo sacrificium latriæ offerret? O quam secura & indubitata spes illius erat, quæ effecit ut regnum gloriæ à Rege dolorum efflagitaret? O quam erat amor illius fraternus adeo tener in illo, qui illum docebat socium suum blasphematorem cum dexteritate corrigere? quam erat in illo sincera humilitas, quæ ipsum peccata sua coram universo populo confiteri fecit? quã invicta illius fortitudo, quæ illum animabat, ut Advocatum se præstaret illius, qui in publico & Vniversali consensu tanquam reus condemnatus fuerat, quam cœlestis erat illa eius civilitas, quæ ipsi epithetis ac titulis civilibus, & honoratis & dignis invocandum monstravit illum, quem ab omnibus contumeliari & iniuriis affici videbat? *O beatissimum latronem*, exclamat S. Drogo Episcopus, *imo non latronem, sed Martyrem & Confessorem, necessitatem enim vertit in voluntatem, pœnam mutavit in gloriam, & crucem in triumphum.* O beatissime latro qui stans in Cruce magno tuo ingenio invenisti modum convertendi necessitatem in voluntatem, violentiam in patientiam. Crux tua non iam malefactorum est supplicium, sed Cathedra Magistri, instrumentum est martyrij, non culpę tormentum, trophæum gloriæ, nõ nota ignominiæ. O millies fortunate, nam dum universus mundus hunc Christum deserebat, ipsumq; iniuriabatur, tu primos illi passionis tuæ fructus obtulisti. *In te beatissime Confessor & Martyr*; dicit prędictus ille Doctor, *de totius mundi sterilitate fidei reliquias collegit Christus.* Idque O Christiane, ut omnes peccatores tanto magis auderent, nec diffiderent de Domini pietate & misericordia, quantumvis enormiter & graviter illum offenderint; vt con-

August. in Psal. 139.

Lib. 1. de pass. Domini.

ut consolatio & spes fieret totius populi, absolutio unius desperati, & privatum donum in publicum cederet beneficium: ac denique ut & nos eadem, qua Ambrosius, fiducia diceremus: *Nemo est qui possit excludi, quando receptus est latro.* In Psal. 19.

43. Tertio loco Matris recordatur, & dilecti sui discipuli, qui ibidē præsentes existebant, Ioanni dans MARIAM in matrem & Mariæ Ioannem in filium. *Ecce filius tuus. Ecce Mater tua.* hic bene video admirationem illam S. Bernardi non fuisse irrationabilem dum dicit: *O qualis commutatio Ioannes pro IESU traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, purus homo pro vero Deo,* porro docet hoc loco Christus, uti advertit S. P. Augustinus, ut parentes nostros honore prosequamur: *moralis insinuatur locus : exemplo suo suos instruxit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus; tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, & cathedra fuerit magistri docentis.* Idem Cyrillus hisce verbis docuit: *oportebat ab ipso, & per ipsum primo nos discere, nec quando intolerabiles imminent ærumnæ negligendos esse parentes,* & certe rationabilis erat isthæc consolatio, tam quò ad matrem, quam quò ad discipulum, quò ad matrem quidem, utpote quæ sub cruce illos toleravit dolores, à quibus in partu exempta fuerat, uti docet Ioannes Damasc: *Dolores partus quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex materna compassione,* quo ad discipulum vero qui solus inter cæteros condiscipulos Magistrum Crucifixum non dereliquerat, unde dicit Theophylactus: *Papæ! quomodo honorat discipulum fratrem suum illum faciens? usque adeo bonum est iuxta crucem stare, & manere apud patientem Christum,* quoad matrem, utpote quę ad amoris mēsuram filii sui passiones sensit, unde à Sophronio vocata est plus quam martyr. *Quia mente passa est, plus quam Martyr fuit, nimirum & eius dilectio amplius fortis quā mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.* Et Ildephonsus in eodem sensu hæc verba dicit: *Plusquam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mœroris fuit,* quò ad discipulum vero, utpote qui ea cum diligentia, quam amor adhibere solet, ultimas passi Redemptoris res gestas scripsit, veluti testis & magnorum illorum sacramētorum prothonotarius, quia, ut notat S. Ambros. *Testabatur de cruce & testamentum eius signabat Ioannes dignus tanto testatore testis.* Lib. 11. in Lucam. Denique quoad utrumque simul, ut rarā constantis servitutis utriusq; fidelitatē digno præmio remuneraret, dando videlicet matri in filium talem hominem, qui tametsi Deus non esset, erat tamē maior Dei amicus inter omnes: discipulo v. in matrē consignando eā mulierem, quę superior erat illi, quod nō est Deus; & sicut loquitur Cyprianus illi veluti dilecto Camerario suo thalamū humanitatis suæ consignādo: *cōsidero te in cruce de matre solicitū, cui volēti* (loquor

tecum) *cum evangelizares, negaveras retroactis diebus colloquium, nunc materno moveris affectu & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto cõmendas, & provides sedulo benedictæ inter mulieres apostolicam clientelam, & obsequium virginis virgini discipulo tradis.*

44. A matre transit ad Patrem, eidemque extremos cruciatus suos amorosa querimonia lamentatur dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostẽsio Maiestatis* dicit S. Bernardus, quasi diceret O Pater æterne si filius tuus ego sum, quomodo me velut extraneum dereliquisti? si mea mediante virtute, qui verbum tuum sum, mũdum creasti, qua ratione sufferre potes, ut tota mundi potentia contra me rebellet? si innocens sum ego, quomodo inter sceleratos & reos me connumerari permittis? Si tu es oppressorum protector, & opprimentium Iudex, cur ergo condemnatus ad mortem sum ego, vivis interea relictis inimicis meis? si æterna prudentia terram gubernas, cur illi non faues, qui nunquam aliquid præceptorum tuorum violavit: altera vero ex parte omnium legum transgressores protegis? *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?* Tria autem puncta optimus Deus hoc in facto docere voluit. Primum est quod videlicet unà cũ natura nostra nostras pariter assumpserit fragilitates & uti S. Hieronymus dicebat. *Hominem assumpsit, loquitur secundum hominem.* Secundum, quod in tribulationibus nostris per orationes ad Deum recurrere debeamus, uti Sancta illa anima faciebat, quæ ante, quam in hanc rem exemplum Christi haberetur dicebat Psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Tertium, quod agnoscere debeamus omnes eventus, quicunque demum illi sint, à Deo disponente proficisci, sine cuius permissione ne folium quidem ex arbore decidit, unde dicebat Ambrosius *quod clamabat homo divinitatis separatione moriturus*; ubi non erat mens illi dicere, quod divinitas unquam quò ad essentiam ab humana natura separaretur, sed quo ad auxilium duntaxat & consolationem, quæ Christo ab æterno Patre in inferiori sui parte negata fuit. Cui proinde quantum obligati simus sermone quis explicabit? Siquidem derelinqui voluit, ne nos à Deo derelinqueremur aut desereremur. Ita me Cyprianus docet: *derelictus est Dominus*, inquit, *ne nos derelinqueremur, derelictus est, ut à peccatis æternaq; morte liberaremur, derelictus est, ut amorẽ suum erga nos ostenderet, ut iustitiam misericordiamque suam nobis patefaceret: ut amorem nostrum ad se raperet.*

45. Quinto loco Ecclesiæ suæ pretiosum quoddam & inæstimabile Cymelium post se reliquit; estque amor ille, & desiderium salutis eius, unde ardentissima quadam siti se torqueri lamentatur dicens, Sitio. scito igitur O dilecta sponsa mea, quod,

Serm. 5. de verbis Isaia.

S. Hieron.

in Ps. 108.

Psal. 119. v. 1.

S. Cyprian. de passione Domini.

quod, tametsi te universalem cunctæ possessionis meæ hæredem cõstituam, nullum tamen maioris valoris thesaurum habebis, quam sit ille amoris mei pretiosus thesaurus, hunc amorem me erga te semper conservaturum promitto, atque ut huius iam iam expressam habeatis arrham, videri enim posset inter tot tantorumque tormentorum aquas charitatis meæ flamma extinguenda, aut saltem ad minus diminuenda, ego illam faciam videri magis, magisque etiamnum scintillantem atque ardentem. Sed vos interea O insensati quid facitis? Cur huic sitibundo acetum in arundine propinatis? non sitit, dicit S. August. vinum vetus & corruptum, sed novitatem & conversionem vestram sitit. *Sitis mea salus vestra est*, eodẽ modo discurrit Goffredus Cardinalis S. Priscæ: *Nec sane dispensator nostræ salutis, tam aquæ calicem, quam populi interficientis sitiebat salutem. O inæstimabilis Dei & Domini nostri IESV Christi circa peccatores benignitas! O ineffabilis misericordia! O miseratio inenarrabilis! O admirabilis patientia.*

S. August. Serm. 2.

46. Cœlestis hic moribundus ingratæ Synagogę nequaquam obliviscitur: *Cum igitur accepisset IESVS acetum, dixit consummatum est*, id est, consummatæ sunt omnes prophetiæ, cõpleta oracula, verificatæ prædictiones, sacrificia cruenta terminata, tibi ergo O Synagoga, si pretium donativi mei ęstimare nosses, in vicem vmbrarum veritatem relinquo, pro figuris figuratum, in locum tot legalium sacrificiorum sacrificium corporis mei incruentũ, pro tot ritibus externis, & corporalibus ceremoniis mentis puritatem, & sinceritatem cordis.

47. Tandem finaliter Dominus testamentum suum concludit Spiritum suum relinquendo in deposito æterni patris sui. *In manus tuas commendo Spiritum meum: & bene commẽdatur Spiritus qui servatur* dicit Ambros. *quod enim commendatur vtique non amittitur : bonum ergo pignus est Spiritus, bonum depositum*, instar depositi Spiritus ille fuit, quia paulo post ad immaculatam carnem vivificandam Spiritus reverti debebat, voluit igitur filius Dei ultimum vitæ suæ actum directum esse ad Patris sui reverentiam & obsequium, in cuius manus eundem Spiritum consignavit, qui ab æterni Patris sui ductu & directione semper & indesinenter tractatus fuit, atque Deo id præsentavit, quod Dei semper fuit dicendo: *In manus tuas commendo Spiritum meum.*

48. Credo dilectissimi vos admodum caute & prudenter notasse cũctationes moras & prolongationes, quibus discursũ hunc hactenus protelavi, veniens cũ repugnantia, nescio qua ad narrativam vltimi transitus, qui adeo disconveniens videtur, & persona divina indignus. Sed quid moraris anima mea? cur diverticula quæris, differendo enarrationẽ eius, quæ inter omnes gratias beneficẽtiæ divinæ maxima est? quid vlterius suspendis vltimũ charita-

ritatis Christi sacramentum? Cur Trinitatis gloriam, mysterium Ecclesiæ, Philosophiam Sanctorum recusas evulgare in publicum? qua de causa id cōfunderis dicere, quod id facienti confusioni nō fuit. *IESVS autem clamans voce magna emisit Spiritum.* O mors honoratissima, quæ Christo in ligno Crucis pallido & exsangui plus gloriæ attulit, quam ipsamet illi vita, in summo maiestatis suæ throno, interque Seraphinorum civilitates & obsequia dederit, pretiosissima mors, nā per rigorosam & exactam compensationem, potest id recuperare, quod tanti valet, quanti cœlum & terra, imo quāti ipsemet gloriosus & æternus Deus valet. O ingeniosa mors nam modum invenit portas cœli quondam per peccatum clausas aperiendi, atque delendi & annihilandi mancipatus nostri Chirographum. O amabilissima mors, nam frigidissima & congelatissima terræ pectora accendit, atque in omnis creati boni oblivionem redegit. O prodigiosa mors, nam dum est mors vitæ, pariter quoque ipsiusmet mortis mors exstitit, & occidendo eum, qui mori non debebat, vivificat eum, qui nulla ratione vivere debebat. O pulcherrima mors adeo ab ipsomet Deo vitæ desiderata, ut nunquam se quietum aut satisfactum esse existimet donec desideratissimas mortis delicias assecutus fuerit. O iucundissima mors, quæ immensa sua dulcedine valde sapida reddere potuit venena, bonumque gustum amaritudinibus indere, flammas itē frigidas, cruces amœnas, tormenta amabilia, infamias denique honorificas reddere potuit. O Sanctissima mors ab innocentissimo quondam tolerata, ad abolenda terræ peccata, ad purgandas mundi turpitudines, ad hominum solvenda debita, denique ad satisfaciendum Iustitiæ divinæ. O potentissima mors quæ manum suam extendit ad omnipotentem, & quia is terrebat vivus eundem usque ad profunditatem mortis humiliando sine fortitudine, sine spiritu, ac sine vita in manus dedit.

49. *Ergo venite adoremus & procidamus ante Deum, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius & oves pascuæ eius.* Summa cum reverentia adoremus hūc mortuum vivum, hunc mortuum vivificantem, hunc mortuum mortis destructorē; & nisi ipsis & petris duriores simus, quæ franguntur & scinduntur, offeramus in modicam multorū, quæ illi debemus compensationem, veram quandam cordium nostrorum contritionem. O incendium amoris! O abyssus pietatis! O Clementiæ pelagus, quo te perduxerunt tū meę miseriæ, tum tuę misericordię? miseriæ inquam meæ, quæ numerū arenæ superant, & tuæ misericordiæ, quæ omni prorsus numero carent? quam graves sunt culpæ meæ, & quam ingentes sunt pœnæ tuæ? quam periculosi sunt morbi mei, quam pia vero est medicina tua? *quo nate Dei quo tua descendit humilitas? quo* S. August. in Meditat. cap. 3.

quo tua flagravit charitas? quo tua processit pietas? quo excrevit benignitas? quo tuus attigit amor? quo pervenit cōpassio? per mea ergo ignominiosa & indigna opera clavis affixę sunt manus istæ amabilissimæ fabricatrices mundi. Itane? ergo quid ego viam prædicationis inambulaverim, ideo pientissimi hi pedes, quocunque se verterent, gratias & cœli favores secum portabant indignis ferris transfixi sunt? pedes inquam illi maris & vndarum marinarum domitores? ergone per vanas & perniciosas capitis mei cogitationes pręcingentibus Spinis coronata est venerabilis illa cæsaries? per infirmitates immundæ carnis meæ dilacerata & rupta est purissima illa & virginea caro? ob meas blasphemias tacet & obmutescit verbum illud Dei increatum? ob temerariam libertatem meā universi Monarcha Crucifixus est? ergone ne ego morerer, qui mortem millies promeritus eram, in cruce mortua vita pendet? ecquid deinceps negare poteris O Deus meus postquam pretiosum sanguinem tuum in tam gratum donativum nobis cōtulisti? quod peccatum non condonabis, qui condonasti ipsa quoque Crucifixorum tuorum peccata? quomodo vitam tuam nobis recusare possis, qui mortem nostram assumere dignatus es? *Si mors Christi pro nobis facta est, quanto magis eius vita pro nobis est?* S. August. serm. 143. *Miserere mei Domine miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*, ego vltro citroque omni alteri bono renuncio, ut unicum illud bonum possideam, quod in se omne bonum continet, in hac inconstantia vndosi & turbulenti maris vitæ nostræ aliā nolo anchoram, nam spei meæ anchora hic Sāctus est Crucifixus, aliud adversus iræ divinæ flagella, non quęro remedium, scutum enim protectionis meæ est hic passus Nazarenus, non desidero in Inferni insultibus ac persecutionibus refugium aliud, asylū periculorum meorum erunt foramina venerandarum illarum, hic volo vivere; hic mori, hic misericordias divinas in æternum prædicare ac dicere *Misericordias Domini in æternum cantabo. Amen.*

CON-



CONCIO XXXVIII.

In Die Paschatis.

THEMA.

Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum, non est hic.
Marci 16. v. 6.

ARGVMENTVM.

Christus In Resurrectione sua recuperavit quidquid perdiderat In passione.

SVMMARIVM CONCIONIS.

Conceptiones nostræ de Resurrectione non possunt verbis exprimi. Augustinus advocatus. *Per Resurrectionem spes nostra refulget. Per eam Deus Infernum vicit & astra tenet* Lactantii effatum.

Hic dies Antonomastice adeò dicitur factus. *Quinque fuerunt ablata à Christo In passione, quæ omnia per Resurrectionem recuperat. Hæc synopsis est Concionis.* N. 1.

Primum Punctum. *Tristitiæ locum occupat lætitia.* Propheta Regius ab August. illustratus *Conscidit saccum lancea persecutor & fudit pretium nostrum Redemptor,* August. N. 2.

Omnigenam lætitiam Resurrectio Christi eminenter complectitur, diversa oracula sacra enucleata. n. 3.

Christus saginatus est gaudio in Resurrectione, quia saluatus fuerat tormentis In passione.

Isaias explicatus à Sancto Hier. N. 4.

Aposto-

*Apoſtolis, Angelis, piis mulieribus qui defleverant Chriſti paſſionem reſtituitur conſolatio & lætitia.*n.5.

Mutua lætitia Chriſti & Mariæ in Reſurrectione. Mellifluæ ſanctorum Ambroſij & Bernardi *ſententiæ. Oracula ſacra producta.*n.6.

PUNCTUM II.

Chriſtus ad faſtigium honoris elevatus poſt opprobria & calumnias. S. Pauli cauſalis producta.n.7.

Chriſtus morte ſua ignominioſa factus eſt glorioſior cum poſt eam reſurrexit. Prophetæ Regius & Ionas ab Auguſt. illuſtrati.n.8.

Fama & victoriæ Chriſti à Propheta Abacuc deprædicata.

*Duplicis Chriſti ſtatus humiliationis ſcilicet & exaltationis deſcriptio.*n.9.

*Vix eſt cognitus filius Dei per creationem, gubernationem, & ſapientiam, & vix eſt angulus in mundo, in quo propter incarnationem, humilitatem & Crucis ſuæ opprobrium non ſit exaltatus.*n.10.

PUNCTUM III. & IV.

Pulchritudo & integritas Chriſto reſtituuntur. Tanta eſt Chriſti pulchritudo ut inde ſumma afficiantur lætitia beati. SS.Hiero.& Ambroſij cenſio.n.11.

S.Ioannes Chriſtum poſt reſurrectionem non vocat ſimpliciter filium hominis, *ſed* quaſi filium hominis *& quare.* Abbas Ioachim advocatus, n.12.

Myſticus loquendi modus Chriſti apud Lucam, cum adhuc eſſem vobiſcum. S.Auguſt. *acumine enucleatus*.n.13.

Encomiorũ & virtutum Crucis Chriſti excellentiſſima deſcriptio ad verba D. *verba D.Pauli.* Jam non novimus Chriſtum ſecundum carnem, *quæ ex mente* S. Leonis *illuſtrantur*.n.14.

Verba Apoc. Dignus eſt Agnus accipere Divinitatem. *Acutè enodata. Abſorpta videtur in Divinitatem Chriſti humanitas per Reſurrectionem.* Bernardi meditatio.

Ante Reſurrectionem Chriſtus dicitur filius hominis *poſt ipſam vel* quaſi filius hominis *vel* filius Dei. Anſelmi annotatio.n.15.

*Subitæ & extraordinariæ ab uno extremo ad aliud, mutationis in Chriſto factæ deſcriptio.*n.16. & 17.

*Iterum deſcribuntur encomia glorioſæ Carnis Chriſti.*n17.

PUNCTUM V.

Titulus Pſalmi 92. *à S. Aug. optime explicatus & ad vitæ reſtitutionem Chriſto factam applicatus.*n.18.

Chriſtus corruptionem in incorruptionem mutavit & mortalitatem immortalitatis traxit ad gratiam. *Aurea* Chryſoſtomi *ſententia.*n.19.

In verbis Chriſti. Ego ſum vivus & fui mortuus, &c. *Tria myſterioſa veniunt conſideranda.* Huc flexus Iſa. num.20.

Majoris eſt potentiæ mortem vincere Reſurgendo quam vitare vivendo Auguſtini *acumen*, n.21.

Exhibitio clavium alicui facta, illius dominium indigitat, Ad verba Pſalmi nutrivit portas æreas. *Profunda* Chryſoſtomi *animadverſio.* numero 22.

Resurrectione tanquam Clypeo Ecclesia se munit & protegit. Hiero. effatum.

Omnium Sanctorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, in suis tormentis & pœnitentiis replica hæc est. Scio quod Redemptor meus vivit, exemplis res firmata. n. 23.

Potentissima ad Christianos Apostrophe aliter viventes quam credant. Pulchræ Antitheses fidei & operum. Exhortatio ad emendationem vitæ. Apostolus productus, quæ sursum sunt, quærite, n. 24.

Spes Resurrectionis sit scutum contra omnes tentationes carnis, mundi, & diaboli, hanc armaturam illis objiciendo. Scio quod Redemptor meus vivit. num. 25.

Hoc medio & remedio tandem Christiani tanquam membra capiti, Christo reuniuntur. n. 25.

1 SUadet præsentis solemnitatis lætitia, ut discursum hunc eo modo incipiam, quo in simili occasione suum exorsus est S. Augustin. *Non queo Fratres Charissimi, quod mente concipio, ore proferre: & cordis mei lætitiam, lingua non explicat,* possibile non est, ut beato hoc die, verba nostra, cordis nostri gaudiū adæquent; sive, ut interior pectorum nostrorum exultatio, quocunque dicendi modo plene explicetur. Gratus admodum nuncius est, qui hodierno die à Legato cœlesti nobis è tumulo triumphali adfertur, videlicet Christum Dominum nostrum post triduum voluntariæ mortis somnum tandem ad immortalem & gloriosam vitam resurrexisse. *IESVM quæritis Nazarenum crucifixum? surrexit non est hic.* Acceptissima humanarum mentium spes & fiducia hodie affulget; fore ut Tyranna mundi hujus, quæ quondā in vitiis mortalium absque ulla resistentia barbare dominabatur, ab hoc invictissimo triūphatore superata ac prostrata sit, mirabiles victoriæ ac triumphi inusitati, in quibus benedictus Redemptor noster inaudita hactenus stratagemata intentans, tecta ac cooperta divinitatis suæ potentia inter Sathanæ astutias, Hebræi populi persecutiones, sagittas mortis atq; peccati venena, perdendo vincit, vivit moriendo, cadendoq; gloriosè resurgit.

Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.

Ita cum Lactantio Firmiano bene hodie cantare possumus: fortunatissima certe dies, quæ veneranda semper & sacra eris, in tuo quippe diluculo, atq; in illa ab æterna providentia destinata benedicta hora, maximo illi, quod magnus ille Deus unquam operatus est facinori consecrari meruisti: vere dies es quam fecit Dominus humanæ lætitiæ objectum, quæ non tantum tenebrosam hanc nostram mansionem terrestrem pulcherrima tua luce illustrasti, sed & usque ad profundos mortis Carceres penetrasti; imo illos tuos fulgidissimos radios ad cœlos

llos uſque extendiſti, ibidemq; toti illuminatiſſimæ viventium Civitati ſplendorem inſignem attuliſti; denique ſupra omnes beatiſſima dies, utpote quæ terminatis acerbiſſimæ paſſionis doloribus potentiſſimo Capitaneo noſtro reſtituiſti, quidquid eidem ab ipſa tenebrarum poteſtate ablatum fuerat, vere dicere

Tob. 1. 25. poſſum. *Omniſque facultas ejus reſtituta eſt ei* pientiſſimo ſicut quondam poſt impij Sennacherib dictum fuerat:

Salve feſta dies toto venerabilis ævo.

Quinque Chriſto Domino in paſſione ſua ablata fuerunt ſcilicet lætitia, honor, ſalus, pulchritudo, ac denique vita, uti nuper monſtravimus in Paſſionum ſuarum expoſitione, quæ omnia illi glorioſo hoc die ampliſſime reſtituta fuerunt: *Omniſque facultas reſtituta eſt ei.*

I. P. *Lætitia Chriſto reſtituitur.*

2. Primo ergò reſtituta eſt ei cordis ſui lætitia. Vnde illum deinceps non amplius audimus dicentem: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: verum in illius vicem pulchrum illud canticum quod tot ſæculis ante in perſona Chriſti ſpiritu prophetico David Rex compoſuit:

Pſal. 29. 12 *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi; conſcidiſti ſaccum meum & circumdedediſti me lætitia*: ſed imprimis dicit: *Conſcidiſti ſaccum meum*, atque per

Serm. ult. de tempore. ſaccum hunc Auguſtinus Domini noſtri intellexit humanitatem: *Saccus Chriſti inquit erat ſimilitudo Carnis peccati, non tibi vileſcat, quod ait, ſaccum meum, ibi erat incluſum pretium tuum, &c. Conſcidit ſaccum lancea perſecutor & fudit pretium noſtrum Redemptor. Et circumdediſti me lætitia*, quaſi Chriſtus æterno ſuo Patri diceret: Tu quidem humanitatem meam impleſti vulneribus, ſed repleſti eandem pariter & gaudijs, hactenus doloribus circumdatus fui, nunc vero gaudijs me cinctum eſſe video: Me feciſti ſignum ſive ſcopum ictibus inimicorum meorum, nunc me ſignum, in quod omnes Paradiſi delitiæ collimant eſſe conſpicio. *Conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.*

3. Et profecto quid eſt quod alteri unquam jubilum adferre poſſit & gaudium, quod in hoc fortunato Chriſti Triumphi die non inveniatur? quæ exultationis occaſio, aut objectum gaudij unquam videbitur, quod in hac ſtupenda ac nunquam viſa metamorphoſi cumulatiſſime non videatur? an victoriæ & triumphi? quales victoriæ, aut quinam triumphi comparari poſſunt cum illis, in quibus victa mors eſt, proſtratus Sathanas, infernus denique ſpoliatus exiſtit? an acquiſitiones novorum Regnorum & ſtatuū? Chriſtus dominium ſibi comparavit cœli & terræ, utrobique namque ex nunc abſolutiſſimus eſt Dominus. Forte inimicorum ſuorum ſubjectiones? videre hic deluſos præſides, attonitos ſepulchri cuſtodes, ſacerdotes formidoloſos, perterritam plebem, Synagogam occluſam, vacillantem idololatriam, ac deniq; erectam Eccleſiam? Spolia forte &

prędę? respice venerand. SS. Patrū ex Lymbo cum Christo prodeuntium agmen, gloriosam Christi prædam ab infernali potestate violenter ereptam, an nominis exaltationes & sublimitates? audi laudes & encomia ex omni inhabitati mundi parte resonantia, audi cantiones & Musicam Angelor. harmoniā, moxq; intelliges hunc Dominum verè cœli & terræ, Angelorū item & hominum delitias esse. Forte Vasallorum ingens multitudo? sed annon illum dicere auditis: *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra?* an non totius humanæ generationis factus est dominus? nunquid vivorum & mortuorum constitutus est Iudex? an non caput est justorum & prædestinatorum? item militantis & triumphantis familiæ Pater est? Divitiæne & facultates? certe de ipso dicitur: *Gloria & divitiæ in domo ejus*: ipse namque gratiæ divitias, cimelia meritorum, ac gloriæ ingentes thesauros acquisivit sibi. Amicitiæ fideles forsitan? habebit certe hic Dominus adeo constantes & fideles sibi amicos, ut potius vitæ quam fidei facturi sint jacturam. An corporis pulchritudo, mores gratiosi? gratiosus ejus & amabilis aspectus dulcis semper erit amantissimorum Seraphinorum Paradisi magnes. An fœlix omnisque periculi immunis vita? certe talis est vita illa, cujus hodie possessionem adijt Dominus, vita non mensurata tempore, ab annis non limitata, non deteriorata laboribus, nullam patiens à morbis ruinam, nullam temporum vicissitudinem sustinens; dicat ergo optimo jure Dominus: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, & circumdedisti me lætitia.* Dicat cum illa alia Matrona: *Risum fecit mihi Dominus, omnis qui videbit me, corridebit mihi.* Denique cum Rege sancto dicat: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificarunt animam meam.*

4. Atque hæc est illa lætitia de qua David Rex sanctus loquitur, dicens: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Nemo unquam sive in Cœlo, sive in terra, sive homo, s. Angelus tantam habuit lætitiæ copiā, quia lætitia tua, quam tu ô Dn. in Resurrectione tua expertus es superata longe non fuerit, idque in præmium illius, videlicet quod justitiam dilexeris, odio autem habueris iniquitatem, adeo ut ad hanc à terra nostra abolendam sanguinis tui diluviū sparseris, ad hanc verò introducendam Deo secundum omnem rigorem satisfaciendo ipsemet te morti subjeceris: *propterea unxit te Deus oleo lætitiæ.* *Anima Christi*, dicit Origenes, *vasculum unguenti ipsius fuit, ex cujus fragrantia participantes digni quasi in odorem unguentorum ejus cucurrisse dicuntur.* Anima Christi vas fuit unguenti lætitię cœlestis, quod tanta cum fragrātia, adeoque cœlesti ac divino odore totum post se mundum currere fecit. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* S. Hieronymus in hoc propositum

Psal. 44. 8.

Isaia 57. 17. & 18.

cum illa Isaiæ verba intellexit, ubi Propheta dicit: *Et percussi eum & abscondi: & indignatus sum, & ambulavit mœrens in via cordis sui, vias ejus vidi & sanavi eum, & reduxi eum; & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus ejus.* Quæ omnia Christo mirabiliter cōveniunt. *Percussi eum,* inquit Pater æternus, quando illum reliqui in manibus percussorum: *Abscondi*: videbatur enim quod ego illum me abscondendo dereliquissem: *Indignatus sum*, ad instar enim inimici tractavi illum, non vero uti filium; *ambulavit mœrens in via cordis sui*, quādo ex dolore cordis sui dicere cogebatur: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* *Vias ejus vidi*, id est semitas illas, quas ille ad ipsum usque Infernum descendendo inambulavit. *Sanavi eum* ab omnibus vulneribus, omnibusque passionibus. *Reduxi eum*; à sepulchro videlicet, & à morte ad immortalem vitam. *Reddidi consolationes ipsi*, illas videlicet ipsi in Resurrectione sua referendo consolationes, quas in passione sua ipse perdiderat. *Ut qui percussus est in carne, sanaretur in resurrectione*, dicit S. Hie-
Ibc. 57. Isa. ronymus, *& consolatus sum eum dans ei pro una gente Iudæorum, universum mundum, reddidi consolationes ipsi.* Pro gente Hebræa, quæ ipsum Regem suum agnoscere detrectabat, dedi illi omnes mundi nationes: pro morte quam tanta cum patientia sustinuit vitam quandam beatam & immortalem; pro Carnificum injurijs & contumelijs, Angelorum laudes & encomia: pro ignominiosis vulneribus, gloriosas cicatrices: pro Crucis patibulo gloriæ thronum: pro paucis afflictionum horis, æternitatem quandam consolationis? *Et reddidi consolationes ipsi & lugentibus ejus.*

5. Verum enimvero, quinam illi erant, qui in Passione Redemptoris plangebant, quibus Deus perditam reddidit consolationem, *Reddidi consolationes ejus lugentibus*? erant haud dubie Apostoli qui hactenus acerbissimis Magistri sui doloribus tanta cum teneritudine compassi sunt: & erant piæ illæ & devotæ mulieres quæ ad locum usque supplicij cum lacrymis & lamentis illum comitabantur: erant Angeli pacis, qui afflicti continua statui suo propria gaudia interrumpere videbantur: & re ipsa *Angeli pacis amarè flebant*: erant benedictæ illæ Patrum ex lymbo procedentium animæ quæ in diuturnis adeo tenebris visitantis Redemptoris lucem adeo exspectaverant: erant Creaturæ universæ quantumvis insensatæ, &, quæ in die Passionis, varia sensus sui ex tam ingenti ab hominibus in terra commissa malitia & perversitate concepti signa dederant. Nunc autem & deinceps non amplius plangūt creaturæ sive superiores, sive inferiores, sive cœlestes sive terrenæ, sive demum rationales illæ sint, sive rationis expertes, verum, uti videtur, inenarrabili jubilo plenæ Dominum suum tanto cum splendore & majestate resurgentem à morte ad vitam associantes continuo canēdo replicant:

Salve festa dies toto venerabilis ævo
Et reddidi consolationes ipsi, & lugentibus ejus.

6. Acproinde Dilectissimi quis negabit, quin hæ consolationes & delitiæ principaliter in magnam hujus triumphatoris nostri Matrem MARIAM Virginem derivatæ sint? annon enim illa, quæ in benedicti filii sui Passione experta est dolorem, sentire non quisque debebat extraordinarium gaudium, atque ex conspecto mortis triumphatore singularissimum cordis sui jubilum? *prima*, *inquit* Divus Bernhardus. D. Bern. Serm. de Resurrect. *Dominum vidit in forma gloriosa, non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij, indubitatum est inquit D. Bernardus MARIAM primam fuisse, quæ filium suum resuscitatum viderit*; atque ante Bernardum idem S. Ambros. Lib. 3 de Virginibus. veluti certum affirmaverat Ambrosius: *vidit igitur Maria resurrectionem Domini & prima vidit*: & quis explicabit nobis quam ingens sive visitantis filii sive Matris visitatæ fuerit gaudium? Lætabatur filius consolando illam suam adeo bonam Matrem à quo nunquã præter consolationes & gaudia aliud acceperat: Lętabatur mater vidēdo optimũ filium adeo honoratum, qui in divinis gestis suis aliud nunquam promeruerat, quam gloriam & honorē. Christus jubilabat quod in sua gloria existens gloriosam quoque cerneret humillimam Domini ancillam, ac demum quod illa quæ adeo profunde se demiserat, Mater cerneretur Regis totius universi: jubilabat MARIA incredibilem modestissimi filij sui humilitatem digno compensatam fuisse honore, & quod is qui amore omnium, omnium quoq; servus factus fuerat, exaltatus nunc videretur ad Dominum & principatum universorum. Cantabat Christus pulchrum hocce Canticum: *Sum vivus & fui mortuus, & habeo claves mortis & inferni.* Apoc. 1. 18. MARIA quoque gratiosè canebat: *Sufficit mihi, si filius meus vivit.* Gen. 45. 28. Christus magnum illud replicabat oraculum: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar sed vivam.* Psal. 117. 16. MARIA per aliud quoddam respondebat illud. *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum.* Exod. 15. 6. Jubilabat Christus in hæc verba cœlestia. *Magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis*: Iudit. 12. 18. MARIA verò aliis virginei Cantici sui verbis jucundabatur dicens: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Dicebat Christus: *Deus salutis meæ, Deus qui dat vindictam mihi, & subdit populum meum mihi, liberator meus de inimicis meis iracundis.* Psal. 17. 47. & 48. Dicebat MARIA: *Benedictus es Domine, qui post tempestatem tranquillum facis. & post lacrymationem consolationem infundis.* Tob. 3. 22. Denique Filius simul cum Matre concorditer dicebant.

Salve festa dies toto venerabilis ævo.

7. Secundum quod Christo in Resurrectione sua restitutum est, honor fuit seu fama & reputatio. 2. P. Honor Christo restituitur.

Omnie-

Omnisq; facultas restituta est ei. Annon auditis Paulum dicentem: *dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Resurrectio tantum Domino splendorem contulit, ut fidem mox firmissimam, atq; irrefragabilem suis operibus faceret; adeo ut tametsi eo tempore quo vivebat moriturus, nulla habita ratione miraculorum quæ operabatur, nihilominus calumniis impetitus fuerit, nunc tamen in æternum victurus resurgens, omnib. vitæ suę operationibus honorem simul & fidem maximam concitavit. *Inclinavit cœlos & descendit*, dicit David, de incarnatione verbi, *& caligo sub pedibus ejus*, quo in loco Chrysost. dicit, obscuritatem illam & caliginem, quam sub pedibus suis portabat, fuisse carnem suã, quæ operum divinorũ altitudinem abscondebat: *Caliginem*, inquit, *sub pedibus ejus dixit indumentum Divinitatis per Carnem*, atq; ita si cœco nato visum restituit, ideet cœcus qui visum recipit, aliud dicere nescit, quam ille homo, qui dicitur JESUS, tametsi dixisset: *à sæculo non est auditum; quia quis aperuit oculos cœci nati.* Non est progressus ulterius, hominem illum confitetur, non verò Deum. Econtra verò adsit nunc Paulus, suaq; sublimi sapientia de Christo resuscitato nobis loquatur, hic certe dicet. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum.* Sed sermo græcus intentum nostrum melius declarat, qui sic legit: *Qui declaratus est filius Dei in resurrectione*: en ex resurrectione sua declaratus & manifestatus est ipse, quod sit filius Dei. Et ut dicit Ambrosius; Christus labens in incarnatione, prædestinatum est, ut declararetur filius Dei in resurrectione, monstravitque, ut dicit Bernardus, quod caligo & tenebræ, quas ipse ex humanitate circumferret, *non conditionis fuit, sed dignationis.* Humilitas carnis Christi benevolentia fuit, non necessitas, conniventia amoris, non vero naturæ fuit debitũ, nunquid memores estis illius à Joanne habitę visionis, mystici illius & septem sigillis cõmuniti libri? quid liber ille significat? nihil certe aliud, quam ipsum Christum: quid verò sigilla designant? secreta Divinitatis sub humanitatis veste abscondita, quis verò sigilla isthæc solvit? Leo de tribu Juda id est Christus. Cur Leo? ob ingentẽ suam potentiam, & quia, uti Gregorius notat, Leo apertis oculis dormit, ideoq; Christum significat, qui oculo Divinitatis semper aperto moritur: *quia in ipsa morte, in qua ex humanitate Redẽptor noster dormire potuit; ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit.* Verũ qua in re generosus iste Leo fortitudinem suam potissimũ demonstravit? certe solvendo sigilla, id est manifestando divinitatem suam reclusam & abscõditam, quando id fecit? quando è glorioso suo sepulchro egressus est, monstravitque, ut dicit Bern. quod caligo pœnalitatis, cui subjectus erat, *erant operimenta voluntaria; non necessaria*; igitur: *qui prædestinatus est*, idem est dicere, quod, *qui declaratus est filius Dei ex resurrectione.*

Psal. 17. 10. — Rom. 1. 4. — ap. Cornel. à lapide. — Hom. 3. in Ezech.

8. S. Pau-

Act.13.33. & 34. 8. S. Paulus Apostolus prædicabat aliquando, & de resurrectione verba faciens, eandem conformavit per Psal.2.7. textum quendam. *Resuscitans IESVM sicut & in Psalm. 2. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; qui locus cum de generatione æterna intelligi nequeat, utpote quæ de die Resurrectionis Domini intelligi aut verificari non potest, neque de generatione temporali, ut quæ tanto tempore ante in ipso videlicet incarnationis instanti facta fuerat; controverti merito potest quomodo æternus Pater benedicto filio suo in die resurrectionis dicere possit: *Ego hodie genui te.* Verum ad propositum Lib.7.de Sacerd.c.1. valde præclare respondebit Ambrosius quando ait: Pulchre Pater ad filium dicit: *Ego hodie genui te, nunc enim meum probasti te esse filium*, quasi diceret, Mi fili quando natus es & vixisti in terra ista, & mortuus es in Calvariæ monte, te ab hominibus, ut hominis filium observari fecisti: nunc autem cum te tanta cum majestate & gloria resuscitas, clare & evidenter Prosapiæ tuæ altitudinem & sublimitatem demonstrasti, atque ut agnoscereris, tibique ab universo, quod filius Dei esses, acclamare-Rom.1.4. tur, effecisti: *Ego hodie genui te: id est meum nunc probasti te esse filiū: qui prædestinatus est filius Dei ex resurrectione.* Sic quando Dominus è templo ejiciebat Mercatores seu ementes & vendentes, illi autem dicerent: *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* quasi dicerent, quænam nobis miracula exhibes, ut tibi fidem habeamus te vere, uti dicis, esse filium Dei, teque ex nomine & ordinatione Dei novitates hasce in templo isto moliri? respondit illis Dominus: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud:* quasi diceret id ego clare demonstrabo, memetipsum propria mea virtute à mortuis resuscitando, hinc enim clare cognoscetis, quod ego vere sim filius Dei; nam ut Eminentissimus Toletus dicit: *Resuscitare seipsum est argumentum proprium Divinitatis.* Unde S. August. de hoc in Psal.65. Jonæ signo loquens dicit. *Hoc fuit Infernus Domino quod cetus Ionæ, hoc signum proprium commendavit, hoc est, potentissimum, potentius enim est revixisse mortuum, quam non fuisse mortuū.* Unde Rex sanctus dicit fore ut ini-Psal.67.1. mici instar fumi dissipentur, quando resuscitatus illum se exhibebit qui revera est. *Exurgat Deus & dissipentur* August.ib. *inimici ejus. Exsurgat Deus, resurgat Christus, jam factum est, resurrexit Christus, qui est super omnia benedictus in sæcula, & dispersi sunt inimici ejus per omnes gentes, sicut deficit fumus deficiant.* Fumus ab igne nascitur, ipsi verò à flammis tam ingentis odij adeo sublevantur, ut sacrilegas manus suas in sanctum Dei injicere ausint. *Extulerunt enim se ab ignibus odiorum suorum in superbiæ typhum, & ponentes in cœlum os suum, atque clamantes Crucifige, Crucifige, capto illuserunt, pendentem irriserunt, & unde Victores tumuerunt, mox victi evanuerunt*: gloriam Christi sepelire cogitarunt mortem eidem inferendo, ipsi vero inferendo mortem, ipsum magis reddiderunt

runt gloriosum, ne nominaretur, occiderunt illum, ipsius vero ab illis occisi fama nomenque magis increbuit. Et unde victores tumuerunt, mox victi evanuerunt.

Abacuc. 3. 3 9. Dicat ergo jam Propheta: *Operuit Cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra.* Et ut intelligatur magnam illam exaltationem, nec non gloriosam adeo famam Christo ex Passione sua natam esse, Propheta subjungit: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors. Et egredietur Diabolus ante pedes ejus*, i. est, in manibus cornua crucis tenet, & ideo fortitudo sua ibi abscondita videtur, quæ postea in resurrectionis triumpho manifestata fuit, in quo Diabolus & mors tanquam detriumphati ante pedes Christi triumphatoris præcurrunt. Ob hoc igitur *operuit cœlos gloria ejus*, i. e. adeo gloriosus comparuit, ut gloriam ipsiusmet regni gloriæ cooperuerit, tamque inde famæ claritatem, adeoque celebratam laudem retulit, ut omnium ora laude sua adimpleverit. *Et laudis ejus plena est terra*, & ecce Filius fabri ibi declaratus est Filius Dei. Ecce plebis seductor declaratus est universi mūdi Imperator. Ecce accusato, tanquam qui prohibuisset dari tributum Cæsari, tributum penditur ab omnibus gentib. Ecce Samaritanus & à Dæmone obsessus factus est Demonum domitor, omnisque Idololatriæ exterminator. Ecce is qui non didicerat literas magister datus est sapientibus. Ecce pauperculus ille, qui non habebat ubi caput suum reclinaret, tanquā universi Dominus cum applausu receptus est. Ecce scandalum Iudęor. factum est populorum refugium, & asylus nationum. Ecce stultitia gentilismi manifestata est esse sapiētia universæ terræ. Ecce à falsis testibus accusatus, à veris laudibus, ingeniosisq; encomijs per omnia est commendatus. Ecce ridiculose vestitus purpura, totus coopertus majestate, claritate, & gloria. Ecce q in iniquor. Iudicum tribunalibus condemnatus, nunc Iudex universalis vivorum & mortuorum est constitutus. Ecce is, qui à cunctis afficiebatur calumnijs & cōtumelijs, nunc honoratur ab omnibus. Ecce qui in infami ligno crucifixus fuerat, nunc in alto & elevato throno ad dextram Patris assidet. Ecce mortuus immortalis factus est & sempiternus. *Et laudis ejus plena est terra.* Non fuerunt actiones Christi magnificatæ ab Oratoribus, nec beneficia ponderata à sapientibus, nec sanctitas æstimata à pollentibus judicio: nec miracula à benevolis prædicata, neq; doctrina promota à doctis, neque authoritas sustentata à magnis; imo nec quicquā fuit eorū quæ ad ipsius laboriosam & ærumnosam vitā pertinent, quod vel nō fuerit calumnijs expetitum à malevolis, aut depressum ab invidis, aut non appretiatum ab ignorantibus, aut vituperatum à flagitiosis, & tamen his nihil obstantibus aliud in omnium ore non auditur, quam laus hujus Domini.

10. *Et laudis ejus plena est terra.* Vix est cognitus per creationem mundi: per rerum omnium gubernationē, vix quoque est agnitus ex operibus sapientiæ suæ, ex potentiæ suæ fortitudine, ex magnitudine suę majestatis infœliciter & malè est honoratus: & tamen vix est in mundo angulus, ubi non ob incarnationis humilitatem, mansuetudinem vitæ, morum suavitatem, patientiam in rebus adversis, ac denique ob crucis suæ opprobriū non sit exaltatus ab omnib. *Et laudis ejus plena est terra.* Si legem Christi consideres, hæc sapientibus sæculi hujus videbatur stultitia: Si primos ejus sequaces & professores, ij fuere pauci quidam homunciones simplices & idiotæ: Si prædicationis materiam & subjectum, hoc aliud non continet præter incommoda & passiones: Si locū is erat parvus quidam mundi angulus: Si testes non multos reperies, eosque majori ex parte malitiosos & inimicos: Si personam, non Rex erat, non Imperator, nō magnus quispiam sed homo privatus filius pauperculi fabri lignarij & abjęcti Civis: & tamen per totum universum præter venerandum nomen suum nihil auditur. *Et laudis ejus plena est terra.* Nunc fama Alexandri Magni victorias silet, oblita est triumphorum Cæsaris, de Pōpei magnalibus ultra non loquitur: fastidiosa illi est mentio Augustorū Romanorum, Pharaonum Aegyptiorū, Ptolomæor. Alexandrinorū, Anthiochor. Syriæ, Herodum Palæstinæ, sola in mundo crucifixi memoria viva & perennis perseverat. *Et laudis ejus plena est terra.*

PUNCTUM III. & IV.

11 VEnio ad Carnis pulchritudinem & integritatem Christo in resurrectione sua restitutā, simulque integritatē cum pulchritudine jungo, co quod una earum sit causa alterius, neq; una ab altera dissociata unquam reperiatur. *Omnisq; facultas restituta est ei. Salve festa dies toto venerabilis ævo.* S. Hier. dicit tantam fuisse carnis Christi gloriam post resurrectionem, ut pulchritudine sua lętificaverit, & locupletarit cives Paradisi. Sic enim intelligit locū istum Prov. *non est vir in domo sua, abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit.* Ivit namq; Christus via longissima, hæc namque est iter illud cœlum versus, saccum quendam thesauro ditissimo plenum secum portavit, i.e. carnem suam gloria & majestate plenā. *Gloriam resurrectionis & immortalitatis Christus secum tulit, quo illius patriæ cives lætificaret & ditaret.* O rem summe admirandam! per suam gloriosam humanitatem gloriosorum istorum civium gloria aurescere videtur. O pretiosæ venerandarum plagarum cimeliæ, quæ ipsam Paradisi gloriam locupletare potuerunt. O novos & nunquam alios visos splendores, qui ipsimet civitati lucis lucem attulere! O gratiosam carnem, quæ, quo ad sui pulchritudinem & majestatem cum ipsismet cœli spiritib. contendere valet! adeo deniq; Christus in sua resuscitata carne gloriosus extitit, ut juxta S. Ambrosij opinionem, cœlo

III. & IV. Punctum. Pulchritudo & Integritas Christo restituuntur.

Prov. 7. 20

cœlo visum sit portas suas ad illum recipiendum nimis humiles esse, per quas tamen olim transiens ad terram descenderat, ut proinde dicant Angeli: *Attollite portas principes vestras & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* Exaltate magisq; sublimes portas vestras facite O vos cœlestis Ierosolymæ incolæ, ut per illas Rex gloriæ ingredi valeat. *Triumphatoris æterni manubias intuentes* (sunt verba S. Ambr.) *quasi eum, quem emiserant cœli portæ, capere non possent, licet ejus nunquam capiant majestatem, majorem viam quærebant aliquam revertenti.* Non videbantur cœlo portæ suæ ad adeo ingentem majestatem recipiẽdam, qualis illa Christi resuscitati erat, sufficientes, tam pulchra adeoq; spectabilis erat illa sacratissima humanitas, ut existimarent necessariũ, ut ad illam dignè recipiendam novi in cœlesti illa mansione arcus erigerentur triumphales.

12. Et hæc erat ratio cur Joannes videns Christum in pompa & majestate gloriæ suæ, non illum filiũ hominis vocarit, sicut illum multoties nuncupaverat, priusquã moreretur & resurgeret, sed appellavit illum similẽ filio hominis Apoc. 1. *Vidi similem filio hominis,* adeo namq; cœlesti venustate & põpa divina benedicta Christi humanitas repleta & conspicua fuit, ut à luce divinitatis quasi absorpta & oppressa videretur. Ita hunc locum explicavit Abbas Joachim dicens: *Quia tanta præeminet claritate, tanta majestatis gloria præfulget, ut sicut in eo aliquando Divinitatis suæ gloriam occultabat humanitas, ita nunc humanitatis ejus objectio exinanita à majestatis gloria, & abs splendore summæ lucis absorpta esse videatur.* Idem haud dubie filius hominis erat, qui fuit ante resurrectionem, at v. tanto ornatus erat decore & pulchritudine, ut non jam amplius ille, sed similis illi deinceps videretur. Erat idem quo ad substantiam, non v. idem erat quo ad gloriã, non trahebat carnem diversam, si humanitatẽ consideres, habebat tamen diversam, si cœlestia respicias ornamenta. Antiquo corpore amictus quidẽ erat quo ad essentiam, novo tn. amiciebatur quo ad immortalitatem & incorruptionem, ante resurrectionẽ videbatur Divinitas absorpta ab humanitate: post resurrectionem verò à substãtia divina annihilata videbatur humanitas; tunc cum paucis infinitæ potentiæ argumentis, nunc verò infinitis manifestatę majestatis indicijs; tunc profunda humilitatis abyssus, nunc vero immẽsum magnificentiæ pelagus; tunc adeo parvus, ut minime videretur Deus, nunc adeo magnus ut non videatur homo.

In Apoc.

Salve festa dies toto venerabilis ævo.

13. Atque mysticus certe fuit ille Christi Domini loquendi modus, quando post Resurrectionem suam Discipulis dixit: *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, dum adhuc essem vobiscum,* prout pulchre notavit S. Aug. dicens: *Quid est hoc dum adhuc essem vobiscum? nunquid non tunc cum illis erat cum illis loquebatur? quid est cum adhuc essem vobiscum?* annon cum discipulis Luc. 24. 44

suis erat, quando loquebatur discipulis suis? Si ipsemet illis præsens erat, quomodo illis loquitur tanquã absentibus? Si ipse in cœlũ nondum ascẽderat, quomodo à terra procul semotus cum illis tractat? Respondet & valde acute quidem S. August. Vobiscum sum, & non sum vobiscũ; sum vobiscum, quia loquor vobis, non a. vobiscum sum, quia jam non vivo corruptibilem & fragilẽ vitam vestram: sum vobiscum præsentia corporali: vobiscum it. non sum, siquidem corpus meum deinceps non est ad instar vestrorum corpor. tempori, & vicissitudinibus subjectum. Sum vobiscum, quia vivo vobiscũ, non tn. vobiscum sum, quia vivo nũquam amplius instar vestrum moriturus. In summa *cum adhuc essem vobiscum*, tunc vobiscum eram, quãdo similis vobis morti subjectus eram. *Vobiscum eram quando moriturus eram* (sunt verba Aug.) *Quid est vobiscum? cum morituris moriturus, modo jam non vobiscum, quia cum morituris nunquam in æternum moriturus.*

Salve festa dies toto venerabilis ævo.

14. Vlterius progressus est Paulus quando Corinthijs scribens illis dixit. *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Quid dicis ô magne gentium Magister? Tu non amplius nosti secundum carnem Christum? secundum carnem inquam quæ Redemptionis nostræ organum extitit, & instrumentum? per carnem Divinitatem nobis attulit, in carne prædicavit doctrinam, in carne sacrificiũ pro peccatis nostris fecit, in carne crucifixus, in carne mortuus est, in carne resurrexit, in carne in cęlos ascẽdit, in carne sedet ad Patris dexteram, in carne venturus est judicare vivos & mortuos. Ergone ô Paule benedictam carnem illam non cognoscis, quæ à Spiritu S. tanta cum sapientia organizata, quæ verbo Dei tantis cũ prodigijs hypostaticè conjuncta, quę ex virgineo ventre tanta cum admiratione nata, quæ ad ipsa elementa usq; ab omnib. tanta cum reverentia agnita fuit, quæ in fortunatis Judeæ & Galileæ provinciis per tot se beneficia conspicuã reddidit, quæ deinceps per tot tantaq; miracula adeo manifesta virtutis suę signa dedit? qua ratione fieri potest, ut carnẽ adeo excellentem quæ mũdo tanquã omnis virtuosæ actionis exemplum, cœlo v. velut fœlicitatis sensuum nostror. objectum, in Calvariæ mõte in Redemptionis nostrę pretium, in sepulchro in escam, & spei nostræ fomentum, ac deniq; ut omnia complerentur, in sacro altari in cibum & famis nostræ refocillamentum & restaurationem data est, non cognoscas? hanc inquã carnem tu te ignorare profiteris, ac proinde dicis: *Et si cognovimus secundũ carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Resurrectio n. Domini*, dicit S. Leo Papa, *non finis carnis, sed commutatio fuit, nec virtutis argumento consumpta substãtia est. Qualitas transiit non natura defecit, & factum est corpus impaßibile, quod potuit crucifigi, factũ est immortale, quod potuit occidi, factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari.* Caro Domini, dicit S. Leo non perdidit resurgendo esse,

2. Cor. 5. 16.

Serm. 1. de Resurr.

esse, sed esse pœnosum. Non fuit extincta, sed ad majorẽ perfectionem redacta, crevit virtus illius, non verò defecit substantia, transiit qualitas aliqua, non vero natura, alterata est, sed non annihilata: Quomodo ergo Paul. dicit; *Etsi cognovimus Christum secundũ carnem, sed nunc jam non novimus?* respondet S. Leo Paulum negasse se Christum secundum carnem cognoscere, nõ quod Christus illam nequaquam habuerit, sed quia in resurrectione sua adeo pulchra & gracilis, ut jã non videretur amplius esse caro: *Merito dicitur caro Christi in eo statu, in quo fuerit nata nesciri quia nihil in ea paßibile, nihil remansit in ea infirmum, ut & ipsa sit per essentiam, & non ipsa per gloriam.* Ita hunc locum explicat Algerus Monachus Cluniacensis: *Cave ne amplius sentias in Christo quod homo fuit, sed semper quod Deus sit confitere, Apostolo sic dicente: Etsi cognovimus Christum secundum Carnem, sed nunc jam non novimus.* Sic quoque idem explicat Gaudent. Episcopus Brixiensis in responsione ad Paulum Diaconũ dicens quod sacra Christi caro Deificata fuerit, ut in cœlo habitaret, sicut & divina natura humanata fuit, ut sic dicam, ut habitaret in terra: *ut sicut verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, ita Caro Deus fieret & habitaret in cœlis. Quapropter Apostolus etsi cognovimus inquit secũdum carnem Christum, sed jam nunc non novimus. Est enim Deus & homo, utrumque jam Deus in Dei Patris dextera constitutus;* ita deniq; Ambr. eundem locum exposuit, quando dixit: *resurrexit homo, quoniam homo mortuus & resuscitatus homo: sed resuscitans Deus, tunc secundum carnem homo, nunc per omnia Deus.* O mirabilia! ô prodigia! ô novitas! ut homo ipse adeo pulcher & decorus evaserit, ut ex duab. cõpositus existens substantijs Divinitate sc. & Carne totus videatur Deus & secundum nihil homo, *ut & ipsa sit per essentiam, & non ipsa per gloriam.*

S. Leo. Lib. de Sacr. Corp. & Sãg. Christ.

Algerus in expos. Symboli ser. 60.

15. Et ad hunc scopum credo respexisse Angelos quando resuscitato & glorioso Dei Agno hoc decantabant canticum, *Dignus est agnus qui occisus est accipere Divinitatem.* Nam primâ facie intellectu videbitur difficile, qua ratione agnus dici possit capax Divinitatem recipere. Quo n. modo de novo illam recipere potest divinitatem, quam semper possedit? aut quomodo incipere potest possidere id, quod nunquam possidere intermisit? si illam accepturus est quomodo eam habet? Si habet quomodo recipit illã? non fuit aliquando tempus aliquod, quo Divinitas in Christo non fuerit? nunquã tempus fuit, in quo illam sibi acquirere potuit? Si de agno, in quantum Deus est, sermo sit, certum est illũ nunquã recepisse illud, quod semper habuit, tametsi dici posset, quod unũ idéque habeat ac possideat semetipsum. Si v. de illo loquamur in quantũ homo est, nullum quoq; dubium est, quin semper divinitatẽ habuerit, quando aliud suppositum non habuit, quam suppositum divinum. Et tn. cœlestis & divinæ Capellæ Musici canunt: *dignus est Agnus qui occisus est accipere Divinitatẽ.* Scio D. Th. hanc instituere quæstionem; *Vtrũ Christus, secundum*

Apoc. 5. 12.

D. Thom. 3. P. Q. 17. A. 11.

quod homo, est Deus. Scio insuper ipsum concludere seu respondere negativè, nam illa reduplicativa *secūdū quod homo magis propriè tenetur pro natura, quam pro supposito*. Et natura humana in Christo non alia ratione est Deus, nisi ratione suppositi. Si ergo natura humana in Christo trāsformari posset in divinitatē, & fieri divina, id sine dubio foret novus quidam modus accipiendi divinitatem, atq; hoc pacto Angelor. encomia & laudes verificandæ forent, scil. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere divinitatem*. Atq; hoc propriè est miraculum illud, quod certo quodam modo in resurrectione completur, in qua Christi humanitas taliter elevata atq; gloriosa facta fuit, ut veluti de sua natura in naturam divinam transmutata videretur, &, sicut Bern. dicebat, *absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio Deificata*. Vnde S. Ansel. advertit quod Christus ante resurrectionem quasi semper vocetur filius hominis, post resurrectionem vero semper filius Dei. *Ante passionem*, inquit, *ferè semper vocatur Filius hominis, post resurrectionē v. Filius Dei vocatur*. Quæ ergo esse potuit isthæc resuscitati Christi pulcritudo, quæ consolationem & gaudium novumq; quasi beatitudinis modum Beator. regno adferre potuit? quæq; Christum adeo gloriosum reddidit, ut cœlo videretur se illum ordinarijs suis pompis, quantumvis magnificis digne recipere non posse? quæ Ioanni Apost. adeo videbatur esse divina, ut ob illam Christum non auderet vocare hominem, sed homini similem duntaxat? quæ effecit ut in Paul. Apost. omnis evanesceret visæ in Christo carnis memoria, nō aliter quam si in ipso post Divinitatē nihil aliud conspexisset? ob quam deniq; videbatur Dominus Divinitatem illam, quam semper habuit de novo quasi recepisse?

Salve festa dies toto venerabilis ævo.

16. Non jam miror Redemptorē per os Davidis Regis dicere, quod æterno Patri suo intimo Cordis sui affectu infinitas egerit gratias dicēs: *Conscidisti saccum meū, & circumdedisti me lætitia*. Et ideo: *Ex voluntate confitebor tibi*: dixeratq; idem Propheta: Refloruit caro mea, ideoque, *Ex voluntate confitebor tibi. Cujus caro seminata est in morte*, interpretatur Bern. *refloruit in resurrectione*. Quis unquā cogitasset tantam, tamq; prodigiosam mutationem fieri potuisse? Et quod corpus aliquod paulo ante per mille tormēta occisum, repente nova atque immortali vita animatum, cōpareret velut unica pulchritudo, atq; cœli & terræ singulare gaudiū? quod caro jam jam sputis immūdis, & fœda spurcitie sordita ta subito ad tantam gloriam, tamq; raram renovaretur ad majestatem? quod tabernaculum illud cœleste, quod adeo barbare ab Hebr. perfidia destructū & desolatum ad excelsam adeo magnitudinem & magnificentiā restaurari posset? deniq; quod vulnera in Cimelia, livores in splendores, rabidę objectum invidię in ęterni materiam

D. Bern. libro de diligendo Deo.

teriam amoris convertenda essent? *Cujus caro seminata est in morte, refloruit in resurrectione.*

17. O sacratissima & veneranda Caro habitatrix vitæ simulq; mortis præda; sine peccato existens, pœnis tamē peccati subjecta; omni honore digna, tantis tamen injurijs vilipensa, quomodo te miraculosè & subito immutatam video? quomodo ad tantā gloriam à tam ingenti transiisti ignominia? qua ratione adeo pulchra & gratiosa effecta es, ut ipsi Incolarum Paradisi oculi, immensa luce tua obfuscentur. O hortus deliciarū Dei, in quo germinari video rubicundas illas sacratissimarū tuarum plagarum rosas, quas Beati insatiabili aviditate per omnem contemplabuntur æternitatem! O prodigiosum & divinum cœlum, luminosis illis decoratum stellis, quæ super Ecclesiam benignas semper depluent gratiæ favorumq; influētias. O fortissima & inexpugnabilis refugij Civitas, in qua fabricati sunt cœlestes illi recessus, militū Christi certissima & indubitata securitas! O insuperabile scutū, quod gravi offensi Dei irę generosè te opposuisti, quomodo hodierna die pretiosis margaritis exornatum te conspicimus? O cœlestem thesaurorum aurifodinam inexhaustam, in qua ad instar depositi divitię continentur fideliū, nec non & capitale Christianismi. O vexillum profectò honoratissimum, quod tametsi in crudeli illo cum hoste nostro conflictu valde fractum & lacerum, ab adversarij tamen potestate fœliciter ereptum in ipso Cœli capitolio æternaliter es collocatū. O benedicta domus ab inhabitatore adeo nobili, qualis ipsamet erat Divinitas consecrata, quot in te sunt, quot recluduntur, aut reserantur aperturæ tot sunt fenestrę, è quibus noster amantissimus Deus adversum nos continuo sagittas evibret amoris. O vestis æternæ sapientiæ pōposa & superba plurimis fimbriis phrygio opere elaboratis exornata, digna tali vitæ nostræ Domino, & mortis triumphatore. Ego quo ad me dilectissimi fateor vix me avellere posse ab hoc pulchritudinis miraculo oculos meos, aut cor meū ab hoc amoris philtro seu incantatione distorquere, neque dictionis meæ cursum aliò inflectere valeo, quam ad hujus purissimæ atque virgineæ carnis laudes & encomia, hæc est forma & vestitus prædestinatorum communis: hic est habitus eorum, qui cives sunt supremæ Jerusalem. Hæc est nota eorum, qui pedissequi sunt Regis gloriæ honorati. Hæc est vestis illa nuptialis, qua ornati electi ad locupletissimam illam cœli mensam considebunt, quibus ab ipsomet sponso & Redemptore nostro inservietur. Hæc est Poderis illa sacerdotalis, qua exornati fœlices illi Ecclesiæ triumphantis Sacerdotes super devoti & amātissimi cordis altari sacrificia offerent laudis & & gratiarum actionis. Hoc est paludamentum illud regium, quo in suo triumpho exornatus cœlestis Capitaneus noster ad Capitolium gloriæ

gloriæ precedet, atque ad dicendum incitabit:

Salve festa dies toto venerabilis ævo.

PARS II.

V. Punct. Vita recuperatur.

18 Quintum & ultimum quod Christus in Resurrectione sua recuperavit, est vita, & vita quidem gloriosa & immortalis. Nam teste Sancto Paulo: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, omnisque facultas restituta est ei.* Omnes proinde magno illi mortis triumphatori verba decantent Psalmi. *Psal. 92. 1.* *Dominus regnavit, decorem induit, induit fortitudinem.* Crux non patibulum, sed thronus fuit Christo, spinę non opprobrium fuere, sed pretiosum diadema, clavi non jam pœnarum instrumenta, sed militares sagittæ, quibus Christus mortem devicit: *Dominus regnavit.* Vnde S. Augustinus notat, quod Psalmi citati titulus ita dicat: *ipsi David in die ante Sabathum, cum terra ejus restituta est ei.* David Christum repræsentat, sed quæ aut qualis terra illa fuit, quæ Christo restituta dicitur? S. Augustinus dupliciter respondet. Prima responsio est restitutam illi fuisse terram Judeæ, quæ impiè contra ipsum rebellis facta fuerat: *unde cœpit fervere per Iudæam Ecclesia Christi, ubi ferbuerat opprobrium Christi.* Secunda autem responsio proposito nostro magis deservit, *cum terra ejus restituta est ei*, id est, Caro sua & Corpus suum, *cum caro ejus restitueretur.* Cantent ergo omnes, dicit Sanctus Augustinus: *Dominus regnavit.* Cur ibi? *quia ille qui stetit ante judicem, ille qui alapas accepit, ille qui flagellatus est, ille qui consputus est, ille qui spinis coronatus est, ille qui colaphis cæsus est, ille qui in ligno suspensus est, ille cui pendenti in ligno insultatū est, ille qui in Cruce mortuus est, ille qui lancea percussus est, qui sepultus est, ille resurrexit. Dominus regnavit: sæviant, quantum possunt quid sunt facturi Regi Regnorum? Domino omnium Regum, Creatori omnium sæculorum.*

19. Notate Reg. Davidem dicere quòd Christus una cum pulchritudine se pariter restituerit fortitudine. *Decorem induit, induit fortitudinem.* In Resurrectione namq; pulcherrimus simul & fortissimus apparuit, pulcherrimus quidem in aspectu, fortissimus in potentia, quia sanctissimam carnem suam gloria & majestate plenam reddidit; verum insuper fortissimus, quia illam eandem Carnem ab insuperabilis Tyrannæ illius, quæ eousque ab humanis viribus superata nunquam fuit, manibus violenter eripuit. Id quod quam maximè mirabatur Emissenus dicens: *Quis est iste qui intra avidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est corruptio non est? traditur perditionis profundo, & servatur ipsius mortis obsequio? quis est iste, qui vastissimos sinus periculo-*

rum tutus ingreditur, *& sub altitudine conclusus immensa atque mortifera vitali aëre pascitur*, *& demissus in alienam rerum naturam in vitæ exilio cum vita peregrinatur mortis suæ superstes?* Quis est qui ab hoc horribili monstro devoratus, non quoque pariter consumatur? Quis in præsentissimorum periculorũ medio constitutus sit aut deprædatus, prædam agat suimet deprædatoris? Quis in vitæ huius exilio cum vita sua peregrinans nova & hactenus inaudita inventione modum invenit supervivendi post mortem? quis domaverit indomabilem, vicerit invincibilẽ, totiusq; humani generis confecerit, & annihilaverit Tyrannam? Et uti egregie affirmat Chrysostomus: *Corruptionẽ in incorruptionem mutavit, & mortalitatem, immortalitatis traxit ad gratiam.* Qui in perditionis domo nec drachmam quidem potentiæ suæ unquam perdiderit? aut in mortis domo vias vitæ invenerit: unde in eius persona S. Cytharœdus cantabat: *Notas mihi fecisti vias vitæ: Hoc utiq; in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris*, dicit S. Ambros. *Qui dum post mortem ab inferis redit ad superos, incipiat notam habere viam vitæ, quæ antea habebatur ignota. Ignota enim erat ante eum via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio. Dominus regnavit, decorẽ induit, induit fortitudinem.*

Ps. 15. v. 10.

S. Ambros. Serm. 72.

20. Omnino mihi persuadeo Dominũ ob eam causam dum S. Joanni cõpareret, dixisse hęc verba: *Ecce sum vivus & fui mortuus; & ecce sum vivens in sæcula sæculorũ, & habeo claves mortis & inferni.* Tria præcipuè dicit Dominus, & omnia illa tria valde sunt mystica, nostraq; cõsideratione dignissima. Primũ est, quod sit vivus: *Sum vivus.* Secundũ, quod mortuus fuerit, *Et fui mortuus.* Tertium quod habeat claves mortis & sepulchri: *Et habeo claves mortis & inferni.* Primo ergo dicit; *sum vivus*, quasi de præcipuo facinore suo gloriaretur, quale fuit se ipsũ è mortis manibus liberũ referre, ibiq; vincere ubi omnes victi erant. Ut proinde diu ante Isaias dixerit, fore ut pax in Christi reperiatur sepulchro secundũ lectionem septuaginta interpretum: *A facie malitiæ collectus est justus, & erit in pace sepultura ejus; omnia referuntur ad Christũ*, dicit S. Hieronymus, *cujus sepulchrum in pace est, neq; enim caro ejus vidit corruptionem, nec permansit in sepulchro, qui erat inter mortuos liber.* Sum vivus, quia in sepulchro meo non bellum invenies, uti in suis cuncti inveniũt sepulchris, sed Pacem: Ibidem à corruptionis armis nequaquã invasus sum, prouti ab iisdem invaduntur & superantur omnes cæteri, sed à divinitatis meæ scuto protectus & defensus. In regno mortis Dominus fui, non Vasallus princeps non tributarius, liber non mancipium aut servus: & ideo S. Bernardus de transitu S. Malachiæ Episcopi loquens dixit: Nequaquam mirum esse, quod mors hunc Christi servum invaserit, quippe qui ipsum Dominum omnium Christum invaserit, licet id maximo suo damno fecerit, dum enim vita mortem intra se claudit, absorpta mors à

Isai. 57. v. 1.

vita fuit, & adinstar piscis, qui hamum intra fauces suas deglutit, atque dum capere videtur, vere capitur, & ubi victorem se putat, victum se depræhendit. *Quid causamur*, inquit, *quod Malachiam ausa sit attentare, fidele equidem membrum Christi, quando & ipsum Malachiæ pariter & omnium electorum caput furibunda pervasit? Pervasit utique immunem, sed non immunis evasit. Impegit in vitam mors, & inclusit intra se vita mortem, & absorpta est mors à vita. Hamum sibi devorans inde teneri cœpit, unde visa est tenuisse.* Dicat ergo Dominus: *Sum vivus*, id quod ante Christum nullus unquam hominum, postquam in mortis incidit laqueos, dicere potuit.

Serm. de Transitu Malachiæ.

21. *Sum vivus & fui mortuus.* Potuisset idipsum Dominus noster congruè silere, quid enim sibi vult, *Fui mortuus*, nisi quod communi tradidus fuerit inimico, quodque ordinarium peccatorum tributum solverit, infimis & minimis miseriis nostris ultro subiectus? Sed magno suo conformiter ingenio respondebit Augustinus: *Quod majoris est potentiæ mortem vincere resurgendo, quam vitare vivendo.* Plus moriendo præstitit, quam mortem declinando facturus aliquando fuisset, moriendo namque fecit, ut ipsa quoque mors moreretur, cum econtra moriendo ipse quidem vivus remansisset, sed & ipsa quoque mors tunc pariter viva remansisset. Dicit ergo aperte & expresse se vere mortuum fuisse, ut hac ratione quilibet cognoscat, se morte sua ipsam quoque mortem mori fecisse. *Sum vivus & mortuus, & habeo claves mortis & inferni.*

S. August. lib. 17. de Trin.

22. At vero quid significatur per hoc quod ipse claves habeat mortis & inferni? Nihil aliud, quam ut inducturus plenissimũ Dominiũ quod habet in mortem & in regnum eius. Sic enim, quando victori claves deferuntur urbis alicuius, per hoc significatur, ipsum absolutum ipsius sibi acquisivisse Dominium. Sed meo judicio plus ultra transit sanctus Rex David, quando dicit: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filijs hominum, quando contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Circa quæ verba gratiosa valde est annotatio Chrysostomi advertentis non dixisse Prophetam, quod Christus portas aperuerit, aut catenas sive vectes ferreos dissolverit, sed quod illas contriverit & confregerit. Quo loquendi modo insinuat, Dominum mortis regnum vicisse non minus pro nobis, quam pro se: *Hodie portas æreas corfregit* (sunt verba S. Chrysostomi.) *Hodie Dominus vectes ferreos confregit. Non dixit aperuit portas æreas, sed confregit, ut inutilis deinceps Carcer fiat. Non abstulit vectes, sed contrivit, ut custodia deinceps fragilis infirmaq; reddatur, ubi neq; janua, neq; vectis est, & licet quis intret non tenetur.*

Psal. 106. v. 15. & 16.

S. Chrysost. Homil. in C œnam & Crucem.

23. Eat ergo nunc Job verba tanto plena solatio intimando. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die surrecturus sum.* Hoc enim est factum quo se Ecclesia, ut dicit S. Hierony-

Iob. cap. 19. v. 25.

ronymus, in omnibus eventibus ſibi in via Domini obviis tuetur & defendit. *Hoc Clypeo Eccleſia, quo reſurrectionem mortuorum veriſſime credit futuram, ſe munit & protegit.* Ecquid enim Sancti Martyres in graviſſimis ſuis dolorum conflictibus ad ſui confortationem proferunt? Quid in ſylvis & deſertis Eremitæ aliiq; ſervi Dei ſuis in paſſionibus & ærumnis replicant? *Scio quod Redemptor vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Quid ergo vos ô ſimplices Matronæ facitis, quod ad ungendum Dominum quaſi mortuũ, pretioſa affertis unguenta. Nõ jam amplius mortuus eſt, ſed vivit, victor morbis eſt veſter ille meuſque Dominus, nec jam defunctorũ obſequiis indiget, ſed applauſibus triumphantium. Revertamini, revertamini ô Mariæ devotę, inopportuna enim, quantumvis ſit affectuoſa, eſt iſthæc pietas veſtra, id quod à vobis nunc exſpectatur, eſt ut ſitis tubæ ſonoræ glorię reſurgentis Domini, faciatiſq; hæc quaquaverſum reſonare verba: *Scio quod Redemptor meus vivit.* Veſtram ſimiliter ô imperfecti diſcipuli reprobo diffidentiam, qui proinde modo valde imperfecto dicebatis Lucæ 24. *Et nos quidem ſperabamus quod eſſet redempturus Iſrael.* Macti animo eſtote ô vos leves & incõſtantes, antiquam ſpem veſtram reſumite, nam quæ promiſſa ſunt à Domino cuncta perfecte completa ſunt: ad antiquam veſtrã revertamini fidem, & jubilus veſter ubiq; audiatur, & dicite: *Scio quod Redemptor meus vivit.* Neq; te poſt tergum relinquere debeo ô perfide & miſerabilis Hebræe qui ſi miraculis quæ in vita Chriſtus operatus eſt, nec non & quæ in morte contigerunt prodigiis, fidem adhibere noluiſti, adhibe ſaltem illam nunc ad minus teſtimonio cuſtodum tuorũ, quos ad ſepulchrum eius poſuiſti, qui pleno ore proteſtantur ſe illum propriis oculis ſuis, idque non ſine horribili pavore & horrore mortis à mortuis reſurgentem vidiſſe. Recordare vel ſemel ſcripturarum tuarum, videbiſq; in mille locis hocce adumbratum fuiſſe myſterium. Hic namque eſt Jonas è Ballenæ ventre egrediens. Ipſe eſt Samſon portas Gazæ, quibus occluſus erat, perrumpens. Hic eſt è carcere liberatus totiuſq; Ægypti cõſtitutus Gubernator Joſeph. Hic eſt Daniel locum leonum evadens. Ipſe eſt Jacob cum duobus turmis, Angelorum ſcilicet cœleſtium, & Lymbi Patrum ab exilio ſuo revertens. Ipſe eſt Suſanna à mortis periculis veluti innocẽs abſoluta. Ipſe eſt Banaias è ciſterna in qua Leo ferociebat extractus. Ipſe eſt Jeremias è puteo liberatus. Ipſe deniq; eſt templum deſtructum atq; in tribus diebus reædificatum. Ite ergo ô perfidi Hebræi, perfidamq; veſtram tandem derelinquite obſtinationem, ac ſacramentum iſtud omnibus prædicate & dicite: *Scio quod Redemptor meus vivit.*

Lucæ 24. v. 21.

24. Tu vero ô popule Chriſtiane quid facis? quid cogitas? quid quæris? quid prætendis, ſi credis

Christum à morte ad vitam resurrexisse, quomodo adhuc in sepulchro pravæ cõsuetudinis mortuus jaces? Si vero id non credis, quomodo scholam illam profiteri audes, cuius fundamentum est fides sive credere. Si dictis Christi fidem habes, cur voluntatem eius non facis, aut præcepta Christi non exsequeris? aut si nõ credis, quomodo præmium credentibus promissum exspectas? Si credis verbis Domini quæ spiritus & verba sunt, cur non vivis? aut si vivis cur non credis, cum vivere non sit aliud quam credere? Si credis cur vivis una cum tuo capite quod vivit? aut si non vivis, quomodo gloriaris te credere id, quod verum vivere est? Si Christum tuum resurrexisse credis, cur à peccato tuo non resurgis? aut vero si non resurrexit, cur tu simulas idipsum te credere? si credis resurrectionem carnis gloriosæ, cur adeo defixus es in carnis huius corruptibilis vanis delitiis? si vero illam minime credis, qua præsumptione gloriam postulas, quæ præmium est credulitatis sive fidei? si credis, cur à rebus creditis nõ moveris? aut si non credis? quomodo sperare potes quod non credis? agedum ergo pectus tuũ luci adeo fœlicis nuntii & os tuum tanti sacramenti laudibus tandem aliquando aperias, dicasq; : *Scio quod Redemptor meus vivit. Si consurrexistis cum Christo*, dicebat Apostolus, *quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Patris, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Vos ô dilectissimi gloriæ bona cum Christo quærite, miseras autem terræ huius vilitates oblivioni tradite.

25. Macti animis estote, & quotiescunq; vos sive mundus cum suis pompis, sive caro cum suis blanditiis, sive cum suis astutiis Sathanas aggreditur inexpugnabili hoc vos scuto defendite. *Scio quod Redemptor meus vivit.* Garta & pretiosa isthæc fiducia venturum scilicet tandem aliquando diem illum, quo venerando capiti vestro, Christo vestro cõformandi sitis, vos in jacturis sæculi istius lætos, atque in doloribus beatisque persecutionibus securos & quietos reddat. Videte & intueamini hocce vitæ vestræ exemplar. Videte veræ gloriæ formam, videte gaudiorum vestrorum prototypon, videte quam luminosum sit divinũ hocce tabernaculum, non ita pridem à crudelissimis ferris discerptũ? Quam sint sanctissimæ illæ cicatrices splendentes? Quam sit immaculata hæc caro levis & agilis. Hoc vestrum est sustentaculum, hæc vestra est consolatio, hæc spes vestra, hoc deniq; omne bonum vestrum, ac proinde omni cum devotione repetite, atque cum jubilo gratiosos & acceptos accentus istos semper renovate. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Amen.*

CON-



CONCIO XXXIX.

In Feriam Secundam Paſchatis.

THEMA.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam, Luc. 24. v. 26.

ARGVMENTVM.

Conſideratur hac Concione via vitæ noſtræ quæ eſt Paſſio nec non & terminus eiuſdem qui eſt fruitio. Oſtenditurque non eſſe condignas paſſiones præſentes ad futuram gloriam.

SUMMARIUM CONCIONIS.

Congratulatio pro felici adventu Chriſti in habitu *peregrini propter beneficia quæ confert. Synopſis Concionis.* num. 1.

Punctum Primum. *Neceßitas Paßionis Chriſti authoritate ſacrarum literarum indigitatur hoc verbo oportet.* n. 2.

Tribulatio eſt via recta & trita ad gloriam, extra quam omnis alia error eſt, per hanc omnes ſancti & magni viri ad coronas pervenerunt. Exemplis res illuſtrata. n. 3.

Anhelat ſponſa ad oſculum oris ſponſi, ſed ex hoc ore egreditur gladius ex utraque parte acutus; *& nihilominus* labia eius ſunt ſicut lilia Aſterii animadverſio. n. 4.

Iacob in lucta ſua fuit læſus & benedictus. *Huc etiam* Job *vocatus, qui ſummam æſtimat conſolationem* ſi non parcatur ei. Petri Damiani acumen. num. 5.

Licet ex omni conditione & ſtatu

sint sancti in cœlo, videtur S. Ioannes insinuare quod sunt tantum martyros. *Locus Apoc. productus & quidem graviter* à Tertulliano. Tota paradisi clavis sanguis tuus est.n.6.

Verba Christi ad duos fratres nescitis quid petatis *optime ponderata & diversis exemplis illustrata.*n.7.

Nec ipsi angeli gloriam obtinuerunt nisi per laborem. Isaias productus *contra luciferum* ab Hugone. n.8.

Portæ æternales *non aperiuntur Christo nisi post responsionem* Dominus virtutum vel militiarum. n.9.

Fortalitiorum excubijs datur aliquod nomen loco tesseræ ne aliquis ingrediatur qui nomen illud ignoret. Nomen quod dat Deus pro ingressu gloriæ est, persecutio, labor, Crux, ferrum &c. *aureum* Chrysostomi *effatum.* n.9.

Locus Ieremiæ : Ego sicut agnus mansuetus &c. *& ut habet Hebræum* ego sicut Agnus dux cæterorum, *nos ad Christi imitationem invitat. Ipse per tribulationes pervenit, tu autem per requiem vis ire,* quomodo ergo sequeris non sequens *diserte* os aureum. num.10.

Secundum Punctum. *Terminus laborum nostrorum est* gloria. Ad modicum pateris sine fine gaudebis *optime* August. n.11.

O beata mater Ecclesia cui mors ad vitam militat. Cui & ignominiæ confusio gloriam & vincula libertatem pariunt sempiternam Petri Damiani *Exclamatio.* n.12.

Verba Christi, & ita *intrare* in gloriam suam *optime* à Damiano *illustrata.* num.13.

Spes beatitudinis, fragilitatis nostræ sustentaculum, laborũ nostrorum solatium, noli tantum attendere qua iturus es sed & quo venturus sis. Augustini *salutare consilium.*n.14.

Verba Psalmi, testimonia tua intellexi, *vel ut alia habet versio* martyria tua intellexi, *optime explicata,* ab August.n.15.

Hæc cogitatio Heremitis solitudines replevit, cellulas monachis carceres martyribus, tribunalia utriusq; sexus gloriosis athletis. n.16.

Tertium Punctum. *Antitheses inter viam & terminum, sive inter* passiones huius temporis & gloriam æternam. Apostolus productus. *Improportio inter passiones & gloriam cujus quinque afferuntur rationes.* num.17.

1. *Est quod passiones sunt* modicæ *gloria autem* immensa.n.18.

Verba electorum in extremo Iudicio coronandorum. Domine quando te vidimus huc flexa *exemplum insignis martyris* Abibonis *hic productum.* num.19.

2. *Passiones sunt ficta & somniatæ at gloria est vera* sapiens productus. *Locus* Pauli à Cyrillo *examinatus.* num.20.

3. *Ratio sancti adjuvantur à Deo in tribulationibus.* Sacra scriptura sicut & sanctorum Patrum testimonia hic accumulata. n.21.22.

4. *Quia passiones infinitis sunt conditæ delitijs.* Paulus testis accitus. *Exposita hic antiqua paganorum pictura repræsentans deam miseriarũ in templo volupiæ deæ voluptatis ut auctor est* Macrobius. Sanctorum testimoniis hæc ratio illustratur. n.23.

Petitio

Petitio ſponſæ conſideranda ſurge Aquilo & veni Auſter Gilberti explicatio *huc optime verſa. Illuminatur hæc veritas à Pſalmiſta.* Et nox illuminatio mea in delitiis meis. Chryſoſtomi paraphraſis. n.24.

5. Ratio, non ſunt condignæ paſſiones, quia breves ſunt *& momentaneæ: Beatitudo vero æterna.* Quod patitur finitur quod accepturus eſt finem non habet *erudite* Auguſtinus. n.25.

Iſaiæ locus productus. In momento indignationis abſcondi faciem meã à te &c. n.26.

Reſpice mundum periturus, Reſpice Solem & Lunam & ſtellas & ipſa ſolvenda ſunt conflige fortiter pro anima tua quæ aut ſemper vivit aut ſemper perit efficax S. Antonii Epiſcopi ad Arcadium exhortatio. n.26.

Monitum pro ſervanda æternitatis memoria; & concluſio cum Apoſtolo, non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. n.26.

1. BEne hodie venerit cœleſtis hic Peregrinus, peregrini quidem Habitus amictu contectus, in conſuetis tamen beneficiis manifeſtus; vetus amicus, notiſſimusq; gratiarum atque favorum donator, novus autem peregrinæ & hactenus inauditæ ſapientiæ Magiſter. Bene inquam venerit, ſalvusq; ſit adventus eius, qui ſuo homines lætificat aſpectu, verbis accendit atq; inflãmat, docet & inſtruit factis, monitis corrigit, illuminat cibo, ſeq; per fugam ſuam innoteſcere facit. Super omnia vero præcipuè bene venerit is, qui novam dedit immortalitatem & gloriã, multis retro temporibus tantopere quæſitam, & adeo abſcõditam; adeo deſideratam, adeoq; remotam; adeo cogitatui dulcem, adeoq; difficilem impetratu. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Omnes totius mundi homines, audiant cœleſte illud Redemptoris oraculum, quo venerandis illis oris ſui verbis; terminum nobis hodie viæ noſtræ, nec non & termini noſtri viam demonſtrat: terminum, ut eum conſequamur, viam, ut illam inambulemus; terminũ Gloriæ ſempiternæ, & viam paſſionum tranſitoriarũ. Erit enim forte, ut per attentam futurorum gaudiorum conſiderationem, præſentium amaritudinum evaneſcat gravitas, nosq; etiam una cum duobus illis hodierni Evangelii diſcipulis, inflammati, dicamus: *Nonne Cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via.*

2. Atque ut à Via exordiamur: *Oportuit Chriſtum pati.* Sententia eſt adeo certa, adeoque indubitata doctrina, ut Dominus illam talibus omnino verbis confirmatam eſſe voluerit, quæ præciſam ſignificent neceſſitatem, & inviolabile apud omnes quatuor Evangeliſtas decretum. In S. Matthæo dicitur: *Cœpit oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportebat eum ire Ieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & principibus Sacerdotum.* Apud S.Mar- *Punctum Primum.*

S. Marcum. *Oportet filium hominis, tradi in manus hominum peccatorum.* In S. Joanne: *Exaltari oportet filium hominis.* Ut autem intelligeremus similem esse debere membrorum conditionem, quæ Capitis fuit, Sancti Apostoli Petrus & Paulus, eodem prorsus loquendi modo Veritatem hanc intimarunt. Ille quidem in prima Canonica. *Oportet contristari in varijs tentationibus*; hic autem Actuum Apostolicorum. *Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.* Super quæ verba Sanctus Gregorius Papa discurrens, hanc tandem statuit Conclusionem Lib. 5. in Cap. 1. Reg. *Tribulatio igitur nostra, superni gaudij introitus est.* Ut proinde haud immerito Lecticæ summi Regis ascensus, à Salomone, veluti purpureo colore constans, descriptus fuerit; Nam uti idemmet Gregorius advertit, tribulationibus vitæ huius mediantibus, & per sanguinis effusionem, ad æternam Dei pervenitur visionem: *Rex noster ascensum purpureum fecit in ferculo, quia ad clarum quodintus aspicitur, per tribulationem carnis pervenitur.*

Cant. 3. Hom. 15. in Ezechiel.

3. Hæc est via regia & trita, quæ ad Gloriam nos rectà conducit, extra quam omnis alia via error est, ad perditionem, non vero ad salutem perducens: *Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.* Si enim regnum Cœlorum emendo comparatur, solæ passiones illius sunt pretium. Si gratuito donatur, nonnisi solis donatur patientibus: Si obtinetur titulo amicitiæ, nulli censentur amici, nisi qui patiuntur: si per vim acquiritur, sola illi vim passio, nec quidquam aliud infert: si per Cambium aut permutationem, non nisi cum Patientia commutatur: si dignæ mercedis loco confertur, nullius rei merces est cœlum, præterquam Passionum: *Tribulatio nostra, superni gaudij introitus est*: Omnes cœli incolæ, inquit Joannes, vestem habent ex bysso contextam, quæ percussionum vi & frequentia dealbatur: Omnes prædestinati, inquit Ezechiel, Crucem portant in fronte signatam: Omnes è populo Dei electo, inquit Moyses, mare Passionis rubrum pertranseunt: Omnes innocentes, inquit Paulus Apostolus, continuis infallibiliter subjecti sunt passionibus: Omnes beati, inquit Angelus, Laverunt stolas suas in sanguine Agni: Omnes filii Dei, inquit Salomon, ex mera Patris pietate flagellantur: Omnes quotquot accepti sunt altissimo, inquit Tobias, per tentationem necessario probantur: Omnes quotquot ad refrigerium pertingunt Paradisi, inquit regius David, prius per flammas patientiæ & tribulationis Aquas pertranseunt; Omnes quotquot Deum visuri sunt sancti, inquit Malachias, prius in cruciatu afflictionis probantur. *Tribulatio nostra superni gaudij introitus est.* Electi, ad

ad ſeptuaginta palmas nequaquam pertingunt, niſi prius amaras Marath tranſierint Aquas: Peregrini Domini, pedem ſuum terræ promiſſæ nequaquam inferunt, niſi poſt frequentes, cum ſeptem barbaris nationibus, ſuperatos conflictus. Joſeph in Ægypto non dominatur, niſi Iſmaelitis à propriis fratribus venditus: Jacob ad Patriam ſuam divitiis onuſtus non revertitur, niſi poſt longum quoddam laborioſumque exilium: David ad regnum ſublimatus nequaquam eſt, niſi poſtquam diuturnam à Saule perſecutionem eſt paſſus: Job abundantia & fœlicitate à DEO ſibi multiplicata non fruitur, niſi poſt extremas ruinas. *Quoniam ad requiem*, eſtque hæc S. Ambroſii ratio: *Non niſi per laborem, & ad gaudia, non niſi per triſtia pervenitur.* Dicamus igitur quia *oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Dicamus inquam, *quia per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.*

4. Anne etiamnum meminiſtis, O Chriſtiani mei, ardentiſſimi illius deſiderii videndi DEUM, quo ſponſa flagrabat? Quippe quæ in myſtici illius Epithalamii exordio, cœleſtis amoris pleniſſima, in ardentiſſima hæc verba, veluti accenſi cordis ſui evidentiſſima teſtimonia, prorumpit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Per oſculum iſtud, Gregorius Nyſſenus æternam intellexit Beatitudinem. Verum qualenam eſt os illud ſponſi tui, O Sancta DEI Eccleſia? An non eſt eiuſmodi, prouti Joannes idipſum vidit, ancipiti videlicet obarmatum gladio? *De ore ejus exibat gladius, utraque parte acutus. Quod os habet ſponſus, O ſponſa* (ſunt verba Aſterii Amaſeæ Epiſcopi) *niſi illud quod vidit Ioannes in Apocalypſi, emittens gladium ex utraque parte acutum*, quod quia obarmatum eſt ferro, ſine inflicto vulnere oſculum nequit figere? Verum eſt, inquit Eccleſia, os dilecti mei armatum eſſe; ſed & verum quoque eſt eſſe floridum: *Labia illius ſicut Lilia.* Cant. 5. Terrore plenum eſt, ſed & plenum quoque eſt delectatione; rigide minatur, ſed & amoroſe ac ſuaviter promittit. Nequaquam igitur gladium fugio, quia flores quæro: non recuſo ferrum, quia oſculum deſidero: Vulnerata eſſe cupio, quia oſculum accipere concupiſco: non me configere terret, quia attrahit triumphus: faſtidium non ingerit paſſio, quoniam allicit fruitio: Tribulationem nequicquam æſtimo, quia æſtimo gloriam. Hoc eſt, quod Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 31. acutè notavit; ubi primò dicitur tribulatio circumdare juſtum: *Adjutor in tribulatione, quæ circumdedit me*, poſtea vero ſubiungitur circumdari quoque eundem à miſericordia: *Sperantem autem in*

Apoc. 1.

Domino misericordia circumdabit. Quem primo circumdat pressura, postea circumdat misericordia : quoniam misericordiam dabit, qui legem dedit. Legem in flagellis, misericordiam in consolationibus. Quisquis igitur consolationem requirit gloriæ, flagelli non terreatur horrore; & quisquis dulcedinem amat osculi, nequaquam retrahatur ab ictibus ferri, *nam per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.*

5. Mystica profecto est lucta illa, quæ DEUM inter & Jacob Patriarcham accidit, toties in sacris repetita pulpitis, in qua tametsi scriptura teste, Jacob reportarit victoriam, claudus tamen inde exivit, unoque pede mancus. Quodque mysterium insigniter auget, illa crudelis adeo pugna, è qua Patriarcha adeo vehementer Læsus egreditur, Benedictio ab eodem appellatur. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* O ingens Cœli miraculum, inquit *In Psal. 88.* Sanctus Augustinus. Victor est, & vulneratus est : Prævalet contra DEUM, & à DEO prosternitur: fortis vocatur, dum fortitudinem perdit : jucundus & hilaris reputatur in ipso mœrore, fœlix in infortunio, in adversis quietus. Benedictus dicitur, cum claudus efficitur. *Magnum Sacramentum : eundem hominem unum fecit, & benedictum, & claudum : & stat victus, & benedicit victorem.* O quam nobilis est hicce, O Christiani, conceptus; Benedictio est vulnus illud, quocum rectà ad Cœlum properatur : Beneficium est jactura illa, per quam Paradisi acquiruntur thesauri : Gloria est illa calumnia, quæ in vitæ libro nomen meum describit : fœlicissima revera sors est illud Naufragium, quod ad æternitatis me perducit portum : Favor est illa infamia, quæ famosum in domo DEI me reddit & honoratum : Jucunditas est mœror ille, qui inter Angelos hilarem me reddit, ac gaudiosum : *Eundem hominem unum, fecit & benedictum, & claudum.* Hac ratione se Job æstimabat benedictum, quando inter innumerabiles suas gravissimasque ærumnas, dicere audebat. *Qui cœpit, ipse me conterat : Solvat manum suam, & succidat me. Et hæc mihi sit Consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Non solum illæ me Pœnæ non terrent, quas experior, quin & provoco eas quas non experior. Illa DEI manus, quæ concutere me cœpit, plagas illas in Damna mea, measque ruinas, selectas, prosequatur fœliciter : Non enim quæro ut parcat, sed summa potiùs mihi erit Consolatio, si affligens me dolore non parcat. Anne aliquando quidpiam mirabili isthoc paradoxo vidistis mirabilius? Verum Sanctus Petrus Cardinalis Damiani hunc Jobi citatum locum explicans, respondet.

Epiſt.149. det. Quod *magna electis DEI eſt conſolatio, ipſa divina percuſſio: quia per momentanea flagella, quæ perferunt, ad nanciſcendam ſupernæ Beatitudinis gloriam, firmæ fidei greſſibus convaleſcunt.* Videte ergo quod vere vulnus ſit benedictio, & percuſſio conſolatio. *Magna conſolatio ipſa percuſſio. Eundem hominem unum, fecit & benedictum & claudum.*

6. Res in Cœlo clara eſt & evidens, ſanctos videlicet, quemadmodum profeſſione ſunt varii: ita quoque differentes admodum videndos in gloria: Sunt enim Martyres fortes & generoſi; Confeſſores Zeloſi, Doctores illuminati, Caſtiſſimæ virgines, Pœnitentes reſoluti, contemplativi & activi, Religioſi & ſæculares: Sacerdotes & Laici: Principes & privati: Nobiles & plebei; Prælati & ſubditi. Unde Dominus diſcipulis ſuis dicebat, pro ratione varietatis in gloria, varias pariter futuras eſſe manſiones in beata illa Patria: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quod tametſi ita ſe habeat, nihilominus Sanct. Evangeliſta Joannes, qui cuncta DEI intellexit ſecreta, nullum aliud in ſacra ſua Apocalypſi Sanctorum genus vidit, niſi ſolorum Martyrum: *Vidi ſub altari DEI animas interfectorum propter verbum DEI.* Itane? Ergo omnes in cœlo Beati, Martyres exiſtunt? Omnes omnino. Ergone ibidem fortaſſe non erunt Doctores, Eremitæ, Virgines? Imo vero haud dubie. Qua ergo ratione fit, quod ibi nulli videantur præterquam ſoli Martyres? Ut videlicet inſinuetur ſacramentum aliquod valde abſconditum. Ecquale igitur illud? Hoc videlicet, neminem beatæ illi Patriæ pedem inferre poſſe, niſi eorum duntaxat, qui occiſi pro DEO fuerint. Quo modo occiſi? Cultro mortificationis continuæ, atque ardentibus paſſionum & patientiæ flammis. Ecquis autem eſt, qui duram iſtam ſtatuit legem? Condidit illam Summus Legislator DEUS. Quo fine? Ut conferat gloriam non ſolum velut ſpontaneum donativum, ſed & uti debitam tibi mercedem. Cur ita? ut tanto magis frueremur illo bono, in quo noſtri quoque labores partem ſuam habent. Audite verba Tertulliani, quibus viſionem illam Joannis à nobis propoſitam explicat: *Ioanni in ſpiritu Paradiſi regio revelata, quæ ſubjicitur altari, nullas alias animas apud ſe præter Martyrum oſtendit. Quia nullis romphæa Paradiſi janitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint. Agnoſce differentiam. Si Crucem tuam tollas & ſequaris Dominum, ut ipſe præcepit; tota Paradiſi clavis, ſanguis tuus eſt.* O nobilis conceptus. In cœlo nulli ſunt niſi ſoli Martyres, nec Joannes alios præterquam Martyres vidit, quia beatæ illius manſionis nulla eſt alia clavis, niſi ſanguis

 noſter.

noster. Atque hæc est causa, cur Apostolus, postquam dixisset, DEUM nos una cum Christo filio suo cohæredes fecisse, subito subjungat: *Si tamen compatimur.* Uti
Rom. 8. idipsum Sanctus Ambrosius sapienter advertit, Hæc lib. de Jacob. & vit. beat. dicens: *Hæredem te fecit, cohæredem te fecit. Cohæres Christi es, si compatiare, si commoriare, si consepeliare cum Christo. Suscipe Passiones ejus, ut supra passiones cum eodem esse merearis.* An non meministis sententiæ illius adeo communis & trivialis Sancti Augustini: *Tota vita Christiani, si secundum Evangelium vivat, Crux est & Martyrium?* Quid jam hic molles isti ac delicati dicent, qui ne vel minimum, quod in præsenti vita illis accidat, tolerare possunt fastidium, si ad alteram illam vitam beatam nemo pertingere valeat, nisi qui vere Martyr extiterit? Si cohæres Christi nemo potest effici, nisi qui patitur cum Christo? Si denique ad æternas illas gloriæ portas reserandas & penetrandas, alia Clavis non sit, præterquam sanguis proprius? *Tota Paradisi clavis sanguis tuus est. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.*

7. Ex hac doctrina, procul dubio facili negotio intelligetis, quanta cum sapientia benedictus Redemptor noster duobus discipulis Joanni & Jacobo, Gloriæ sedes postulantibus, responderit? Ecquid ergo illis respondit? *Nescitis quid petatis. Potestis bibere Calicem quē ego bibiturus sum.* Quasi diceret; Vos ignoratis, ad illas sedes non perveniri aliunde præterquam per Crucem? Nescitis Cœlum nullam aliam suam habere clavem, quàm proprium sanguinem? Nescitis domum meam alios non continere domesticos, quam solos Martyres? Nescitis unicam ad gloriam perveniendi viam esse afflictionis ebibere Calicem? Nescitis beatam illam Patriam velut fortalitium quoddam esse, quod solis expugnatur sudoribus atque laboribus? Nescitis Beatitudinem generosorum esse stipendium, non vero donativum negligentium? Nescitis eo penetrare neminem, nisi qui mundi suique ipsius victor extiterit? Nescitis quia nemo fortunatam illam ingreditur mansionem, nisi qui per Cherubini transierit romphæam? Nescitis quia ante possessionem terræ promissæ opus sit adversus septem fortissimas nationes dimicare? Nescitis quia Cœlestis mannæ convivium, dura præcedat servitus Ægypti? Nescitis quia persecutionis tenebræ, sempiternæ diei claritatem debeant præcedere? *Factum est vespere & mane?* Gen. 1. Nescitis Regis sancti Doctrinam, qui planctum oculorum lætitiæ præposuit cordis: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia?* Nescitis

ergo

ergo quid petatis, quippe qui vultis regnare, & non dolere; desiderare gloriam, nec tamen amare Crucem; sedes quærere, & oblivisci Calicis. *Potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum?* Hæc est ad Cœlum via, Humilitas cordis; Hoc est Gloriæ pretium, laboris ærumna: Hic est modus Beatitudinem æternam possidendi, mortificationem pœnasque temporales amplecti. Ecce tibi illius egregiam Sancti Augustini expositionem Conc. 3. in Psal. 105. *Dominus non illis sedes invidit, sed convallem prius plorationis ostendit. Quasi diceret: Illuc vultis venire, ubi sum ego? Venite qua ego.* Augustino consentit Gregorius, Hom. 27. in Evang. qui de prædicto facto loquens hoc modo discurrit: *Iam locum celsitudinis quærebant, ad viam illos veritas revocat, per quam ad celsitudinem venirent. Ac si dicatur, jam vos locus delectat celsitudinis, sed prius via exerceat laboris; per Calicem enim pertingitur ad Majestatem. Si mens vestra appetit, quod demulceat, prius bibite quod dolet. Sic sic per amarum poculum Confessionis pervenitur ad gaudium salutis. Per multas tribulationes oportet introire in Regnum DEI.*

8. Nec ipsimet quidem Angeli assecuti sunt sedes, quin illas laborando lucrati fuerint. Ut proinde Hugo Cardinalis adverterit, Angelum illum rebellem, qui apud Isaiam Prophetam cap. 14. dicebat: *Super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti*, repente ob id præcipitatum fuisse: *Veruntamen in Infernum detraheris, in profundum Laci.* Et merito profecto is, qui sedere vult, priusquam laborarit, de sede deturbatur ad Tartarum, ubi perpetuus est labor: *Lucifer qui prius volebat quiescere, quam laborasset, expulsus est in locum, ubi perpetuo laborabit.* *Hugo in Gen. 9.* Hoc igitur tempus est acquirendi Gloriam, non vero illam possidendi: Pacem æternam comparandi, non vero consequendi illam; præparandi sedes, non vero illis fruendi. *Non ergo requiramus gaudium in hoc mundo* (est memoriale S. Augustini) *quia verum gaudium comparari hic potest, possideri non potest. Non quæras in via, quod tibi paratur in patria. Et quia contra Diabolum Christo duce quotidie tibi pugnare necesse est non requiras in prælio, quod tibi servatur in regno: non quæras in pugna quod tibi servatur in futuro cum fuerit perfecta victoria.* *Aug. Serm. 6. de temp.* Videte igitur quam rationabilis fuerit illa, quantumvis acerba, Christi responsio, cum dixit: *Nescitis quid petatis.* Ad eum fere modum, quo S. Evang. Marc. notavit, Petrũ cum Domino in monte Thabor diceret: *Rabbi bonum est nos hic esse*, nescivisse quid diceret: *Non enim sciebat quid diceret.* *Marci 9.* Verum enimvero quomodo nesciebat quid diceret, quando id sollicite quæsivitqꝫ ipsi adeo erat expediens, gloriã nimirũ & Beati-

titudinem? Responsio huic quæsito valde conveniens adducitur à S. Antonio de Padua dicente: *Non sciebat quid diceret, quia ante volebat beatificari, quam præcederet meritum.* Bonum est, inquit Augustinus, quærere gloriam, sed quærere illam oportet, ubi invenitur, non vero ibi ubi velut in exilium proscripta est. In terra quæritur, in cœlo invenitur; in terra concupiscitur, in cœlo impetratur: cum labore in terra acquiritur, in cœlo vero est illius sine labore fruitio. *Non vis ut male sit tibi* (sunt verba Augustini) *Sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Bonum est quod vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis. Disposui vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum*: dicit Dominus discipulis suis. Ubi Hieronymus Oleaster interrogat: *Quomodo disposuit tibi Pater regnum tuum, dic nobis bone IESV? Per calicem, inquit, Passionis.* Pater meus æternus Cœlorum regnum mihi alio modo non contulit, quam mediante Calice Passionis, revera namque *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.*

Dom. 2. Quad.

Aug. in Ps. 79.

Luc. 12.

In c. 9. Isai.

9. Quando Christus summum bonum nostrum, cum ingenti illo comitatu, qualis tantum decebat Dominum, cœlum ingressus est, dicit Propheta regius, Redemptoris ephebos aulicos eidem acclamasse. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex Gloriæ*, nec tamen cœlestes Angeli audientes pro Rege gloriæ Cœlestium portarum sollicitati reserationem easdem aperuerunt, imo haud aliter ac si minime illum cognoscerent petierunt: *Quis est iste Rex Gloriæ?* Nec illum ad Cœlum unquam admiserunt, donec verba illa audirent: *Dominus virtutum ipse est Rex Gloriæ*, aut sicut alii legunt: *Dominus militiarum ipse est Rex Gloriæ.* Ad fortalitiorum excubias edicitur nomen aliquod, loco militaris tesseræ, ne videlicet quispiam ingrediatur, qui nomen illud ignoret, quod expressum amicum, ab inimico discernendi signum est. Scilicet Sancta MARIA, Sanctus Petrus, Sanctus Jacobus &c. Nomen quod DEUS pro ingressu in regnum Cœlorum dedit, est persecutio, labor, ferrum, Crux, & Martyrium. Sic Chrysostomus dicit, quod mox ut auditum est: *Dominus militiarum*, Cœlestis Jerosolymæ portæ apertæ subito fuerint: *Audito hoc nomine, Potestates concordibus vocibus solita glorificatione exclamantes, cum gaudio Dominum suscipiebant, & deducebant usque ad excelsum & altissimum thronum, dexteramque Patris.* Absque passione igitur, ne ipse quidem Gloriæ Dominus, gloriam suam ingreditur, & ingredietur eo ab omni passione exemptus is qui ob sua crimina inde velut exul in hoc modo degit? Ergone Regnum Dei,

Psal. 23.

Serm. 4. de Ascension.

Dei, ne ipſe quidem naturalis DEI filius absque neceſſario iſthoc paſſionis conſequetur pretio, & tamen pro nihilo illud ipſum Regnum obtinere meditabitur filius adoptivus? Patitur Paradiſi Dominus, ut in Paradiſum ſibi pateat aditus, atque ut ad prætenſam pertingat Beatitudinem pati renuet mancipium & ſervus? Magna profectò ſtultitia eſt, ſibi idipſum perſuadere, quia *oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei.*

10. Merito per Jeremiam Prophetam Redemptor noſter dicebat Cap. 10. *Ego ſicut agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Hebræa litera legit: *Ego ſicut Agnus dux cæterorum.* q. d. Ego ſum Agnus cunctarum ovium dux, quæ ſi à ſalutis ſuæ ſemitis non aberrare cupiunt, me ob oculos habere, ſuique proſequi debent ducatus veſtigia. Columella dicit, Ovem animal eſſe ſequaciſſimum, adeo ut ſi Dux gregis aries, in maris pellatur aquas, omnes illum ſine timore ſequantur oves, ſeque pariter in mare præcipitent. O fideliſſime Dux & ſecuriſſime Animarum noſtrarum gubernator: *Ego ſicut Agnus Dux cæterorum.* Tu huius laborioſiſſimi mundi noſtri pœnarum mari te immerſiſti, ut nos rectiſſimo itinere ad gloriæ portum per eandem quam tu ingreſſus es viam procellarum videlicet & tempeſtatum, tot afflictionum, quas ſuſtinuiſti incedere doceres. Cur te igitur nos quoque non ſequimur, O æterna & infallibilis ſapientia? Cur poſt tua non currimus beata veſtigia, O ſapientiſſime Magiſter? Cur perfido & ſubdolo potius mundo credere volumus, quam tibi, qui vera es ſalus noſtra, omneque bonum noſtrum? *Ego ſicut Agnus Dux cæterorum.* Audi graviſſimum Sancti Auguſtini monitum, tuamque tandem aliquando proterviam in obedientiam atque obſequium redige: *Imitare Paſſionem, expecta promiſſionem. Quare amas habere quod Chriſtus, ſi times pati quod Chriſtus? Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum.* (*in Pſ. 96.*) Audi Joannem Chryſoſtomum qui clare tibi proteſtatur, dicens quod ſi Chriſtum ſequi cogites non patiendo, idem id fore quod ſequi illum & non ſequi ipſum. (*Hom. 24. in Ep. ad Heb.*) *Ipſe quidem per tribulationes pervenit, tu autem per requiem vis ire? Quomodo ergo ſequeris non ſequens?* Sequeris ipſum, & non ſequeris illum. Sequeris illum nomine Chriſtiani, & non ſequeris ipſum per facta Chriſti. Sequeris illum deſiderio, & non ſequeris operatione. Sequeris illum pedibus vanæ ſpei & confidentiæ, ſed non ſequeris eundem greſſibus veræ charitatis? *Quomodo ergo ſequeris non ſequens? Quare amas habere quod Chriſtus, & times pati quod Chriſtus?* Optime cum ſapientiſ-

ſimo

ſimo Seneca in conſolat. ad Martiam cap. 17. dixero: *Delibera tecum, & perpende quid velis. Vt in illa venias, per iſta exeundum eſt.* Omnes ad Domini pervenire gloriam cupiunt, ſed rari ſunt, qui per viam, quam Dominus aperuit, venire volunt; cum Chriſto regnare deſiderant, ſed cum Chriſto pati recuſant, illud non curant quærere, quod deſiderant invenire. Eratque hæc juſta & rationabilis S. Bernardi querela dicentis: *Quam pauci poſt te, O Domine IESV, ire volunt, cum ad te pervenire nemo ſit qui nolit: Hoc ſcientibus cunctis, delectationes in dextera tua usque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari: conregnare cupiunt ſed non compati. Non curant quærere, quem tamen deſiderant: cupiẽtes invenire, conſequi, ſed non & ſequi.* Eſto igitur concluſio, neminem ad Cœlum pertingere, qui Chriſti non ſequitur ducatum, neque Chriſtum hunc aliò nos ducere præterquam ad paſſiones & dolores, atq; ideo *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.*

Serm. 21. in Cant.

Secundum Punctum.

11. Enimvero poſtquam hactenus Viam prolixius conſideravimus, nunc propius nonnihil ad diſcurrendum de termino accedamus: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Terminus laborum noſtrorum eſt Gloria, quæ ingens adeo eſt & amabilis, ut ad quodvis cor puſillanime, ad quemvis conatum heroicum redanimare ſufficiat. *Quis mihi hoc tribuat* (verba ſunt quibus Sanctus Bernardus Filios ſuos animabat ad perſeverantiam.) *Quis mihi hoc tribuat ut omnes ſurgentes ſtetis in excelſo, & videatis exultationem, quæ ventura eſt vobis à Domino?* O quis dabit mihi videre Chriſtianiſmum de terra ad Cœlum prorſus ſublevatum, de rebus tranſitoriis ad permanentes, nec enim mihi dubium eſt, quin tunc pariter videndi eſſent reformati mores, diſciplina reſtaurata, erecti debiles, & animati ſocordes. Jeremias, inquit S. Ambroſius, in lacu ſepultus erat, neque ob ſuperabundantem cordis lætitiam tacere ſciebat aut poterat; Lapidabatur Stephanus, atque cum incredibili Spiritus ſui lætitia lapidum recipiebat ictus. Apoſtoli omnes publicæ fuſtigationis affecti erant infamia, & gaudentes tamen ibant & exultantes. Et quis ingentes adeo amaritudines redulcorare, tamque inſupportabilia, alleviare unquam pondera poterit, præterquam Beatitudinis atque immortalitatis ſola memoria? *Ieremias demergebatur in Lacum, & tacere non poterat; Lapidabatur Stephanus, & illa pro Chriſto vulnera Charitatis pio excipiebat affectu: Vapulabant Apoſtoli, & congratulabantur. Quam bonus eſt Dominus, pro quo dulces & injuriæ, & grata mors, & bene grata, quæ acquirit immortalitatem.* Hæc Sancti Prophetæ erat

Serm. 31. de Ana.

Amb. lib. 3. de Virgin.

Psal. 26. erat exhortatio dicentis: *viriliter age & sustine Dominum. Quid est sustine Dominum*, inquit S. Augustinus. *Ad tempus laboras in æternum non laborabis. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua. Ad modicum pateris sine fine gaudebis.* Ehem cur Animas nostras inter quotidianas laboriosissimæ vitæ angustias non consolamur, in quibus tantùm continuo pati oportet. Eccur viva quoque spe pleni non dicimus. *Ad tempus laboras, in æternum non laborabis?*

12. Recordor eius, cuius Petrus Cardinalis Damiani ad universam Dei meminit Ecclesiam eandem ad persecutionum animando tolerantiam, utpote quæ beatum adeo tandem sortiuntur finem. Mors, inquit, filios Ecclesiæ parturit immortales, eosdemq; è Carceris obscuritate ad Paradisi transfert claritatem; ex confusione præsentis sæculi ad gloriam transeunt futuri, atque de persecutorum tormentis ad angelorum delitias: *O beata mater Ecclesia, cui mors ad vitam militat, crudelitas persequentium ignara ministrat, cui videlicet & mors parit in æternitate victuros, & pœnalis oppressio generat perpetuo regnaturos. Beata inquam, & verè fœlix Ecclesia, cui & ignominiæ confusio gloriam, & tormenta victoriam, & vincula siue Carceres libertatem pariunt sempiternam.* Hac se Hieronymus cogitatione consolabatur, quando per omnia passim loca à maledicis velut malesicus & insanus infamatus erat & divulgatus. Vnde ad virginem quandam hunc in modum scribebat: *Maleficum quidem me garriunt, sed scio per bonam & malam famam perveniri ad regna cœlorum.* Et alibi seipsum & nos hisce spe, atque fiducia plenissimis animabat verbis dicens: *Iam quid illa commemorem, quæ sequuntur, quæ tota Sanctorum sunt? Carnem sine terra, Corpus sine doloris sensu, animam sine metu, vitam sine fine, ætatem sine tempore, lucem sine nocte, beatitudinem sine fine?*

Ser. de S. Stephano Papa & mart.

Epist. ad Axell.

Epist. de vero perfecto.

13. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã suam.* Maximæ profecto fuere Passiones Domini mei, magnæ ignominiæ, magnæ tum in sua, tum in discipulorum suorum persona contumeliæ, à domesticis, & ab extraneis, per malitiam, & per ignorantiam, sed totum istud revera nihil est, utpote quod à tam glorioso obliteratur fine; *Et ita intrare in gloriam suam.* Abiere persecutiones, falsa transierunt testimonia, transiere proditiones, contumeliosæ abierunt illusiones, evanuerunt flagella servilia, transierunt pungentes Coronæ, funestæ transiere Cruces, crudeles abiverunt lanceæ, & sola Domini huius remanet gloria florida atque perennis. *Et ita intrare in gloriam suam.* Ubi nunc sunt adversus innocentem hunc congregata Concilia? ubi traditores discipuli? vbi infames Capturæ? vbi coram tot iudicibus agitata examina? vbi subornatæ plebis clamores? vbi iniquæ mortis sententiæ? Sola sola in tot contrarietatum locum successit gloria: *Et ita intrare in glo-*

in gloriam suam. Ecce stulta visa est sæculi istius sapientia. Ecce delusos circa proprii sui interesse incremẽtum tractatus. Ecce densos scribas & Pharisæos. Ecce distorta astutiæ consilia; Ecce oppressam superbiã atque audaciam; Ecce sopitam æmulationis flammam, Ecce solam Crucifixi huius immortalem vivere gloriam, *Et ita intrare in gloriam suã.* Nunc omnes currũt post illum, qui derelictus ante ab omnibus fuerat, gloriosis nunc honoratus est encomiis, qui atrocibus antea contemptus fuit blasphemiis, ad Patris nunc sedet dexteram qui crucifixus inter latrones fuit, Rex est gloriæ, qui dolorum Rex fuit. *Et ita intrare in gloriam suam.* Vnde cum Petro Damiano Serm. de exaltat. S. Crucis, dicere possumus in amari huius sæculi adversitatibus nos consolantes: *Grandis Labor, sed præmium incomparabile.*

14. Hæc est gloria illa, dilectissimi, quæ præcedens in Capite, post brevem laborem succedere debebit in membris, atque à Christo omnis fœlicitatis fonte ad Christianos secure transire: *si sustinemus, &* 2. Tim. 2.
conregnabimus. Hoc est fragilitatis nostræ sustentaculum, hoc laborũ nostrorum solatium, hic conatuũ nostrorum stimulus, hæc esca spei
Psal. 36. ac fiduciæ nostræ. *A Domino gressus hominis diriguntur;* inquit S. Rex David. Hic Christus dux noster est, Agnus ille revelatus in via nos præcedit, cum ipso ad prælia curramus & persecutiones non solùm absq; formidine, sed & cum hilaritate, uti advertit S. August. *Per dura ambulavit, sed magna promisit. Sequere; noli* In Psal. 36.
tantum attendere qua iturus es, sed & quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam. Si vis sustinere Laborem, attende mercedem. Mercedem considera, si non vis à labore terreri, omnem sepelies timorem recordatione gloriæ, Gloriæ inquam magnæ, gloriæ securæ, gloriæ perenniter duraturæ; Magnæ in essentia, in possessione securæ, perennis temporis duratione. Magnitudo eius omnem cogitatum superat, securitas omnem vincit confidentiam, duratio omnes terminos excedit. Magnitudo omni desiderio satisfacit, securitas omnem timorem pellit, duratio omnem votis nostris securitatem præstat. Tanta est magnitudo illius, quanta est ipsiusmet immensi Dei. Talis est securitas, qualis est omnipotentis potentia. Denique tam est longa duratio, quantum æternitas ipsa. *Per dura ambulavit, sed magna promisit.*

15. Hic cogitatus sufficit ad tollendam omnem pręsentis vitæ cogitationem, facitque nos quovis momento cum Propheta dicere: *Me expectaverunt peccatores vt perderent me,* Psal. 118.
testimonia tua intellexi. Tentarunt peccatores vt persuasionib⁹, minis, Exemplis, promissis, violentiis, donis ac muneribus, iniuriis, tormentis & Martyriis in perditionem me præcipitarent. Tu autem O Christi fidelis, O Martyr Ecclesiæ, & tot variis modis peregrinisque inventionibus tẽtate ecquid fecisti? *Martyriæ*

tyria tua intellexi. Martyriorũ tuorum proprietatẽ ego cognovi. Ecquales autem Martyria Chriſti habent proprietates? quod videlicet pretium ſint gloriæ, recta ad Cœlũ via, & ſemen beatitudinis. O Chriſtiane quã tu fores beatus, ſi in veritate vna cum Sancto propheta dicere poſſes: *Martyria tua intellexi*, ſi quam pretioſæ meritoque gratę ſint paſſiones intelligeres, ſi penetrares ad quam dulcem amabilemq; finẽ diſponãt ac perducant. Carnem tuã ferro quidem torquent, ſed ſpe cor tuum lætificant. Libertate te deſtituunt, ingenuitate tamen filiorum Dei te nunquã privare poſſunt. Te in Collegiis ſive Congregationibus diffamant, bonę aũt Conſcientiæ tibi gloriam vehementer adaugent. Te quidem è Patria tua proſcribũt, ſed ſuperna te Ieruſalẽ recipiet fœliciſſima videlicet prædeſtinatorum patria. Ex hominũ te converſationibus exturbant, interea tamẽ Beatorum converſatione atque conſortio te dignũ efficiunt. Facultatibus te tuis exuunt; quid aũt refert iſtud cũ Dominus factus ſis divitiarũ Paradiſi? *Martyria tua intellexi.* Sanct⁹ hic adſit Auguſtinus Divinaq; Gloſſa ſua hunc Davidis nobis explicet Locũ, ſcribens ergo ita ait; *Illi vt perderent expectabant: quando conſentirẽ, torquebant cũ ẽt confiterer, nec tamen quod intellexerat, relinquebat, intuens utique ſine fine finẽ, ſi perſeveraret vſq; in finem.* (In Pſal. 118.)

16. Hæc eſt cogitatio illa quæ remotiſſimis Eremicolas incluſit ſolitudinibus, quæ pauperculis Cellulis incluſit Monachos, quæ ignominioſis Carceribus alligavit Martyres, quę ad ipſas teneras uſq; puellulas, omnes corã iniquis animavit ac roboravit tribunalibus, quę tot glorioſis Athletis perfectam peſſimi huius ſæculi conceſſit victoriam. *Intuens ſine fine finem ſi perſeveraret in finem.* Hæc eſt tot innocentum iniquiſſime vexatorum à Calumnia, tot bene merentiũ oblivionis ſub lapide ſepultorũ ab ingratitudine, tot virtuoſorum laceratorũ ab invidia, tot iuſtorum minime cognitorũ ab ignoranti vulgo, vnica inquam hæc eſt omniũ prædictorum conſolatio: *Intuens ſine fine finẽ ſi perſeveraret vſque in finẽ.* Hæc beatæ ſpes & fiduciæ ſervos Dei ſupra Columnas ligarũt per multos annos, ad rigoroſiſſimã & aſperã illos per totum vitæ curſũ condemnarunt paupertatem, fecerunt illos omnes fugere mundi cõtact⁹, nec non & recuſare quicquid illis fælix & proſpera promittere fortuna poterat, hilares ac læti manentes ſine ullo gaudio. *Intuens ſine fine finem, ſi perſeveraret uſque ad finẽ.* Omnes deniq; ſervi Dei omneſq; huius terræ Sancti, hac vſi ſunt conſideratione, vt innocentiam à tot contrariis impugnatam conſervarent, neq; aliud quidquã ore ſuo ferebant, quam vel illud S. Ambroſii *Tolerabilis paſſio merces inæſtimabilis:* (Lit. de Iacob & vita beata ca. 5.) aut verò illud S. Auguſt. *Pro quanto labore quantam mercedem accipimus?* (In Pſal. 78.) aut vero hanc S. Gregorii ſententiam dicentis: *Pretioſa quippe res par-* (L. 3. mor.)

 vo enim

vo emi non potest. Aut denique illud S. Pauli effatum: *Per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.*

SECUNDA PARS.

Tertium Punctum. 17. COeli iā consideravimus viā quæ est Passio, & simul viæ istius terminū qui est Gloria: nunc viam comparemus cum termino, Passiones videlicet quibus gloriam lucramur, & ipsam gloriam quæ Passionum est pretium, sic enim haud dubie fiet, ut cum S. Paulo nos quoque dicamus: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. Idque primo quidem quia illæ sunt modicæ, Gloria autem est immensa. Secundo quia sunt fictæ, & gloria vera est atque realis. Tertio quia à Divina gratia sunt adiutæ: Quarto quia infinitis conditæ sunt delitiis; Quinto quia breves sunt, gloria autem æterna. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

1. Ioh. 3. 18. Et Primo quidem Passiones vitæ huius in substātia sua sunt modicæ. Id quod S. Augustinus probat scribens super illa verba: *Charissimi nunc filij Dei sumus & nondum apparet quid erimus.* Filii sumus, & tāquam filii obedimus, atque ultro tanquam filii paternæ ferulæ subsumus, nondum hæreditatem nostrā habemus, sed speramus illam, non videmus, sed credimus eandem: In Psal. 36. *Servatur ergo nobis,* inquit Augustinus, *nescio quod dulce spectaculum omnino, etsi cogitari ex aliqua parte in ænigmate & per speculum potest, dici tamen nullo modo potest. Illuc parantur corda nostra, in omnibus huius vitæ tribulationibus. Noli mirari, quia in laboribus pararis, & ad magnum aliquid pararis.* Non sit vobis mirum, Dilectissimi, parari vos à DEO per tribulationum exercitiū, per examen laborum, per expropriationis purgationem, per adversitatis ferrum & ignem, valde namque ingens & magna est, ad quam præparamini, Gloria. *Noli mirari quia in laboribus pararis, & ad magnum aliquid pararis.* Omnis quantumvis ingens labor, in comparatione ad præmium, non solum modicus apparet, non videtur tantum improportionatus, non solum non condignus merito æstimatur, sed prorsus disparet & evanescit, inquit S. Cyprianus. C. de comm. dem. *Nullus dolor est de incursatione malorum præsentium quibus fiducia est futurorum bonorum.* Nullum sentimus dolorem, nullamq; experimur contrarietatem, nullam nobis molestiam dedecus affert, omnis ab oculis nostris disparet tribulatio, *quibus Fiducia est futurorum bonorum.*

Matth. 25. 19. In novissimi iudicii die Beati dicent Iudici: *Domine quando te vidimus esurientem, & pavimus te?* & sic de aliis misericordiæ operibus loquentur. Idipsum Electi de aliis quoque operibus bonis dicent: Martyr dicet: Nihil ego pro te feci consideratione dignum nec quicquam alicuius pretii dedi, atque ita omnes quoque alii dicent, quot-

quot

quot æterna retributione facti sunt digni; verum enimvero, quomodo ipsi in veritate istud dicere potuerunt, quod sitanta ipsi pro Deo reapse præstiterunt, quorum pleni sunt Annales Ecclesiastici. Ergone cum veritate Petrus dicere poterit se pro Christo crucifixum non esse, & Paulus se plexum non esse capite, omnesque cæteri Apostoli suum se non fudisse sanguinem, vitamque infinitis se exposuisse tormentis? Venerabilis Beda ad hoc respondebit inquiens: *Sancti dicent hæc, quod parum eis sane videtur omne bonum, quod fecerunt præ abundantia retributionis.* Modicum quid sunt ieiunia, aliæque asperitates voluntariæ, modicum silentium, & rigorosi in remotas solitudines secessus, Modicum continua passionum mortificatio, modicum ignominiæ & contumeliæ, modicum facultatum omnium expropriatio, modicū suimet sanguinis effusio. *Præ abundantia retributionis,* Sic idipsum Magnus ille Diaconus Abibo appellatus intellexit, qui uti Victor Vticensis refert, qui captus atque acerbissime à Lisania Præfecto cruciatus, visus fuit Cruciatus haud aliter quā blanditiarum recipere delinimenta atque inter flammas non secus ac inter rosas morari; Præfecto quoque desuper vehementer attonito, memorabilem hanc pronunciavit sententiam: *Non ad præsens usque tēpus nostra consistunt, nec ea solum sequimur quæ cernuntur. Quod si tu quoque volueris aspicere ad spem & promissam nobis remunerationem, forte etiam dices cum Paulo: Non sunt condignæ Passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

Victor vticensis Anno 1160.

20. Secundo non sunt condignæ passiones ad gloriam, fictæ namque illæ sunt & somniatæ, cuius argumenti me alibi discursum habuisse memini Concione videlicet 23. n. 2. An non sapientem auditis de Sanctis Martyribus dicentem, *visi sunt oculis insipientium mori & æstimata est afflictio exitus illorum, illi autem sunt in pace.* Stultis visi sunt infœlices, & ab insipientum oculis æstimati sunt infortunati, ipsi vero reapse in mediis martyriis suis securissima quadam & tranquillissima gavisi sunt pace. *Illi autem sunt in pace.* Contingit nonnunquam, ut quædam exhibeatur repræsentatio scenica, in qua *verbi gratia,* Holofernes fingitur decollatus, monstraturque spectanti populo truncum barbari caput adhuc palpitans sanguinisque rivulos etiamnum stillans, quod stultus quidam iuvenis respiciens totus exhorrescit, existimans verū illud fuisse occisi Tyranni caput qui proinde compassionis ab oculis lachrymas mittit, eo interea qui personam repræsentarat Holofernis, retro post scenam altum ridente: Eodem prorsus modo *visi sunt oculis insipientium mori,* videntur tribulati, cum tamen tribulationes eorum fictæ sint & somniatæ, & velut in scena quadam repræsentatæ.

Conc. 23. v. 2. Sap. 3.

In Psal. 48. Atque ideo, vt notavit S. August. Paul. Apost. de Sanctorũ tribulationib⁹ loquẽs, To *quasi* semper iisdẽ apponit. *Quasi morientes, sicut egentes, tanquam nihil habentes. Nostra tristitia* inquit Augustin. *habet quasi, nostrum gaudium non habet quasi*, Revera enim omnis tristitia nostra nõ vera & realis, sed ficta videtur atque mentita. Atque hæc est vera ratio cur, vt monet Cyrillus Hierosolymitanus, Paulus dicat, similitudinẽ mortis Christi in nobis esse, realitatem autem sive veritatem Resurrectionis; *si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & Resurrectionis erimus. Non dixit complantati morti sed similitudini mortis. In nobis enim mortis quidem & Passionum quædam est similitudo, salutis vero non similitudo, sed veritas.* Verum nõ diutius hisce hic immorabor, eo quod prolixius idemmet Argumentum in alia quadam occasione tractarim.

Cathe. 2.

Rom. 8.

21. Ad tertiam igitur transeo rationem, cur *non sint condignæ passiones*, estque hæc quia videlicet singulariter adiuvantur à Deo, de quo scriptum est. *Adiutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Sic Paulus Apostolus dicebat: *Plus omnibus laboravi*, mox tamen videtur dictum istud voluisse corrigere, subiũgendo: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* Labores supportatu difficiles non sunt, quando per DEI supportantur auxilium. Vt proinde benè Isaias dixerit. *Stemus simul: quis est adversarius meus?* Quod si Deum mecũ habuero, neminem mihi adversarium habebo, tametsi enim aliquem eiusmodi habiturus essem, is tamen erit, velut si non esset, nam uti bene Rex Sanctus dixit. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. Si Christus pro nobis*, dicebat Bernardus Epist. 1. *quis contra nos? Securus potes pugnare, vbi securus es de victoria. O vere tuta pro Christo & cum Christo pugna.* Quod si à parte mea Christus steterit, haud dubie pariter à parte mea victoria erit, nam per fortem adeo defensionem disparet & annihilatur omne offendiculum, & iuxta fortem adeo constitutus propugnatorem pro nihilo habebo omnem quantumvis magnum oppugnatorem: sicut enim *Ad nihilum deductus est malignus, sic timentes se glorificat*, dicit idemmet Bernardus: *Præsente te, Domine IESV, quantumlibet irruant hostes; imo non irruant, sed ruant, confluant vndique, sed vt fluant & pereant in conspectu Domini, quemadmodum fluit Cera à facie ignis. Quid enim metuam deficientes, quid trementes paveam, quid verear cadentes? Etsi ambulavero in medio vmbræ mortis, non timebo mala dummodo tu mecum sis Domine Deus.*

Psal. 45.

1. Cor. 15.

Cap. 50.

Psal. 14.

Serm. 7. In Psal. 41.

22. In memoriam vobis hic redeat illa Sancti Hierosolymorum Regis sententia. *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.* Legit S. Augustinus *Anima mea in manibus tuis semper.* q. d. Memor fui Legis tuæ semper, eandemque proinde exacte observavi, tametsi ob id multa mihi sufferenda ne-

Psal. 118.

da necessario essent, quia anima mea in manibus tuis semper. In manibus tuis Anima mea consistebat, atque ideo fecit quicquid fecit pro tuo servitio. Multum tuli, multum laboravi, multum sudavi, sed hæc omnia cum ingenti facilitate præstiti, eo quod Anima mea in manibus tuis reposita consisteret, quibus potius omnem suam victoriam, quam suismet propriis debet viribus. *Certum est*, dicebat S. Bernardus: *supra vires humanas, vltra Naturam, contra consuetudinem esse, quæ sustinetis. Alius igitur portat illa, ille sine dubio qui secundum Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ. Quid timetis vobis, si portat omnia? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?* Atque hæc est ratio cur Dominus discipulis suis dixerit, ne præmeditarentur quid responderent ante iudicum constituti tribunalia? *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quid respondeatis, ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij vestri. Ac si aperte omnibus suis infirmantibus dicat,* (est expositio Gregorii) *nolite terreri, nolite pertimescere, vos ad certamen acceditis, sed ego prælior: vos verba editis, sed ego sum qui loquor.* Ergo *non sunt condignæ passiones huius temporis,* ubi tametsi habeamus inimicos, illi tamen omnes per Domini auxilium & præsentiam ad nihilum reducti sunt: si in legum Divinarum observantia aliquæ se difficultates prodant, ipse in manibus suis animam nostram tenet, ideoque roborabit ad operandum supra vires humanas, supra Naturam, cõtra consuetudinem; si in bellorum constituti simus discrimine Deus pro nobis pugnat atque confligit.

In Psal. qui habit.

Ho. 35. In Evang.

23. Quarto. *Non sunt condignæ passiones*, quia passiones istæ infinitis conditæ sunt gustibus atque delitiis, & prout S. Paulus dicebat, 2. Cor. 1. *Sicut abundant Passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Semper iunctis incedunt gressibus consolationes cum Passionibus. Redditque me id memorem picturæ cuiusdam, quã antiqui hac de re de qua nobis in p̃senti sermo est, habebãt, uti n. Macrobius testatur in altari Deæ voluptiæ collocare solebant statuã Deæ Angeronæ, quarum illa voluptatum atque delitiarum Dea erat, hæc anxietatum & miseriarum: *Angeronæ simulachrum ore obligato atque signato in ara volupiæ propterea collocatũ est, quod qui suos dolores anxietatesque dissimulant perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem.* In eodem altari antiquitas Deam voluptatum collocavit & anxietatum, atque in uno eodemq; corde Deus Passionem posuit & consolationẽ, id quod coincidit cum eo quod ex S. Paulo dicebamus: *Sicut abundant Passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Ecce tibi Cõsolationẽ in altari Passionis, Ecce tibi ligatas & colligatas in vnum res adeo differentes & disparatas. Simili modo notavit S. Ioa. Chrysost.

2. Cor. 1.

Lib. 1. c. 10.

Act. 5. Chrysost. Hom. super illa verba Actuum Apostolicorum: Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quod *flagella faciebant materiam maioris consolationis.* Et alibi dicit: *Si vis voluptatem, ne quære voluptatem, sed quære Animam patientia plenam.* Associat Dominus Deus patientiam tanta cum consolatione, vt ad hoc vt consolationem accipias, necessum sit vt patiens fias, atque ad hoc vt læteris opus sit ut patiaris. Fuitque hic nobilis ille Gregorii Nysseni conceptus, dicentis, *Fructuum qui sequuntur flos afflictio est: propter fructum igitur etiam florem decerpamus.* Vides arborem quandam omnino floribus onustam, & mox rationabilem tibi facis coniecturam, fore vt paulo post oneranda quoque sit fructibus: Ita quoque si aliquem patientem videris, certus esse poteris eundem quoque non minus paulo post consolationibus deliniendum esse, quàm fuerint tribulationes quibus pressus fuit, nam vt inquit S. Hieron. *ubi magnitudo gratiæ, ibi magnitudo discriminis,* ubicunque magna videbitis pericula, magnas oppressiones, magnas concussiones, magnaque verbera, ibi magnos pariter videbitis Dei favores, magnas Spiritus dulcedines, magnas gratiæ consolationes. Et sicut Moyses Populo Hebræo dicebat. *Afflixit te penuria, & dedit cibum manna.* Super quem locum Philo Hebræus reflectens, egregie dixit: *Afflictio ista propitiatio est.* Quod si igitur O Domine tribulationes tantas annexas habeant consolationes, certum est quod cum tribulas, tunc blandiaris; quia quando tolerare tribus, gaudere concedas, cum vulneras palpes, cum repellis amplexeris. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

Hom. 18. ad pop. Hom. 4. ad pop. Lib. de beat. Ep. 125. ad fab. Deut. 8. Lib. 2. alleg.

24. Hoc erat, in fallor, quod postulabat sponsa, cum diceret, *Surge Aquilo & veni Auster.* Auster qui placidus & temperatus quidam ventus est, consolationem significat: Boreas autem sive ventus vltramontanus, qui ventus quidam est furiosus & gelidus afflictionem significat: Dicas igitur surge Aquilo, sic namque haud dubie veniet & Auster, veniant ruinæ sic enim & restaurationes similiter advenient, veniat tribulatio, sic enim ipsa quoque accedet & consolatio. Hic est venerabilis Gilberti Abbatis conceptus. Serm. 38. in Cant. *Videtis fratres qualiter Aquilo ad mensuram sui Austrum parturiat? & forte vbi abundaverit Aquilo, ibi superabundabit & Auster.* Hæc est nox illa, quæ secundum Prophetam Ps. 38. obscura non erat sed luminosa, adeoque luminosa, vt diei supplere officium posset: *Et nox illuminatio mea in delitiis meis.* Quodsi tenebræ illuminandi officium habeant, quanto igitur maiores futuræ sunt tenebræ tanto quoque lux maior erit. Quodsi tribulatio cõsolationem ministrat, quãto maior futura est tribulatio, tanto

Cant. 4. Ser. 38. In Cant. Psal. 38.

tanto quoque maior inde nascetur consolatio. *Et nox illuminatio mea in delitiis meis. Non dixit, Nox deleta est,* inquit Chrysost. *Sed nox fuit Lucida, hoc est, nox manens nox, mala scilicet, & calamitates non potuerunt me conculcare. Non sunt* ergo *condignæ passiones huius temporis,* quia sunt passiones plenæ delitiis & consolationibus.

25. Postremo denique. *Non sunt condignæ passiones,* quia breves sunt & momentaneæ, cum Beatitudo constanter durabilis sit & sempiterna, Supponamus, inquit S. August. (In Psal. 48.) tantum tibi patiendum esse quantum Iob toto vitæ suæ passus est tēpore. *Quid ergo quod pateris: si semper pateris? Concedo ex quo natus es, per omnes ætates tuas, vsque ad senectūtuā, quousque moriaris, puta quod hæc pateris, quod passus est Iob. Quod ille passus est aliquot diebus, si aliquis patiatur ab ipsa infantia.* Ecquid dicis O Sanctissime Pontifex? Quid si vnus idemque filii sui patiatur immaturam mortem, facultatum dispendium, infirmitatem Corporis, honoris iacturam, Patriæ exilium, amicorum fugam, persecutionem inimicorum, Parentum derisionem, acrem cum Diabolis luctam, imo ipsiusmet quoque DEI contradictionem, idque per totum tēpus vitæ suæ? Respondebit Augustinus: *Quod patitur finitur, quod accepturus est, finem non habet.* Attende bene quia id quod finitur, grave esse nequit, si cum eo quod finem non habet comparetur. Mala præsentia, inquit idemmet Augustinus aut per nos transeunt, aut nos transimus per ipsa. Aut transeunt dum vivimus, aut terminantur dum morimur: aut transeunt in hac vita, & finiuntur in morte. Nihil igitur ipsis cum futura Gloria commune est, quæ nec transit, nec finitur in æternum. *Præsentia mala sine dubio transitoria sunt. Aut per nos transeunt, aut nos per illa transimus, aut transeunt nobis viventibus, aut dimittuntur nobis morientibus, non est in tribulatione magnum, quod tempore breve est. Non sunt condignæ Passiones huius temporis ad futuram Gloriam quæ revelabitur in nobis.* (Ser. 50. de temp.)

26. Hoc est quod Isaias dicebat, seu potius Deus per Isaiam: *In momento indignationis abscondi faciem meam à te, & in misericordiis sempiternis congregabo te.* (Cap. 54.) Vide qualiter tribulationes momentaneæ sunt, Gloria vero æterna; Illæ limitatæ, hæ vero sine termino; Illæ cum fine, hæ omni prorsus fine carentes. Hac consolatione S. Antonius Constantiensis Episcopus Arcadium Equestris ordinis virum nobilem redanimabat, qui à Genserico Rege proscriptus fuerat in exilium, atq; inter alia dicebat Epist. ad Arcadium: *Quantum tempus est, quo pugnaturus eris? & quantum tempus erit, quo in æternum victurus eris? Respice mundum, periturus est: respice solem & lunam & stellas, & ipsa solvenda sunt. Confilge fortiter pro Anima tua, quæ aut semper vivit, aut semper perit.* (Epist. ad Arcad.) Atque cum isthoc memoriali vtilissi-

mo vos dimitto. Memores estote æternitatis, sic namque quicquid videtur evanescet ab oculis. Gloriæ durationem in corde semper tenete, neque aliquod tribulationis sentietis tormentum. Semper in memoria vobis hæreat, sempiternum illud vitæ futuræ, vobisque in ore semper erit illa Pauli sententia: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis.*



CONCIO XL.

Pro Feria III. Paschatis.

THEMA.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis, Pax vobis. Luc. 24.

ARGVMENTVM.

Sanctissimi Redemptoris vulnera Cœli terræque Pacem fidelibus acquisivêre. Danturque in fine ad honorem quinque vulnerum quinque insignia valdeque proficua Memorabilia.

SVMMARIVM CONCIONIS.

Svmmum bonum quod post Infinitas huius vitæ tempestates comparare possumus est pax quam Christus largitur Ecclesiæ filiis ostendendo Ipsis vulnera. num. 1.

Pax cum cœlo & terra hominibus à Christo datur. Synopsis conc. Ibid.

Primum Punctum. *Verba Zachariæ* quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum *à beatis per admirationem vsurpata cum videant per Istas pacem In cœlis comparari.* n.2.

Quare Christus cicatrices retinuerit Ingens rationum torrens. nu.3.

Clavis escecans Clavus penetrans factus est mihi: patet arcanum cordis per foramina corporis *diserte* Bernardus. n.4.

Christus nos defert scriptos in manibus suis. Isaias *suo sensu donatus*, parvi apices & magnæ literæ: quia in literis magnus sensus. *Hieronym.* num.5.

Ad has beatitudinis Ianuas Incitatur sponsa Cant. 2. surge amica mea in foraminibus petræ, &c. Querricus abbas *aduocatus.* n.6.

Edocetur peccator ab Isaia quomodo & quam facilis sit pacem perditam recuperare Isaiæ verbis. Propheta Regius & Evangelista *conciliati* à Bernardo & Querrico. n.7.

Plagarum cicatrices Ideo reseruauit vt victorias suas semper loquatur illis quasi linguis. *Diserte* Rupertus. nu.8.

In manibus Christi Clavis perforatis regna absconduntur. Abacuc productus. Cornua in manibus eius. *Sicut &* Ioannes Apocal. 4. & 5. fecisti nos Deo nostro Regnum. nu.9.

Secundum Punctum. *Per Christi vulnera pax facta est in terra.* Paulus huc flexus pacificans in sanguine crucis eius sive quæ in terris, &c. *duo genera bellorum & Inimicorum habet genus humanum de quibus victoriam reportat per vulnera* CHRISTI. Ostensione vulnerum vulnus amovit. Blesensis. numero 10.

Mirabilis proprietatis cuiusdam fontis in Epiro qui faces extinguit & accendit auctor est Aristoteles, *quod melius fontibus saluatoris conuenit. Remedium contra omnes tentationes contemplatio vulnerum Christi.* Intuere & suge non tam vulnera quam vbera, *pie* lacteus Bernardus. *Clavi in portis templi Salomonis erant* In papillarum speciem ordine dispositi. Eusebii *conceptio* CHRISTI *Clavis optime applicata.* num. 11.

E vulneribus humanitatis CHRISTI *scaturiunt fontes, è quibus fideles salutari ebrietate inebriantur, ita vt omnium inordinatarum paßionum obliti, solam Christi crucifixi retineant memoriam.* n.12.

Ne obliviscaris Christi pro te paßi, vt inordinatarum tuarum obliviscaris paßionum. Ibid.

Emphaticè dixit David: Foderunt manus meas, & pedes meos, &c. *id est, arando elaborarunt velut agrum, è quo deinceps nata sunt lilia Castitatis, Rosæ Martyriorum, violæ Pœnitentiæ & Myrrha mortificationis, &c. Adductus locus* Canticorum: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. n.13.

L. 2. contra Iovinian. 1. *Iam cæpimus terram prospectare de Pelago* (ita nunc cum S. Hier. dicere possumus) *& post montes gurgitum, & spumosos fluctus, ac navem vel in sublime subvectã vel in ima præcipitem paulatim fessis & languentibus portus aperitur.* Iam enim post diuturnæ ac longæ Quadragesimalis navigationis superata pericula ad bonum fælicemque deducti portum desideratam terram è vicino nobis conspicimus detectam. Videor mihi hodie in desiderato littore discoopertum videre Christum summum Bonum nostrum, qui versus nos sacratas suas extẽdens manus, pretiosis Venerandorum vulnerum suorũ monilibus adornatas, grata hac salutatione *Pax vobis*, amantissimè nos recipit. Vulnera exhibet & donat pacem, vulnera potentissimam causam, Pacem effectum nobilissimum: vulnera pretii inæstimabilis, Pacem vero incomparabile lucrũ: vulnera quæ lucrata sunt Cœlum, Pacem qua tota benedicta est terra: *Ostendit manus & pedes, & dixit eis, Pax vobis.* In Cœlo pacem rupe-ramus, & in terra: in Cœlo ubi Creator factus erat inimicus: in terra ubi cunctæ se contra nos rebelles erexerant Creaturæ: in Cœlo quod veluti læsæ maiestatis reos nos proscripserat: in terra in qua velut infacinorosorum Carcere constricti eramus: in cœlo ob nostras culpas Deo adeo invisi: in terra ob ingratitudinẽ nostram à Concupiscentiis adeo cruciati: in cœlo ab vltimo fine nostro alienati; in terra nobismetipsis contrarii: in cœlo à Sãctissimæ Trinitatis iustissimo tribunali in mortẽ æternã sententiati: in terra per divinã iustitiã ad infinitas Corporis animiq; miserias cõdemnati: in cœlo à bonis Gloriæ in sempiternum exclusi: in terra post aliquot laboriosissimæ vitæ huius momẽta interminatarũ Pœnarũ infernaliũ futuri rei. Verum enimvero, esto millies, & in æternũ benedictus Redẽptor noster, qui per inventionẽ adeo pulchram nos Cœlo recõciliavit & terræ, & sicut Paulus dicebat Apostolus *pacificans in sanguine Crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt.* Collos. 1. Benedicta sit viscerosissima Dei incarnati Charitas, qui per vulnera sanctitati ac innocẽtiæ suæ minime debita, vulnera nostra nostris sceleribus rationabili iure promerita & cõvenientia in nobis sanare cõplacuit: Benedicta sint illa pietatis viscera, illa tam cordialis Christi nostri affectus, qui nos tam grata & amabili Pace dignos dignatus est facere. *Pax vobis.*

2. Et Primo quidẽ Christus noster per vulnera sua de Cœlo Pacem obtinuit, ut proinde Beati Paradisi incolæ, ac iusti in hac terra illa vidẽtes, præ nimia admiratione omnino attoniti, continuo, uti ego quidem existimo, verba illa Zachariæ Prophetæ replicent: *Quid sunt plagæ istæ in medio manum tuarum.* Cap. 13. Ecquænam sunt vulnera ista, quæ dolorem non inferunt sed gaudium, membra non deformãt, sed exornant & decorãt, nullius egena sunt remedii, sed ipsa verum egenorum sunt remediũ; signum irrefragabile potentiæ, non

vero nota imbellis animi, atque inertiæ, gloria vulnerati nō vero vulneratoris eminentia; Rupturæ quæ resarciunt; infirmitates quæ sanant, debilitates quæ restaurant? Quales sunt plagæ istæ quæ à Deo nō vindictam postulant, sed veniam impetrant? Quæ visæ à Patre æterno non ad indignationem illum provocāt, sed permovent ad pietatem? Quæ Angelis exhibitæ, illos non ad belli sive certaminis impellunt violentiā, sed ad gaudia incitant, suaves nimirum dulcesq; Pacis fructus? Quænam sunt plagæ istæ, quæ cum odia augere antiqua deberent, illa è medio potius aufferunt? atque in vicem fovendi tam iustas nobiscum intercedentes controversias, easdē sepeliunt? Quæ bellorum præteritorum finiunt incendia, flammasq; iræ Dei frigido amabilissimæ pacis rore compescunt & extinguunt? *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Tertullianus ad instar leonis aggreditur Marcionem impium illum & execrandum Hæreticum eo quod tota scriptura repugnante, Carnem Christi omnino evanidam esse velit, docens illam non veram sed phantasticam fuisse & apparentem. Si enim Christi Caro vera caro non fuit, inquit Tertullianus, vera consequenter etiam non fuerunt eius vulnera, ipsiusq; tormēta. Quod si autem vulnera illius non fuere vera, nostra quoque cum Deo pax & reconciliatio vera non erit, quæ per vulnera & tormenta, veluti pretium rigorosum à Iustitia Divina comparata fuit. An non O scelerate vides quod tum Filii Dei interfectores & homicidas insontes omnisque culpæ expertes facis, vivas relinquis Culpas nostras, quæ nos à vitæ regno proscriptos in exitio retinent? An non vides, quod per tam manifesti erroris tenebras, vnicam spem totius mundi sepelias? Nunquid cōspicis quod condonando inimicis fidei nostræ veniā, credulitatis nostræ deformes atque defædes honorificentiam? *Falsa est igitur & fides nostra, & phantasma est totum quod speramus à Christo: scelestissime hominum, qui interemptores excusas Dei: nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vere est passus. Parce vnicæ spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei.*

3. Porro sicut Marcioni Hæretico indecens visum est Christum vulneratum esse & mortuum, ita quoque non nemini inconveniens forte videri posset, quod resuscitatus iam à morte ad vitam in Corpore suo glorioso retineat vulnera, diceretque & ipse attonitus & præ nimia admiratione stupefactus: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Cui proinde quisquis is est ingentem opponam rationum torrentē adductarum à gravissimis sanctissimisque Patribus, qui nulla in materia sicut in ista adeo se ingeniosos exhibuerunt & eloquentes. Respōdebit igitur venerabilis Beda vulnera isthæc gloriosum quoddam esse victoriarum Domini trophæum, quæ sicut æterna sunt digna memoria, ita quoque minime conveniebat, *In cap. 6. Luc.*

aiebat, vt aliqua essent oblivione sepulta: *Dominus signum perpetis victoriæ vulnerum cicatrices Cœlo inferre maluit quam abolere.* Respondebit
3.p.q.53.a.3. Doctor Angelicus: Plagas istas esse dignum quoddam ornamentum, & meritissimã carnis illius pulchritudinem, quæ ob generis humani amorem, contra Dei iram hominum se fecit esse præsidium, vt hac ratione primitiæ essent eorum monilium, quæ habituri erant Sancti Martyres in loco suarum Cicatricũ: *Non enim deformitas in eis sed dignitas erit, & quædam quamvis in Corpore, non Corporis sed virtutis pulchritudo*
L.12.In Io. *fulgebit.* Respondebit Cyrillus: vulnera Christi ab ipso in Corpore suo retenta fuisse, vt mundo Carnis testarentur Resurrectionem, mysterium scilicet tanti ponderis ac momenti, in quo omnes spes nostræ fundatæ consistunt: *Passionis notas retinuit Christus, vt Resurrectionis mysterium recte intelligamus.* Respondebit Petrus Chrysologus Plagas illas in Beata Christi Carne reservatas
Serm. 18. erubescendi mendacii convincere debuisse illos, qui identitatem negabant Corporis sui passibilis & gloriosi: *Ipsa fecit testimonia sui Cor-*
Tract. 21. In Ioan. *poris, quæ suæ fuerant contumelia Passionis.* Respondebit Augustinus. Retinuisse Christum plagas istas ad discipulorum suorum solatium & stabilimentũ, qui in eius Passione terrefacti fuerunt & præ stupore attoniti: *terruerunt eos vulnera, firmaverunt Cicatrices.* Respõdebit Haymo Episcopus Halberstadiensis, retenta fuisse vulnera illa, vt populo Dei perpetuæ laudis & gratiarum actionis essent obiectum: *signa vulnerum obliterare noluit ut electi ei indesinentes gratias agant.* Respondebit Bernardus Serm. 61. in Cant. voluisse Christum facere quod facit Capitaneus aliquis, qui post victoriam in triumphum scutum defert plenum foraminib⁹, quæ ab inimicis transfixa fuere sagittis: *sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina mõstrari.* Respondebit denuo Beda loco citato, voluisse Christum, vt menti nostræ ingens illa Dei misericordia continuò remaneret infixa, per quam nos redimere fuerat dignatus: *servavit signa mortis, vt suæ morte redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propositis semper eiusdẽ mortis innovet indiciis.* Respondebit Cyprian. factum id esse, vt à Patre æ-
terno continuo expeteret pretium Li. de Bapt. Christiano.
humanæ salutis, atque obedientiæ adeo exactæ recompensam: *vt reservatæ in Corpore plagæ salutis humanæ pretium exigant, & obedientiæ donativum requirant.* Respondebit Am-
bros. Christum plagas illas in Cor- Lib. 10. In Luc.
pore suo reservasse ut Deo semper ostendere posset litrum nostræ libertatis, nostræq; redemptionem servitutis: *vulnera suscepta pro nobis Cœlo inferre maluit, abolere noluit, vt DEO Patri pretia nostræ libertatis ostẽderet.* Respõdebit iteratò Bernard. loco cit. retenta esse à Christo vulnera, vt sacratissimæ plagæ istæ locus nobis essent refugii, ibidẽque à tot nos circũdantib⁹ periculis securum

rum invenire possemus præsidium: *vbi enim est tuta firmaq; securitas, nisi in vulneribus Salvatoris?* Respondebit tertio Bernardus, factum id esse vt per illas Paradisi portas perque rimas istas Dei exsugere possemus dulcedinem, nectar, & ambrosiam: *Per has rimas, id est, Christi vulnera licet mihi sugere mel de Petra, oleumque de saxo durissimo, id est, gustare & videre, quam suavis est Dominus.*

Serm. 61. In Cant.

4. Verum enimvero gravissimis magnorum Doctorum istorũ Magistrorumque Ecclesiæ responsionibus minimè acquiesco, nisi iisdem sanctissimi Redemptoris nostri subiunxero responsionem: *Ostendit manus & pedes & dixit eis: Pax vobis,* quasi dicat: Ecce vobis O charissimi mei Pacis vestræ originem: Ecce fœderis cum Cœlo pacti stabilimentum: Ecce portas per quas intratur in Domini gaudium: Ecce optimæ influentiæ stellas, vnde hoc Carnis meæ Cœlum fœlicitatem vobis depluet perpetuam. Vt igitur totum istud vno verbo enunciemus, Devotioni S. Ambrosij coniuncti cum illo dicamus: *Bonæ triumphalium vulnerum Cicatrices, &c. ista est Creatrix, quæ Cœlum aperit, regnum acquirit, immortalitatem invenit.* Dominus, inquit Bernardus Cogitationes habebat Pacis & non afflictionis, id tamen ego nesciebam. Quis enim nosse potuit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit? Verum Clavus mihi clavis factus est, qua Domini ac Dei mei voluntatem cognoscere possem. Ecce tibi per Corporis foramina patentia cordis arcana. Ecce tibi manifestum magnum hoc pietatis sacramentum: Ecce tibi reseratos divinarum misericordiarũ thesauros. Verum audite ipsissima Bernardi verba, sunt enim more suo solito dulcissima, Dicit ergo: *Cogitabat Cogitationes pacis & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini; aut quis consiliarius eius fuit? At clavis reserans clavus penetrans factus est mihi, vt videam voluntatem Domini. Quid ni videam per foramen? Clamat Clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiit Animam eius, &c. patet arcanum cordis per foramina Corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Quid ni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu Domine suavis & mitis & multæ misericordiæ?* Adeo vt à venerandis hisce foraminibus ad Cor Dei mihi detur transitus, ibidem clarissimis Characteribus scripta videam illa verba: *Pax vobis. Patet arcanum cordis per foramina Corporis.*

In Psal. 37.

Serm. 61. In Cant.

5. Per Isa. Prophetã Deus quondam dicebat. *Nunquid oblivisci potest mater infantem vteri sui, vt non misereatur filio vteri sui, & si illa oblita fuerit, ego autem non obliviscar tui.* Sed vnde O Deus meus vna tam amorosa & indelebilis fidelium tuorum nascitur memoria? *Ecce in manibus descripsi te, muri tui coram me semper.* Quid

Isaia. Cap. 49.

Quid sunt ergo plagæ istæ in medio manuum tuarum? Sunt indelebiles characteres amoris, quas in hanc mihi sacratissimam impresserunt humanitatem, ut ijs insignitus coram oculis Divinis semper consisterem. *In manibus meis descripsi te.* Liceat ergo mihi cum S. Hieronymo dicere: *Parvi apices & magnæ literæ: quia in literis magnus est sensus.* Parvi characteres, profectò, sed magna est scriptura, quippe quæ maximos in se complectitur sensus: Ecquænam enim inveniri possunt majora mysteria, quam sit Pax hominis cum Deo? Fœdus Cœli cum terra? Fraternitas mortalium cum Angelis? Gloriæ possessio à vilissimis usurpata mancipijs? Introitus in regnum vitæ indultus ijs qui ad æternam condemnati sunt mortem? Hæc igitur sacramenta in manibus Domini mei descripta consistunt, atque ideo *parvi apices & magnæ literæ, quia in literis magnus est sensus. Ecce in manibus meis descripsi te. Muri tui coram me semper.* Septuaginta interpretes legunt: *Super manus meos depinxi muros tuos.* Quod si igitur in manibus illius sunt plagæ istæ, atque in iisdem manibus descripti pariter sint muri Ierusalem, reliquum est ut plagæ illæ muri quidam sint. Atque ita prorsus est, dicit
In cap. 49. Isa. Leo Castrius, *quod manus Domini clavis exaratæ ea nobis bona concederent, quæ instar murorum firma permanerent.* Muri sunt plagæ istæ, quia bona illa tuentur ac defendunt, quæ aliàs acquisiverunt, quemadmodum Vrbis mœnia incolarum sive civium custodiunt & defendunt divitias: Et quia ibidem ab ira Dei haud aliter secum consistunt, veluti si in fortissima quadam & inexpugnabili côcluderentur arce. *Itaque Christi Passio,* dicebat S. Cyrillus Alexandrin. l. 4. in Isa.
& pretiosa Crux, & manuum ipsius affixio securitas fuit, & murus inaccessus & infractus his, qui in ipsum crediderunt.

6. Ad securissimum istud forta- c. 2.
litium in Libro Canticorum invitata fuerat hisce verbis Ecclesia: *surge amica mea, speciosa mea, & veni; columbo mea in foraminibus Petræ, in caverna maceriæ,* quasi diceret: Si pulchra gratiisque cœlestibus sis plena, ad sacra hæc accede foramina, ibi namque gratias tuas, spiritualemq; decorem in securo repones. Quod si ad summi Regis sponsalitia, atq; ad æternas evecta sis Gloriæ nuptias, ad cœlestis hujus petræ appropinqua aperturas, ibi namque ab omni jactura immunes tuos conservabis honores, tuasque prærogativas. *Benedictus,* inquit Guerricus Abbas,
qui ut nidificare possem in foraminibus serm. 4. in
petræ manus, pedes, & latus perforari sibi t. 5. Palm.
tulit, & se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui. Petra ista, subjungit Guerricus præsidij loco Herinaceo data est atq; Columbæ, hoc est peccatori, atque insonti, illi ut recuperet amissam gratiam huic vero ut illam non perdat. *Oportunum quidem Petra refugium Herinaceis, sed habitatio grata columbis, cujus foramina tot vulneribus toto ferè corpore patentia, & veniam of-*

ferunt reis, & gratiam conferunt justis. Imo vero tuta habitatio, turrisque fortitudinis Christi Domini vulneribus immorari. Hinc est quod S. Bernardus omnem fiduciam in plagis Redemptoris, atque in benedictis divinæ hujus petræ foraminibus semper habuerit repositam, unde dicebat: *Ubi tuta firmaque infirmis securitas, & requies nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum.* Atque id quod mihi deest, subjungit ibidem Bernardus, ob paupertatem & insufficientiam meam, quo minus cum Cœlo, mundiq; totius Monarcha Deo confœderer, ego ingenti cum animositate ac fiducia, ex plagis Domini mei mihi usurpo, quæ misericordiarum & favorum ejus fons sunt inexhaustus: *Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiam affluunt, nec desunt foramina, per quæ affluant.* Ser. 6. in Cant.

7. Mihi equidem, O peccator animus esset, te ad Prophetam Isaiam introducere, ut vel sic cor ob peccata tua afflictum, a conscientiam ob tot injustitiarum amaritudinem prostratam vel semel sublevares. Cumque nunc pacem Cœli non habeas, monstrare tibi vellem qua illam ratione magna cum facilitate & absque magno labore consequi posses. Optarem inquam te docere, quo modo te ab ejusdem Dei verberibus infligendis defendere, atque ab illis oculis quibus nihil est absconditum abscondere, teq; in locum quendam recipere posses, ubi non reperiatur, qui utpote immensus reperitur ubivis in omni loco. Audi igitur Prophetæ istius consilium hoc modo te alloquentis. *Ingredere in Petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* Ingredere in Petram quæ est Christus, & abscondere in fossa humo sacratissimæ illius Humanitatis, sic enim remanebis à divino furore absconditus & protectus. *Proponit IESUM & hunc crucifixum,* inquit Bernardus, *ut & ipse absque suo labore habitet in foraminibus Petræ, in quibus non laboravit. Iudæi laboraverunt, & ipse in labores infidelium intrabit, ut sit fidelis. Ingredere, inquit, in Petram, abscondere in fossa humo. Infirmæ adhuc & inerti Animæ ostenditur fossa humus, ubi lateat, convalescat, & proficiat.* Ingredere in hasce humanitatis Christi fossas, ibidem omni pulsa inertia atque socordia animosus evades & insuperabilis, adeoque proficies, ut dignus efficiare pace & Amicitia Dei; Quodsi autem is ob tua te demerita castigare volet, modum habebis ab irata ejus facie te abscondendi, teque à flamma furoris sui subducendi. *Abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* O miraculum! An non Sanctus Rex dixit, nullum superesse locum ubi à facie Dei abscondi aut subduci possimus? *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* Vbinam locum inveniam, in quo Deus non sit, si ille est immensus? Vbi ab ejus potentia habebo effugium, si ipse est omnipotens? Vbi sanabor à divinæ justitiæ

Isa. 2. Ser. 73. in Cant. Ps. 138.

justitiæ verberibus, si illa sunt insanabilia? Verum enimvero ecce tibi locum, in quem furor non pertingit altissimi: Ecce tibi Asylum, in quo ut ita dicam, nihil facere prævalet ipsemet omnipotens: Ecce tibi refugium omnis desolatæ Animæ securissimum. *Abscondere te fossa humo à facie timoris Domini. Pone tibi latibulum in crucifixo*, inquit Guerricus super illum Isaiæ locum, *à facie timoris Domini: hoc est ab ipso fuge ad ipsum, à judice ad Redemptorem? à tribunali ad Crucem? Quinimo non ad ipsum tantum, sed & in ipsum fuge. In foramina petræ ingredere.* Fuge à Deo ad Deũ; A Deo judice ad Deum redemptorem; à Deo potente, ad Deum clementem; à Deo ad Deum hominem.

Ser. 4. in ramis Palm.

8. Rupertus Abbas sapientissimè dicit plagas Domini velut totidem ora esse, quæ suas coram Patre repræsentarent recenserentque victorias suosq; triumphos: *Plagarũ cicatrices ideo in corpore suo retinuit & reservavit, ut victorias suas semper loquatur illis quasi linguis*: Generosus miles, inquit Cassiodorus, qui Domino suo specimen exhibere potest honorificorum pro ipso acceptorum vulnerum, secum semper defert vivam securamque generositatis suæ credibilitatem, ab ipsiusmet videlicet virtutis lingua commendatur, atque ab infallibili meriti sui testimonio præconizatur. Aliena sermocinatione non indiget, in cujus favorem pulchræ loquũtur personæ suæ cicatrices, tot n. laudum suarum habet præcones, quot carnis suæ habet plagas & vulnera: *vulnera opinio insuperabilis, sine assertore præconiũ propria lingua virtutis. Quæ licet ad præsens periculum ingerant, reliquum tamen vitæ tempus exornant: eget enim adstipulatoribus corpus illæsum, quærit alios, qui visa divulgent, de fortitudine vulneribus probata non ambigitur, quæ tali testimonio comprobatur.* Nemini dubium est, quin Redemptor noster æterno Patri suo pro nobis continuo loquatur, innumerabilia ei cõmemorando quæ fecit amore nostri, certamina videlicet in quæ se pro nostra utilitate recepit, victorias quas ad Ecclesiæ suæ profectum obtinuit. Scio ipsum sollicitum esse causarum nostrarum advocatum. *Advocatum habemus apud Patrem IESVM Christum justum*, qui cœlestis oris sui verbis id semper allegat quod ad misericordiam permovere potest severum & incorruptum Iudicem. Semper vivens ad interpellandum pro nobis: sed & insuper scio illum plus ore vulnerum suor. quam sermonis sui eloqui energia. Scio majorem venerandas illas cicatrices suadendi vim habere, quam aliud quodvis potentissimum argumentum, magisq; clementissimũ Deum moveri ad æstimandum strenua Redemptoris nostri opera vulnerum testimonio exhibita, quam si per quantumvis insolitam dicendi facundiam extollerentur, quia *de fortitudine vulneribus probata non ambigitur, quæ tali testimonio comprobatur.* Credo prorsus optimum Dominum nostrum nonnunquam, post longas

Lib. 12. de vict. ver. c. 28.

Cassiodor. lib. 8. variar. c. 10.

1. Ioan. 2.

Heb. 7.

in nostrum emolumentum adductas allegationes, illud quoque tandem dicere, quod ex robustissimis generosisque Machabæis apud S. Ambrosium nonnemo dixit, videlicet: *Quid verba damus? Loquaciora sunt vulnera.* Loquantur igitur vulnera mea, utpote quæ melius ipsamet linguæ mea perorare norunt; Loquatur isthæc mea in tot partes transfixa humanitas, utpote quæ melius percipietur, quam alius quicunque elegantissimus aptissimusq; discursus, loquatur lacera isthæc & vulnerata Caro mea, quæ præ omni discursu quantumvis efficacissimo, sensibiliores Animæ nostrę dabit ictus. *Quid verba damus? loquaciora sunt vulnera.*

l. de Iacob & vit. beat. c. 4.

c. 3. 9. Abacuc Propheta quondam dicebat, Christum Dominum nostrum in manibus suis regna portare, atque in iisdem totam suam absconditam atque reclusam habere fortitudinem: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* In quæ verba S. Hieronymus dicit: *Cornua trophæa crucis sunt. Moris enim scripturarum est, ut semper cornua pro regnis ponant.* Et Rupertus Abbas dicit: *quod omnis potestas, sive omne regnum quod per cornu significari solet, datum est in manibus ejus.* In manibus Christi, hoc est, in beatis plagis suis regna sunt, ad Cœli namque coronas non nisi per vim plagarum sive vulnerum pertingitur: Hæ acquisivere gloriam, hæ aditum ad æternitatem patefecerunt, hæ homines cum Cœlo reconciliarunt, Amicitiam Dei hæ restituerunt. *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Atque hinc est quod beati illi Cœli senatores ad vulnerati sive plagati Agni præsentiam, *vidi Agnum stantem quasi occisum,* istud mox canticum cecinerint. *Dignus es Domine accipere librum & aperire sigillum ejus: quoniam occisus es, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* *Apoc. 4. & 5.* Tibi O Agne vulneribus confecte regnum debemus atque Coronas, atq; à vulneribus tuis Angelorum agnoscimus provenire, qua fruimur, societatem. Tu pactum illud, illamque confœderationem cœlum inter & terram fecisti. Quantum tibi O Rex gloriæ, pro tam eximio debemus beneficio? Exiles eramus, tu nos cœli cives fecisti & incolas; Eramus inimici, tu filiationem nobis contulisti sempiternam. *Ostendit eis manus & pedes, & dixit eis, Pax vobis.*

10. Accedo nunc ad Pacem, quæ per Christi vulnera facta est in terra: *Pacificās in sanguine crucis ejus, s. quæ in terris s. quæ in Cœlis sunt.* Duo bellor. genera genus infestabant humanū, unum invisibile alterum apparens, unum Passionum nostrarum, alterum tormentorum exteriorum. Primum nobiscum conjunctum, secundum adversum nos directum. Illud destruit spiritum, & frequenter in ipsum quoq; corpus redundat: hoc corpus aggreditur, atque à corpore transit ad vulnera spiritus. Vulnera Christi utriq; bello adferunt completum perfectumque remedium: *Ostendit manus & pedes, & dixit eis: Pax vobis.* *II. Puncti.*

vobis. Exordior à primo bellorum genere, & O quantum me terrent hi mei Domeſtici inimici? mihi adeo vicini, ut ab eſſe meo nequaquam diſtinguantur: adeo pertinaces & aſſidui, ut nec unicum quidem induciarum mihi momentum indulgeant: adeo ſagaces & aſtuti, ut nihili faciāt omnem quantumvis magnam circumſpectionem ac providentiam: adeo fortes & indomabiles, ut ſe primarios exercitus Dominici ſe glorientur viciſſe athletas: adeo tumidi & inſolētes, ut omnem noſtram rideant prudentiam: adeo temerarij & impudentes, ut nos temporibus quibusque ſacratioribus, locisque magis religioſis atque devotis non dubitent aggredi: adeo truculenti & feri, ut vix ſibi ſatisfactum eſſe cenſeant, niſi per extremas noſtras ruinas. Propter hanc adeo acerbā & periculoſam luctam à benedictis Chriſti vulneribus confortati ſumus, adeo ut ſi pugnandum ſit, ibi certaminis mei arma reperiam, ſi cedendū ibi animus ſuggeratur ad fœlicius renovandum certamen: ſi laborandum, inde laborum meorum derivetur levamen; Et ſi in conflictu ſuccubuero, ex Domini vulneribus diſco reparare jacturam: ſi autem vicero, ſcio quia vulneribus Domini omnem meum debeam triumphum. *Fremit mundus* (ſunt verba S. Bernardi) *premit Corpus. Diabolus inſidiatur, non cado, fundatus enim ſum ſupra firmam petrā, petra refugium Herinaceis. Peccavi peccatum grande turbatur Conſcientia, ſed* *ſer. 51. in Cant.*

non perturbatur, quoniam Vulnerum Domini recordabor: nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur? videte idipſum in diſcipulis Domini. Quam erant antea imperfecti? Quam mobiles & inconſtantes? Quam ambitioſi? Quam vindicativi? Quam increduli? Quam pertinaces? Videant Magiſtri ſui reſuſcitati plagas & vulnera, moxque in alios reformati erunt homines, & ſicut Petrus Abbas Bleſenſis dixit: *Oſtendit ei manus & pedes, oſtenſione vulnerum, vulnus amovit.* *In Inſtit. fidei.*

II. Philoſophus lib. de *mirandis auditionibus*, nec non & S. Auguſtinus lib. 1. de civit. Dei, cap. 5. referunt: In Epiro regione Græciæ fontem quendā reperiri adeo miræ proprietatis, ut non tantum faces accenſas extinguat, ſicut & alij fontes faciunt, ſed & reaccendat extinctas, quod alii facere nequeunt. *In Epiro fontē eſſe perhibent, in quo faces ut in cæteris extinguuntur accenſæ, ſed non ut in cæteris accēduntur extinctæ.* Sit fides prodigij iſtius penes prædictos authores, certum etenim & indubitatum eſt, ſimile quotidie in beatis illis fontibus videri prodigium, de quibus loquebatur Iſaias. *Haurietis Aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* *c. 12.* Qui locus ab Ambroſio de vulneribus Domini intelligitur, quæ proprium ſibi habent extinguere ardorem concupiſcentiæ, accendere vero flammam amoris divini: incendia aufferunt libidinis, donantque fervorem Charitatis, rerum terre- *in Pſ. 37.*

narum appetitum tollunt, excitant vero famem cœlestium: inclinationes veteris hominis perversas opprimunt, & promovent desideria hominis novi. In summa, inquit Bonaventura sunt patulæ portæ Cœlorum, per ipsa enim gratiarum Dei ad nos flumina derivantur: *Vulnera Christi, portæ Cœli sunt, de quibus non solum fluvius sanguinis & Aquæ, sed & in sanguine gratiarum profluit plenitudo.* Hinc S. Bernardus cuidam qui in Virtutibus & Domini servitio Novitius erat, ideoque sævos à propriis Concupiscentiis experiebatur insultus, scripsit unicum ipsi superesse pro malis hisce curandis remedium, si videlicet ad hosce divinæ dulcedinis recurreret fontes, sic enim futurũ fore, ut mox omnium delitiarum terrenar. perderet gustum: *Si tentationum sentis aculeos, exaltatum indignum serpentem æneum intuere & suge non tam vulnera, quam ubera crucifixi.* Optimè verò S. Doctor vulnera papillas appellat vel ubera, non enim sanguinis habent horrorem, sed lactis dulcedinem, nec terrorem incutiunt, sed adimplent consolatione. Vnde S. Gregorius Papa super jam citata verba: *Veni Columba mea in foraminibus Petræ*; dicit, *quasi Columba in foraminibus, sic simplex Anima in vulneribus nutrimentum quo convalescat invenit.* Anima infirma in plagis Redemptoris suavissimum invenit nutrimentum, per quod recreetur & convalescat, recreetur à laboribus & à passionibus convalescat: *Suge non tam vulnera quam ubera crucifixi.* Porro pro Conceptus istius complemento facit id quod Eusebius refert: videlicet quod clavi in portis Templi Salomonis erant *in papillarum speciem, ordine dispositi.* Papillas repræsentabant, unde infantes ex mammillis lac sugunt, ut intelligamus, quod cum Caro Christi Divinitatis sit templum, vulnera autem ejusdem Carnis, templi illius portæ existant, clavos quoque in papillarum speciem ordine dispositos habuerit, sunt enim vulnera quibus clavi infixi sunt veluti mammillæ, unde fideles dulcedinem exsugunt Paradisi, quæ illos cujuscunque alterius dulcedinis oblivionem inducit, verificaturque illud S. Bernardi dictum: *Suge non tam vulnera, quam ubera crucifixi.*

Serm. 4. in parasc.

Bern. Epist. ult.

lib. depræp. c. 4.

12. Hesychius Presbyter Hierosolymitanus, illum Psalmistæ locum, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, de Christi Domini Humanitate intellexit: Domus Christi Corpus ejus est, de cujus plagis delitiarum scaturient torrentes adeo chari & grati, ut ab animabus devotis gustati, easdem velut inebriatas cujuscunq; alterius terreni boni oblivisci faciant: *Domus Dei corpus ejus est, ubertas Sanguis & Aqua, quæ à latere fluit, ex qua fideles omnes salutari ebrietate inebriati sunt.* Plinius dicit, quod unus ex effectibus ebrietatis sit *rerum omnium oblivio, morsque memoriæ.* Vultisne unum ex hoc ebriorum genere videre, qui

Psal. 35. Hesych. in Cat. Græca.

l. 14. c. 22.

qui mortuam ferebat rerũ omnium memoriam? Ecce tibi Apostolum Paulum dicentem: *Non iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum & hunc crucifixum*, q. d. Ego quod me attinet, omnium rerum præterquam Christi crucifixi perdidi memoriam. Omne id quidquid est, quoad me non est, tametsi enim sit, est tamen haud aliter ac si non esset. Omnes mundi pompæ, omnes carnis delitiæ, omnes terræ divitiæ, omnia hujus sæculi bona, nullam in memoria mea vitam habent, in qua rerum omnium reperitur oblivio, morsque memoriæ. Quare cum S. Ambrosio serm. 21. concludam, qui maxime cœlestem hanc commendat atque extollit ebrietatem, dicens: *Bona ebrietas spiritualis, quæ turbare nescit Corporis incessum, levare mentis novit fastigium. Bona ebrietas, quæ mœstitiam peccatricis abolet conscientiæ, consolationem vitæ infundit æternæ.* Porro ex quo S. Ambrosij nunc citavimus testimonium, in mentem mihi incidit quod idem Doctor verba illa Psalmi 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, explicans, dixit, videlicet per pauperem illum, intelligendum esse Christum, q. d. Psalmista: Beatus qui huic mendico considerando insistit, *qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est.* Beatus qui illius semper vivam, aliarum vero rerum mortuam semper habet memoriam, hoc enim unicum illi remedium erit suam locupletandi paupertatem, sanandi suos morbos, & plagas suas curandi. *Intellige ergo paupertatem Christi, ut dives sit. Intellige infirmitatem ejus, ut accipias sanitatem. Intellige vulnus ejus, ut vulnera tua cures.* Contemplare vulnera illa, ad sanandum vulnera tua, tuum semper in Christo crucifixo fige obtutum, ut crucifixæ sint concupiscẽtiæ tuæ. Ne obliviscaris Christi pro te passi, ut inordinatarum tuarum obliviscaris passionum, & velut ebrius omnis boni creati perdas memoriam, *rerum omnium oblivio, morsq; memoriæ.* Hoc erat monitum, quod Steph. Abbas tribus suggerebat junioribus Monachis, qui Deo servire cupientes, aliquod proinde ab eo contra Passionum vehementiam remedium postulabant, magna namque cum prudentia hoc illis dedit responsum, ut videre est apud Io. Moschum in prato spirituali: *Quod habeo, hoc dico vobis: Ego die nocteq; nihil aliud aspicio nisi Dominum IESVM Christum in cruce pendentem.* Hac speculatione omnes carnalis concupiscentiæ refrigescunt ardores, iracundiæ flammæ extinguuntur, moderantur impetus vindictę, pondera meę sublata sunt infirmitati, omniaque languentis animæ curata sunt vulnera. *Intellige vulnus ejus ut vulnera tua cures.*

1. Cor. 2.

Serm. 21.

Ambr. in Psal. 40.

Io. Mosch. in prat. spir.

13. Enimvero pulchra admodum fuit illa Hugonis Cardinalis animadversio, videlicet Prophetam regium Ps. 21. de vulneribus Redemptoris nostri purissimę carni inflictis loquentem non dixisse, quod Carnifices, sive Lictores, sacratam illius humanitatem trãsfixerint, aut illam percusserint, aut vulnerarint, sed

quod

quod illam foderint, & arando, velut terram bonam elaborarint: *Foderunt manus meas, & pedes meos. Non dixit transfixerunt, sed foderunt; ut notet fructum, qui inde secutus est.* O Hortum delitiosum, qui ab acutis clavis proscissus, atque à fortunato metallo sulcatus, lilia produxit puritatis, Martyriorum rosas, violas Pœnitentiæ, & Myrrham mortificationis. In beato isthoc viridario, Ecclesia Dei mysticum illum collegit fasciculum, illumque velut antidotum potentissimum, in sinum & inter brachia sua, per continuam quandam affectuosamq; contemplationem reposuit, unde dicebat: Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi. Ex hoc cœlesti horto exhortabatur S. Bernard. ut suis discipulis de efficaci provideretur medicamento, ad pectus adversus venena concupiscentiæ fortificandum: Serm. 43. in Cant. *Hunc & vos tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris.* In summa id facite, quod ex Ambrosij Consilio faciendum esse dicebamus. *Intellige vulnus ejus, ut vulnera tua cures.*

Serm. 43. in Cant.

Punct. III. 14. Vidimus hucusq; quomodo Plagæ Dominicæ internum Passionum bellum pacificarint, nunc videamus, qua ratione eędem exterius quoque afflictionum bellum composuerint, quod erat discursus nostri ultimum punctum. *Pacificans in sanguine crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Et qua ratione putatis servi Dei, & sequaces Evangelij, in medio tot ærumnarum perturbatissimi mundi hujus, immobiles stare potuissent & imperturbati? Quomodo adversitatum lachrymabilis hujus exilij multitudinem & varietatem vincere? Vnde illis ista animi generositas, ut nihili facerent sive traditorem occultum, sive persecutorem apertum, sive crudelitatem Tyranni, sive Carnificis barbariem? A venerabili Abbate Pet. Blesensi idipsum audite, qui invictam illam sanctorum Martyrum constātiam, quæ in stuporem cœlum terramque adegit, nulli alteri attribuit quam solis plagis Redemptoris nostri. *Stat Martyr* (sunt verba Pet. Blesens.) *afflictus quidem sed invictus, vidensq; sanguinem suum ex diversis corporis partibus ebullire, non sua, sed Redemptoris vulnera attendit, &c. dolores corporis non sentit, quia peregrinatur à corpore.* Sua Martyr non sentit vulnera, qui Christi vulnera considerat, corporisque dolores ab illo vel tolluntur totaliter, aut valde saltem mitigantur, eo quod spiritum suum plus habeat in plagis alterius erga quem ardet amor suus, quam in corpore suo proprio, ubi est Anima sua. Neque omittere debeo conceptum quendam S. Bern. illi Petri Blesensis simillimum; Is namq; verba illa sæpius à nobis citata exponens, *veni Columba mea in foraminibus Petræ, ostēde mihi faciem tuam.* Cant. 2. inquit serm. 61. in Cantica. Quomodo videre petit illam, quam semper videt? Et si totam videt, quo modo illam haud dubiè contuetur, quomodo faciē sponsę videre desiderat, velut si illam

Blesensis in cap. 1. Iob.

Serm. 61. in Cant.

Cant. 2.

illam non videret: *Oſtende mihi faciem tuam.Ad quid ? Vt mihi videtur ſe magis oſtendere vult.Ita eſt, videri vult, non videre:quid enim ille non videt?Non eſt ei opus, ut quis ſe oſtendat, &c. Vult ergo videri.* Verum qua occaſione adeo vehementer videri deſiderat? Ecce tibi reſponſionē: Vult benignus Dux devoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimverò non ſentit ſua, dum illius vulnera intuetur. Videre non vult cœleſtis hic ſponſus, ſed videri deſiderat, cupit videri ut poſſimus imitari; Videri vult,ut videantur plagę ſuæ,atque ex harum conſpectu fortitudo eliciatur atq; ſolatium. Datque Bernardus tandem Sanctorum Martyrum Exemplum,qui conſideratione ſua in foraminibus petræ conſiſtentes, fortes ut petra facti ſunt. *Stat martyr tripudians & triumphās toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro nō modo fortiter,ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc Anima Martyris? Nempe in petra, nempe in viſceribus IESV,vulneribus nimirum patentibus ad introeundum: ſi in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea ferrum profecto ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet & negaret.Nunc autem in petra habitans, quid mirum ſi in modum petræ duruerit?*

15.S.Job cap.27. Verba hæc habet myſterijs plena: *Docebo vos per manum Dei,quæ omnipotens habeat.* Septuaginta interpretes legunt: *Quæ ſint apud Omnipotentem*; q.d. ſuam vobis oſtendam potentiam, ſuumq; inſuperabile robur.Sed qua ratione omnipotentiam altiſſimi manifeſtare contendis? *Per manum Dei.Per manum Dei oſtendam quæ ſint apud Omnipotentem.* Mediante manu Domini clavis perforata, veluti porta quadam aperta Omnipotentiam vobis Dei oſtendam, qui mundum vincere,omneſque terrę hujus poteſtates per homunciones viliſſimos,imbelleſque ac debiliſſimas fœminas debellare novit, fortitudinem illis ac vigorem miniſtrans inſuperabilem, adverſus omnem periculoſum eventum. *Docebo vos per manum Dei quæ ſint apud Omnipotentem.* Dicamus igitur cum S. Auguſtino in Pſal.33. *Quid fortius hac manu,quæ mundum vicit non ferro armata, ſed ligno transfixa?* Manum tuam Domine admiror fulminibus armatam ad debellandam & proſternendam infernalium poteſtatum ſuperbiam. Verum incōparabiliter magis admiror clavis perforatam,ad conciliandas ſibi humanas voluntates. Cum admiratione illam Cœli terræque Creatricem eſſe conſpicio, cum majori tamen ſtupore illam contemplor formatricem Eccleſiæ,perverſorumq;mundi hujus morum reformatricem,laude quidem dignam propter Naturæ opera,ſed & infinitis quoq; laudibus dignam propter gratię facinora.*Docebo vos per manum Dei, quæ omnipotens habeat.*

16.S.Ioannes Chryſoſt. Hom. 5. ad populum Antiochenum adver-

tit, Virtutem Iobi nunquam adeo futuram fuisse conspicuam, neq; interioris hominis divitias in justo illo adeo luculenter ad oculum se proditūras, nisi Sathanas Corpus ei perforasset, atque per illa foramina evibrati fuissent adeo incomparabilis valoris radij: *Nisi Diabolus Iobi corpus perforasset, radij intrinsecus non renituissent, & ipsius non cognovissemus divitias. Nobis ipsum reddidit clariorem, ut omnes hominem interiorem respiceremus.* Et cur nos de Redemptore nostro idem non poterimus dicere, qui per venerabilium plagarum suarum aperturas internarum divitiarum suarum ad nos transmiserit radios; Et uti jam cum S. Bernardo dicebamus: *Patet arcanum Cordis per vulnera Corporis?* Bene igitur Iob dicit: *Docebo vos per manum Dei, quæ sint apud Omnipotentem.* Siquidem juxta illud Davidis regis oraculum Psal. 44. *deducet te mirabiliter dextera tua.* Vulnerata manus tua ad glorias & triumphos te miraculose deducet. Quocunque manum tuam miseris, facinorum tuorum plantabis triūphos. Vbicunque vulnera tua videbuntur, conspicientur pariter prodigiorum tuorum monumenta. Ibi gratas adeo servi tui invenient delitias, ut omnes alios præ illis sint cōtempturi. Ibi interni ipsorum curabuntur animi morbi: Ibi adversus omne robur Inferni valorē haurient & generositatem. Super omnia autem pacem ibi reperient, quæ omnē sensum superat. *Deducet te mirabiliter dextera tua. Illa deductio,* inquit Hugo in Ps. 44. *erit plena miraculis.* Miraculum profectò fuit, quod omnes terræ potestates, mūdiq; illius Tyranni mansuefacti suas tiaras & sceptra sua pedib. submiserint cujusdam piscatoris. Miraculum est, quod sapientes & Philosophi sæculi istius Evangelij se subdiderint simplicitati. Miraculum quod divites & opulēti, omnisque boni abundantiam habentes, omnib. se terrenis spoliarint facultatibus, ut sola deinceps spe gubernati vitam agerent. Miraculū, quod teneræ puellulæ tantum indutæ fuerint vigorem cœlestem, ut atrocissimorum exquisitissimorumque tormentor. nequaquam cederent multitudini. Miraculum, quod Ecclesia tā subito adeo magnos fecerit progressus; nec non quod ferrum ipsam demetens in Martyribus, eandem adeo quoad fidelium numerū multiplicaverit. Miraculum quod Gentilismus tot falsorū Deorum cultui assuetus, unius duntaxat crucifixi venerationi se adhiberi permiserit. *Illa deductio erit plena miraculis.* Totum istud plagis debetur Redemptoris, illisque vulneratis manibus, quæ thesaurorum Divinitatis portæ extiterunt. *Docebo vos per manum Dei, quæ sint apud Omnipotentem.*

Hom. 5. ad pop. Antio.

17. Veruntamen interrogemus nōnihil sponsam Domini. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* ipsa namq; sicut præ ceteris plus fervet amore, ita quoque in dilecti sui pronunciandis laudibus erit facundior: *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis;* q. d. Manus sponsi mei tres mysti-

myſticas habent proprietates, ſunt n. tornatiles, ſunt aureæ, & plenæ ſunt Hyacinthis. Et Primo quidem ſunt tornatiles, quia uti Philō. Epiſc. in Cant. 5. notavit: *Tunc Chriſti manus tornatiles factæ ſunt, cum eas pro ſalute noſtra crudeliſſimis clavis in vitæ ligno perforatas extēdit.* En quæ ad tornum elaborantur ferris transadigũtur, ita quoq; ſacratiſ. Chriſti manus in torno S. Crucis, clavis perforatæ fuerũt. O verè fortunatum metallũ, quod ad tam grande opus, quale erat mundi totius Redemptio, à Deo ſelectum fuiſti. Quodnam adeo benignum clima te protulit in lucem? Et quænam tam grata mineralis vena, te ad omnium ſeculor. produxit gloriam. Glorioſa ferra, quæ in amoris officinis temperata fuiſtis, ut adverſus inferni exercitꝰ arma fieretis inexpugnabilia. Benedicta ferra, quæ in cœleſti carnis Dn. noſtri Paradiſo fontes illos ſalutares aperuiſtis, à quib. tota terra noſtra irrigata, florida videtur & ridēs. Amatiſſima ferra, quæ à pretioſi ſanguinis illius decorata rubinis, gratiſſ. pretioſiſſimaq; facta eſtis monilia eorũ, quæ ſponſa Chriſti poſſidet. Venerãda ferra, quę bene adeo virginalem Humanitatis Redemptoris noſtri terram cultivaſtis, ut fructus producat vitę æternę. Pretioſa terra, quæ dum glorioſum Divinitatis penetraſtis templũ, tantum vobis conciliaſtis valorē & pretium, ut ipſi quoq; auro ac gemmis palmã pręripueritis. Ingenioſa ferra quæ neſcio qua arte in Cœli vos ingeſſiſtis ſecreta, deq; ejusdē divitijs fœliciter participaſtis. *Beati clavi*, dicam cum Ioan. Chryſoſt. Ho. de SS. Petro & Paulo, *qui ſancta illa membra penetrarunt. Sint mihi clavi illi pro gemmis infixis in diademate.* Non quæro modo quidnã Eccleſiaſt. dicere voluerit, quando dixit: *Initium neceſſariæ rei vitæ hominis ferrum*, nam ut neceſſitati vitę humanæ conſulatur, ferrum principaliter, & primo loco ſervit. Scio equidem bene, beatum hocce ferrum clavorum Chriſti mei, vitæ ſpiritualis Eccl. Dei fuiſſe principium. Ipſum namque ei aperuit in carne Domini cunas ad ejus natales, nidum ad quietem, Domũ ad refugium, Penuarium ad refectionem, armarium ad cuſtodiam, receptui v. aſylum. *Initiũ neceſſariæ rei vitæ hominis ferrum.* Plin. l. 36. c. 16. de ferro loquens, illud rerum omnium appellavit domitorem: *domitrix illa rerum omniũ materia.* Enimverò quali cum machina, aut quo cum Inſtrumento Redemptor noſter mundũ edomuit, præterquam cum SS. hiſce clavis? Porro tametſi Aug. dixerit: *Domuit mundum non ferro, ſed ligno*, attamen nunc haud invitus acquieſcet contradicenti: Domuit mundum & ferro & ligno: clavorum ferro, & crucis ligno; Ferro quod ipſum transfixit, & cui affixus eſt ligno.

18. De Nundinis atque mercatibus Civitatis Tyri, Spiritus Sanctus apud Ezechielem cap. 27. dicit: *In nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum.* Quippe in illo Emporio, certæ quædam ferri merces, peregrino quodam modo elaboratæ: Væ num erant expoſitæ, veluti Ferrum Orientis Damaſchinum, quod

purissimæ est temperaturæ: aut sicut ex Germania adducta Horologia tam subtiliter elaborata, ut humani visus acumen quasi effugiant: aut velut ensium Capuli, qui tanta cum elegantia & accuratione Mediolani fabrefiunt; aut sicut manuales Sclopi, qui in Bresciæ finibus stupenda & prodigiosa elaborantur architectura. Verum longe beatior es ô sancta Dei Ecclesia, in tuis namq; foris & compitis, hoc est, in templis tuis, cœlestes illas machinas habes expositas, eaq; tam ingeniosa ferra, quorum magistrale opus stupori in æternum Angelis erit & hominibus. Sacri hi clavi, teste Bernardo, paulo ante à nobis citato, claves sunt Cordis divini: *Clavis reserans, clavus penetrans, factus est mihi, ut videam voluntatem Dei.* O ingeniosæ claves, quibus mediantibus terra in possessionem pertingit gaudiorum Paradisi. O machinę omnipotentes, quæ Gazam pandunt Omnipotentis Dei. O metallum fortissimum, quod munitissimum illud divitiarum cœlestium aperire potes armarium. *In nundinis tuis proposuerunt ferrum fabricatum.* Neq; tamen etiam num finem attigi commendandi hæc ingeniosæ charitatis Christi instrumenta. Nostisne, inquit Hugo Cardinalis in Psal. 77. cur beata hæcce ferra, Domini nostri perforaverint manus? videlicet, ut ex iisdem manibus, eæ quæ continent, divitiæ, promptius exciderent, egrederenturque ex iis ipso etiam velut invito, gratiæ, tametsi enim palmum stringendo eas negare, easdemq; dexteræ includere vellet, illam tamen utpote pertusam, occlusam tenere, & obfirmare non posset. *Longitudo dierum in dextera ejus*, inquit Salomon, *& in sinistra illius divitiæ & gloria.* Gratias illas, illosq; favores, quos utraque complectitur manu, ipse ut elargiatur, velit nolit, necessum est, non enim in perforatis apertisque illas tenere manibus potest, *Largitate habuit manus perforatas*, inquit Hugo, *ut nihil ei remaneret, quod non daret, qui seipsum dedit. Manus ejus tornatiles*, eo quod clavis trāsfixæ fuerint.

Hugo in Psal. 77.

Prov. 3.

19. Sed & Beatæ manus istæ præterea fuere aureæ: *Manus ejus tornatiles aureæ.* Optimè scio, idem secundum bonos scriptores nonnunquam significare, Ly aureum, quod pulchrum. Sic Poeta inquit in lib. Æneidos

——— Venus aurea contra
Pauca refert

Verum quam pulchra sunt Domini mei vulnera, qui illum ipsis quoque Angelis admirabilem potuere reddere, qui apud Isai. cum stupore interrogabant dicentes cap. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, quasi dicerent: Quis est iste, qui coram oculis nostris pulchrior apparet vulneratus, quam integer, & sanus, ferro perstrictus, quam cinctus splēdoribus, sub signis Passionis, quam sub nota divinitatis? Ita quoq; apud Psalmistam, eadem cum admiratione Dominum ad Cœlum è terræ exilio

Psal. 23. exilio videntes reducem, pariter interrogant: *Quis est ille Rex gloriæ?* quasi dicerent: Quis est iste, qui sub humilitatis signis, adeo se magnum videri facit, & quasi celando gloriam, adeo nihilominus apparet gloriosus? *Viderunt cœlites* (sunt verba S. August. ser. 178. de tẽp.) *cuncti speciosum vulneribus Christum, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis: Quis est iste Rex gloriæ?* Et S. Cyrillus Alexandrinus inquit: *Vestem carnis plagis ornatam detulit, ut carnem ostenderet gloriosam in Resurrectione, quæ fuerat in morte passibilis*, adeo ut vulnera, quæ humanis in corporibus deformitas atque defectus esse solent, in Domini Corpore decor facta sint & ornamentum: *Manus ejus tornatiles aureæ.*

Serm. 178. de temp.

20. Porro aureæ quoq; sunt manus Domini, quia pretium continẽt Redemptionis nostræ. Vnde alia quædam litera legit: *Manus ejus globi aurei.* Vnde Rupert. Abbas Quæstioni huic: *Quid sunt plagæ istæ?* sapientissime respondet: *sunt monumenta Charitatis, sunt testimonia Obedientiæ, sunt pretia redemptionis humanæ. Manus ejus globi aurei.* Hæc est illa Aurifodina cujus thesauris Dei locupletatur Ecclesia. Hæ sunt margaritæ atque monilia quibus decoratur Domini sponsa. Hæc sunt decora & ornamenta, quæ culparum nostrarum cooperientia deformitatem, Angelorum nos fraternitate, societateque Beatorum dignos efficiunt: Hic est amplissimus Christianismi census, quo cum continuo negotiando, illa sibi meritorum gratiarumque cœlestium comparat lucra: Hæ sunt divitiæ, quibus utendo omnia Paradisi acquirimus bona. Hoc est fidelium Patrimonium, ab amantissimo Patre nostro Christo, non minori quam proprij sanguinis sumptu comparatum: *Exiguis loculis Patrimonium grande profertur*, dixit quondam antiquissimus Pater Tertullianus, de auro gemmisque matronarum sui temporis loquens: *De hab. mu.* Quis crederet unquam, tam exiguis loculis, ingentia adeo patrimonia recludi? tam modicis scriniolis vastissimorum camporum, amplissimarumque possessionum contineri pretium? In tam strictis repositoriolis valorem capi Civitatum atque regnorum? *Exiguis loculis Patrimonium grande profertur.* Sed quid hæc sunt ad præstantissimos thesauros, intra Redemptoris mei vulnera contentos? *Exiguis loculis Patrimonium grande profertur.* O quantum sacratissima hæc continent servatoria, quippe quæ continent, quantum amplitudo valet Cœli Empyrei. Ibi mundi totius sunt repositæ divitiæ, quę abundantem adeo nostram possunt reddere paupertatem, ut veluti cum ipsis cœlestium spirituum pompis ac magnificentiis contendere valeant. Ibi maxima illa dos est Animarum prædestinatarum, qua illæ provisæ, in Cœlesti curia quam maximi fiunt. *Manus ejus globi aurei.*

Tertull. de Hab. mul.

21. Postremo deniq; Manus Redemptoris plenæ sunt Hiacynthis: *manus ejus plenæ Hiacynthis.* Plinius de Gemmis in genere loquens in præf. lib. 37. illas vocat Majestatẽ Naturæ in

Pli. in præf. lib. 37.

in minimo recōditoriolo reclusam, *in arctum coacta rerū Naturæ Majestas.* Veruntamē cum quanto majori ratione nos gloriosa Domini vulnera, cœlestes illos Hyacinthos, arctum quendam Majestatis gratię nominabimus restrictum, illa namque sunt, quæ omnes gratias continent atque favores, qui à divina communicantur liberalitate. Atq; si unquam cum veritate dici possit, quod Isa. de Divina loquens providentia dixit, scil. *mensus est pugillo Aquas, & Cœlos palmo ponderavit*; certe id modo de vulneratis Christi manib. dici debet, quæ immensi divinar. gratiarum Oceani mensæ sunt amplitudinem, cœlique ponderarunt Majestatem ac magnificentiam, & *Cœlos palmo ponderavit.* Enimverò absit, ut hic intermittam id, quod refertur à Plin. videl. in regione Parthorum, gemmam quandam maximi pretij, rararūq; Qualitatum inveniri, utpote, quę securum est adversus varia morborum genera antidotum, ideoq; in summa habita æstimatione vehementerq; quæsita. Verum ut prædictus Author dicit, non reperitur alibi in aliis locis, quā in iis duntaxat, in quæ fulmen nonnunquam alias cecidit. *Non alibi invenitur, quam in loco fulmine icto.* Ecquid feri illi ac truculenti clavorum ictus, in manibus & pedib. Dn. aliud fuerunt, quam de cœlo cadētia, atq; à divina Patris æterni justitia evibrata fulmina. Valde perspicue idipsum Isa. c. 53. dixit: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Jam a. in iis pręcise locis, in quæ Iustitię divinæ cecidit fulmē, pretiosi vulnerum Christi reperiuntur Hyacinthi, qui morborum nostror. spiritualium præservativa sunt & antidota: *Manus ejus plenæ Hyacinthis.* Imo, quod si verum esset, quod nonnulli affirmant, videl. Hyacinthū penes hominem delatū, hoc sibi habere proprium, quod res faciat reinvenire deperditas, qui est quis non videat, quantopere id sacratissimor. vulnerum conveniat Hyacinthis? Qui haud dubie id nos reinvenire faciunt, quod per peccatum fuerat deperditum, amicitiam sc. Dei, thesauros gratię, devotionis dulcedinē, perseverantiæ stabilitatē. Ac deniq; si Hyacinthus, Dioscoride teste, halitum sive spiritum facit, animumq; suggerit illum deferenti; quam sunt igitur pretiosi sacrorum vulnerum Hyacinthi, qui S. Martyres ad sua animarunt certamina, quæ illis fortitudinem, omne robur humanum superantem, suggessit, eosdemq; in atrocissimorū tormentor. medio, quę adinvenire unquam potuit humana crudelitas, gaudere ac jubilare facit.

Lib. 37. c. 13.

22. O Dilectiss. quantam nos inter continuas miserabilis mundi hujus conturbationes invenire possemus pacem, si ad hunc Deū pacis recurreremus, qui tāto cum amore internis externisque bellis nostris nobis offert remedium. *Ostendit eis manus & pedes.* Intrate igitur, intrate inquam, ô miserabiles in hunc summæ libertatis locum, ibi namq; ab iræ divinę ictibus securi eritis. Intrate in arcem hanc inexpugnabilem, nihil n. hic contra nos prævalere poterunt omnes sęculi istius adversitates. Intrate in hoc Pacis templum, ibi namq; omni-

omnibus bellis finem imponi videbitis. PARS II.

23. Expectare videmini, uti ego quidem existimo, ut juxta receptam Prędicatorum consuetudinem vobis in laborum meorum extrema periodo, aliqua relinquā memorialia, quem ego laudabilem morem haud invitus sequar, & amplectar. Enimvero cum pręsenti concione multis, de quinq; Christi vulneribus discurrerimus, statui, ad honorē uniuscujusq; illorū, quinq; vobis proponere memorialia, quæ vellem, ut si grata vobis sit Salus æterna, omni vobis die revocaretis in memoriam. S. Th. illum S. Pauli textū exponens 1. Cor. 14. *In Ecclesia volo quinq; verba sensu meo loqui*, dicit, 5. isthæc verba, quæ S. Paulus dicere volebat, esse hæc sequentia nimirum: *Credenda, Agenda, Vitanda, Timenda, Speranda*. Ad quinq; ista totū reducitur Christi Evangel. totum itidem, quicquid in quadragesimali hocce cursu prædicavi vobis, totum deniq; illud quod de professione Christiana dici potest. Imo v. dicere audeo, 5. illa verba quoddā esse omnium divinarum scripturar. compendium, videl. Credenda, Agenda, Vitanda, Timenda, Sperāda.

24. Exordiamur à primo Verbo *Credenda*. Dicite Sodes, ô Christiani, Anne unquam attentam aliquam ad ea quę fides nostra nos docet, habuistis considerationem? Cōsiderastisne unquā quid profiteamini? Quid prætendatis? Vbi vivatis? In quo statu sitis? Quas habeatis promissiones? ad quidnam obligati sitis? Cōsiderastisne aliquando quid sit Christianum esse? Messiæ sanguine redēptum? Baptismo regeneratum atq; in filiorum Ecclesiæ album relatum? luce Evangelij illuminatum? Ad filiationem Dei euectum? fratrem & cohæredem Christi factum? Fecistisne unquam reflexionē aliquam, ad nobilissimā progeniem vestram, atque ad tot majores & avos vestros qui tam raris Sanctitatis vos præcesserunt exemplis? Tobias olim Filio suo salutaris vitæ memorialis loco dicebat: *Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo*. Idem ego quoq; Auditoribus meis dicam; Filij sanctorum sumus, Patriarcharum scil. Prophetar. Apostolorum, Confessorū, omniūque illarum Animarum magnarum, quæ in primitiva fuerunt Ecclesia: *Filij sanctorum sumus, itaque & nos sanctorum Filii*, inquit Chrysost. *imo & Dei filii sumus, propterea & illum omnes Patrem vocamus, non solam factam nobis rememorantes gratiā, sed & nos ipsos ad virtutem admonētes, ne quid tali cognatione indignum cōmittamus*. Considera quanta sit illa tua gloria, illa status tui excellentia, quanta sit professionis tuæ nobilitas, quæ te ipsiusmet immortalis Dei filiū efficit. Id quod inquit Chrysol. cœlum terramq; obstupescere fecit. *Nihil tam stupet Cœlū, pavet terra, expavescit universa creatura, quam quod vos estis hodie nobis dicentibus audituri: servus Dominum Patrem vocare audet: judicem suum reus nuncupat genitorem: conditio terrena sua se voce adoptat in filium*. Audite id, quod ob sui reverentiam

Hom. 19 in Epist. ad Rom.

Serm. 70.

Cœlum

Cœlum facit contremiſcere, totũq; univerſum ſtupore replet & admiratione. Quod ſi plaſma es manuum Dei, ipſum vocare debebis Artificē omnipotentem, qui te ex nihili deduxit abyſſo. Si ſervus es, illum vocare debes Dominũ, qui deſpoticum & abſolutum ſuper te obtinet dominium. Si reus es, ipſi reſpectu tui nomen competit Iudicis, qui juxta tua te ſententiare habet demerita. Verũ ô magna Dei noſtri pietas, qui nobis quoq; ut ſe Patrē appellemus cōceſſit. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, communicavit igitur & facultatem nobis vocandi illũ Patrem. *Magnum eſt dilectiſsimi*, inquit S. Leo Papa ſer. 6. de Nati. *hujus muneris ſacramentum & omnium dona excedit hoc donum, ut Deus hominē vocet filium & homo Deum nominet Patrem*. Neſcio, inquit Bern. utrum ſit ſtupendum vehementius, an quod Deus factus ſit hominis filius, aut quod homo ad filiationem Dei ſit evectus. *Quanta dignatio Dei, Patrem hominũ eſſe? Quanta hominum gloria, Dei filios eſſe, & hæredes?* Cum Bern. pariter obſtupeſcit & Chryſologus, dicitque: *Quid eſt magis tremendum, quod ſe dedit terris Deus, aut quod nos dat Cœlo? Quod ſocietatē carnis intrat ipſe, aut quod nos facit conſortium Divinitatis intrare?* Magnum quid profecto eſt, quod Deus ad nos venerit, ſed & non minus eſt, quod nos exaltati ſimus ad Deũ. Vtrumq; ſummum eſt prodigium; Deus in terra, Homo in Cœlo: Ille noſtræ particeps humanitatis, hi ſuæ Divinitatis conſortes: Ille filius hominis, hi filij Dei. *Filij ſanctorum ſumus*.

Serm. 6. de Nativit.

Serm. 67.

25. Verum audite obſecro, quid ex diſcurſu prædicto elicere debeatis, inquit S. Germ. *Patrem Deum vocas? ut filius vitam tuam inſtitue*. Quod ſi filius es, ut filiũ decet te, habeto; ſi Deum Patrem tuum inclames, ad cœleſtem quoq; quæ à te expectatura, ttende indolem, atq; ad divinã illam in morum ſanctitate generoſitatem. Vive conformiter illi quod es, & cave ne à nova degeneres ſtirpe, cui per divinam gratiam inſertus fuiſti. Audi ſerium S. Cypr. monitũ. *Meminiſſe & ſcire debemus, quia quando Patrē Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre ſic ſibi placeat & ipſe de nobis*. Antigonus Rex in juvenili etiamnũ ætate conſtitutus ad gaudiũ aliquod ſ. feſtivũ convivium invitatus fuit, quærens a. ex avo ſuo, qui Menedemus erat, an ſibi eo concedendũ eſſet? hoc à Menedemo reſponſum retulit; Nil tibi aliud reſpōdeo, pręterquã iſtud: *Regis filius es*. Ita pariter tibi, ô Chriſtiane, dicam, recordare ſtatus tui, tuęq; ad genitę generoſitatis memor eſto, & ubi à mũdo aut carne ad ſuas invitatus fueris delitias, memineris quia *Regis es filius*. Ideoq; vide nũ tibi velut tali conveniat ad rei ũterrenarte vilitatē atq; humilitatē abjicere, aut te luto carnis tuæ conſpurcare: recordare magni illius nominis quo Chriſtian9 vocaris, illud namq; magnę obligationis tuę affatim tecōmonebit, qua curare debes, ut facta nomini reſpondeāt, ne tibi cōveniat id quod Auguſtinus dicit: *Nomen habes rem non habes, alicujus rei nomē eſt Chriſtus, tene ipſam rē ſi vis prodeſſe tibi nomē*.

in Theor. rerum Eccleſ.

lib. de Orat. Dom.

26. Se-

26. Secundo consideranda sunt Agenda. Ecquid nos per vitam nostram facimus? Quibus rebus intendimus? Propter quid laboramus? Estne aliquis qui rebus Animæ suæ intendat, nisi forte perfunctoriè, leviter, & per transennam? Aut ubi reperietur, qui non noctes pariter & dies laboret pro corpore, pro domo, pro familia, pro filiis, pro Parentela, pro Principe, pro Lite, pro dignitate prætensa, aut deniq; pro sperata hæreditate &c? Audi quid David fecerit, & tandem aliquando tu quoq; quid faciendum sit tibi diligenter edisce, dicit: *Anima mea in manibus meis semper*; quasi diceret: In manibus meis, sive in operibus meis semper Animam meam ferebam, vel quod idem est dicere semper pro Anima mea operabar, vix aliquod tẽporis momentum erat quod pro Animo non impenderem. Discamus inquit S. Ambros. lib. de Isaac & Anima, ab hortis & Campis. *Quid pleno Agro pulchrius, cum seges fluctuat, cum poma irrutilant, vel cum uvarum serta dependent, aut baccis onusta olea curvescit: vel viridanti germine montium vertices & vallium humilia vestiuntur.* Ita quoque in Anima res se habent, dicit S. Ambrosius: Illa Anima pulchra est & grata, illa est preciosa, quæ bonorum operum est fœcunda, in qua nova semper germinare videntur virtutum germina, quæ utilium bonorumq; operum atq; consiliorum est plenissima. *Similis est causa Animæ & soli. Quia ea decora Anima, quæ fœcũda est, ea indecora quæ sterilis. Anima mea in manibus meis semper.*

Psal. 118.

Lib. de Isaac & Anima.

27. Lamentabatur olim hisce verbis Deus apud Jeremiam. *Filij insipientes sunt & vecordes.* Ecquid igitur mali fecerunt? *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ad male faciendum sagaces, insensati vero sunt ad faciendum quid bene. Ad peccatum Argi, Talpæ autem ad Justitiam. Enimvero an non ingenti dignum est planctu, quod Homo tanta facere videatur pro isthoc mundo, nihil autem pro Deo faciat? Hoc erat id quod Petrus Chrysologus reprehendit dicens: *Quando tantum pro Deo, quantum mundo, tantum Cœlo quantum terræ, tantum virtuti, quantum vitijs fragilitas humana famulatur? Totus homo miser sic carni deditus, sic rebus præsentibus occupatur, ut nihil in se quod futuræ vitæ, quod divinis bonis deserviat, derelinquat*; Pro tẽporalibus negotiis adhibetur totus Homo, idq; pro omni tempore; pro rebus æternis, nec tempus invenitur, nec locus. O sancte Deus! Invenitur tempus pro ludo, pro conversatione, pro visitandis amicis, pro convivio, pro tempore fallendo, pro solo autem Dei servitio tempus nullum suppetit. Refert Nazianzen. de laudibus Basilii, accessisse S. Basilium nobiles aliquos Aulæ ministros, quos ipse describit, ut sequitur: *Illi ex militari ordine, illi ex Gynecæo, illi inquam inter fœminas viri, inter viros fœminæ, nec virile quidquam præter impietatem habentes.* Ecquid autem significant illa verba: *Nec virile quidquam præter impietatem habentes*? Hoc videlicet, nihil

Ierem. 4.

Serm. 114.

Nazianz. de laud. Basilij.

hilin se habent masculum nisi vitiũ, tunc se viriles tantum ostendunt, quando de malo faciendo agitur, & prouti Jeremias dicebat: *Sapientes ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Me profectò terret quod Aug. in Ps. 37. Augustinus in Psal. 37. super Parabola de distributis talentis notavit; videlicet quod de eo qui cum denario sibi collato negotiatus non fuerat, formidabilis isthæc deponatur Matth. 24. querela: *Serve male & piger, oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & ego veniens cum usuris exigerem.* Hic nunc Augustin. dicit: *Quid expectare debent, qui cum luxuria consumpserunt, si damnantur qui cum pigritia servaverunt.* Qui otiosus fuit condemnatus est, quid igitur de eo fiet qui talentum sibi creditum in Domini sui dissipavit contumeliam? Tertullianus finem nescit in detestandis iis qui Christiani jam facti, demum Idola fabricabãt, quæ Gentilibus divenderentur, dicitque manus merito amputãdas esse talibus, qui in tam execrando sese occupabant facinore. *O manus præcidendæ.* Et tu qui Christianus es, qui filium Dei te profiteris, & contra Legem Dei tamen operaris, & absque ullo scrupulo peccata committis, an non id faciendo idola fabricas ad Idololatrandum.

28. Recordare verbi Domini, Matth. 7. quo dicebat. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine hic intrabit in Regnum Cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in Cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum.* Videte parum referre si quis ore Dominum honore afficiat, nisi & manu quoque honoret, faciatque quod David nos monet Psal. 46. *Omnes gentes plaudite* Psal. 46. *manibus, jubilate Deo nostro in voce exultationis.* An non advertitis id, quod notavit Augustinus, videlicet præcipi, ut simul & cantetur ore, & manibus plaudatur? Quid est ore cantare? *Domine Domine.* Quid autẽ significat: *Plaudite manib⁹?* vult dicere: *Qui fecerit voluntatem Patris mei. Iubilate Deo in voce exultationis,* inquit S. Augustinus: *Et voce & manibus; si tantum voce, non bene; quia pigræ sunt manus: si tantum manibus, nec hoc bene, quia muta est lingua, concordẽt manus & lingua, illa confiteatur, illa operetur.* Et Psal. 91. ubi David dicit: *Psallite Do-* Psal. 91. *mino cum Cantico & Cythara. Hoc est in verbo & opere,* interpretatur Augustinus. *Cum Cantico, in verbo: in Cythara in opere. Si verbo solo dicis, quasi Canticum solum habes, cytharam non habes. Si operaris & non loquaris, quasi Cytharam solam habes. Propter hoc & loquere bene, & fac bene, si vis habere Canticum cum cythara.*

29. Tertium ex allatis à S. Paulo erat *Vitanda*, id est, id, q̃ fugiendum nobis est. Ex quot sunt quæ in via Domini fugere debemus? Peccatum scilicet, uti colubrum, inquit sapiens: Malum sodalem, veluti pestem: iniquum Consiliarium, tanquam ignem: perversum amicum sicut ruinam; Magistrum Hypocritam, quasi lupum; Mulierem meretricem, veluti mortem. Omnia hæc, inquam, fugere debemus, verum id est,

eſt, multaque alia, quæ cujuslibet menti occurrere poſſunt. Ego vero unum duntaxat recenſebo, ex quo ſalus noſtra ſæpiſſime dependet. Ecquodnam vero iſtud? *Occaſio peccandi.* Adierunt juvenes nonnulli antiquum vitæ ſpiritualis Magiſtrum ut documenta ab illo reciperent pie ſanctéq; vivendi: Dumq; illi prompti ſtarent ad accipiendum & conſcribendum documenta iſta, practicus hic multumque expertus ſenior illis dixit: *ſcribite: Occaſiones fuge.* Progredere ulterius, ſubdebant diſcipuli. *Fuge Occaſiones*, mox ſubjunxit Magiſter. Ecquid præterea? *Occaſiones fuge.* Id jam dudum ſcripſimus, reſpondebant juniores, dic quod ſupereſt: *Fuge Occaſiones.* Volebat hic Dei ſervus inſinuare, omnes ſanctè virtuoſeq; vivendi regulas, ad hanc ſolam de fugiendis occaſionibus proximis reduci poſſe. Pater Benedictus Fernandius notavit ſerpentem illum, qui cauda ſua tertiã poſt ſe ſtellarum partem traxerat: *Cauda trahebat tertiam partem ſtellarum*, deinceps nihil ultra feciſſe, neque matronam illam parturientem movere potuiſſe: *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperiſſet devoraret filium ejus.* (*Apocal. 12.*) Unde autem hæc ſubnaſcitur differentia? Inde videlicet; quia ſtellæ in uno loco fixæ erant, ideoque non fugerunt: Mulier autem ſe ab illo recepit, & fugit in ſolitudinem. *Mulier fugit in ſolitudinem, & datæ ſunt ei duæ alæ Aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum.* Exclamat hic admirabundus Fernãdius, quod nimirum ſtellę de cœlo permiſſę ſint cadere. *O ſtuporẽ! O terrorẽ! ubi te volebas abſcondere ſi cœlum perrupit?* Cur autem non vicit mulierem? Ecce tibi reſponſum: *Draco ſtellas evulſit, quia fixas in Cœlo, fruſtra inſequutus puerperam & infantulum, quia mulier cum filio aufugit. Diabolus cominus ſtantem & fixum depræhendit: contra fugientem & volantem alatum, in ſolitudine abditũ extra pericula, occaſionesq; vitiorum procul ſemotum non appræhendit.* O quot ſtellæ cœleſtes, id eſt, quot virtuoſi & ſpirituales, quot radiis virtutum pleniſſimi, è firmamento per Sathanam ſunt præcipitati, quia non fugerunt. Atque ideo *Occaſiones fuge.*

30. In Scripturis idem eſt ſanctus, quod abſconditus. Leguntur in Pſal. 82. Verba hæc: *Cogitaverunt adverſus ſanctos tuos*, S. Gregorius legit *adverſus abſconditos tuos.* Idem prorſus eſt ſeparatus quod ſanctus, qui enim ſeparatur, abſconditur, fugitq; ab occaſionibus, aut ſe ſanctum conſervat, aut ſi non eſt, ſanctum ſe facit. *Deus vitam meam annuntiavi tibi.* Hebræus legit: *Fugam meam annuntiavi tibi.* Placet mihi ſententia eorum, qui ſibi perſuadent, vitam noſtram fugæ nomine appellari, quia uti Job inquit: *Fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Magis tamen in præſentiarum arridet dicere, vitam Davidis fugam appellari, quia tam eminens ſanctitas, virtus adeo rara, tamque meritoria opera, ſuam ex fuga occaſionum habuere origi-

nem: *Deus vitam meam annuntiavi tibi: Deus fugam meam annuntiavi tibi.* Impiissimus Vigilantius S. Hieronymo quondam improperabat quod omni hominum conversatione relicta ad eremum confugisset: *Cur, inquis, pergis ad Eremum?* Respondebatque peroptimè sanctus Hieronymus. *Videlicet ut te non audiam, non videam, ut furore tuo non movear, ut tua bella non patiar: ne me capiat oculus meretricis: ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus.* Fugio ne tuam inaudiam Doctrinam quæ pestilens est, ne mores tuos, qui scandalosi sunt, conspiciam, ne furore tuo qui bestialis est commovear, ne à muliebri capiar pulchritudine quæ laqueus est, ne cor meum trajiciatur vulnere à facie venustissima quæ ipsa Medusæ facie longe est periculosior. *Respondebis; hoc non est pugnare, sed fugere*, inquit S. Hieronymus, qui mox sapientissime respondet: *Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Nulla securitas est vicino serpente dormire: potest fieri, ut me nō mordeat, tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat.* Ecquis est, qui securè in uno eodemque cubili dormire possit cum serpente? Quis in sagittariorū medio vulnerari non timeat, quando sua in omnem vicum tela evibrare non desinunt? Quis sibi promittat non ardere in mediis flammis? Tres quidem Hebræi pueri hanc habuere gratiam, verum est, inquit Chrysost. sed ingens istud fuit miraculum. *Miraculum omnem verborum narrationem transcendit. Illos non tetigit omnino ignis, vidisti quanta propinquitas? Nescio quomodo dicam.* Magnum hoc fuit miraculum, maius autem miraculum erit, si quis in mediis occasionum flammis non ardeat, nam ut inquit S. Cyprianus: *Impossibilis liberatio flammis circumdari, nec ardere.*

Hieron. advers. Vig.

Hom. 4. ad pop.

31. Veniamus ad quartam earum rerum Categoriam, quæ videlicet timenda sunt. *Timenda.* Nescio qua ratione nonnulli tanta cum securitate possint consistere, veluti si Cœlum jam manibus suis secure tenerent, cum tamen Paulus omnibus dicat ad Philipp. 2. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Timete & contremiscite super judiciis Dei, quæ adeo sunt occulta. Timete tentationes sathanæ adeo astutas, fragilitatem cordium nostrorū adeo incōstantium: Pondus carnis nostræ quæ adeo est gravis, sensuum nostrorū tyrannidem quę adeo est violenta, concupiscentiarum nostrarum perversitatē quæ adeo sunt insolentes & dissolutæ: pericula salutis quæ adeo sunt evidentia. *Cum timore & tremore salutem vestrā operamini.* Timete perdere gratiam quam à vobismetipsis, vestrisque viribus recuperare in æternum non poteritis. Timete spiritus vestri tepiditatem, quæ Deo nauseam movet. Timete recidivam toties à vobis repetitam & reiteratam, quæ efficit ut sensim ac paulatim specialia illa quæ vobis dabantur, immi-

nuan-

nuántur auxilia. Timete æternam Dei Juſtitiam, quæ nullam hominis malitiam relinquere novit impunem. Timete vitioſum Habitum, qui adeo paulatim invaleſcit, ut convertatur in Naturam. Timete conſcientiæ veſtræ duritiem, quæ ad cunctarum vocationum Divinarum pertingit contemptum. Timete inquam, quia cum Deo vobis res eſt, qui iniuriæ ſibi illatæ non obliviſcitur in æternum, qui culpam, quoaduſque ponderabilis exiſtit, infinitæ ſapientiæ ſuæ bilance librat ac ponderat, qui ingratitudinem in tertiam & quartam uſque generationem caſtigat, qui derelinquit, excœcat, indurat, reprobat, condemnat, qui Carcerem habet flammis refertiſſimum atque tormentis, in quo ſuos recludit inimicos eoſdemque ibidem abſque ulla egrediendi ſpe in æternum perſiſtere ſinit. *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.* Chriſtus, diſcipulos ſuos ad prædicandum dimittens, iiſdem interdicebat, ne quempiam per viam ſalutarent: *Neminem per viam ſalutaveritis.* Luc. 20. ubi S. Bonaventura dicit: *Hoc injunxit Dominus non ad declinandum affabilitatis indicium, cum ipſe fuerit benigniſsimus & curialiſsimus.* Erat ipſe Urbanitas iſamet, qua ergo ratione Apoſtolis ſuis mores prohibet, Urbanos atque civiles? Verum reſpondet Bonaventura: *Non ſalutem dicatis, cum adhuc damnari poteſt, quamdiu eſt in via.* Ne in via ſalutem impertiamini, nam nemo quoaduſque in via conſiſtit, de ſalute ſecurus eſſe poterit. *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.*

32. S. Joannes Chryſoſt. Hom. 50. in Matth. vehementer admiratur, qua ratione Sathanas Jobū ſanctiſſimum illum, innocentiſſimumque Dei ſervum tentare præſumpſerit, & tametſi in evidenti perdendæ victoriæ periculo verſaretur, ſuas nihilominus proſecutus ſemper fuerit tentationum ſuarum machinas. Tandem vero ſanctus Doctor, omni admiratione depoſita, reſpondet: *Truculentiſsima beſtia, nunquam ſolet deſperare victoriam, nunquam noſtram deſperat perditionem.* Et profecto merito ita ſentit, nam ut dicebat S. Bernardus lib. de Paſſione Domini Cap. 10. *De quantis legimus in Vitis Patrum viris potentibus in jejunijs, in vigilijs, in laboribus ſupra modum humanum, imo & in miraculis coruſcantibus, quia ceciderunt, quoniam non perſeveraverunt.* Nunquam igitur Diabolus diffidit vincere quoque illos, qui invincibiles videbantur, & nos tanta cum temeritate ſperabimus nos nequaquam vincendos? Nunquam ille adverſarius noſter noſtram deſperat perditionem, & nos inſupportabili cum arrogantia nequaquam perdi nos poſſe præſumemus. Me profecto tremere facit quod Chryſoſtomus dicit ex Actibus Apoſtolicis. Stephanus Prothomartyr jamjam ſuam Creatori redditurus erat animam, & tamen eandē Animā Deo haud aliter recommen- dat,

Lib. de Paſſ. Dom. c. 10.

dat, quam si auxilii extremè fuisset egena, dicitque: *Domine IESV suscipe spiritum meum.* Notat Doctor sanctus in scripturis verbum illud *Susceptor* significare veluti Medicum, qui infirmi alicuius in se curã suscipiat: *Suscipe spiritum meum*, quasi diceret: Tibi illam ô Domine consigno, ut pote opis & Medicinæ summè egenam: *Quamdiu in hoc sum mortali corpore circumseptus pertimesco, quamdiu terrenam hanc porto carnem, formido, ne post labores, amittam labores.* Stephanus uti vultu Angelicus, ita moribus juvenilis in medio lapidum imbre seu grandine pro Christo patienter tolerata, eo præcisè tempore quo ad Magistri sui exemplũ pro suis precatur lapidatoribus, cum illi aperitur cœlum, atq; in gloria Christum videt, adhuc timet, eo q adhuc vivat, & nos tot peccatis circumdati, totq; periculis expositi adeo confidentes erimus? Audeamusne ita esse animosi, tam exiguis præditi meritis, imo tot demeritis obnoxii? *Cum timore & tremore vestram salutem operamini.*

33. Supersunt postremo loco ea quæ sperare debemus: *Speranda.* O Christiane, quantopere te animare merito deberent dulces & gratæ spes vitæ futuræ? Hæ sunt quæ bene impensos videri faciunt omnes labores, omnesq; bene sparsos sudores. Hæ nullam in virtutum via difficultatem experiri permittunt. Nam ut dicit Author Epistolæ illius, quæ reperitur inter opera S. Hieronymi, ad amicum ægrotum, *Exiguum temporis perituri æternitatis est pretium. Devotio tribulationis reddetur sempiternis fructibus fœcundata.* Modicissimum punctum æternitatis est pretium & tribulatio devote tolerata, fructibus sempiternis reddetur fœcunda. Nullus unquam fuit in Ecclesia Dei, nec inter antiquos illos veteris legis venerabiles Patres, qui magna hac recogitatione remunerationis à DEO promissæ singulariter confortatus non fuerit? Adsit in rei istius testimonium, magni illius Prothomartyris egregium à S. Ambrosio adductum exemplum. Sanctissimus enim hicce juvenis in media horribilissima lapidum grandine tremendos illos non persensit ictus, qui illis quoque horrorem incutere potuissent, qui nullo timoris sensu præditi fuissent, idque non ob aliud nisi quia *vidit Cœlos apertos. Videbat Cœlos apertos, ideo lapidum ictus non sentiebat.* A Stephano disiungi aut dissociari nequit Magnus ille Laurentius, qui flammis totus ustulatus Paradisi nihilominus persensit refrigeria, quia videlicet in Paradiso habitabat per contemplationem mentis. *Iam licet ante pedes Tyranni exusta caro* (est sententia ipsiusmet Ambrosij Serm. de Grano synapis) *& corpus exanime, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cujus Animus demoratur in Cœlis.* O charum solatium! Corde stemus in Cœlo affixi, ne corpus dolorem patiatur in terris, per dulcem hancce memoriam, omnis tem-

Lib. 2. epist. 36.

temporalis boni obliviſcemur, omniumque amaritudinum præſentium, & velut minima quædam guttula in immenſo Oceano abſorpta erunt & annihilata: *Nihil detrimenti patitur in terris, cujus animus demoratur in Cœlis.*

34. Eodem prorſus modo ſuis in tribulationum ærumnarumque procellis & tempeſtatibus, juſti gubernabantur Veteris Teſtamenti. In promptu namque eſt generoſiſſimæ Machabœorum matris Exemplum, cujus apud omnes ſapientes ſumma ſemper extitit admiratio, utpote quæ non ſolum Lanienæ ſeptem filiorum ſuorum ſpectatrix aſtitit, ſed & quemlibet eorum ſeorſim ſua verborum efficacia, ad patientiam ipſamet exhortata, atque poſt chariſſimorum pignorum ſuorum palmas, ipſa utpote majoris præ omnibus meriti, veluti ſexus ſui Naturæque victrix & triumphatrix coronata fuit. Sed paucis velim à S. Chryſoſtomi docente calamo, idipſum accipe, quocum ipſa atrociſſimos ſuos mitigavit dolores: *Videbat infra ſe tormenta & numerabat ſupra ſe bravia: Videbat præſentem cruciatum, & cogitabat futuram immortalitatem.* Oculum ſuum non ad id duntaxat, quod in præſenti patiebatur, ſed ad id quoque quo in æternum fruitura erat dirigebat, conſiderabat quidem tormenta, ſed gaudia quoque reſpiciebat, illa temporalia, hæc ſempiterna. Verum enimvero nequaquam omittendum nobis eſt optimi Moyſis exemplum, qui cum Divina ſcriptura teſte, à Pharaonis regis filia, in hæredem adoptatus in regnum Ægypti potentiſſimum potuiſſet ſuccedere, poſtquam cum ætatis incremento, auctus quoque in ipſo fuiſſet rationis vigor, animique ſenſus, ſe filiæ Pharaonis, filium nequaquam eſſe libere proteſtatus eſt. Sed ehem ecquid facis ô ſancte Moyſes? Noſtine quanti interſit integro cuidam renuntiare regno? Et quidem Regno tam amplo tam magnifico, tamque potenti ac opulento? Cave ſis ne te aliquando vehementer pœniteat, quod tam fœlicis fortunæ favores altiùs non ſuſpexeris, aut maioris æſtimaris: *Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* O novum & hactenus inauditum conſilium! Moyſes grandis factus renuntiat divitiis, honoribus, pompis, delitiis, ſubditis, ſervorum obſequiis, palatiis, purpuris, auro & gemmis, & ut uno verbo cuncta edicam, integri cuiuſdam regni omnibus bonis. Sed quis altam adeo cogitationem menti ipſius ſuggeſſit? Quis ipſi rem tam magnificam, cuiuſmodi integrum aliquod florentiſſimumque regni Dominium erat, tam parvi æſtimare perſuaſit? Ecce tibi in promptu ſacræ ſcripturæ reſponſum: *Aſpiciebat enim in remunerationem.* Et prout inquit

Hom. 4. de verbis Iſaiæ.

Heb. 11.

inquit Chrysostomus: *Cœlo proposito, erat supervacaneum admirari regiam Ægypti.* Ad cœli conspectum omnium regnorum terræ huius evanescebat obtutus; atque post promissa adeo magnifica posthabuit pedibusq; substravit quicquid quævis promittere potuit fortuna quantumvis favens & propitia. O Christiane quantum in humanis prævalet pectoribus Paradisi conspectus, nec non & magnæ illius spei memoria venturum aliquando diem illum quo videatur à nobis possideaturque à nobis Deus. Cum hac igitur gratissima spe vos dimitto, dilectissimi, atque identidem repeto, fore ut si hanc vestris in cordibus foveatis continuo, insuperabilem pariter in iisdem experiamini fortitudinem, nobilemque ac generosum omnis creati boni contemptum. Cœli deinceps memores estote, rerumque terrenarum memores minime eritis. Sit memoriæ vestræ infixa æternitas, moxque nihili facietis omne quod subjacet tempori. Viva sit in vobis mercedis memoria, morieturq; in vobis confestim mundus, & quicquid possidet mundus.

FINIS.



INDEX I.

Argumentorum quæ singulis præfixa sunt Concionibus.

Feria IV. Cinerum

THEMA.

Olite thesaurizare vobis thesauros in terra. Matt. 6. v. 19.

ARGVMENTVM.

Bona terræ hujus tribus subjecta sunt prædonibus illa continuo inuolantibus vanitati videlicet, afflictioni & inconstantiæ.

Feria V. Cinerum

THEMA.

Amen dico vobis non inveni tantam fidem in Israhel. Matth. 8. v. 10.

ARGVMENTVM.

Comparationes instituuntur inter sãctitatem Synagogæ & Ecclesiæ, atque ex iisdem ostenditur, Deo à Christianis meliorem exhiberi servitutem quam ab Hebræis.

Feria VI. Cinerum

THEMA.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Matth. 5. v. 44.

ARGVMENTVM.

Amandus est inimicus quoniam is qui id præcipit est Dominus, sapiens, Benefactor, Auxiliator & amoris illius exemplar.

Dominica I. Quadragesimæ.

THEMA.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Matth. 4. v. 1.

ARGVMENTVM.

An t ntationes tamquam jacturæ occasiones sint fugiendæ, an vero tãquam materia lucri consectandæ sint?

Item. An à Deo permissæ sint veluti infortunatorum infaustum, an verò veluti faustum fælicium omen.

Feria II. post Dominicam I. Quadragesimæ.

THEMA.

Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Matth. 25. v. 31.

ARGVMENTVM.

Inter omnes pœnas extremi judicij maxima, quam reprobi sustinebũt, erit conspectus seu visio Christi, quando scilicet, reprobus culpabilẽ sese deprehendet ante Judicem offensum, reum in conspectu iracundi Principis, infirmum ac debilem coram facie cujusdã luctatoris omni-

a potentis,

Feria II. post Dominicam IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes ejecit de templo. Joan. 2. v. 15.

ARGUMENTUM.

Flagella quibus ferimur à manu Domini, non sunt flagella, sed quasi flagella. 1. quia non sunt mala. 2. quia sunt bona. 3. quia nihil mali faciunt. 4. quia multum efficiunt boni. 5. quia magnum malum impediunt. 6. quia infinitum pariunt bonum.

Feria III. post Dominicam IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Ascendit JEsus in templum & docebat & mirabantur Judæi, Joan. 7. vers. 15.

ARGUMENTUM.

Doctrina quam Christus de cœlo in terram adfert, plena est veritate, bonitate, & dulcedine.

Feria IV. post Dominicam IV. Quadrag.

THEMA.

Præteriens JESUS vidit hominem cæcum à nativitate. Joan. 9. v. 1.

ARGUMENTUM.

Spiritualis cæcitas mentis malum quoddam est, quod omnis boni impedimentum est, imo malum quod in se omne malum continet, & quæ sit tam funesti mali causæ.

Feria V. post Domin. IV. Quadrag.

THEMA.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat. Luc. 7. v. 12.

ARGUMENTUM.

Corporalis mortis memoria, causa est duplicis vitæ animæ, scilicet vitæ gratiæ, & vitæ gloriæ.

Feria VI. post Domin. IV. Quadrag.

THEMA.

Erat quidam languens lazarus à Bethania. Joan. 11. v. 1.

ARGUMENTUM.

Discurritur hac concione circa tria prodigia quæ in hodierni Evangelij historia cernuntur, cujusmodi sunt. Amans quidam qui odit: mortuus qui vivit, hilaris & jucundus, qui luget & plangit.

Dominica Paßionis.

THEMA.

Quis ex vobis arguet me de peccato, Joan. 8. v. 46.

ARGUMENTUM.

In eminenti gradu in Christo simul fuerunt, sanctitas morum & doctrinæ veritas quæ sunt duæ proprietates cuivis magistro & legis divinæ prædicatori maximè necessariæ.

Feria II. post Domin. Paßionis.

THEMA.

Quæretis me & non invenietis, Joan. 7. v. 34.

ARGUMENTUM.

Undde nascatur quod cum Deus tantoperè à peccatoribus inveniri desideret, ut suam illis conferat gratiam ab ipsis tamen postea cum studio quæsitus minimè inveniatur.

Feria III. post Dominicam Passionis.

THEMA.

Erat dies festus Judæorum scenopegia &c. Vos ascendite ad diem festum hunc. Joan. 7. v. 2. & 8.

ARGUMENTUM.

Deus per celebrationem festi Tabernaculorum insinuare voluit quod non habeamus in hoc mundo manentem civitatem sed illam quærere debeamus in futuro seculo.

Feria IV. post Dominicam Passionis.

THEMA.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & vitam æternam do eis. Joan. 10. v. 27. & 28.

ARGUMENTUM.

Prædestinatus ad gloriam electus est sine respectu ad merita, non tamen sine meritis glorificatur: Vocatus est per efficacem gratiam, sine tamen violentia voluntati illata ad effectum, cum securitate obtinendæ salutis, sed cum sollicitudine & salutis timore.

Feria V. post Dominic. Passionis.

THEMA.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7. vers. 47.

ARGUMENTUM.

Maria Magdalena est novus quidam gratiarum mundus, in quo tria consideranda veniunt, à quibus magnopere à Deo qui illius est Author, commendatur, videlicet, quid sit, quomodo sit, & quo fine factus sit.

Feriâ VI. post Dominic. Passionis.

THEMA.

Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Joan. 11. v. 50.

ARGUMENTUM.

Morte Redemptoris liberatum est genus humanum à tribus generibus mortis, videlicet à morte naturæ à morte gratiæ: à morte gloriæ: ubi simul declaratur, quam perniciosa sit falsa illa ratio status, qua cum ipsius Dei injuria, proprium interesse procuratur.

Dominica Palmarum.

THEMA.

Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit

venit tibi mansuetus. Matth. 21. vers. 5.

ARGUMENTUM.

Christus Redemptor noster triũphat moriens, mundus dum triumphum exhibet, infert mortem.

Feria II. Hebdomadæ Sanctæ.

THEMA.

Ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, &c. fecerunt autem illi cœnam ibi. Joan. 12. vers. 1. & 2.

ARGUMENTUM.

In Sanctissima Eucharistiæ institutione Christus ut homo omnes veræ amicitiæ leges observavit.

Feria III. Majoris Hebdomadæ.

THEMA.

Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. Joan. 19. v. 25.

ARGUMENTUM.

Mater Dei in filij sui passione quatuor tortores habuit, naturam scilicet, gratiam, sensum, & rationem.

Feria VI. Parasceves.

THEMA.

Passio Domini nostri Jesu Christi.

ARGUMENTUM.

Redemptor noster, conformiter illis Apostoli verbis: *Exinanivit semetipsum*, quinque rebus exinanitus est scilicet: Lætitia cordis, claritate honoris, salute corporis, pulchritudine aspectus, & vitæ thesauro.

Dominica Resurrectionis.

THEMA.

JESUM quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Marci. 16. v. 6.

AGRUMENTUM.

In gloriosa resurrectione sua Christus recuperavit, quidquid perdiderat in acerbissima sua passione.

Feria II. Paschæ.

THEMA.

Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Luc. 24. vers. 26.

ARGUMENTUM.

Via vitæ nostræ consideratur, quæ est passio, & terminus qui est fruitio. Ostenditurque non esse condignas passiones præsentes ad futuram gloriam.

Feria III. Paschæ.

THEMA.

Stetit JESUS in medio Discipulorum suorum, & dixit eis pax vobis. Luc. 24. v. 36.

ARGUMENTUM.

Vulnera Redemptoris cœli terræque pacem obtinuerunt fidelibus. Denique in fine ad honorem quinque vulnerum, quinque distribuuntur memorialia.

FINIS.



INDEX II.

INDEX II.

Rerum & Verborum notabilium.

Christus

Divitiæ.

Doctrina Christi.

Ebrietas

E.

Ebrietas Spiritualis.

Ecclesia.

ELIAS.

ELISEUS.

Eleemosyna.

Errores mundi.

Eruditio.

Æternitas.

Eucharistia.

Exemplum.

Gentiles.

Gloria.

Gratia.

Mera

H.

Hæretici.

Hebræi.

Heliogabalus.

Hilarion.

Homo.

Honor.

Himilis, Humilitas.

I.

Ignorantia.

Infirmitas.

Infernus.

Lex

Occasio.

Palestina.

P.

Palæstina.

S.Paulus.

Pambo.

Passio D.N. Jesu Christi.

Passio sive dolores.

Peccatum.

Pellicanus.

Pœna.

Pœnitentia.

Sacrifi-

T.

F I N I S.



INDEX III.

Locorum sacræ Scripturæ.

24. 10. Et

28. Posuisti

15. E legit

Libri Psalmorum.

Libri

Libri

Libri Sapientiæ.

Libri Ecclesiastici.

Prophetiæ Isaiæ.

12.1.Con-

Prophetiæ Jeremiæ.

Prophetiæ Baruch.

Prophetiæ Ezechielis.

Evangelij S. Lucæ.

Evangelij S. Joannis.

Actuum Apostolorum.

Epistolæ ad Ephesios.

Epistolæ ad Philippenses.

Epistolæ ad Colossenses.

Epistolæ ad Tessalonicenses primæ.

Epistolæ ad Timotheum.

Epistolæ ad Hebræos.

Epistolæ B. Jacobi.

Epistolæ B. Petri primæ.

Epistolæ B. Petri secundæ.

Epistolæ

FINIS.





Index IV. pro Concionatoribus.

Dominica I. Adventus
Secundum usum Ecclesiæ Romanæ.

THEMA I.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & Maiestate, Luc. 21. v. 27.



Nter omnes pœnas extremi Iudicii, maxima, quam reprobi sustinebunt, erit conspectꝰ seu visio Christi, quando scilicet reprobus culpabilem sese deprehendet ante Iudicem offensum: in conspectu eius velut iracundi principis reum: infirmum ac debilem coram facie cuiusdam Luctatoris omnipotentis: derelictum denique ac desolatum coram tribunali Dei inexorabilis. *Vide Concionem. V. in Fer. 2. post Dom. I. Quadrag. per totam.*

THEMA II.

Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium. Luc. 21. v. 25.

Per Solem, Lunam, ac stellas intelligitur status Episcoporum, Sacerdotum, & Prædicatorum, in quo statu si notæ deprehendantur scandali & offensionis, sive in moribus, sive in doctrina, non potest non serpere malum istud in communem totius commissæ plebis pernitiem. *Vide Conc XII. sive in Fer. III. post Dom. II. Quadrages. part. 2. à n. 20. usq; ad 26.*

THEMA III.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & Maiestate. Luc. 21. v. 27.

Ecclesia duo nobis hodie proponit extrema, Dei videlicet misericordiam & iustitiam, ut peccatores convertat. Dei quidem misericordiam, recolendo Adventum Christi in carnem, quem hodie celebrat: Iustitiam vero dum in Evangelio hodierno proponit fidelibus adventum Christi ad iudicium. *Vide hac de re Conc. VII passim per varios numeros, præcipuè vero parte 2. à num. 27. usque ad finem.*

Dominica II. Adventus.

THEMA I.

Quid existis in desertum videre? Matth. 11. vers. 7.

Mundus est verè desertum quoddam. *Conc. I. num. 7.*

In hoc deserto frustra boni aliquid quæritur; nullum enim in eo bonum securum est, siquidem à tribus prædonibus bonis nostris insidiantibus, infallibiliter diripitur; vanitate, scilicet, afflictione, & inconstantia. *Conc. I. per totam.*

THEMA II.

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, Matth. 11. v. 2.

Notanda sunt in nascente Ecclesia quinque stupenda prodigia videlicet: quod filii eius mortis condemnati fuerint, & innocentes exciterint: velut victi succubuerint, & tamen ut victores triumpharint: totaliter destructi ac interneci oni traditi, & tamen mirabiliter multiplicati: per laceratam & temeratam famam traducti & infamati, & tamen mirificè evaserint gloriosi: in tribulationibus denique gaudio excessivo fuerint repleti. *Vide Conc. XV. per totam.*

THEMA III.

Cæci vident. Matth. 11. v. 5.

Verum est istud non tantum de corporaliter cœcis, sed etiam de iis, qui spiritualicœcitate obnoxii sunt, ideoque maximum profectò incarnati verbi beneficium est. Nam spiritualis mentis cœcitas, malum quoddam est, quod omnis boni est impedimentum, & malum quoddam omne in se malum continens. *Vide Conc. XXV. per totam.*

Dominica III. Adventus.

THEMA I.

Miserunt Iudai ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eū: Tu quis es? Ioan. 1. v. 19.

D. Ioannes de maxima & suprema apud Iudæos dignitate, Messiæ videlicet, rogatus, nō frigide aut fluctuabunde, sed rotundè & constanter negat se illum esse, quem illi arbitrabantur; Egregio profectò nobis relicto exemplo, omnem huius sæculi vanum honorem & gloriam minimè ambiendi. Omnis enim honor mundanus, vanus est, & pernitiosus. Van⁹ quidem, quia monstrat quod non est; De eo se iactat quod non habet: promittit quod non dat: pernitiosus autem, quia in bonis nocet temporalibus pariter & æternis. *Vide Conc. XIII. per totam.*

THEMA II.

Miserunt Iudai ab Hierosolymis, &c. ut supra.

Perfidia Hebræorum ostenditur inexcusabilis, dum non recognoverunt Redemptorem & verum Messiam, quem tamen Scripturæ de ipso loquentes illis manifestabant; Deinde doctrina quam sparsit; Exemplum quoque quod exhibuit. Item miracula, quæ operatus est; ac deniq; corporalis præsentia qua se videndū præbuit. *Vide Conc. II. per totam.*

THEMA III.

Tu quis es? Ioan. 1. v. 19.

Salutaris omnino interrogatio est, qua quisque semetipsum interrogat: *Tu quis es?* Per hanc namque addiscitur sublimior Philosophia quæ in mundo doceri posset, videlicet perfecta & profunda suiipsi⁹ notitia, homini humiliando, atque intra rectæ rationis limites coercendo tantopere, &c. Quodsi igitur quæsieris te: *Tu quis es?* Veritas absque fuco respondit tibi *imo vanitas. Conc. I. n. 4. 5.* Mendacium. *Ibid. n. 6. 7. & 8.* Pulvis. *num. 9.* Somnium *num. 10.* Ebrii hominis phantasma. *num. 11.* Nomen sine re. *num. 12.* Imo apud Deum sine nomine. *num. 13.*

Dominica IV. Adventus

THEMA I.

Pradicans baptismum pœnitentia in remissionem peccatorum Luc. 3. v. 3.

Congruè S. Ioannes Baptista officium prædicationis suæ exorsus est à prædicatione pœnitentiæ, nam tanti illam Christus fecit, ut ad persuadendam illam hominib⁹, totā dixerit sanctissimæ vitæ suæ œconomiam. *Conc. VII. num. 5.* Supramodum autem mirandum est, quomodo illam Christus nobis efficaciter non persuadeat, cum Ionas, quo Christus longè maior est, illam Ninivitis persuaserit pauculis hisce verbis: *Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur. Conc. VII. nu. 2. 3. & 4.*

THEMA II.

Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Luc. 3. v. 4.

Optimus præparandi viam Domini modus est vera & syncera peccatorum suorum sacramentalis Confessio. Nam ut S. August. *in Psal. 84* dicit: *Confitere vitam, & aperis viam.* Sicut enim peccatum cōmittens, Deum à te expellis, ita peccatum confitens, efficis, ut Deus ad te iterum revertatur. *Conc. XVI per totam.*

THEMA III.

Erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Luc. 3. v. 5.

Lex Dei suavitatis, & dulcedinis est plena, ideoque observatu est facilis, quia lex est amoris: Econtra difficiles & laboriosæ sunt mundi leges utpote pro servis & mancipiis conditæ. *Conc XIX. sive in*

Fer.

Fer. IV. post Dom. III. Quadragesimæ per totam.

Vel sub eodem themate.

Ostendere potes qualiter sacramentalis Confessio (ad quam hoc tempore pro instanti Natalitiorum Domini festo hortandi sunt fideles) efficiat ut prava sint in directa, & aspera in vias planas, quia peccatum quod ante Confessionem nigram reddebat animam, per Confessionem eandem ita facit formosam ut ipse quoque cœli Rex eandem vehementer diligat & concupiscat Deoque singulare festum seu gaudium pariat. *Conc. XVI. per totam.*

In Solemnitate Nativitatis D. N. IESV Christi.

THEMA I.

Verbum caro factum est. Ioan. 1. v. 14.

Si unquam alias, hodie certè quam maximè illud Prophetæ, in divinæ pietatis clementiæ commendationem pronuntiatum, adimpletur oraculum. Psal. 25. v. 3. *Etenim misericordia tua ante oculos meos est.* Qui enim divinæ magnitudinem misericordiæ oculis suis videre, & quasi manu sua palpare desiderat, ad tugurii Bethlehemitici stabulum hodie mecum accedat, ibidemque incarnatum contempletur verbum, pannis involutum & repositum in præsepio, filium inquam Dei vivi unigenitum, qui ut hominem quæreret & salvaret, factus est homo mortalis, seque infinitis laboriosissimæ vitæ nostræ miseriis supposuit? Quis unquam de infinita Dei misericordia tantum sperare potuisset beneficium? si Angelorum sanctorum exercitus tantam dignatus fuisset exhibere gratiæ & clementiæ ubertatem, capere fortasse id aliquis posset, sed quod hominem impium, & damnatum peccatorem tantopere dignetur quis id capiat? quis credat? aut quis non vehementer attonitus obstupescat? *Quid est homo quod memor es eius?* dicebat Rex sanctus. *Psal. 8. v. 5. & Psal. 143. v. 3 Quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eum? Quid est homo?* Quis dicere audeat hominem inconstantiæ pelagus esse, abyssum errorum, miseriarum chaos quandam immunditię sentinam, pravæ fornacem concupiscentiæ, fortunæ ludibrium, temporis servum, mortis denique esse tributarium? vis nosse quid sit homo? in carne infirmus est, inordinatus in spiritu, in sensibus cœcus, bestialis in affectibus, in cogitationibus vanus, temerarius denique in operibus. Homo ingratus est erga beneficia, ad pia monita surdus, refractarius sub flagellis, in servitiis infidelis, perfidus in promissis, pertinax in periculis, in propositis instabilis, velox ad culpas, ad virtutes tardus, &c. *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos*; imo homo & ipse fieri & nasci, &c. *Conc. XXI. nu.* 1. 2. 3. 4. 5. *& seqq.*

THEMA II.

Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio. Luc. 2. v. 13.

Optime S. Cyprianus Martyr. *Serm. de Nativit. Domini* notat, quod in spelunca, in qua nascitur Dominus, & in qua primum in mortalitatis nostræ stadiũ gressum fixit, nec aulæa sive tapetes aderant, nec gemmæ, nec aurum, nec ornatus, nec aulici, nec ulla Maiestatis species. Cuius ipse hanc assignat rationem anagogicam; Quia videlicet hæc omnia eo in loco prorsus fuissent inutilia, quando spectatores in sola Christi nati contemplatione omne suum occupatum tenebant intuitum. Ea ipsissima eius verba: *Ornamenta, inquit, quæ deerant, etsi adessent, non haberent oculos inspectores, quia præsentia parvuli sic eorum, qui aderant, oculos occupabat, ut in hoc summo bono omnium bonorum unita collectio videretur, nec opus esset evagari, & mendicare per partes, quod semel in se uno fidelibus omnipotens instantia præsentabat.* Deduci hæc pulchrè poterunt ex *Concionis VII num.* 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. *&c seqq.*

THEMA III.

Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Luc 2. v. 11.

Congrue Angelus Domini, verbũ Dei

incarnatum, vocat salvatorem, seu sanatorem. Venit enim de cœlo tanquam magnus Medicus, qui ut nos sanaret medicus ipse ipsam se medicinam fecit imo & æger fieri voluit. *Mirabile plane*, ait Augustinus serm. 19. de Sanctis, *& incomparabile genus Medicinæ, propter quam Medicus voluit ægrotare, & ægrotos ipsos, quibus salutis remedium procuravit, sua decrevit infirmitate curare. Quemadmodum igitur scorpionum carnes oleo coctæ, percussionibus medentur scorpionum, & theriaca de serpentis carne confecta morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas in potu sumpta expellit, sic carnem nostram de serpente percussam sua carne Medicus sanavit.* Hæc Augustinus. Atque ex eadem consideratione Theodoretus *lib. 6. de curat. Græc. affectionum* sic scripsit: *Medicos eos maxime laudare solemus non qui nos quidem suis ministris curandos committunt: sed qui pallium deponunt, interulamque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, ulcusque si sit opus, incidunt, neque fœtorem ulceris aversantur, imo vero profluentem saniem excipiunt spongiaque inspergunt, & unguenta compingunt, aliaque remedia multa cōficiunt, quæ adhiberi medicinæ lex iubet.* At sic Christus nos sanare voluit, ut non Angelis, non aliis hominibus sanandos cōmitteret, sed in propria persona, exinaniens seipsum, & humilians usque ad mortem mortem autem Crucis sic salutem nostram operatus sit in terris. Quatuor autem potissimum plagis Naturæ humanæ à peccato inflictis, videlicet infirmitati, ignorantiæ, malitiæ & concupiscentiæ medetur. *Vide Conc. IX. sive in Feriam VI. post Dom. I. Quadragesimæ per totam.*

In Festo S. Stephani Prothomart.

THEMA I.

Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7. v. 60.

Amor est totius summa Evangelii, unica Christianæ perfectionis regula, singularis discipulorum Domini tessera, cunctarum forma virtutum; Finis legis, in quem omnes incarnati verbi actiones collimant. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur & ardeat?* inquit Christus Salvator noster. Pulcherrima certe flamma est, quæ ex Clybano erumpit sancti amoris, quæ non consumit sed perficit, non obfuscat sed illuminat, non defœdat sed exornat, non annihilat, sed educit ex nihilo. Absque huius societate amoris virtutes in vitia degenerant sanctitas vertitur in hypocrisin, atque suavis filiorum lex in gravissimum servorum iugum commutatur. Hic amor tunc luculenter in Christiano pectore ardere dignoscitur, cum non in amicos solum extenditur, sed & inimicos amplexatur, cum illo non duntaxat qui benefaciunt diliguntur, sed & ii qui ad internecionem usque te persequuntur. Hoc amore exarsit Apostolicum illud S. Stephani prothomartyris pectus, quando in turbulentissimo illo lapidum imbre quo à perfidis Hebræis ad mortem usque obruebatur, pro se lapidantibus Dominum deprecatus est, dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum, &c.* Quod utique tum ex ore Christi crucifixi in cruce pro crucifixoribus ardentissime Patrem suum cœlestem rogantis didicit tum ex eiusdem cœlesti doctrina, qua omnibus fidelibus præcipit Matth. 5. v. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quæ late exponitur *Conc. III. per totam.*

THEMA II.

Domine IESV suscipe spiritum meum. Act. 7. v. 59.

Refert S. Augustinus *lib. 21. de Civitate Dei*, fuisse suo tempore virum quendam gentilem, ac cœci Paganismi immersum superstitionibus; Pro quo ad veram fidem inducendo, quædam eius filia, quam habebat, una cum marito suo, ambo Christiani, industriè laborarunt, tametsi ob extremam perversi illius obstinationem, aliquanto id tempore factum sit frustra. Tandem vero id quod aliis mediis

à Deo

à Deo obtinere non poterant, ad altare D. Prothomartyris Stephani impetrarunt. S. Augustinus autem qui factum istud recenset, insuper addit, hominem istum tametsi paganum toto tamen vitæ suæ decursu, in omnibus operibus suis consuetudinem habuisse dicendi ultima verba, quæ S. Stephanus moriens dixerat, tametsi nesciret illa iam dicti Sancti postrema verba fuisse: *Hoc quamdiu vixit, in ore habebat: Christe accipe spiritum meum.* O pulcherrimam orationem, filiisque Ecclesiæ dignissimam: *Domine accipe spiritum meum.* q. d. per me liceat aliis, ut cum Salomone integros Maiestati tuæ offerant pecorum greges, sive boum armata, mihi: mihi satius videbitur, ut puros tibi offeram spiritus mei affectus, satis enim iam novi, quantopere hisce præ illis delecteris: *Domine accipe spiritum meum.* Largiantur tibi alii ingentiū thesaurorum suorum divitias: ego vero cor meum dabo tibi, scio enim quod hoc ipsum à me pro benignitate tua thesauri loco habere dignaberis: *Domine accipe spiritum meum.* Pluribus aliis liceat altaria tua magnificis vereque regiis onerare victimis: ego unica & sola devoti animi victima superare cunctos potero. *Domine accipe spiritum meum.* Et verè ita est; displicet namque Deo omnis illa sanctitas quæ consistit in carne, & non in corde; in vestimento & non in mente; in specie & non in re; in apparentia & non in substantia, in divite dono, & non in syncero animo, in exteriori oblatione & non in interiori bonaque mentis intentione. Erat quidem synogogæ sanctitas olim superficialis tantum & externa, & ut S. Ambrosius in Lucam illam describit: forensi & perfunctoria specie compta, animo manebat interiore pollutior, nihil enim ad cordis culturam respiciens tota in ritibus & ceremoniis corporalibus & exterioribus occupata erat: sed non ita cum Ecclesia Christi sponsa res se habet, de qua regius Propheta dicit: *Omnis gloria filiæ regis ab intus. Vide Conc. II. à num. 2. usque ad num. 8.*

THEMA III.

Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt. Matth. 23. v. 7.

Verba illa Ecclesiastici 3. v. 2. *Tempus nascendi, tempus moriendi.* S. Hieronymus de Ecclesia exposuit: Eo namque tempore quo Ecclesia gentilismum in Christo genuit, synagoga in filiis suis occidit & interiit: *Ex eo tempore*, inquit Hieron. in cap. 5. Michеæ, *quo ex sterili natus est gentilis populus filios amisit synagoga.* Verum melius ad præsens propositum nostrum eadem verba: *Tempus nascendi, tempus moriendi*, explicabimus, si dicamus, tempus moriendi revera extitisse Ecclesiæ tempus pariendi, mors enim unius, aliorum centenorum fidelium est partus. Idque est quod alibi dixit scil. quod patiendo magis quam faciendo contumeliā Christi fundata est Ecclesia. *Persecutionibus erevit, martyriis coronata est*, inquit epist. 62. ad Theoph. *Ad instar vinearum* inquit S. Iustinus Dialogo cum Tryphone, *quæ dum putatur, ipsa fœcundior redditur: ut enim vineæ putatione ad ubertatem provocantur, ita Ecclesia persecutionibus crescit.* Patet idipsum hodie in martyrio gloriosissimi Archilevitæ Stephani, cuius occasus ortus fuit S. Apostoli Pauli, & per illum tot Ecclesiarum quas ipse Apostolicis sudoribus suis fundavit & erexit. *Vide Conc. XV. num. 13. usque ad num. 17.*

In Festo S. Ioannis Apostoli & Evangelistæ.

THEMA I.

Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat IESVS. Ioan. 21. v. 20.

Magnam & inexplicabilem in se dignitatem continent quibus S. Ioannes Apost. & Evangelista vocatur discipulus ille quem diligebat IESVS. Nihil enim dici aut excogitari potest sublimius sive in cœlo sive in terra quam à Deo opt. Max. diligi, illiusque amicum. *Vide Conc.*

 XXVIII.

XXVII. *num.*2. ubi magna cum emphasi ponderantur illa verba Cant 5 *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus.*

THEMA II.

Qui & recubuit in Cœna super pectus eius. Ioan. 21. v. 20.

Quicquid in sancto Ioanne est sanctimoniæ, sapientiæ aliarumque Apostolicarum virtutum, id totum ex Dominici pectoris fonte potavit. Nec mirum. Vix enim sanctissima Christi à quocunq; homine tacta est, quin semper miros admodum in eodem homine produxerit effectus. *Sic* enim pusio quidam in ventre matris reclusus, illum sibi sentit vicinum & subito exultat. Dum in Virginis matris gremio reclinatus, à tribus orientalibus Regibus conspireretur, mox hi coram illo in genua provoluti, atque cœlesti ipsius effigie & corporis elegantia capti, venerandas illius exosculantur fascias laceras licet & miseras. Seniculus quidam decrepitus mox ut in ulnas suas ipsum adhuc infantulum accepit, reiuvenescens cygneum illud modulatus est Canticum, *Nunc dimittis* Mulier quædam samaritana in flagitiis inveterata, postquam semel duntaxat illius est dignata alloquio, magnalium suorum deprædicatrix mox efficitur. Meretrix quædam benedictis eius pedibus os suum admovet, moxque illi⁹ capta & incatenata tenetur amorib⁹, &c. *Vide Conc. XI. num.* 24. & 25.

THEMA III.

Filioli, diligite alterutrum; Præceptum enim Domini est, quod solum si observaveritis sufficit. Apostolo digna sententia.

Prætacta verba Thematis S. Ioannes Apostolus in quotidianis exhortationibus ad fastidium usque semper & identidem repetere solebat; Causamque illius interrogatus respondit: *Quia præceptum Domini est & si solum fiat sufficit.* Optima certe & Apostolo tanto dignissima responsio, nam uti gravissima illa Salomonis habet sententia: *Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia Legum.* q. d. Custos observantiæ legũ, amor est, qui omnẽ debilem reanimans & pristino vigori restituens, illum supra vires facit audacem. Charitas sacra claustra ingreditur, ibidẽque dulcem omnino facit regularem observantiam: Curias penetrat, inibiq; monasticam introducit pietatem. Cum potẽtatibus & nobilibus cõversatur, eosdemq; humilitatem docet evangelicam: in nobilium se domicellarum gynecæa insinuat, & masculum illis animi vigorem inserit. Inter iuveniles sese miscet ardores, efficitque ut suaviores illis crucis videãtur fructus, quam delitiæ carnis. In carceres penetrat, eosdemque mox in nuptiales cõmutat thalamos: ad eremos transit, easdemque in delitiarum convertit Paradisum, &c. *Vide Conc. XIX. n.* 13. Quia amanti nihil est difficile. *Conc. ead. n.* 2. & *seqq.*

In Festo Sanctorum Innocentum.

THEMA I.

Et mittens Herodes occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & omnibus finibus eius. Matth. 2. v. 16.

Herodes regni ambitione stimulatus, turpissimum supra omnes homines aggressus est nefas, ut lactantes interficeret pueros. Quod eleganter ponderat Origenes. Hom. 3. in divers. *Multi*, ait, *multas iniquitates facere festinarunt, iste autem nequissimus Herodes in pestifero ambitu cordis sui, omnium facinorum crimina supergressus est.* Imo ut vult Rupertus *lib.* 2. *de victoria verbi cap.* 2. & *Albertus Mag.* aiunt, quod cum facultate Augusti Cæsaris hanc infantium cædem perpetraverit; scripsit enim Herodes ipsi Nativitatem pueri: & quomodo à Prophetis Rex totius mundi prænuntiabatur, & hanc infantium occisionem ad eius mortem oportunum esse remedium, Romanique Imperii conservationi maximè cõgruum.

gruum. Quod licet ex una parte mihi videatur repugnare cum magna Augusti clementia; Deinde quia sicut Herodes sine eius licentia multos nobiles Iudæos interfecit, ita & pueros. Tandem repugnat cum illo Cæsaris dicto, ut refert Macrobius *lib.* 4.*cap.* 4. *Præstant*, ait, *esse porcum Herodis, quam filium.* Ex altera tamen parte in hominibus ambitiosis minime mirandum est quod hoc pessimo vitio ducti turpissimum scelus respuerent nullum. Quid enim non parit pestilentissima ambitio. *Vide Conc. XIII. num.* 12. *& seqq.*

THEMA II.

Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, &c. Matth. 2. v. 16.

Existimabat Herodes quod Magi regia dignitate ac sapientia inclyti eum offenderant, adversus eos tamen nec fremit, nec excandescit, sed contra imbelles infantes armatur. Cur ita? ℟. Herodes in Magis se videt illusum quo regalis honor ac Reverentia videbantur offendi: in pueris vero regnum vidit periclitari, & de hoc plus doluit, quam de illo. Avarus enim plus de bonis anxiatur quam de honore, pluris dominatum æstimat, quam omnem excellentiæ & Reverentiæ decorem. *Vide Conc. VI. num.* 4. *& seqq.*

THEMA III.

Vox in Rama, audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos & noluit consolari quia non sunt. Matth. 2. v. 18.

Quinam sunt hi filii quos Rachel plorat? Suppono Rachelem significare Ecclesiam. Hoc igitur supposito quæritur in Ecclesia lamentetur filios occisos, an vero occidentes? Quod Rachel lamentetur infantes interfectos est communis sententia D. Augustini *Serm.* 1. *&* 2. *de Innocentibus.* Basilii Seleuci *Orat. de pueris interfectis.* Origenis *Hom.* 3. *de diversis* D. Chrysost. *Hom.* 9. Sunt tamen gravissimi Patres qui existimant Rachelem seu Ecclesiã plorare hic filios suos scilicet ipsos persecutores & interfectores, quos per affectum vere esse suos optabat filios; & ita eos plorat, ut non velit consolari, eo quod non sint in æterna felicitate, sed in damnatione perpetua. Ita D. Ambrosius *in Psalm.* 37. *circa finem.* *Hic in Matth.* D. Anselmus, S. Paschasius, S. Thomas hic, Hugo & alii, inconsolabiliter enim æternaliter damnati deplorari merentur. *Vide Concionem XIV. passim per totam.*

Dominica infra octav. Nativitatis.

Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur.

Origenes, *Hom.* 17. asserit, quod tota vitæ Christi historia extitit signum cui contradixerunt Iudæi & hæretici, scilicet: quod Deus adveniret in mundum, & incarnatus esset: & Deus & homo extitisset sine confusione naturarum: quod ex virgine natus esset sine ope viri: quod verum corpus habuisset, quod multa miracula operatus esset, quod esset passus, mortuus, & crucifixus, ac resurrexisset. Hæc omnia fuerunt signa contradictionis Iudæis & hæreticis. Et huic accommodat D. Bonaventura illud D. Pauli ad *Hebr.* 12. *v.* 3. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini animis vestris deficientes.*

Recte quoque Isidorus clarius *Orat.* 12. explicat, quod hic Simeon accepit similitudinem à sagittariis, quando ad scopum collimantus; sicut enim ad iaculationem constituunt pro meta vel signo illud, quod in loco aliquo super omnia supereminet, seu albescit, seu florescit. Cum ergo inter omnia quę in hoc visa sunt terrarum

rarum orbe, Christus Dominus esset superexcellens, & divinitatis corona conspicuus, omnique virtute floridus appareret, ideo impii acuerunt linguas suas, ut sagittarent eum; & ita de se ait ipse. *Posuit me sicut signum ad sagittam. Thren. 3. v.12.* Et hoc valde frequens est, quod quanto quis aliis supereminet, tanto circa eum graviores tempestates excitentur. Vide de eminentia Christi super omnes *Conc. II præcipue num. 16.* De contradictione vide *ibid. num. 18. & passim.*

THEMA II.

Et tuam ipsius animam penetrabit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Luc. 2. n. 35.

Valde inter SS. PP. controvertitur, quid hic nomine *gladii* intelligatur? Et omissis opinionibus improbabilioribus primo Timotheus Hierosolymit. *Hom. de prophetia Simeonis*, gladium hunc intelligit dolorem illum, quem virgo sustinuit dum filium suum perdidit. *Luc. 2. v. 24.* Secundo D. Bern. *Serm. super cap. 12. Apocal* explicat gladium hunc fuisse verbum Christi, pendentis in Cruce: *Mulier ecce filius tuus. Ioan. 19.* dum nomen matris omisit, & pro filio dilectum discipulum dedit. Tertio, D. Bonavent. *hic* gladium interpretatur lanceam, qua Christus in Cruce iam mortuꝰ vulneratus est. Quarto Toletus vult gladium fuisse Crucem, in qua Christus Dominus pro nobis vitam dedit. Denique Quinto volunt alii, gladium hic dictum à Simeone, esse dolorem ex passione Christi in anima Beatissimæ virginis causatum. Ita D. August. *Epist. 59 ad S. Paulinum*, qui eum hac de re consuluerat. Epistola præcedenti 58. S. Hieron. *Serm. de assumptione Virginis.* Et est inter cæteras probabilissima. Tormenta enim illa, quæ corpus Christi in passione transfixerunt, Animam Virginis acerbissimo dolore vulnerarunt, sicut de Ioseph. *Psal. 104 v. 18. Ferrum pertransiit animam eius.* Vide hac de re fuse *Conc. XXXVI per totam.*

THEMA III.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. n. 35.

Dolores quos Beatissima Virgo in filii sui passione sustinuit, adeo fuerunt gravissimi, ut à SS. Patribus, non solum martyr, sed plusquam Martyr dicatur. Quæstio igitur nunc exurgit: Quare divina providentia ordinaverit, quod in Virgine, tam gravissimus esset dolor? ℞. Quia labores & angustiæ à Deo magni æstimantur, ita ut dilectis suis pro singulari beneficio concedantur. *Vide Conc. XXIII. passim per totam. & Conc. XV. num. 17. 18. & 19. & seqq.*

In Festo Circumcisionis D. N. IESV Christi.

THEMA I.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Luc. 2. v. 21.

Doctissimus Pater Ioannes da Sylveira Carmelita *in suis in textum Evangelicum Commentariis lib. 2. cap. 3. Q. 1. num. 4. in fine*, dicit quod Deus ideo forsasse decreverit sibi assumere carnem ex Hebræis, quia peculiariter hic populus inter omnes mundi nationes ritum circumcisionis retinebat, ut ita occasionem paratam haberet citissime pro nobis sanguinem suum dandi. *Vide Conc. XXXIV. nu. 18. & num. 9 10. 11. & 12. & seqq.*

THEMA II.

Vt supra.

Quamvis Dominus Legem voluerit observare disponentem, ut infans octavo circumcideretur die *Gen. 17. v. 12.* poterat tamen divina providentia ordinare, ut ante illud tempus advenirent Magi, ut mysterium tantum, admirabile nomen, eorum celebraretur præsentia. Cur igitur ita factum non est? Poterit responderi primo, quod tredecim dierum tempus Magorum itineri conveniens erat, & Deus ita gubernat, ut res quoad fieri potest suo ordini ac naturali concursui proportio-

portionetur. Sed melius mihi videtur responderi quod Christus in Magorum adoratione, ut totius universi supremus Dominus est recognitus, ipsique tanquã vero Salvatori munera ac primitiæ gentium erant offerendæ; bene ergo prius circumciditur, ut fiat manifestum quod ad dignitatis percipiendos fructus atque suavitates, prius sint molestiæ ac pœnalitates degustandæ. *Vide Conc. IV. præcipue num.* 14. *& seqq.*

THEMA III.

Vocatum est nomen eius IESVS. Luc. 2. v. 21.

S. Bernard⁹ *Serm.* 2. *de circumcisione* notat in hisce verbis dici, *vocatum est*, non vero *impositum est* nomen: *vocatum*, ait, *non impositum, nempe hoc ei nomen est ab æterno; à natura propria habet, ut sit Salvator; innatum est ei hoc nomen, non inditum ab humana vel Angelica Natura.* Ita S. Bernardus auree & melliflue, nec minus vere, nam hoc quod est salvare ingenitum est à Natura filio Dei, & ideo nomen hoc non dicitur impositum, sed vocatum. *Vide Concionem XXIX. num.* 8. *& sequentibus.*

In Festo Epiphaniæ Domini.

THEMA I.

Vidimus stellam in Oriente & venimus adorare eum Matth. 2 v. 2.

Ad populum Iudaicum ex Ægypto in terram promissionis dirigendum misit Dominus columnam nubis *Exodi* 13. *v.* 21. *& cap.* 14. *v.* 19. Hæc autem ut luceret ex densissima erat composita nube, in lõgitudinem magis quam latitudinem extensa, ideoque columna vocabatur. Dedit eam Deus ut populo ignoranti viam illam indicaret, ut dicitur *Ierem.* 2. *v.* 6. Quare ergo Magos quoque non præcessit columna, sicut Israelitas? Ad literam R. det primo Abulẽsis *Quæst.* 12. quod Deus omnia facit ordinate, ut dicitur *ad Rom.* 13. *v.* 2. Debent ergo res esse secundum exigentiam & proportionem ad suum finem: populus Iudæorum magnus valde fuit, erant enim sexcenta millia peditum præter parvulos & fœminas, populumque promiscuum multum nimis, qui ex Ægypto cum eis ascendebat *Exod.* 12. *v.* 37. Egebant ergo lumine magno ad omnia illuminanda castra, pro quo adeo longa in altum columna valde serviebat: Tres vero erant Magi, secum famulorum copias magnas non habentes, ideoque parvum admodum stellæ lucidum corpus illis sufficiebat. *Vide Conc. XXII. num.* 7. Secundo Iudæi rebelles velut gens valde delicata & in delitiis enutrita, multum favoris desiderabant umbraculum videlicet ab æstu, atque in nocte lucem, in frigore ignem, ut montium & viarũ asperitate minimè terrerentur; Magi vero fortes, ut in fide firmi poterant difficilia quæque facillimè superare, ac proinde non expostulabantur illecebræ. Vnde liquet ea quæ Ecclesiam inter & synagogam quoad hoc interest differentia. *Vide Conc. II. num.* 15. *& sequentibus.*

THEMA II.

Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. v. 2.

Solam exprimunt adorationem, de muneribus vero silent. Cur ita? Respondeo quia norunt quod Christus Dominus, nostrum potius cultum, ac intimam vult cordis Reverentiam, quam munera; à nobis adorari potius, quam munerari affectat. In quo altera consistit inter Ecclesiam & synagogam differentia, videlicet quod synagoga tota erat in exhibendis ritibus & Ceremoniis exterioribus, nihil omnino ad cordis respiciens culturam. Econtra vero *omnis Ecclesiæ gloria ab intus sit. Vide Conc. II. num.* 2. *& seqq.*

THEMA III.

Audiens autem Herodes Rex turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo. Matth. 2. v. 3.

Cum divulgatam à Magis Christi Domini veri Messiæ Nativitatem audiret Herodes, propter timorem amittendi regnum turbatur, omnisque Hierosoly-

ma cum illo. Hic autem Herodis timor, perturbatio & anxietas ex multiplici processit causa. Ex multis unam accipe, eam videlicet quam adfert Authoroperis imperfecti *Hom.2.* ubi sic inquit: *Ideo turbatur Herodes audiens regem natum Iudæis, semper enim grandis potestas maiori timori subiecta est. Sicut enim rami arborum, in excelsis positarum, etiamsi levis aura flaverit, moventur, sic & sublimes homines, etiam levis nuntii fama conturbat: Humiles autem sicut in convalle plerumque in tranquillitate consistunt.* Qui in excelsa præsunt dignitate semper maiori concutiuntur timore, ne in aliquod labantur damnum & detrimentum. *Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. Psal. 87. num. 16. Vide Conc. I. num. 14. usque ad 21.*

Dominica I. post Epiphan.

THEMA I.

Cum factus esset IESVS annorum duodecim ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi. Luc. 2. v. 42.

Abrahamus ut testatur Suidas *apud Salianum*, natus annos quatuordecim, Dei cognitione illustratus, patrem idola fingentem his verbis commonuit. *Quid seducis homines ob perniciosum lucrum, hoc est, ob imagines?* itaque cum videret homines creaturæ cultum deferentes, magno labore oberrans verum Deum animo religioso exquirebat. Abraham celebris typus Christi Domini quatuordenus senes docet. Sed cur figura non componitur figurato? cur uterque non eadem ætate de cœlesti regno maiores instruit? Christus Dominus in suorum remedium est adeo promptissimus, ut licet in aliis præfiguratus sit in maioribus suis, in his tamen quę ad nostram pertinent salutem, nec in umbra & figura moras unius hominis sustinere sinat, neque in hoc cum eo aliquis valeat comparari. Ideo cum esset duodecim annos natus, tempusque discretionis attigisset, anticipate ad Abraham prædicare hominibus incipit, semper enim in causa nostra aliorum studium Christus prævenit. *Vide Concionem XVIII. num. 8 & 9. Conc. XXII. num. 26. Conc. XXIX num. 5. 6. & seqq.*

THEMA II.

Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Luc. 2. v. 46.

Mirum est, quam diversimode Pastores, Magi orientales & Parentes Christi MARIA & IOSEPH Christum invenerint. Pastores Christum invenerunt in præsepio. *Luc. 2. v. 16.* Magi in domo: *Intrantes domum invenerunt puerum, &c. Matth. 2. v. 11.* Virgo & Ioseph hic in templo. Huius rei si causam requiras. Respōdeo id factum esse, quia Christus Dominus taliter à nobis invenitur, qualiter à nobis quæritur, & cuiusmodi sunt ministeria & officia nostra quibus ipsi famulamur. Quia enim Pastores illi obsequebantur oves ad præsepe ducens ad ibi quiescendum; in præsepio Christum invenerunt. Reges quia inserviebant Deo, in domo sua curam suorum habendo ac regni negotia expediēdo, in domo Christum inveniunt Christi parentes semper orationi & cōtemplationi instantes gratissimam Deo offerebant oblationem, ideo in templo, utpote orationis loco Christum reperiunt. Qua autem ratione Christus vel Deus quærendus sit ut à nobis inveniatur. *Vide Conc. XXIX. num. 27. 28. 29. & 30.*

THEMA III.

Et dixit mater eius ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? Luc. 2. v. 48.

His verbis Beatissima Virgo ingentem expressit dolorem, quo cor eius transfixum erat. Hoc enim indicat adverbium illud. *Sic.* Illo utitur Ioannes *cap. 3. v. 16.* ad explicandum infinitum Dei amorem: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Eundem loquendi modum assumit spiritus Sanctus ad declarandum immensum Christi amorem pro nobis. *Ioan. 4. v. 6. Fatigatus ex itinere sedebat sic.* Eandem ergo phrasin, per quam

spiritus

Spiritus Sanctus nobis manifestat ineffabilem Dei amorem, & ingentem Christi pro nobis laborem apponit hic Evangelista, ad exprimendum Virginis vehementissimum dolorem, nullo enim alio melius explicari poterat. Et ait: *Fili quid fecisti nobis sic?* De dolore & compassione Beatissimæ Virginis. *Vide Conc. XXXVI. quæ enim in illa sparsim dicuntur facile huc applicabis.*

THEMA IV. Vide in Appendice.

Dominica II. post Epiphan.

THEMA I.

Vinum non habent. Ioan. 2. v. 3.

Mirum est quomodo in hisce nuptiis, quibus alias de alimonia abunde provideri solet, tam subito vini penuria intervenerit. Albertus Magnus, Carthusianus, Hugo, Caietanus existimant, quod ex invitantium paupertate provenerit hic defectus: non enim intemperantia convivantium hoc præstitit; nam ubi aderat Christus totius moderationis norma, omnis immoderatio abierat. Neque hoc causavit invitantium imprudentia, quod plures quam pascere possent, adduxerint, cum essent adeo prudentes, ut Christum vocaverint. Sed cum essent pauperes, quæ pro viribus suis potuere, præpararunt; amicos omnes & cognatos invitarunt, eligentes potius ex convivii penuria in verecundiam incidere, quam alicui amicorum iniuriam facere.

Vel dic cum Toleto, quod forte plures personæ convivio supervenere, ut sæpè sæpius fit, quam expectabantur. Et ita ait Rupert° *lib. 2. in Ioan* quod cum Christus & discipuli eius illa die venerint Canam, vocati sint, cum iam nuptiæ fierent.

Tertio, distribuebatur vinum forsitan per ministros parum providos & infideles. Et quando in ministris infidelitas viget, nulla rerum abundantia, nulla Domini providentia sufficit. Quod elegantissimè dixit Sixtus Senensis *Tom. 6. Biblioth. Cacu it perspicacitas Principis, quando in dispensatore regnat avaritia.* Deus ut populum suum per desertum aleret, ei manna cœlestem panem dedit, & ait Moyses: *Hic est sermo quem præcepit Dominus: Colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit advescendum. Exodi 16. v. 16.* Sed dicat aliquis: Hic panis Angelorum manibus fiebat. *Psalm. 77. v. 24.* & cœli liberalissime distillabant: cur igitur non eam venerationem merebatur, ut ministrorum manibus distribueretur; sed mandabatur ut unusquisque quantum sibi necessarium esset inde desumeret? Moraliter ad propositum respondetur: Nulla Angelorum solertia, nulla cœli sat esset munifica diffusio, si manna per ministrorum manus communicaretur: ut ergo nulli deficiat, & omnibus sit satis, sumat unusquisque, & minister sit nullus, &c. De avaritia ministrorum aliis exitiosa. *Vide Conc VI. num. 14. usque ad num. 22.*

THEMA II.

Vinum non habent. Ioan. 2. v. 3.

Homines mundani qui Dei servos adeo ab omnibus tribulatos, maleque tractatos vident, dicere solent de iis: *Vinum non habent.* q. d. O miseros & hominum tantum per ipsemata? Aquas tantum laborum & afflictionum habent, nec quicquam de vino consolationum gaudiorumque mundanorum participant. Verum esto, sit ita, inquit Bernardus *Serm. de verbis Apost.* negare tamen minime poteris, quin habentes Christũ Ecclesiæ spõsum pariter quoq; eum habeãt, qui tristitiæ & afflictionis Aquas in vinũ cõvertere possit lætitiæ, cõformiter ei ꝗ promisit dicens: *Tristitia vestra convertetur in gaudium, &c. Vide Conc XV. num 20. & 21.*

THEMA III.

Vinum non habent. Ioan. 2. v. 3.

Solus amor sufficit omnem Aquam laboris, difficultatis, asperitatis, vigoris, & afflictionis convertere in sapidissimum & delicatissimum vinum consolationis & lætitiæ cordialis. *Vide Conc. XIX. à num. 2. usque ad num. 14.*

Dominica III. post Epiphan.

THEMA I.

Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Matth. 8. v. 10.

tò ac in via. *Marc.* 8. *v.* 4. *& Ioan.* 6. *v.* 7. non sic ad Dominum recurrunt, pro sublevanda eorum miseria? utique quia nullo tunc stimulabantur timore rationе sui, modo vero proprio tangebant periculo, ideoque præ metu anxii erant. Optime ergo S. Doctor magnam timoris admiratus potentiam, quæ tanta est ut iis qui ex peccatorum caligine cœci sunt visum restituat ad perspiciendam salutis viam, atque ad suum Creatorem paret accessum atque recursum. *Timore præparatur homo ad omnem virtutem.*

Cum Deus Legem daturus esset fulgura è cœlo micare cœperunt, aer resonabat tonitribus, clangor buccinæ perstrebat, mons Sinai fumabat. Quibus visis & auditis: Timuit populus qui erat in castris. *Exod* 19. *v.* 16. Et mox populo Lex à Deo data est tanquam sui eximium pignus amoris. Ad quid autem cum ipsa lege tot terroris signa & ostentationes? videlicet ut populus ad legis observantiam disponeretur, nullum esse potuit melius medium quam terroris documenta exhibere, hic enim nos in omni virtutum genere optime præparat, ac divinorum præceptorum nos fideles reddit observatores. *Vide Conc. VII. num.* 11. *& Conc. XXXI. num* 28 *& Conc IV. num* 26 *Item Conc. VII. num.* 8. *&* 9 *& Conc. XXXI. num.* 23. 24. *&* 25. *Item Conc. XXXX. num.* 31.

THEMA III.

Idem ut supra.

S. Gregorius dicit: *Mala quæ nos premunt ad Deum ire compellunt.* Hoc enim ex adversis nascitur, commodum quod in iis cõstituti nostrum apud Deum quæramus refugium. Vnde tribulatio mater est orationis & charitatis. *Conc. XXIII. num.* 18. Ipsa mediante pervenitur ad Christum. *Conc. XXIII. num* 31. Ad Deum nos recurrere facit. *Conc XXVII. num.* 4. Et ideo pœna simul est & gratia. *Conc. XXIII. & seqq.* Vide in indice rerum & verborum. *v. Tribulatio.*

Dominica V. post Epiphan.

THEMA I.

Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Matth. 13. v. 27.

Congrue ad mentem Salvatoris per agrum præsens hic mundus intelligitur. Dicit enim Salvator ipse eodem hoc *cap.* 13. *v.* 38 *Ager autem est mundus.* Potest autem per hunc agrum triplex mundus intelligi, scilicet mundus magnus; mundus parvus & mundus mysticus, vel quod idem est elementa cum omnibus creaturis insensatis, homo, & Ecclesia. In hisce Agris tot boni seminis genera seminavit, quod perfectiones & species in Creaturis condidit, quot potentias & facultates homini inseruit: gratias denique cœlestes donaque supernaturalia sanctæ Ecclesiæ Dei hic in terris concessit. *Vide Conc. XXII. passim per totam.*

THEMA II.

Vnde ergo habet Zizania? Matth. 13. v. 27.

Merito mirari quis potest, unde fiat, quod cum Deus tam magnum quam magnum mundum tam perfectum atque excellentem crearit, uterque nihilominus tot imperfectionibus scateat quibus ad interitum redigatur? sed facilis & in promptu est respõsio, videlicet id duplicem causam habere quarum una est utrique mundo intrinseca, altera extrinseca. Intrinseca est vanitas utrique mundo cõgenita. *De qua vide Conc. I. & XXX. per totas.* Extrinseca duplex est, de qua Themate sequenti.

THEMA III.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13 v. 28.

Per inimicum hunc hominem exprimitur loliorum in agro subnascentium causa extrinseca. Lolia enim tum ab intrinseca terræ dispositione, seu fimi iniecti qualitate, tum ab exteriori seminatoris manu subnasci solent. Duplex autem est inimicus homo talis. Primus est Diabolus, qui omnem bonam sementem Dei

manu in utroque tam magno quam parvo mundo seminatam, vitiare & Loliis superseminatis suffocare laborat. De quo *vide Conc. IV. & Conc. XXXI num. 27.* Secundo homo inimicus, qui mundum hunc tantis à Deo cumulat beneficiis, ut omnibus in eo contentis hominibus sustentandis abundantissime sufficeret, tanta nihilominus premit paupertate, ut multi in eo fame mori cogantur, est homo avarus. *De quo vide Conc. VI.*

Dominica VI. post Epiphan.

THEMA I.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13 v. 31.

S. Gregorius *lib. 19. Moral. cap. 1.* ait: *Christus ipse est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque cum moreretur: arbor cum resurgeret: granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam Maiestatis.* Vere autem Christus in Passione sua dici potest granum sinapis, quando semetipsum exinanivit, & veluti in nihilum redegit, ut vere dicere posset illa Psalmistæ: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Unde & illi apud Isaiam dicebant. *Vidimus eum & non erat aspectus, novissimum virorum, &c. unde nec reputavimus eum.* Vide *Conc. XXXVII.* in qua latissime Author demonstrat, qua iter Redemptor noster, conformiter illis Apostoli verbis: *Exinanivit semeipsum*, quinque potissimum rebus se exinanierit, quibus magnus quis efficitur, scilicet lætitia cordis claritate honoris, salute & integritate corporis, pulchritudine aspectus, & thesauro vitæ. In resurrectione vero in arborem maximam & pulcherrimam excrevit, in illa enim Christus recuperavit, quicquid in acerbissimma sua passione perdiderat. *Vide Conc. XXXVIII.*

THEMA II.

Idem quod supra.

S. Hieron. *in præsentem locum* dicit per regnum cœli intelligi doctrinam Evangelicam, quæ grano sinapis merito comparatur primo quia parva visa est: quia non consistit in altitudine sermonis, neque etiam *in humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*, ut Apostolus dicit: 1. *Cor.* 2. *v.* 4. visa est parva, dicente Apostolo 1. *Cor.* 1. *v.* 23. *Prædicamus Christum Dei virtutem, Dei sapientiam. Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* unde S. Hieronymus ubi supra sic loquitur: *Prædicatio Evangelii minima est omnibus disciplinis, quæ Christum docet hominem de paupercula matre natum, mortuum, scandalum crucis prædicans.* Confer hanc doctrinam, dogmatibus Philosophorum, & libris *eorum, & splendori eloquentiæ, compositionique verborum & sermonum, videbis quanto minus sit cæteris sermonibus semen Evangelii.* Et parva similiter est, si respiciantur prædicatores qui illud disseminant, quia ut dicit Chrysost. *Hom.* 47. *Illi qui prædicabant Evangelium, universis erant imbecilliores, & omnibus minores discipuli.* Legis Evangelicæ fundator inter latrones veluti latronum vertex & caput occisus fuit, Magistri eius piscatores fuerunt: Phrænesis existimatum est Evangelium ac Maniæ species: sequaces & discipuli eius vocabantur ab aliis seductores, seditiosi, canes carnis humanæ devoratores, gens Reipublicæ inutilis, venefici, infantum occisores, legis inimici, inimici Dei, boni communis, imo ipsiusmet Naturæ iurati hostes, & veluti tales omnibus instar pestis horrori erant, omnibus quæ administrabant exuebantur officiis, excludebantur è magistratibus, ad artis militaris non admittebantur exercitium omnes societatem & conversationem illorum detrectabant illorum tãquam è gente infami non recipiebantur testimonia: si quando ulla imperium Romanum premebatur ærumna, mox ipsis attribuebatur. Quodsi forte classis naufragaretur in mari, sive exercitus succumberet in prælio sive provinciæ in rebellionem se erigerent, sive seditionem cierent legiones, sive pestilentia sæviret

aut

aut incendium sive sterilescerent campi, aut infirmaretur princeps, &c. hoc totum, & quicquid huiusmodi oriri poterat, unius & solius æstimaretur Christianismi effectus. At vero tametsi parva adeo esset vilis, & contempta Evangelii doctrina, miram tamen instar grani sinapis in se continebat virtutem & efficaciam. *Vide Conc. XXIV per totam.* In illa namque Author ostēdit quod doctrina quam Christus de cœlo in terram attulit plena sit veritate, bonitate, & dulcedine. *Vide etiam Concionem XV. num. 16. 17. & 18. & seqq.*

THEMA III.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13 v. 31.

D. Hilarius dicit, Dominum se comparasse grano sinapis, acri videlicet semini, quod dum exhibet acrimoniam, saporem adhibet cibo; Et ideo rigore simul & suavitate omnia disponantur. *Vide Concionem VII.* in qua author ostendit, quod in severitate Ionæ Prophetæ & benevolentia Salomonis, iustitia & misericordia Christi exprimantur, virtutes nimirum tales, quas imitari debent, quotquot animarum onusti sunt cura.

THEMA IV.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. v. 31.

Granum sinapis dum conteritur suam magis exhibet acrimoniam. Sic Christiana excellentia ac fortitudo in labore ac pressura manifestatur. *Vide Conc. XV.*

Dominica Septuagesimæ.

THEMA I.

Exiit primo mane, hora tertia, sexta, & nona & circa undecimam, conducere operarios in vineam suam. Matth. 20. v. 1.

S. Augustinus *Serm. 50. de verbis Domini*, dicit: *Hoc est exire patremfamilias, quod innotescere, quoniam qui in domo est in abdito est, & non videtur ab eis, qui foris sunt. Cum autem exiit de domo, videtur ab eis qui foris sunt. Christus quando non intelligitur, & non agnoscitur in secreto est; quando autem agnoscitur, exiit conducere, aut quærere nos.* Hæc ille. Deus ergo exit per suam providentiam & misericordiam humanæ salutis causam agens, seq; ipsum & voluntatem suam nobis patefaciens, ut eam cognitam exequamur, & exequendo salvi simus. Sic Deus pater exit ad nos loquendo nobis per internam gratiam. Vnde Christus *Ioan. 3.* dicit: *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et rursum *Apoc. 3. Ego sto ad ostiū & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuā, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum.* Sic Deus qui omnia implet, exit de se, ut intret in nos, imo ut nos cōvertat in se, h. e. enim: *Cœnabo cum illo & ille mecū.* Hic est ineffabilis Dei erga nos amor. Quid habet pectus nostrum ut ad ipsum venire velit Deus? *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniā visitas eum.* S. S. Elisabeth profunda cum humilitate dixit, veniente ad eam B. Virgine: *Vnde hoc mihi ut mater Domini mei veniat ad me?* quanta cum humilitate adventū Dei in cor nostrum, qui singulis pene momētis fit, excipere & venerari debemus? de vinea sua, h. e. de anima humana, dicit Deus *Isaiæ 27. Ego Dominus qui servo eam Repente propinabo ei, ne forte visitetur contra eum. Nocte & die servo eā.* Hanc Deus sollicitudinem circa vineam suam luculenter testatus est in hoc Evangelio quādo primo mane hora tertia, sexta, nona, & circa undecimam exiit tanquā bonus paterfamilias, ut vineæ suæ curam haberet. Maxime autem illam testat' est, quando hora nona exiit. Primo namque mane, id est, in lege Naturæ per Angelos, in quibus locutus est ad patres veteres vineam suam visitavit; Hora tertia, in lege scripta per Moysen, hora sexta per Prophetas. Hora nona vero ipsemet unigenitus Dei filius in propria persona prodire dignatus, qui & circa undecimam & novissimam horam & fines sæculorum, in quos nos devenimus per Apostolos suos eorumque perpetuos successores Ecclesiæ sanctæ præpositos vocare & quærere non desinit. O fælices nos, quos fili' Dei

vivo in propria persona quærere & ad vineam suam cōducere dignatus est. Hanc Divinæ misericordiæ magnitudinē quadrupliciter ostendere possumus. Primo quia Deus non iustum sed peccatorem quærit. Secundo, quia illum cum labore quærit. Tertio quia quærit illum cum gaudio. Quarto denique quia illum quātumvis reluctantem & velut invitum requirere non desinit. *Vide Conc. XXI. per totam.*

THEMA II.

Exiit primo mane conducere OPERARIOS in vineam suam. Matth. 20. v. 1.

Vocatio ad vineam absque ollo eorum, qui vocantur, merito aut labore accidit: non tamen merces datur nisi bene per laborem & opera præstita meritis. *Vide Conc. XXXI. à num. 7. usque ad num.* 12. *exclusive. Vide Conc. XXXIX.*

THEMA III.

Voca operarios, & redde illis mercedem suam. Matth. 20. v. 8.

Agi hic commode poterit de bonorum operum mercede. Quo in loco primum Dei benignitas spectanda est, quæ nostris operibus mercedem promittere voluit; cum tamen dum operibus nostris præmia decernit, sua potius quam nostra remunerat, *Deus enim operatur omnia in nobis. Vide Conc. XVII. à num 2. usque ad num.* 8. Secundo pro exiguo laborem mercedem pendit ingentem. *Vide Conc. XVII. à num.* 8. *usque ad num.* 10. *Vide etiam Conc. XXXIX. à num.* 17. ubi author ostendit, *Non esse condignas passiones* sive labores *huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, id quinque ex causis ostendit verum esse. Primo quia labores sive passiones sunt modicæ, gloria autem immensa. Secundo quia labores sunt ficti, gloria autem vera & realis. Tertio, quia labores nostri sublevantur à divina gratia. Quarto quia labores nostri infinitis condiuntur delitiis: Quinto denique quia breves sunt labores nostri, & gloria æterna. *Vide Authorem in Conc. XXXIX. à num.* 17. *usque ad finem.*

Dominica Sexagesimæ.

THEMA I.

Semen est verbum Dei. Luc. 8. v.

Præclarum semen est verbū Dei, quod Christus è cœlo in terram attulit, utpote plenum est veritate, bonitate, & dulcedine. *Vide Conc. XXIV. per totam.*

THEMA II.

Deinde venit Diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Luc. 8. v.

Studium omne Diaboli eo tendit, ut nostram possit impedire salutem. *Vide Conc. IV. à num. 2. usque ad* 12.

THEMA III.

Quod autem in spinas cecidit hi sunt, &c. Luc. 8. v.

Divitiæ sunt spinæ, quibus dum cor tenetur, omne bonum contemnit atque conculcat. *Vide Conc. VI. per totam.*

Dominica Quinquagesimæ.

THEMA I.

Ecce ascendimus Hierosolymam. Luc. 18.

Per labores ascenditur ad cœlum, est enim via ad ipsum plena molestiis. *Vide Conc. XXXIX. per totam.*

THEMA II.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Luc. 18.

Valde frequenter Christus de amara Passione sua locutus est, ut significaret quantopere mortem suam pro nostra salute acquirenda desideraret, quod enim vehementer desideramus & optamus in corde, frequenter repetimus ore, secundum illud *Matth. 12. v.* 34. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* De desiderio & lætitia qua Christus perfundebatur, quoties Passionem suam aut cogitabat aut perfe-

perferebat. *Vide Conc. XXXIV. à num. 2. usque ad num. 22.* ubi multa & pulchra hac de re dicit.

THEMA III.

At ille dixit: Domine, ut videam. Luc. 18.

Omnis peccans est ignorans, ut decernunt Philosophi; non quia ex ignorantia omnes peccant, sed quia ex peccato omnes fiunt ignorantes & cœci. Vnde Propheta Sophonias cap. 1. dicit: *Ambulabunt ut cœci, quia Domino peccaverunt.* Prima peccati pœna, est cœcitas mentis; & primum quod operatur circa peccatorem Diabolus est, est mentem obcœcare. Qui enim perpetrato peccato quietus est, & dicit: *Peccavi, & quid mihi accidit triste? Ecclesiast. 5.* ideo quietus est, quia cœcus est, & non videt, quod Animam mortuam in corpore sano circumfert, nō videt quem offenderit, nec magis offenditur quam si contra Deum aliquem, ligneum, aut marmoreum peccasset. Quam autem spiritualis hæc cordis cœcitas ingens malum sit. *Vide Conc. XXV. per totam.*

Dominica I Quadragesimæ & sequentib⁹ usq; ad Dominicam in albis, videndus est Author in corpore, cui iniuriam viderer facere, si iis, quæ ipse ad Argumenti sui prosecutionem copiosissimè adducit, quidpiam addere conarer.

Dominica in albis

THEMA I.

Venit IESVS, & stetit in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis. Ioan. 20.

Congruentissimè Christus ista utitur salutatione, 1. cum sit verus ô Salomon, id est, pacificus. *Vide Conc. VII. à num. 17. usque ad num. 27. exclusive.* Secundo cum ad hoc carnem assumpserit, ut pacem in terram deferret *Vide Conc. XXXX. num. 1. & deinceps & Conc. XXI. num. 15.* Tertio cum pacis ac gaudii plenissimam attulerit doctrinam. *Vide Conc. 24. num. 20. usque ad finem.*

Verum inquies si Christus est verus Salomon, id est, pacificus: si ad hoc carnem assumpsit, ut pacis ad nos baiulus & nuntius fieret: si denique doctrina eius pace refertissima existit, qua ratione dicit: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, sed bellum, quod paci è diametro adversatur. *Vide Conc. XXIII. n. 24.*

THEMA II.

Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Ioan. 20. v. 20.

Mirum est quo fine Christus quinque vulnera sacratissima in sua retinuerit humanitate, siquidem nihil ita corpus Christi dedeceat iam glorificatum, quam vulnera & cicatrices.

Nam primo dedecent immortalitatem vitæ, utpote quæ mortis, sunt symbola & instrumenta. Secundo omnipotentiæ divinæ valde præiudicant, quasi Deus corpus Christi post resurrectionem suam sanare non potuisset. Vnde ut refert venerab. Beda *lib. 6. in Lucam*, fuere gentiles quidam, qui putarunt Deum vulnera sua perfecte curare non potuisse, si enim potuisset, utique fecisset. Chyrurg⁹ enim ut artem suam demonstret, nō tantum vulnera sanat, sed hoc etiā agit, ut cicatrix si fieri posit, quoq; tollatur. Tertio venustatem corporis Christi deformant, valde enim horridum utique est videre cicatrices illas adeo hiātes. Quarto si ut dixit S. Ioannes *Apocal. 7. v. 17 absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum*, in quem finem ergo reliquit unigenito filio suo vulnera illa & cicatrices? Quinto contrariantur dignitati personæ suæ, non enim sunt inflicta gladiis, & armis militaribus, alias forte honori essent, sed inflicta sunt clavis & lancea in patibulo Crucis. Ob has rationes Hæretici quidam quos refert Beda, & præcipue Porphyrius quidam cuius meminit Augustinus *Epist. 49.* putarunt Christum post resurrectionem suam non vera sed apparentia tantum vulnera in corpore suo habuisse: vel si vera habuit, retinuit illa ex impotentia quadam sanandi. Contra hosce ergo indagamus ex SS. PP. quibus mo-

inquit: *Ambulastis secundum sæculum mundi huius, facientes voluntatem carnis & cogitationum.* Hæc est vita, hoc gaudium mundi, suam facere voluntatem, id est, ut Apostolus loquitur *Rom.* 7. & 8. & 13. *Desideria carnis perficere, carnis curam facere in desideriis, ambulare secundum carnem*, id est, secundum quæ caro & sensualitas humana (quæ cum brutis nobis communis est) expetit & desiderat videlicet in æmulatione & contentione honores quærere: in commessationibus & ebrietatibus ventrem pascere, ac genio indulgere: in cubilibus & impudicitiis libidinem explere. Hæc sunt mundi studia, hæc eius gaudia. In his puppim & proram fælicitatis suæ ponit. At hoc totum nihil aliud est, quam *thesaurizare sibi iram in die iræ.* Tales cibi Animam non pascunt, sed perdunt. *Vide Concionem XIV.*

Cæterum ad vera & sempiterna gaudia Crux sola ducit, quæ licet tristitiam inferat, fælix tamen illa est, utpote quæ in summum vertitur gaudium. *Vide Conc. XXXIX. per totam.*

THEMA III.

Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ioan. 16. v. 22.

Ea quæ sunt mundi deficiunt, cœlestia vero durant & perseverant. *Vide Conc. I. per totam.*

THEMA IV.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioan 16. v. 20.

Flagella quibus ferimur à manu Domini, quæ sui asperitate tristitia cor nostrum adimplent, non sunt flagella sed quasi flagella. Primo, quia non sunt mala. Secundo quia sunt bona. Tertio quia nihil mali faciunt. Quarto quia multum efficiunt boni. Quinto quia magnum malum impediunt. Sexto quia infinitum pariunt bonum. *Vide Concionem XXIII. per totam.*

Dominica IV. post Pascha.

THEMA I.

Vado ad eum qui misit me. Ioan. 16. v. 5.

Duplicem hoc loco pertractare potes Materiam. Vel enim in dictis verbis Dominus IESUS prædicit Apostolis proximam ad quam iturus erat, mortem, & tunc de eximio eius patiendi desiderio ages, quod in hoc satis insinuavit quod toties, in tam diversis locis, & qualibet captata vel minima occasione de passione sua locutus fuerit. *Vide Conc XXXIV. à num. 2. usque ad num 22.*

Vel in iisdem suam prædicit ascensionem ad cœlos, qua iturus erat ad Patrem, ut ab illo qui ipsum miserat, præmium suæ perfectissimæ acciperet obedientiæ. Et quia bonum esset hos præmium istud frequenti memoria recolere, atque per hoc nos ad perferendos huius vitæ labores animare. Ideo ad discipulos suos dicit: *Et nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* De hac ergo cœlesti gloria eiusque ingenti magnitudine hic agere poteris, *vide Conc. X. per totam & Conc. XXXIX. num. 11. & seqq.*

THEMA II.

Et nemo ex vobis interrogat me quo vadis? Ioan. 16. v. 5.

Si per hoc *quo vadis?* non tam terminus ad quem quam ratio & modus significetur, quo IESUS ad Patrem iturus erat, nempe per Passionem, dici posset Christum per hæc verba provocasse Apostolos, ut ab ipso doctrinam extorquerent de necessitate & utilitate tribulationum. De qua *Vide Conc. XXXIX. à num. 2. usque ad num. 11. exclusive & Conc. XXIII. num. 16. 17. 18. 19. Item nu. XXVII. usque ad finem.*

THEMA III.

Expedit vobis ut ego vadam. Ioan. 16. v. 7.

Sub hoc themate agi poterit de utilitatibus multiplicibus ex Pasione Domini ac Redemptoris nostri in nos dima-

THE-

THEMA IV.

Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ,&c. Marc.16.v.15.

Mirum profectò qua ratione Christus Dominus præsumpserit tam sublime prædicationis officium committere discipulis quos videlicet ante passionẽ tot vidit obnoxios esse gravissimis peccatis, & erroribus Petr⁹ enim Apostolorum vertex turpiter illũ negavit, Iudas tradidit, Thomas pertinaciter dubitavit, omnes denique in passione sua eo relictò fugerunt, &c. utique novit illos post pasionem suam superatam & effusum pretiosissimũ sanguinem commutatos esse in viros alios. *Vide Conc.IX.per totam.*

Dominica infra octav. Ascensionis quæ est VI. post Pascha.

THEMA I.

Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ioan. 15.v.26.

Divinus spiritus qui est spiritus amoris, & essentialiter increatus amor existit, Paraclitus dicitur, nam ipso comite ac asistente omnes labores nostri, & dura quævis suavia fiunt. *Vide Conc. XIX.à num.2.usque ad num.14.excl.*

THEMA II.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Ioan.16.v.2.

De immani Christi fidelium nascentis Ecclesiæ carnificina & laniena, ex qua ipsi non modo non superati fuerunt sed longe gloriosiores evaserunt. *Vide Conc.XV. per totam.*

THEMA III.

Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. Ioan.16.v.3.

Inexcusabilis prorsus est perfida Hebræorum cœcitas & ignorantia, utpote qui Redemptorem & Mesiam suum non cognoverunt, quem tamen ipsis manifestarunt scripturæ sacræ de ipso evidentissimè loquentes; Doctrina quam ipsemet sparsit: exemplum quod dedit: miracula quæ operatus est: deniq; præsentia corporalis in qua videndum se præbuit. *Vide Conc.XI.per totam.*

Dominica Pentecostes.

THEMA I.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Ioan.14.v.23.

Magna cum Emphasi Christus dicit: *Si quis diligit me*, non vero *si quis diligit dona mea*. Perfectus enim amor non Dei dona aut suas proprias diligit commoditates; sed ipsummet Deum diligit & quærit. *Vide Conc.II.num.8.usque ad num.15. exclusive.*

THEMA II.

Idem cum præcedenti.

Dicit Salvator noster *si quis diligit me sermonem meum servabit*; Ex Dei amore enim facilis & suavis est legis observatio. Et ideo non ait: servabit mea mandata, vel præcepta, sed sermonem, quia valde facilis & suavis est legis observatio amanti veluti sermo quidam. *Vide Conc. XIX.à num.2.usque ad 14.exclus.*

THEMA III.

Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Ioan.14.v.23.

Dei dona habent consistentiam, stabilitatem, & permanentiam, cum bona terrena inconstantia & vanitate sint obnoxia. *Vide Conc.I.à num.2.usque ad nu.13.*

Dominica I. post Pentecosten.

THEMA I.

Dimittite & dimittemini. Luc.6.v.37.

Ut iniurias quascunque ab inimicis tuis tibi illatas æquo animo feras, omnemque vindictam de iis sumendam bono corde dimittas, imo inimicum tuum diligas, varias habes rationes *apud Authorem Concione III.per totam*, ubi docet amandum esse inimicum, quoniam Christus qui id expresse præcipit noster est Domi-

nus, & quidem sapiens benefactor, & auxilator noster & amoris illius causa exemplaris.

THEMA II.

Date & dabitur vobis. Luc. 6. v. 38.

Eleemosynarius, fœneratur Deo: Sunt autem usuræ quas apud Deum lucratur ab hujus mundi usuris valdè differentes, tum quoad Capitale unde nascitur lucrum, tum quoad Lucrum ipsum, tum quoad solutionis accelerationem, tum denique quoad benevolentiam solventis. E contrà verò ab eo qui Eleemosynarius non est, Deus concessas hactenus tollit divitias. *Vide Concionem 17. per totam.*

THEMA III.

Nunquid potest cæcus, cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Luc. 6. v. 39.

Ars quædam non minus eximia & singularis quam difficilis est correctionem fraternam circa alium facere. Et qua ratione secundùm Apostoli Doctrinam utiliter institui possit correctio. *Vide Concionem 18. per totam.*

In Solemnitate Sanctissimi Corporis JESU Christi

THEMA

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Joan 6. v. 55.

In sanctissimæ Eucharistiæ institutione Christus ut homo, omnes veræ amicitiæ Leges observavit, quæ secundùm doctrinam Philosophi est quadruplex, quarum prima est ut velit eum esse scilicet amicum. Secunda ut velit ei bona & operetur bona ad ipsum. Tertia ut convivat ei delectabiliter. Quarta denique ut easdem habeat delectationes & contristationes. Et horum quidem quatuor prædictorum declaratio quatuor distinctis inservire poterit Concionibus, quas proinde in plura themata non divido. *Vide Concionem 35. per totam.*

Dominica II. post Penthecosten.

THEMA I.

Homo quidam fecit Cœnam magnam: Luc. 14. v. 16.

Cum Christo ad mensam accumbente, quidam de simul discumbentibus dixisset: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei;* Christus statim ex hujus verbi occasione hanc parabolam introduxit. Unde patet Christum per Cœnã hanc magnam intelligere gaudium & gloriam regni cœlestis, quæ quàm meritò magna vocetur. *Vide latè exponi in Concione 10. per totam.*

THEMA II.

Villam emi: & necesse habeo exire & videre illam. Luc. 14. v. 18.

S. Augustinus serm. 33. de verbis Domini, inquit: *In villa empta dominatio notatur, & superbia castigatur.* Nam & ideo non dicit se exire ut colat illam, vel utatur illa, sed ut ut videat illam. Emerat quippe non necessitatis, sed voluptatis & honoris causa: quæ etiam hodie inter Christianos maxima insania est. Honor enim & dignitas mundana res vana est & perniciosa. Vana quidem quia monstrat quod non est, de eo se jactat quod non habet, id promittit quod non dat: perniciosa autem quia nocet tam in bonis temporalibus quàm æternis. *Vide Concionem 13 per totam.*

THEMA III.

Iuga boum emi quinque: & eo probare illa. Luc. 14. v. 19.

Oportune hic agetur contra avaritiam, & rei familiaris augendi nimiam sollicitudinem, alterum impedimentum, & excusationem frivolam, sed vulgarem, ne ad cœnam magnam veniatur. Nemo inventis frugibus glandes comedit. Nos tamen ad cœlestia vocati, terrenis oblectamur. Appositè Chrysostomus *Hom. 7. in Act. Apost. Si Ethnicus esses, & nihil post hanc vitam sperares, difficile forsan esset, rerum terrenarum affectionem deponere. Nunc autem cœlum expectans, & ea quæ in cœlis sunt,*

sunt, hoc tibi difficile videtur? & contrarium dicerem: Expete divitias, potius mihi succenseres, dicens: Quomodo hoc faciam cœlum expectans, à quo ista me retardant? Iniuriam tibi facerem, si proposito auro & pretiosis lapidibus, plumbum tibi appetendum dicerem. Vide contra hoc vitium detonantem authorem *in Concione VI. per totam.*

Dominica III. post Penthecosten.

THEMA I.

Iuxta usum Carmelitani Ordinis

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso, &c. Luc. 16. v. 19.

Optime, maximaque cum Emphasi dives hic avarus *homo quidam* appellatur à spiritu Sancto. Dives enim avarus solus est, & contra omnes est, & ideo à nemine amatur: nam avarus visceribus charitatis caret, Patrem nescit, fratres ignorat, & propinquos velut extraneos abiicit, unde nemini utilis est. Alii peccatores licet sibi incommodi sint, aliis tamen non inutiles sunt. Exempli gratia: superbus & arrogans qui plurimis stipatus famulis, amplissimas ædificat domos, & ita ædificatores famulosque alat, necesse est: Helluo vero pistoribus, venatoribus, & cauponibus edacitate sua prodest. Et sic aliis emolumento sunt alii peccatores, quod in divitibus avaris multo aliter se habet. Nam præterquam quod nemini utiles sint; Reipublicæ summè nocere solent frumentum reliquaque necessaria reservantes, & in tempora cariora reponentes, pauperes conflictantes, omnesque summis incommodis afficientes. *Vide Authorem in Conc. VI.* ubi late ostendit, quod dives avarus simul & semel furatur Deo, proximo, & sibimetipsi.

THEMA II.

[Ne] veniant in hunc locum tormentorum. Luc. 16. v. 28.

Infernus est locus tormentorum *Vide Concionem XIV. à num. 2. usque ad num. 11. exclusi.*

THEMA III.

Mortuus est autem & Dives, & sepultus est in inferno. Luc. 16. v. 22.

Infernus est locus mortis. *Vide Conc. XIV. à num. 11. usque ad num. 15. exclus.*

THEMA IV.

Chaos magnum firmatum est inter nos & vos. Luc. 16. v. 26.

Infernus est locus separationis malorum à iustis unde dives aperiens oculos suos, vidit, ut inquit scriptura, Abraham à longe. *Vide Conc. XIV. à num. 15. usque ad num. 20. exclusivè.*

THEMA V.

Idem cum immediate præcedenti.

Infernus est locus interminabilis æternitatis *vide Conc. IV. à num. 20. usque ad num. 22. & ultimum.*

Dominica III. post Penthecosten juxta usum Breviarii Romani.

THEMA I.

Erant appropinquantes ad IESUM publicani & peccatores. Luc. 15. v. 1.

Quemadmodum hoc loco Christi bona fama, conversatio suavis, & cœlestis doctrina, ipsos publicanos & deploratæ vitæ homines (tales enim erant qui hic vocantur *peccatores*, uti alio in loco Magdalena tacito nomine vocatur *mulier peccatrix*) ad se traxit, ut eum libenter audirent: sic cuiusvis pastoris, atque etiam sacerdotis tota vita sit ad proximi ædificationem, tota conversatio sit attractiva, doctrina quoque & eruditio probata. Debet esse bonus odor vitæ in vitam. In sacerdote enim quilibet defectus notabilior est & indecentior, tum ob gradus quem tenet sublimitatem, tum propter damnum scandali quod aliis præbet. *Vide Conc. XII per totam.*

THEMA II.

Vadit ad ovem quem perierat, donec inveniat illam; & cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. v. 4. & 5.

Sicut ovis aberrans à grege, nisi quæratur,

ratur, redire non potest, sed ad ulteriora semper progrediens per saltus & sylvas se perdit, cum cætera animalia, canis, felis, equus, Domino amisso, domum facile per seipsa redeant; sic miser peccator, nisi à Deo quæsitus, in salutis viam per se & Naturæ suæ ductu aut viribus redire non potest. Si Margaritam pretiosam perdidisti; in eo loco invenitur, ubi amittitur: At ovis perdita non sic; quia semper magis ac magis in saltuosa nemora, & in asperos montes se immittit, quiescit nunquam, sed errans progreditur. Sic peccator ab uno peccato in aliud transit, nec peccandi finem facit, nisi à bono pastore suo Christo IESU speciali gratia & misericordia quæratur. Ovis amissa, rapaci lupo, aut cuivis feræ obnoxia statim est: nec dentes, nec ungues, nec cornua habet, quibus se defendat; nec pedum velocitatem, qua se servet. Sic peccator amissa Christi gratia, Diabolo, carni, mundo ad prædam expositus est, nec ulla quibus se tueatur arma relicta habet. Hinc elucet immēsa Dei misericordia erga peccatores. *Vide Conc. XXI per totam.*

THEMA III.

Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15. v. 7.

In veteri lege eodem in loco quo iugulabatur holocaustum, offerebatur quoq; hostia pro peccato. Id quod docet magnam esse peccatoris pœnitentis cū Deo amicitiam, cum in suo sacrificio, & quod ei soli debetur, sacrificium pro peccatore coniunctum esse voluit. Singularem Deo & toti cœlo peccator conversus & pœnitens causat lætitiam & gaudium. *Vide Conc. XVIII. num. 8. & 9. & Conc. XXI. à num. 16. usque ad num. 20. exclus.*

Dominica IV. post Pentecosten

THEMA I.

Cum turba irruerent in IESVM, ut audirent verbum Dei Luc. 5. v.

Nequaquam mirandum, quod turbæ istæ tanto cum impetu, & vehementia affectus irruerint in IESUM, siquidem in Christo Domino in eminenti gradu simul fuerint & morum sanctitas, & doctrinæ veritas quæ sunt duæ proprietates cuivis Magistro, & legis divinæ prædicatori maximè necessariæ, *Vide Concionem XXVIII. per totam.*

THEMA II.

Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cœpimus. Luc. 5. v.

Unde nascatur quod cum Deus tantopere à peccatoribus inveniri desideret, ut suam illis conferat gratiam, ab ipsis tamen postea cum studio quæsitus, minimè inveniatur. *Vide Conc. XXIX per totam.*

THEMA III.

Idem cum immediate præcedenti.

Suavissimam servi Dei peragunt servitutem cum quia iugum ipsorum suave est & onus leve tum quia magnam inde lucrantur mercedem: at vero crudelem servi huius mundi sustinent tyrannidem, tum quia dira patiuntur, & minimè præmiantur. *Vide Conc. XIX. per totam.*

Dominica V. post Penthec.

THEMA I.

Nisi abundaverit Iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum. Matth. 5.

Comparationes instituentur inter sanctitatem Synagogæ & Ecclesiæ; atque ex iisdem ostenditur Deo à Christianis meliorem exhiberi servitutem, quam ab Hebræis. *Vide Conc. II. per totam.*

THEMA II. Idem.

Potes hanc eandem sententiam sumere, ut speciatim dictam à Domino sacerdotibus & religiosis, ut per Iustitiam Scribarum & Pharisæorum intelligatur iustitia & probitas sæcularium. Quod autem summo iure perfectior in illis necessaria sit iustitia & bonitas, solida ab Authore ostenditur. *Conc. XII. per totam.*

THEMA III.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus, &c. Matth. 5. v.

Vide

D Deus

rens eo tempore, quo graviores illi difficultates occurrebant. Quo etiam remedio communiter usi sunt Sancti. *De hac materia vide Authorem Conc. VIII. per totam, præcipue vero à num. 11. usque ad num. 20.*

THEMA II.

Non sum sicut cæteri hominum velut etiam hic Publicanus. Luc. 18. v.

Enorme crimen mordere & contemnere peccatorem peccata sua confitentem & deplorantem, ut faciebat hic publicanus, cum virtus pœnitentiæ & Confessionis sacramentalis adeo sit potens & efficax ut uno instanti possit peccatorem in sanctum commutare; imo in uno eodemque momento mutat peccatorem, mutat peccatum, mutat Deum, mutat cœlum, mutat denique infernum. Quod Author eleganter exponit *tota Conc. XVI.*

THEMA III.

Omnis qui se exaltat humiliabitur. Luc. 18. v.

Hæc est regula & perpendiculum altitudinum & graduum domus Dei, tantum enim quis habebit in altitudine, quantum habuit in humilitate, & sui deiectior unde stulti sunt qui per honores & dignitates magni evadere volunt, non enim honor ad magnitudinem conducit, sed potius quam parvus & modicus quisque sit prodit. *Vide Conc XIII fere per totam.*

Dominica XI. post Penthec.

THEMA I.

Exiens IESVS de finibus Tyri, venit per Sidonem. Marc. 7. v.

Hoc miraculum fecit Dominus post illud de Chananæa: etenim pertæsus Dominus Hypocrysis Pharisæorum, abiit ad confinia Tyri & Sidonis, è quibus egressæ Chananææ hoc accidit, quod suo loco videlicet *Dominica II. Quadrag.* relatum est. Inde progressus ulterius versus Galilæam patravit hoc miraculum surdum mutumque sanans. In quo ostendit se fontem hortorum discurrentem & communicantem gratiarum Aquas, quocunque enim Dominus ille intrabat, cœlestes conferebat misericordias, sive in terra Sidonis, seu Tyri seu Galileæ *vide Conc. XVII. nu. 19. & sequentibus & Conc. IX. num. 17. & Conc. XI. num. 19. & seqq. usque ad finem.*

THEMA II.

Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur. Marc. 7. v.

Num ergo hæ sunt deliciæ, quibus illum recipitis? An non satius foret, aliquod illi quietis adferre refrigerium? Nequaquam. Nullum enim illi præter hoc esse potest acceptius. Sicut enim mulier prægnans, cuius ubera utpote lacte turgida dirumpantur, nisi quispiam illi puer offeratur, cui lac porrigat: ita Samariam accedens fatigatus hoc habuit à Patre suo æterno oblatum sibi refrigerium mulierem nempe Samaritanam. Unde dum illi cibum deferunt Apostoli, dixit iam sibi à Patre suo paratum gratissimum ferculum, hanc scilicet peccatricem. Non illi placuit convivium corporale Pharisæi, sed Magdalena quæ illi offerebatur plena miseriis ab ipso curanda. *Vide Conc. XXIX. à num. 2. usque ad 22. & Concionem XVIII. num. 8 & 9. & Conc. XXI. à num. 16. usque ad num. 20. exclus.*

THEMA III.

Bene omnia fecit. Marc. 7. v.

Divina Numinis providentia omnia tum in mundo magno, tum in mundo parvo seu homine, tum denique in mundo mystico sive in Ecclesia sapientissime fecisse seu condidisse ostenditur *Conc. XXII per totam.*

Dominica XII. post Penthec.

THEMA I.

Incidit in latrones. Luc. 10. v.

Bona terrena à tribus præcipuè latronibus continuo infestantur, videlicet à vanitate, afflictione, & inconstantia. *Vide Conc. I. per totam.*

THEMA II.

Incidit in latrones. Luc.10.v.

Nomen hoc proprie quadrat Diabolis: etenim ab origine sua latrones fuerunt, conati Dei gloriam deprædari & furari divinitatem, & hoc nomine Christus illos inscribit: *Fures & latrones.* Latrones etiam sunt, quia gratiæ tibi vestem conantur aufferre, atque in te cuncta interimere merita, & bona virtutum. *Vide Conc.IV. à num.2. usque ad nu.11.*

THEMA III

Samaritanus iter faciens, &c. alligavit vulnera eius, &c. Luc.10. v.

Sanguis Redemptoris nostri, quatuor plagis Naturæ humanæ à peccato inflictis, videlicet infirmitati, ignorantiæ, malitiæ & concupiscentiæ medetur. *Vide Conc IX. per totam.*

THEMA IV.

Infundens oleum & vinum. Luc.10.v.

Hæc est mirabilis illa cōiunctio, quam cœlestis medicus composuit ad nostram salutem, oleum misericordiæ, & vinum iustitiæ, quæ stupendo coniunxit Sacramento; atque cœlesti hæc medicina uti debent quotquot animarum cura onusti sunt. *Vide Conc. VII. per totam.*

Dominica XIII. post Penthecosten.

THEMA I.

I E S V præceptor miserere nostri. Luc.17.v.

Optimo sane titulo Christum Redemptorem nostrum leprosi isti compellant, dum IESUM illum nominant, & simul præceptorem vocant, hac namque ratione duo de Christo munera confitentur, videlicet quod Magister sit & Redemptor, ad quæ reducuntur omnia quæ fecit: sic enim de illo D. Lucas ait: *Cœpit IESVS facere & docere.* Et quidem quod primum titulum attinet scilicet Redemptoris, si de illo agere libeat. *Vide Conc. IX. per totam*; si de vero de munere præceptoris, in hoc Christus super omnes, quos mundus hactenus præceptoris habuit singularissime excelluit. *Vide Conc. II num. 8 & sequentibus usque ad num. 14. exclusive & Conc. XXIV. per totam.*

THEMA II.

Ite ostendite vos Sacerdotibus. Luc.17.

De sublimitate & summa excellentia status sacerdotalis; ex qua nascitur, ut quilibet in Sacerdote notatus defectus enormior sit & dedecentior; Et deingenti damno scandali quod Sacerdotibus populo fideli datur. *Vide Conc. XII. per totam.*

THEMA III.

Ostendite vos Sacerdotibus. Luc.17.v.

Habes hic peccatis tuis remedium ab ipsomet Christo præscriptum, ut ostendas te tuamque conscientiam Sacerdotibus, peccata confitendo. Confessio namque peccati peccatorem ex leproso sanum imo sanctum efficit. Imo si peccata fuerint sicut coccinum quasi nix dealbuntur. *Vide Conc. XVI. maxime à num. 7. usque ad num. 14.*

Dominica XIV. post Penthec.

THEMA I.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth.6.v.

Nullus melior Deo Dominus est, nec qui subditos suos urbanius demulceat, non enim illis iniungit nisi suavia sed Diabolus & mundus similis est Pharaoni, qui filios Israel in extremas redigebat angustias, eis præcipiēs ardua, valde & molesta, sed hoc summopere plangēdum quod nihilominus in eius servitio manere cōcupiscant. *Vide Conc. XIX. per totam.*

THEMA II.

Non potestis Deo servire & Mammonæ. Matth.6.v.

Quamvis Dominus dicat, neminem posse duobus Dominis servire contrariis: poterat tamen idipsum exemplificare, dicendo: *Non potes Deo servire & mundo, aut carni, aut Diabolo*, quia hæc omnia Deo contradicunt: & tamen non nisi

nisi divitias posuit, quod potissimum contra illas, illatumque appetitum immoderatum sive avaritiam æmulator existat; Avarus namq; velut præcipuum mundi Deum, opes & divitias colit & veneratur; aufertq; non tantum Deo suam Divinitatem, sed & proximo necessarium subsidium, imò & sibi ipsi propriam Animæ salutem. Unde & *avaro nihil est scelestius*, ut inquit Scriptura Sacra. *Vide Concionem VI. per totam.*

THEMA III.

Nonne Anima plus est quàm esca? Matth. 6. v.

Bona spiritualia Animæ super omnia temporalia Corporis bona sunt omni conatu animi affectanda & procuranda nobis etiam cum jactura Corporis. *Vide Concionem XX. à num. 1. usque ad nu. 18. exclusive.*

Dominica XV. post Penthecosten.

THEMA I.

Ibat IESVS in civitatem quæ vocatur Naim & ecce defunctus efferebatur. Lucæ 7. v.

Vide Conc. XXVI. quæ est in Feriam V. post Dominicā IV. Quadragesimæ, in quam idem incidit Evangelium. Ubi Author ostendit Mortis corporalis memoriam duplicis vitæ Animæ causam esse, vitæ scilicet gratiæ, & vitæ gloriæ.

THEMA II.

Adolescens tibi dico surge, Luc. 7. v.

Christus Redemptor noster etiamnum adhuc sua morte à tribus mortis generibus humanum genus liberat: Videlicet à morte Naturæ: à morte gratiæ: & à morte gloriæ. *Vide Conc.* XXXIII. *per totam.*

THEMA III.

Et ecce defunctus efferebatur, Luc. 7. v.

De horrore & crudelitate mortis, quam & ipsemet Christus Salvator noster persensit, & omnes ferè Sancti. *Quid ergo faciet virgula Cāpi, ubi sic cōcutiuntur Cedri Libani? Vide Conc.* XXXIII. *nu.* 2. *& seqq.*

Dominica XVI. post Penthecosten.

THEMA I.

Ecce homo hydropicus erat ante illum, Luc. 14. v.

Magdalena retrò stetit, & hic ante, & ambo prudenter ex diverso respectu. Magdalena declarat culparum suarum cognitionem & pudorem, quo ex illis verecundabatur: Hic verò Hydropicus, Domini attendebat misericordiam, utpote qui nostras intuens miserias, illi compatitur. Ubi, actionem attende prudentissimam ad utilitatem tuam, ut te statuas ante Deum per orationem, tuam repræsentans infirmitatem: quamvis enim illi notior sit, quàm tibi, vult tamen ut eandem illi per orationem repræsentes, per quam Deus admodum honorificatur. *Vide Concionem VIII. n. 2. & seqq.*

THEMA II.

Si licet Sabbatho curare? Luc. 14. v.

Hanc illis præposuit quæstionem, ut instruerentur & in ignorantia sua illuminentur, & ait Evangelista: *At illi tacuerunt.* Id quod ferè communiter fiebat, quotiescunque interrogabantur, nam in conspectu ejus non audebant illi respondere, quia coram facie Christi disparet, & evanescit omnis sapientia & prudentia humana. *Vide Conc. XXIV. num. 2. & pluribus sequentibus.*

THEMA III.

Cujus vestrum bos aut Asinus, &c. Luc. 14. v.

Perfecto jam miraculo hodierno, Pharisæorum probat Dominus insipientiam, quod crederent illicitum esse, curare infirmos in Sabbatho, cùm tamen licitum esse censeret curare Asinum aut bovem in die festo, prolapsum in puteum: Itaque probat, ipsis majoris esse bovem quàm hominem, & temporalia quam spiritualia. Multos sanè reperies hodie illis similes qui corporalia tantum curant, Spiritualia verò negligunt. *Vide Con-*

Concionem XX. *à num.* 1. *usque ad num.* 18. *exclus.*

Dominica XVII. post Penthec.

THEMA I.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22. v.

Totum tuum cor desiderat Deus, quia te diligit. Non illud exoptat sibi ad commodum: tantùm intendit in eo perfectè commorari, ut ei omnia sua bona communicet, omnes in illud evacuans & effundens divitias, ut enim est summum bonum. *Vide Concionem XXIX. à num.* 20. *usque ad* 22. *exclus.*

THEMA II.

Hoc est primum & maximum mandatum. Matth. 22. v.

Optimè dicit S. Joannes: *Mandata ejus gravia non sunt*, qualia sunt Diaboli, mundi, & Carnis? Quid enim facilius est mundi, quàm diligere, & quidem diligere eum qui tantopere dilexit nos; Imò amor & dilectio sola est, quæ levia facit mandata quæcunque quantumvis gravia. *Vide Concionem XIX. per totam.*

THEMA III.

Quomodo ergo David vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus. Matth. 22. v.

Noverat Dominus illorum ignorantiam: Credebant enim Messiam futurum purum hominem, & purè descendentem ex familia David, qui naturam aliam non haberet Davide superiorem. Unde opinabantur venturum ipsum potestate temporali conspicuum, & qui terrenas solummodo possideret divitias: Quos Dominus redarguit, ostendens quod habiturus esset Naturam superiorem, quàm David, quod ex una parte esset ejus filius, ex altera verò ejus Dominus, sed sicut hoc non intellexerunt, sic rei argumentum Salvatoris. Ratio est ex sententia S. Augustini *serm.* 124. *de temp.* quod terreni essent, & voluntatem haberent terrenis affixam, unde capere non poterant hæc mysteria. Nec tamen hæc illis ratio excusat, est enim inexcusabilis Hebræorum perfidia, dum nō recognoverunt Redemptorem. *Vide Concionem II. per totam.*

Dominica XVIII. post Penthecost.

THEMA I.

Offerebant ei Paralyticum. Matth. 9.

Non minus cœli beneficium est Corpus infirmum quàm sanum. Et quomodo de eodem corpore acceptabile Deo possit fieri sacrificium. *Vide Concionem XX. per totam.*

THEMA II.

Videns fidem illorum. Matth. 9. v.

Hic patet quàm diversa fuerit Capharnaitarum & Nazarenorum fides, quàm denique diversa fuerit & Christianorum & Hebræorum fides, & sicut Nazareni injustas Christo deponebant quærimonias, dicentes: Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua: ita quoq; injusta esset coram Deo Hebræorum contra Christianos coram Deo quærimonia, quandoquidem sicut nullatenus Nazareni Christo præstabant, quod Capharnaitæ, sic nullatenus Hebræi Deo præstiterunt, quod Christiani. *Vide Concionem II. per totam.*

THEMA III.

Vt autem sciatis, &c. Dixit Paralytico: Surge & tolle Lectum tuum. Matth. 9. v.

Excellentius opus est, remissio peccatorum, quàm curatio Paralysis, sed respectu oculorum carnalium, qui hoc vident, illud non, posterius censetur priore eminentius. Unde Dominus hunc sanans paralyticum, in testimonium quod potestatem haberet remittendi peccata, & per consequens, quod verus esset Deus, evidentiam præstitit, quam Theologi vocant, *In attestante*, hoc est, quando ad alicujus rei confirmationem, fit miraculum omnibus id spectantibus. Cùm igitur Christus singula, quæ prædicabat mysteria tot comprobarit miraculis evidens est

Judæo;

Judæorum & hæreticorum insania, quod post tot patrata miracula, mysteriis illis congruam præstare fidem etiamnum detrectent. *Vide Conc. XI. à num. 19 usque ad finem.*

Dominica XIX. post Penthec.

THEMA I.

At ille obmutuit. Matth. 22. v.

Minimè mirum videri debet quod in novissimo magni iudicii die iudicandus homo reus obstupescat in conspectu offensi iudicis; & quidem iudicis tanto tempore offensi, tot modis offensi, tam graviter offensi, denique offensi à tam vilibus & abiectis creaturis. Si de tempore offensæ sermo sit, cum ipso exordiente mundo hæ inceperunt: si de offensarum numero ac multitudine, tot eæ sunt, ut omnem prorsus numerum superent, si de gravitate, nullus intellectus illius cognoscendæ capax existit; si denique de offendentium vilitate agatur, hi sunt homines infinitum miserabiles. Unde quid de his aliud sperari poterit, quam quod Evangelista dicit: *At ille obmutuit vide Concionem V. per totam.*

THEMA II.

Et dixit ministris: ligatis manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores, &c. ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 22. v.

Commode hic agetur de 4. inferni proprietatibus quas videre licet prolixe expositas *Conc. XIV. per totam.*

THEMA III.

Multi sunt vocati, pauci vero electi.

Optimus hic locus erit agendi de ineffabili Prædestinationis beneficio, per quod prædestinatus electus est ad gloriam sine ullo ad merita respectu, licet non sine meritis glorificatus sit. Vocatus est per efficacem gratiam sine ulla tamen voluntatis ad effectum ponendum coactione cum securitate salvationis, & tamen cum sollicitudine & timore salutis. *Vide Conc. XXXI. per totam.*

Dominica XX. post Penthec.

THEMA I.

Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Caph.rnaum. Ioan. 4. v.

Intendit Dominus huius reguli filium disponere, ut cum illo agat, eiusque cordi fidem suam infundat, eo fine corpori suo ægritudinem immittit. Corpus enim hominis post peccatum incentivum est malitiæ, atq; iniquitatis instrumentum; & ideo non malum sed valde bonum, si caro nostra, utpote hostis noster, infirmetur. *Vide Conc. XX. per totam.*

THEMA II.

Incipiebat enim mori. Ioan. 4. v.

Prudenter fecit accedens ad Christum pro avertenda morte, cum enim mors intrare inciperet solus poterat eam Christus detinere. *Vide Conc. XXXIII. per totã.*

THEMA III.

Rogabat eum ut descenderet.

Medium impetrandi est oratio, est enim clavis ad Gazas cœli. *Vide Conc VIII. per totam. Maxime in puncto Concionis secundo, de bono utili quod est in oratione.*

Dominica XXI. post Penthec.

THEMA I.

Omne debitum dimisi tibi. Matth. 18. v.

Duo Christus per hanc parabolam indicat. Primum est articulus nostræ fidei, remissio scilicet peccatorum ex Dei misericordia. Secundum est, te teneri remittere iniurias tibi inflictas. De primo *videndus est Author Conc. XVI.* ubi agit de remissione peccatorum quæ fit virtute sacramenti pœnitentiæ per sacramentalem Confessionem.

THEMA II.

Sic faciet Pater meus &c. nisi remiseritis unusquisque, &c. Matth. 18. v.

Arduum est hoc præcipuum de remissione facienda inimicis, sed commolere oportet hunc bolum per huius parabolæ doctrinam, & per ea Redemptoris nostri verba: Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, &c. quæ Author sigillatim egregie ponderat *Conc. III. per totam.*

THE-

sedem suam figens per peccatum in anima. Abominatio quidem quia Dæmone nihil est execrabilius. Desolationis autem, quia animam quam inhabitat adeo devastat, ut non relinquat in ea lapidem super lapidem. *Vide Conc. IV. per totam.*

THEMA III.

Stantem in loco sancto. Matth. 24. v.

Conati sunt infælices Iudæi Christum occidendo, Romanorum evitare adventum, sed per hanc viam illos sibi attraxerunt, & civitatem munimentis spoliarunt. Servit hic discursus contra eos qui Politici dicuntur, & de status ratione conservanda solliciti sunt. *Contra quos vide Authorem Conc. XXXIII. num. 23. usque ad num. 31. & ultimum.*



Index Concionum pro festivitatibus Sanctorum per annum occurrentibus.

In Festo S. Andreæ Apostoli.

THEMA I.

Faciam vos fieri piscatores hominũ. Matt. 4.

QUi lucro animarum invigilant, piscatores & venatores à Deo apud Jeremiam *cap. 6. v* 16. appellantur: *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos; & post hæc mittam eis venatores, & venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Cur hoc eos nomine appellat? ut insinuet in iis qui curandis atque lucrandis animabus invigilant, magna in earundem directione prudentia opus esse & diligentia. Sicut enim non omnes pisces uno & eodem modo capiuntur, alii namque hamo, alii rete, alii virga, alii nassis capiuntur, alii denique feriuntur tridente: ita quoque ars artium est regimen animarum, ut proinde centum habeant oculos necessum sit, quibus quid in qualibet rerum occurrentia expediat, pervideant, qua scilicet ratione convinci possit durities: qua spe & fiducia pusillanimitas restaurari queat: quo temeritas refrænari possit timore: quonam somnolentia evigilare possit exemplo, quali testimonio convinci possit perfidia. Denique *omnibus omnia fiat*, necessum est, *ut omnes lucrifaciat. Vide Conc. XVIII. num. 13. & seqq. usq; ad n. 22. excl.*

THEMA II.

Vidit duos fratres mittentes rete in mare.

Discipulos hosce ad supremam Apostolatus dignitatem vocans, eam captat occasionem, qua retia præ manibus habent, quatenus dum stupenda illa quæ per mundum patraturi erant prodigia cernerent & arcus triumphales victoriæ contra omnem potentiam monarcharum, & sapientum, imo & Dæmonum, non illa suis adscriberent manibus ac viribus, nec superbirent, sed dicerent cum Apostolo: *Non ego, sed gratia Dei.* Vere enim *omnia in nobis operatur Dominus. Vide Conc. XVII. num. 3. & seqq. usque ad num. 8.*

THEMA III.

Venite post me. Matth. 4. v.

Vincere non debet malitia Dæmonis, divinæ sapientiæ bonitatem. Illa multos proposuit duces ad infernum, falsos nempe Deos; hæc autem seipsam, ut ducem ad cœlum proponit dicens: *Venite post me.* Via autem ad cœlum quam post ipsum ingredi debemus, est via crucis & tribulationis, via scilicet angusta & difficilis. Quodsi enim Christus gloriæ Dominus per viam incedat crucis, alia nobis esse

non debet. Hinc Sancti cum S. Andrea Apostolo se felices æstimant in tribulationibus, dicentes cum eodem: *Salve Crux pretiosa, &c.* quia per illam incedentes, agnoscunt hanc esse viam, quam Christus inambulavit. *Vide Concionem XXXIX. per totam.*

In festo immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ.

THEMA I.

Liber generationis IESV Christi. Matth. 1. v. 1.

Liber generationis IESV Christi, Liber est, in quo Deus testimonia scripsit amoris sui erga te & eorum quæ tui gratia fecit: illum relege quod nisi feceris, ipse in die Judicii complebit illud quod ait Job: *Instauras contra me testes tuos.* Et hic liber ille erit, quem dixit D. Joannes aperiendum, ut ex eo Deus nos judicet, ex illo tibi compone florilegium, quod cum sponsa inter ubera tua colloces, atque hoc fine *vide Concionem XXI. per totam. Item Concionem XXIX. à num. 2. usque ad num. 22. excl.*

THEMA II.

Filii David. Matth 1.

Quare Davidem Abrahæ præponit, cùm sit Abraham senior, & qui semper justus fuit, nec unquam peccator, sicut David? Hanc videlicet ob causam qua Christus venit ut medicus, peccata curaturus, & peccatores, atque ideo ostendere vult quod illos non repudiet. Est enim JESUS qui quærit mulcetque Animas impudicas, iisdemque se coronat. *Vide Concionem eandem XXI.*

I. THEMA III.

Filii David.

Similiter illum primo Loco nominat, ut cautos nos reddat, nam cùm David esset vir ita Sanctus ut Deus illi promissum adeo singulare spoponderit, nempe filii sui donum, omniumque virtutum perfecta esset imago. *Vide Concionem XX. num.* 10. tamen ob unam oculi evagationem & incautam custodiam casu corruit ita lamentabili, ut totius fuerit populi scandalum, quatenus ex illo discas vitare occasiones, nec beneficii tibi à Deo præstitis fidere. *Vide eandem Concionem XX. passim per totam.*

THEMA IV.

Filii David.

Vult Deus ut pateat omnibus virtus Pœnitentiæ quæ tanta est, ut hominem promoveat ad eam dignitatem, qua prius fulgebat, imò sæpe ad altiorem: Ita elevavit Pœnitentia Magdalenam: etenim credens Pharisæus illam absorptam à peccatis, audit à Christo illam exaltatam super Cherubim, ad statum Seraphinorum, Timuit David, quando peccavit, ne forte Deus promissum revocaret, quo promiserat illi dare filium suum in filium, unde post peccatum suum sic precabatur: *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Porro per pœnitentiam hoc illi promissum confirmatur. *Vide Concionem VII. num. 5.* Si quoque tu illam ex animo feceris, te Deus in statum gratiæ restituet quem obtinebas, juxta insignem D. Ambrosii sententiam: *Deus mutatur, si tu te mutaveris. Vide Concionem XVI. per totam.*

In Festo S. Thomæ Apostoli.

THEMA I.

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, &c. non credam Joan. 20. v.

Hodie in publicum producitur peccatum illud enorme S. Thomæ Apostoli: quia hic primo prætenditur gloria Dei, & quanto peccatum ejus gravius fuit, tanto gloriæ Dei redditur illustrior, qui curavit eum, & peccatum ei remisit. *Vide Concionem XXIX. num. 16. & sequentibus usque ad num. 23. Exclusivè.* Cedit etiam ad majorem Sancti gloriam: quanto namque major videbatur magnitudo Goliath, tanto crescebat Davidis major

ior gloria, illum vincentis. *Vide Concionem XVI. à num. 7. usque ad num. 14. exclusive.*

THEMA II.

Nisi videro, &c. & mittam digitum, &c. Et manum meam in latus, non credam. Ioan. 20.

Quasi diceret: non meis fidam oculis, nec mihi sufficiet si digitis illum contrectavero, nisi totam manum meam in latus eius, misero. Ecce quanta cordis duritiès in discipulo tantis prævento beneficiis. Exaggerat D. Ioannes Evangelista, & omnibus suis describit circumstantiis cordis Thomæ duritiam, & peccati eius gravitatem, non ut Apostoli sancti huius honori detrahant, sed ad Dei gloriam eiusque honorem quanto namque clarius exprimitur gravitas infirmitatis, tanto magis extollitur virtus & experientia medici, & quanto quis profundius turpioribus immersus iacet peccatis, tanto gloriosior ab illis resurgit, si divinæ cooperans gratiæ ab illis se liberet. *Vide Conciones & numeros prouti sub Themate immediate præcedenti notatum est.*

THEMA III.

Venit IESVS iterum, &c. Dicit *Thomæ: infer digitum tuum huc.* Ioan. 20.

Quænam poterit huic misericordia comparari? si Patris primogenitus obloquitur, quia filium recipit prodigum accedentem, quanto vehementius murmuraret, si videret quod illum quæreret, & singularibus omnino manuum & lateris sui delitiis demulceret. *Vide Conc. XXI. à num. 20. usque ad finem Concionis*, ubi ostendit Author quod Deus peccatorem quærat, etiam dum obstinatè quærenti resistit, & ad hoc varia pulchra adducit.

THEMA IV.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas & mitte manum tuam in latus meum. Ioan. 20. v.

Videntur hæc tibi, ô Christiane auditor, dici. Utinam vulnera manuum, pedum, & lateris eius perrimares, nec tibi sufficeret illa simplici oculorum intuitu pertransire: nam illis similis es, quibus satis erat illa superficialiter inspicere. Viros vult Deus scrutatores, & qui collationem instituant, & hæc vulnera metiantur, in eis sua considerantes peccata: in capitis illius spinis tuam attende superbiam; in manibus perforatis tuam avaritiam. Hoc quippe est digitos & manus in vulnera immittere, templumque metiri. *Vide Concionem XXXX. passim per totam.*

In Festo Purificationis gloriosæ Virginis MARIÆ.

THEMA I.

Vt darent hostiam secundum legem par turturum aut duos pullos columbarum. Luc. 2. v.

Suavis fuit hæc legis divinæ dispositio, ut mulier iuxta vires suas offerret. Hæc enim est Dei benignitas, quia non petit à te nisi quod illi facile potes dare; & lugendum est, quod nec hoc illi des, & Diabolo molesta petenti, sponte illa offeras. *Vide Conc. XIX. à num. 14. usque ad num. 23. & ultimum.*

THEMA II.

Tulerunt IESVM in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2. v.

Libenter Christus implevit hoc mandatum, quo ductus fuit ut offerretur, & præsentaretur Patri cœlesti: Finis etenim adventus eius hic erat, ut se pro peccatis offerret, cuius oblatione eorum debita solvebantur, & Deus cum hominibus reconciliabatur: unde hoc in Ecclesia sua instituit diligentius, ut se nobis taliter relinqueret, ut quotidie, imo singu-

verbi incarnationem? cum, Bethlehem electa fuerit ad nativitatem, Capharnaum ad habitationem in ætate virili; Ægyptus ad transfigendam pueritiam, Ierusalem ad mortem & passionem suam. Sed cum Nazareth idem significet quod Flos, quam significationem sequuntur D. Bernardus *super missus est* D. Bonaventura *in cap. 1. Lucæ.* Andreas Episc. Hierosolymit. *Serm. de Annunt.* & communiter recentiores, ideo talis patria merito Christo Domino congruebat. *Primo*: quia sicut flores spem certam nobis fructus ingerunt; unde apud priscos Romanos, ut spes præfiguraretur, duo Lilia depingebantur, hac litera: *Augusta spes*; ita Christus Dominus de cuius adventu dictum erat: *Flores apparuerunt in terra nostra. Cant. 2. v. 11.* uniendo sibi naturam humanam, certam spem salutis nobis præbuit. *Vide Conc. XI. num. 26 & Conc. XXI. num.* 10. *Secundo* quia sicut flos dum virescit, ac integer manet, non coalescit in fructum, nisi cum destruitur; ita Christus Dominus verus flos, ut daret fructum sanctificationis animarum nostrarum, necessarium fuit iuxta hunc ordinem rerum, mori & interire, iuxta illud Ioan. 12. *Nisi granum cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum affert. vide Conc. XXXIII. à num.* 10. *usque ad finem. Tertio* Bruta animalia flores conterunt, ac pedibus calcant cordatus vero homo colligit, ac in eis delectatur: sic Christus à peccatoribus, qui bestiarum more vitam degunt contemnitur, à sanctis vero honoratur, & ideo dicitur flos campi, & non hortorum. *Vide Conc. XXV. num 12. 13 14. & Conc II num.* 20. *& seqq. & Conc. IX. num. 8. & Conc. XI. num. 1. & seqq. Quarto* nomen floris quadrat Christo Domino, ob pulchritudinem, suavitatem, ac odorem quem in totum terrarum orbem diffundit. *Vide Conc VII. num. 18. & seqq. usque ad finem.*

THEMA II.

Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur. Luc. 1. v. 32.

Dicitur magnus, ut denotetur quod solum in ipso sit vera magnitudo: nam licet aliqui sancti, ut Isaac, Moyses, Ezechias, Ioannes Baptista, qui præcesserunt adventum Christi, dicerentur magni, tamen postquam Christus advenit, nullus magnus dictus invenitur in scriptura; ille enim solus magnus est, in quo est omnis magnitudo, & comparatione illius omnes minimi apparent. *Vide Concionem XXVIII. num. 6. & seqq.*

THEMA III.

Quod enim nascitur ex te sanctum. Luc. 1. v.

De summa sanctitate vitæ Christi Redemptoris nostri, utpote qui sanctorum fundaturus erat rempublicam & qui liberrime se posset inscribere filium Dei & per consequens futurus erat impeccabilis, *vide Conc. XXVIII. num. 1. & seqq.*

In Festo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.

THEMA I.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Ioan. 14. v.

Est hoc Evangelium pars quædam, illius Concionis, quam habuit Dominus in cœna, morti proximus, Apostolos suos exhortatus, quibus adversitates prædixerat, quas eius gratia essent toleraturi, & pro prædicatione Evangelii quod illis commendaverat: erant etenim exercitus illius antesignani, talibus autem nihil sic opus est, ac fortitudo animique robur: illa namque est inter cæteras synagogam Iudæorum inter & Ecclesiam Christianorum differentia quod synagoga nata & educata sit valde molliter inter delitias, Ecclesia vero non inter mollities sed inter asperitates educata sit: non pace quadam ignobili fruatur, sed continuo & glorioso bello, semper certans, sed semper etiam victoriosa, qua vis hora inter arma, & quavis item hora inter triumphos, ut proinde illi merito præconium istud à Salomone tribuatur: Proverb. 15. v. 6. *Dominus iusti plurima fortitudo. Vide Conc. II. num. 16. 17. 18. 19.*

THEMA II.

Non turbetur cor vestrum neque formidet. Ioan.14.v.

Ex hac Christi Salvatoris nostri cohortatione enata sunt quinque nascentis Ecclesiæ mirabilia, videlicet quod primitivi Christiani victi quidem fuerint, & tamen triumpharint, destructi & nihilominus multiplicati, diffamati & tamen gloriosi, tribulati & gaudentes. *Vide Conc. XV. per totam.*

THEMA III.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Ioan.14.v.

Quanta futura sit Maiestas & magnificentia domus Domini, dici aut cogitari nequaquam potest, Beatorum namque gloria omnem excedit mentis cogitationem, omnemque dicendi facultatem superat: sunt tamen coniecturæ quædam è quibus aliqua ex parte eius quod inæstimabile est, aliqualis elici potest æstimatio, quos *vide Conc. X per totam.*

In Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistæ.

THEMA I.

Et audierunt vicini & cognati eius, &c & congratulabantur ei. Luc.1.v.58.

Et congratulabantur ei, scilicet Elizabeth, ait textus. Unde nascitur merito sequens dubium: Cur videlicet gratulatio potius facta sit Elisabeth, quam Zachariæ varias adfert rationes R. P. Sylveira Carmelita *in Commentariis suis Evangelicis lib.1.cap.8.q.5.num.*10. E quibus mihi placet *Quarta* quæ moralis est, hæc videlicet, quod merito spiritu Sancto ita disponente tota gratulatio facta fuerit Elizabeth, ipsa enim non solum receperat filium, sed etiam ex Ioannis exultatione iam gratia repleta erat. Vera exultatio non capitur ex bonis temporalibus, sed præcipuè ex spiritualibus. Temporalia namque bona tribus præcipue subiacent prædonibus, vanitati scilicet afflictioni & miseriæ, *Vide Concionem I. per totam.*

THEMA II.

Erit enim magnus coram Domino. Luc.1.v.

Bene dicitur ad præconium singulare S. Ioannis ipsum magnum futurum coram Domino, parum enim, aut potius nihili faciendum est, quempiam magnum esse coram mundo. *Vide Conc. I. num.* 2. *& sequentibus.*

THEMA III.

Apertum est os Zachariæ. Luc.1.

Dubietas Zachariæ non fuit peccatum mortale sed veniale tantum: nihilominus in eius pœnam novem mensibus obmutuit, tantum etenim malum est, peccatum etiam veniale, ut hoc etiam non sit nimis grave supplicium. *Vide de malitia & noxietate peccati Conc. XVI. num.7.& seqq.*

In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

THEMA I.

Venit IESVS in partes Cæsareæ Philippi. Matth.16.

Ad hoc ut Christus Dominus sanctam suam fundet Ecclesiam, & basis eius fundamentum, quod non est aliud quam fidei suæ confessio, educit Apostolos è Iudæa, per quam Christus communiter ambulabat in regionem separatam, etenim Doctrina quam Christus in Ecclesia sua erat fundaturus, doctrina est prorsus ab omni alia doctrina, quoad excellentiam, sublimitatem, utilitatem, efficaciam separata. *Vide Concionem XI. num.* 8.9.10.11.12.13.*vide etiam Concionem XXIV. fere per totam.*

THEMA II.

Alii Ioannem Baptistam, alii Eliam.

Quantum homines aberrant in cognitione Christi suæque fidei suis adhærentes mordicus opinionibus quæ erroribus sunt involutæ. Nonnulli censebant esse Eliam in Paradiso consistentem: alii Ieremiam iam mortuum; alii Ioannem Bapti-

THEMA III.

Idem quod immediate præcedit.

Quæri hic potest quare Iacob luctetur in utero matris, Ioannes vero exultet? Constat enim ex Gen.25. Iacob in utero matris cum fratre luctatum triumphos præripuisse. Phares quoque & Zaram in utero Thamar de primatus honore præliatos fuisse: Ioannes vero in ventre matris lætus exultat & gaudet. Respondeo: Illi agebant de primatu ac dignitate temporali, hic vero de cœlesti ac spirituali dono, & ubi res est de terreno lucro ibi afflictio est & dissidium, ubi autem de cœlesti munere, ibi unitas, pax, & gaudium. *Vide Conc.I num.* 14. *& seqq. usque ad num.*21.*exclusive.*

THEMA III.

Magnificat ANIMA mea Dominum. Luc.1.v.46.

Cur B. Virgo in principio sui Cantici dicit: *Magnificat ANIMA mea Dominũ?* ℞.ut significaret se & omnes Christianos non solum exterioribus verbis, ut sæpe faciunt homines, sed etiam interioribus Animæ cogitationibus Deum extollere debere ita ut ore, corde, & opere Deum laudarent. *Vide Conc.II à num.*2. *usque ad num.*8 *exclus.*

In Festo S. MARIÆ Magdalenæ.

Legatur *Concio XXXII.* sive in Feriam V. post Dominicam Passionis. Ubi latè declarat Beatam Mariam Magdalenam esse novum quendam gratiarum mundum, in quo merito tria, à quibus Deus author illius magnopere commendatur consideranda veniunt, videlicet, quid sit? quomodo sit? ac denique in quem finem factus sit, quæ triplici sub Themate tractari possunt.

In Festo S. Iacobi Apostoli.

Accessit ad IESVM mater filiorum Zebedæi. Matth.20. *Vide Conc. XIII. sive in Feriam IV. post Domin. II. Quadragesimæ,* ubi præsens Evangelium tractatur.

Quia etiam in hoc Evangelio memoratur peccatum ambitionis quo Iacobus & Ioannes in regno Christi primas per matrem sedes ambiverunt, hinc tractari poterit eadem materia quæ adducta est sub *primo themate in Festo S. Thomæ Apostoli.*

In Festo S. Alberti Confessoris Ordinis Carmelitarum.

THEMA I.

Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te? Matth.19.v.

Optime S. Albertus fecit, exemplo principis Apostolorum omnia terrena relinquendo, utpote quæ infallibiliter vanitati, afflictioni & inconstantiæ subiecta sunt. *Vide Conc I per totam.*

THEMA II.

Quasi stella matutina in medio nebulæ. Ecclesiast.

Quanto maior fuit S. P. Alberti sanctitas vitæ, tanto vehementiores à Dæmone passus est tentationum insultus, quos ipse generoso viriliquе pectore retundens & superans sanctior in seipso & gloriosior evasit; ut proinde merito dubitandum sit, an tentationes tanquam iacturæ occasiones fugiendæ, an vero tanquam magni materia lucri consectandæ sint. *Vide Conc IV. per totam.*

THEMA III.

Quasi thus ardens in igne. Ecclesiast.

Thus ardens in igne orationis symbolum est, unde orationes sanctorum à scriptura sacra thymiamata vocantur. Hoc sacrum orationis incensum S. P. Albertus quotidie Deo obtulit, utique ab ingenti bonorum thesauro, quem oratio veluti Gaza Dei in se continet, illectus; continet enim in se bonum honestum, utile, & delectabile. *Vide Conc. VIII. per totam.*

In Festo S. Laurentii Archilevitæ & Martyris.

THEMA I.

Dispersit dedit pauperibus, &c. Psal.

Docet S. Laurentius virtutem eleemo-

Synæ, declarans pauperes, esse divitum aurigas à Deo constitutos, ut eorum bona in cœlum deferāt, ubi centuplo fœnore remuneretur. *Vide Conc. XVII. per totā.*

THEMA II.

Transivimus per ignem & Aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Vide Concionem XV. per totam.

THEMA III.

Noli mœrere fili, post triduum sequeris. Acta S. Sixti.

Non poterat mundanus Homo majori cum aviditate appetere delicias ac voluptates, quam S. Laurentius Martyrii labores & ærumnas; Noverat enim hasce viam esse ad gaudia sempiterna. *Vide Concionem XXXIX. per totam.*

In Festo Assumptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ.

THEMA I.

Intravit IESVS in quoddam Castellum Luc. 10.

Fœlix illa domus quam JESUS ingreditur, nam illo suscepto, non est quod exoptet ampliùs, etenim cum illo omne bonum possidetur, sicut suprema hæc est animæ calamitas, si Deus ab illo discedat, & horum aliquid gentiles intelligebant, dum in ædibus suis Deos catenis clavisq; affigebant. *Vide Concionem VII. num. 18. & seqq. & Conc. II n. 24. usque ad finem.*

THEMA II.

Huic erat soror nomine Maria, quæ sedens secus pedes Domini, &c. Martha autem satagebat. Luc. 10.

Videtur Martha prudentius agere, tota occupata, ut cibos præparet, mensamque sternat Domino quàm Maria, quæ recipiendis ejus verbis, consolationibus & favoribus intendebat: Verum jam exposuit Christus Mariam meliorem partem elegisse, quia non ingreditur Deus animarum nostrarum habitaculum, ut illi quidquam erogemus, sed ut ipse nobis infundat, atque ab illo nos recipiamus. Non est ejus regnum simile regno rerum terrestrium, qui esse suum & alimentum à subditis accipiunt, sed sicut thronus solis: Omnia enim ab illo participant, nec ipse quicquam accipit. Eo fine desiderat, ut tu illum in animam tuam recipias, ut illam ditet, & hoc erit ipsum in ea regnare in gloria. *Vide Conc. XVII. à num. 2. usque ad num. 8.*

THEMA III.

Optimam partem elegit sibi Maria.

De cœlestis gloriæ, ad quam B.V. MARIA, hodie assumpta est, ineffabili magnitudine. *Vide Conc. X. per totam.* Ea enim quæ ibi adducuntur facile per argumentum à minori ad majus ad B. Virginem reduci possunt.

In Festo S. Bartholomæi Apostoli.

THEMA I.

Exiit IESVS in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6.

Christus nulla pressus necessitate ad orationem recurrit: tu ad illam recurre: hæc enim tibi tradita est, velut clavis ad Thesauros Dei. *Vide Concionem VIII. à nu. 12. usque ad num. 20. exclusivè.*

THEMA II.

Erat pernoctans in oratione Dei.

Oratio remedium est universale cordi lætificando præsertim oratio longa, cum Deo colloquendo hoc etenim est pernoctare in oratione Dei. *Vide Conc. VIII. à n. 20. usque ad finem.*

THEMA III.

In oratione Dei.

Tanto Deus tenetur desiderio, ut ab illo homines aliquid petant, ut stomachetur, ac sibi graviter displiceat quando nihil expetunt. *Vide Concionem VIII. à nu. 4. usque ad num. 12. exclusivè.*

In Festo Nativitatis B.V. MARIÆ.

THEMA I.

Isaac genuit Iacob. Matth. 1.

In hac generatione latet mysterium ad

nostram utilitatem: cum enim Isaac expressum haberet Dei promissum de filiorum multiplicatione, & Deus patri eius Abrahæ videlicet dixisset: *In Isaac vocabitur tibi semen* nihilominus viginti annis illos non genuit, ob sterilitatem uxoris suæ Rebeccæ, tantoque illo tempore ferventes ad Deum fudit preces, ut illi filios concedere dignaretur, ac si tale nullum audivisset promissum, nec Deus illud decrevisset. In quo nobis demonstrat, non esse nobis attendendum in negotio nostræ salutis ad æterna Dei decreta, nec ad id quod ipse in æterna sua determinavit prædestinatione, sed nostram studeamus promovere salutem, ac si nullus fuisset in Deo actus prædestinationis; nec bene dicitur: si prædestinatus sum, non curo quodagam, certo namque Salvator. *Vide Conc. XXXI. à num. 20. usque ad finem.*

THEMA II.

Salmon genuit Booz de Rahab.

Erat Rahab Chananæa ex civitate Iericho, prima ad ingressum terræ promissionis, quam occupabant Chananæi; & præter hoc descendebat ex perverso filio Noe, scilicet Cham, & per consequens erat maledicta, & meretrix erat. Quamvis enim nomen *meretrix*, illi à sacra scriptura attributum, credant aliqui significare hospitam, tamen D. Paulus absolute illam vocat in originali fornicariam *ad Hebr.* 11. quomodo ergo potuit Salmon Princeps eximius de Tribu Iuda populi Dei, illam ducere in uxorem, quandoquidem prohibitum esset Israelitis Chananæas ducere in uxores, & videbatur indecens tali principi coniungi meretrici? *Respondet Abulensis*, quod illud præceptum Israelitis de non assumendo Chananæos in uxores, intelligatur de Idololatris, atque in Idololatria contumacibus; porro Raab excipiens exploratores ita à Deo illuminata fuit, ut fidem habuerit perfectiorem ex auditu tantorum mirabilium, quæ Deus operatus fuerat, populum suum educens de Ægypto, quam ipsi Israelitæ eorum spectatores, adeoque vehementem quoque habuit vitæ anteactæ pœnitentiam; unde coram Deo ad tantam ascendit sanctitatem, ut illam, hoc honore dignatus sit: etenim hæc est veræ pœnitentiæ virtus, ut meretricem reddat castam & abiectam efficiat nobilem, & maledictæ benedicat. Est pœnitentia rota Hieremiæ quæ circumagitata vas ita transmutat, ut iam sit aliud; & ita quando Pharisæus Magdalenam deprimebat in abyssum peccatorum, Christus illam evehebat ad altitudinem Seraphinorum. *Vide Conc. XVI. à num. 3. usque ad num. 14. exclus.*

THEMA III.

Salmon genuit Booz de Rahab. Matth. 1.

Ne mireris inquit D. Paulus tantum beneficium Rahab à Deo concessum, qui illam elegit, ut carnem ex eius progenie assumeret; etenim viva fide eleemosynam erogavit, recipiens & defendens exploratores populi eius, in illis ipsum Deum considerans. O quam efficax est eleemosyna viva fide data! ô qualia à Deo impetrat dona! ita est, ac si illi ipsi fieret, & illi ipsi subveniretur. *Vide Concionem XVII. per totam.*

In Festo S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ.

THEMA I.

Vidit IESVS hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

Præ manibus habemus opus omnino præclarum inter ea, quæ fecit Deus à creatione mundi: conversionem nempe Publicani, ita publici, ut seipsum recenseat inter publicanos cauteriatam habentes conscientiam, & in puncto exitione inferni, Seraphinum reddidit cœlestem, & unico tractu cupiditatem evulsit, quæ tam profundas egerat radices, ut totum cor eius occuparet. Unde factus fuit dumetum spinarum peccatorum & in paradisum commutatur omnigenis floribus fructibusque redundantem. Quod si peccatorē convertere vulgarem, iustumq; eum efficere, actus sit multo mirabilior, quam

cœli terræque creatio quid erit, peccatorem ad meliora reducere cæteris nequiorem, & momento temporis Apostolum creare & Evangelistam. Hoc illud opus est, quo Deus seipsum mirificè exaltat. *Vide Conc. XXXII. à num. 22. usque ad finem sive ad num. 27.*

THEMA II.

Vidit IESVS hominem, &c. Matthæum nomine. Matth. 9.

Quis non stupeat, quod in Festo huius Apostoli, Ecclesia nobis eius propalet crimina? nec enim id videtur eius honori conducere, sed potius palam eum infamia conspurcare: & quod magis mirandum, videlicet est quod ipsemet hoc faciat, proprio se nomine compellans: *Matthæum nomine.* Nam D. Lucas eandem describens historiam, propriũ Matthæi nomen non apposuit, sed nomen tantum vulgare Levi. Ipse idem est qui proprium suum nobis crimen exponit vivis depictum coloribus, & hoc est, quod in medium producit ipso die Festi sui. Etenim præ reliquis intendit Dei gloriam, consolationem & utilitatem omniũ peccatorum; totiusque Ecclesiæ, imo & proprium honorem. *Vide annotata in Festo S. Thomæ Apostoli sub proprio themate.*

THEMA III.

Sedentem in telonio. Matth. 9.

Cum avaritia vitium sit adeo perniciosum non tamen leviter cordi inhærebat Matthæi, sed radices in illo egerat profundiores, ita ut usurarius esset & Publicanus ex professo, dataque opera: nec enim vir erat qui simul tantummodo cõtractum inierat iniustum, sed erat hoc illi familiare sui muneris: ut proinde avaritia non ita in illo locum habuerit, sicut adulterium in David, quod Nathan Propheta vocabat peregrinum sed firmiter & continuo, quam emphasim includit verbum, *sedentem*, quasi diceret, ibi cor suum, Animam & cogitationem fixerat. *Vide Concionem VI. passim per totam.*

In Festo S. Michaelis Archangeli.

THEMA I.

Accesserunt discipuli ad IESVM dicentes: Quis putas maior est? Matth. 18.

Designaverat Dominus Petrum futurum Ecclesiæ suæ & regni caput: Cum enim tributorum collectores accederent tributum exacturi, quantum familiæ capita debebant, à D. Petro hoc exegerunt dicentes, ut Christus solveret didrachma, quod Petrus Christo significavit, cui iniunxit, ut ad mare pergeret, atque in primo pisce, quem attraheret, inveniret pretium pro tributo solvendum, & ait: hoc pro te & pro me solve. Ut autem hoc audierunt Apostoli, hinc intulerunt, iam Petrum caput & primarium esse constitutum: & sicut adhuc imperfectionibus subiacebant, & affectibus regebantur terrenis, potissimum autem ambitionis; accurrit illico Diabolus, & data hac occasione illos tentavit. Hæc etenim est Diaboli ingenium tuos considerare affectus, & cordis inclinationes, ut oblata occasione velox occurrat tentaturus, & nemini cuiuscunque status, conditionis & ordinis parcit. *Vide Conc. IV. à num. 2. usque ad num. 12. exclusivè.*

THEMA II.

Quis putas maior est in regno cœlorum. Matth. 18.

De malitia & noxietate peccati ambitionis. *Vide Conc. XIII. à num. 19. usque ad finem.*

THEMA III.

Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste. Matth. 18. v.

Perpende verbum hoc *Conversi*, id est, quasi novos nos efficiendo, ut unusquisque omisso eo quod erat, fiat alius, ut vas Jeremiæ. quod fit per pœnitentiam quæ totaliter peccatum & peccatorem transmutat & velut ad puerilem innocentiam reducit. *Vide Conc. XVI. per totam.*

In Festo SS. Apostolor. Simonis & Judæ.

THEMA I.

Hac mando vobis ut diligatis invicem. Ioan. 15.

Videtur S.Ioannes in se suscepisse munus scribendi verba Domini suaviora & blandiora, quandoquidem alii Evangelistæ primario eius opera conscripserunt. Inter cætera autem suavissima videntur prædicta verba thematis, in quibus revera patet verissimum esse quod idem Ioannes alibi scripsit, videlicet: *Mandata eius gravia non sunt.* Si Christus præciperet odisse proximum, illum conculcare, illum occidere, illum iugulare: quisque merito obiicere posset, mandata eius gravia esse atque molesta: sed illa non præcipit, verum suavia. Sed dolendum est, quod hæc nobis videantur gravia, & cum Diaboli præcepta, sint difficillima, nobis convenientissima esse videantur. *Vide Conc.XIX.per totam.*

THEMA II.

Hæc mando vobis ut diligatis. Ioan.15.

Amoris effectus est perferre proximi sui defectus & imperfectiones, & ab illo illatas contumelias atque iniurias, hic etenim illas quantumvis magnas diminuit, & extenuat, sicut odium eas extollit & aggravat, quamvis exiguas. *Vide Conc. III.per totam.*

THEMA III.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Ioan.15.

Docent nos hæc verba viam qua eundem sit ad cœlum scilicet, odium & persecutiones à mundo libenter toleratas viam Crucis, hanc enim Christus ipse pro introitu suo in regnum cœlorum sibi naturaliter debitum usurpavit; quomodo igitur tu aliam excogitare voles. *Nec enim est servus maior Domino suo, qui dicit oportuit Christum ista pati, & ita intrare in gloriã suam. Vide Conc. XXXIX.per totã.*

In Festo omnium Sanctorum.

THEMA I.

Videns IESVS turbas ascendit in montem. Matth.5.

Præcipit hodie Ecclesia, ut oculos attollas, eosque in legiones illas dirigas, gloriosas, quasi turmatim dispositas; quædam vexillum erigunt paupertatis, aliæ lachrymarum, illæ persecutionis. Quanta autem sit gloriæ illius in æterna Beatitudine, magnitudo; de hoc *vide Conc.X.per totam.*

THEMA II.

Beati pauperes spiritu. Matth.5.

Primi quibus offertur regnum cœlorum & beati vocantur, pauperes sunt: etenim nihil sic odit Deus, ac pecuniam; est namque Idolum, quod eum ad æmulationem provocat ardentissimam; pecunia namque illi in mundo suam tollit Divinitatem. Nemo dubitat, quin Deus hoc ferat ægerrimè, quod Deos præter ipsum adores alienos; solus enim esse vult, & hoc primicerium statuit mandatum; Nõ habebis Deos alienos. *Vide Conc. VI. à num. 2. usque ad num. 14. exclus.*


THEMA III.

Beati mites, &c. Matth.5.

Ne crediderís omnibus hanc esse virtutem. Illi enim tantum dicuntur mites, qui cum possint vindictam sumere ab offensoribus, non tamen sumunt, sed cor erga eos gerunt blandum & pacificum; unde proprie hæc illis convenit beatitudo, qui iniurias sufferunt, nec commovẽtur ira contra contumeliosos, qualis fuit David, qui Deo suam proponebat mansuetudinem, qua factus est totius regni sui Dominus, seipsum conferens tenerrimo ligni vermiculo: Hæc virtus principaliter in Christo resplenduit; *Mitis sum.* qui illam proinde nobis quoque præcepit dicens: Ego dico vobis, diligite inimicos vestros. *Vide Conc. II. per totam.*

FINIS.





Conciones in Do
[illegible]eriis totius
Quadragesimæ

